Universidad de Deusto
Biblioteca

PERRERII

INGENESIM

TOM. III

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex Prov. Taur.

Giacinto Bianchi

GRANDE BIBLIOTHÈQUE
ÉCOLE LIBRE
N. D. de Mont-Roland

Universidad de Deusto
Biblioteca

GRANDE BIBLIOTHÈQUE
ÉCOLE LIBRE
N. D. de Mont-Roland

BENEDICTI PERERII VALENTINI, E SOCIETATE IESV:

Tertius Tomus.

COMMENTARIORVM *in Genesim.*

SVPER HISTORIA CENTVM ANNORVM, quam de sanctissimo Patriarcha Abraham scripsit Moses, à capite duodecimo, vsque ad vigesimum quintum.

CONTINET HIC TERTIVS TOMVS, *præter copiosam verborum & sententiarum Mosis expositionem, amplius nonaginta principales disputationes, ad exactiorem atque vberiorem eiusdem Historiæ tractatum & cognitionem pertinentes.*

Ex Rev. Tau

NIVERSITARIUM ARCES DOLANI
IHS

37167

Bibliotheca Facult. Philosophiae Provinciae Loyolensis S.I.

LVGDVNI,
EX OFFICINA IVNTARVM.
M. D. XCVI.
CVM PRIVILEGIO.

Dnus Gulielmus Baldesanus Collig. Taur. Soc. Jesu. D. D.

Universidad de Deusto
Biblioteca

FRANCISCO TOLETO S. R. E. REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO CARDINALI,

BENEDICTVS PERERIVS è Societate Iesu S. D.

QVÆ me res impulerunt, Cardinalis Illustrißime, vt tertiam hanc in Geneſim Commentariorum meorum partem, in tanta principum copia, qui Vrbem, vt cœlum aſtra, ornant & decorant, in tuo potißimum nomine apparere vellem: eas res non ſolum tibi notas eſſe puto, ſed credo equidem ita multis expoſitas & apertas eſſe, vt miraturos fuiſſe plurimos non dubitem, ſi munuſculum hoc meorum ſcriptorum, alij cuipiam quàm tibi, obtuliſſem. Etenim diuinarum literarum, ſacrarúmque rerum commentationes, ſcriptioneſq́, hominis præſertim ex hac Societate Ieſu, cuinam hominum aptæ magis & quaſi debitæ videri poſſunt, ſiue dignitatis amplitudinem æſtimare lubet, ſiue præſtantiam virtutis & ſapientiæ, ſiue cuiuſdam velut neceßitudinis cum noſtra Societate coniunctionem, quàm tibi, FRANCISCE TOLETE, in quo hæc omnia, cumulata, expletaque cernũtur? Tu enim (poſt illum in terris Eccleſiaſticæ auctoritatis & dignitatis apicem) vnus es de ſummis Eccleſiæ Principibus. Tu Propter excellentiam humanæ ac diuinæ Philoſophiæ, clariſſimis ingenij tui monumentis teſtatæ ac nobilitatæ, vbicunque coluntur & celebrantur liberalium artium & diſciplinarum ſtudia, in omnium ore ac prædicatione verſaris. Tu noſtræ Societatis, cum antea optimus fueris alumnus & filius, nunc benigniſſimus es patronus, patérque amantiſſimus.

Sed alius fortaſſe quiſpiam, ab hoc maxime officio refugeret: tuũ enim acerrimum iudicium pertimeſcens, ſuorum te ſcriptorum æſtimatorem &

Universidad de Deusto

iudicē habere nollet. Nam & laudatur à multis tanquā scitum quippiam & perurbanū, quod olim quidam, percelebris in doctrina nominis, dixit se quæ scriberet, ea neque ab indoctissimis legi velle, neque ab doctissimis; quod illi nihil intelligerent; hi, plus fortasse quā ipse. At ego contra sentio: & à te viro doctissimo scripta mea legi, pensitarique vehementer cupio: si quid enim probe, rectēq. atque aliqua dignū laude scriptum à me est, id limatissimi iudicij tui calculo probatum, ob eam ipsam causam, commēdari magis apud omnes & nobilitari necesse est. Si quæ autē mea fuerint, aut inscitiæ, obliuioni sue, aut incuriæ peccata, errataque; vt esse multa minime dubito; quid mihi optabilius & iucundius esse debet, quàm ea, qualiacunque fuerint, velut quosdam non infrequentes Studiosorum morbos, abs te quasi peritissimo & prudentissimo ingeniorum medico, salutariter corrigi & sanari? Mihi quidem infixa semper hæret in animo illa B. Ambrosij, exploratissimæ veritatis, sententia: Vnumquēque fallūt sua scripta, & auctorē prætereunt: atque vt filij, etiam deformes, delectant parentes; sic etiam scriptorem, indecores quoque sermones sui palpant. & illa S. Augustini, nihilominus vera est, quam plena modestiæ oratio: Ego me fateor ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt. Vnde si quid à me vel incautius, vel indoctius positum est, quod ab alijs qui videre id possunt, meritò reprehendatur; nec mirandum est, nec dolendum; sed potius ignoscendum, & gratulandum: non quia erratum est, sed quia improbatum. Nimis enim peruerse seipsum amat, qui alios errare vult, vt error ipsius lateat. Quanto enim vtilius fuerit, vt vbi errauit ipse, ibi non errent alij; quorum admonitu, & ipse errore careat?

C. Lucilius apud Ciceronem lib. 2. de Oratore, & in libris de Republica, vt refert Plinius.

S. Ambr. lib. 8. Epist. epist. 70. ad Sabinum.

S. Augustinus Epistola 7. ad Marcellinū.

Mitto igitur ad te, Pater optime, (nam vt Principis nomen splendidius est, ita mihi, Patris, amabilius & dulcius) Cōmentarios meos, singularis erga te amoris & obseruantiæ meæ perpetuos testes atque obsides. Atque hoc amplius, mitto eos, quasi flagitatores, & si tu pateris, quodammodo exactores Commentariorum tuorum in Euangelium sancti Lucæ, & in Epistolas B. Pauli; quos, priorum scriptorum tuorum gustu mirifice delectati, captique, auidissime expectant omnes: Scio te, quæ scripsisti, ea sæpius retractando, limare politius: veruntamen aliquando tandem manum de tabula. Equidem puto perfectum iam esse opus, absolutumque: ac tale, vt in lucem editum, lucem allaturum sit plurimis. Non ero longior. Illud denique, pro tua singulari humanitate, rogabo abs te, Cardinalis Amplissime, vt in hoc munusculo nostro, animum præcipue & studium offerentis accipias: nostrumque syncerum amorem tui, & promptam ex animo obseruantiam, tua in nos beneuolentia & gratia (namque id optatis nostris satis superque fuerit) complectaris. Vale.

INDEX COPIOSISSIMVS NONAGINTA PRINCIPALIVM DISPVTATIONVM, QVÆ IN HOC

tertio Tomo tractantur: & item rerum, & quæstionum memorabilium, quæ tum in Disputationibus, tum in Commentariis explicantur.

Distinctus est atque digestus Index, per quatuordecim capita libri Geneseos, quæ in hoc Tomo explanantur; id est, à capite XII. vsque ad XXV.

Prior autem Numerorum nota huic Indici adiecta, indicat numeros appositos in margine, ad Commentaria singulorum capitum: posterior verò signat paginam.

CAPVT XII. GENESIS.

Septem Disputationes.

DIVINA vocatio Abrahæ, omnium bonorum eius perillustre fuit principium: proportione quadam respondens, & prædestinationi eius, & magnificationi deinceps consecutæ. Numero 1. pag. 3.

Præclara beati Cyrilli sententia, vocationem Abrahæ, fuisse primitias vocationis Hebræorum & Gentium. 2. pag. 3.

Octies Deum apparuisse, & esse locutum Abrahæ. 3. pag. 4.

Quomodo Deus loqueretur Abrahæ & aliis Prophetis, egregia Basilij sententia, & doctrina. Ibid.

An Deus, cum dixit Abrahæ, *Veni in terram quam monstrauero tibi*: expresse nominauerit ei terram Chanaan. 6. pag. 6.

De quinque causis, ob quas voluit Deus, Abraham in multis regionibus, & apud varias gentes peregrinari. 8. pag. 7.

Vocationem Abrahæ, figurā fuisse vocationis fidelium ad perfectionem vitæ Euangelicæ: Allegorica item eiusdem vocationis expositio Philonis 9. & 10. pa. 8.

PRIMA DISPVTATIO.

VBI erat Abrahā, cum Deus iussit egredi eum de terra sua: num in Chaldæa, an in Mesopotamia, an potius in ciuitate Haran. 11. & seq. pag. 9. & 10.

Discutitur B. Augustini super ea re opinio, putantis eum fuisse tunc in Mesopotamia.11.&.12. p.10.
Examinatur opinio Ambrosij, Ruperti,& Lyrani, Thostati,& Pauli Burgensis,aientium,fuisse tunc Abraham in ciuitate Haran. 14. pag.11.& 12.
Anbis fuerit à Deo vocatus Abraham;primum,cum erat in Chaldæa;secũdum, cũ erat in ciuitate Haran, vt pugnaciter contendit Thostatus.14.& seq. pa.11.& 12.
An vocatio Abrahæ quam memorat Moses initio capitis 12. facta sit in ciuitate Harã, & post mortem Thare, patris eius.17.& seq. pag.13.& 14.
Disputatur aduersus Burgensem, affirmantem, Abraham in Chaldæa non esse natũ, sed in ciuitate Haran.20.& seq. pag.15.
Probatur multis argumentis, cum Abrahã est vocatus à Deo,fuisse tunc in Chaldæa.23. pag.17.
Cur Moses vocationem Abrahæ narrauerit post narratã mortem Thare, patris eius, cum illa non minus sexaginta annis hãc præcesserit. 24.pag.18.
Moralis doctrina Casiani, de triplici vocatione Dei,& de triplici renunciatione. 27.pag.19.
Quantopere fuerit Abraham magnificatus à Deo,nõ solum apud fideles homines, tam Hebræi, quàm Christiani populi; verum etiam apud Ethnicos.31. pag.22.
Quàm magnum sit bonum,habere bonum nomen & famã, egregia Philonis disputatio.32. pag.23.
Qualis fuerit formula benedicendi populo apud Hebræos.34.p.24.
Quomodo sit intelligendum, quod Deus Abrahæ promisit, fore vt in ipso benedicerentur omnes gentes.37. pag.25.& 26.
Quantum valeat apud Deum vir sanctus, insignis disputatio Philonis.39.& 40. pag.26.& 27.

SECVNDA DISPVTATIO.

VTrum à promissione Dei data Abrahæ,quam Moses narrat initio capitis 12. vsque ad legem latam in mõte Sina, transierint quadringenti & triginta anni,vt significat B. Paulus ad Galatas 3.nu.41. pag.28.
Excutitur noua opinio Genebrardi, hoc ipsum tẽpus vltra sexcentos annos extendẽtis.42.& seq.p.29.
Magni esse momenti computationem annorum à promissione Abrahæ vsque ad legem Mosis, bene cognitam,& explorate perceptam habere.46. pag.31.
De triplici promissione Dei, data Abrahæ: & ex qua earum promissionum, computationis illorum quadringentorum triginta annorum,capiendum sit initium. 48. pag.33.
Eodem anno, qui fuit septuagesimus quintus ætatis Abrahæ,tria hæc esse acta: Abraham euocatum esse à Deo ex Chaldæa: & inde profectum venisse in ciuitatem Haran: atque inibi relicto patre suo, petiisse terram Chanaan.49.& 50. pag.34.
Abraham, perfectum obedientiæ exemplum dedisse sectatoribus Euangelicæ perfectionis:& super ea re illustris B. Gregorij, & Chrysostomi sententia.51.pa.35.
Commendatio ipsius Loth: & an eum adoptauerit in filium Abraham,vt putat Iosephus.53.pa.36.
An cum Abraham primum venit Chananitidem,fuerit septuagintaquinque annorum, vt traditur Genes.12. num.54. pag.37.
Vtrum Abraham rex fuerit Damasci; vt proditum est à Nicolao Damasceno,& Iustino historico.57.& 58. pag.40.
Disputatur de ciuitate Sichem.60. pag.41.
De valle, siue conualle Illustri. 62. pag.43.
Vox Hebræa, Elon, quam speciem arboris significet.63. pag.44.
Gẽs Chananæa & terra Chanaan, varie dicitur in Scriptura. 64. pag.45.
An terra Palæstinę,iure,primo pertinuerit ad Sem,& posteros eius; sed eam posteri Chanaan per vim inuaserint.65. pag.45.
Egregia Chrysostomi sententia;Diuinam Scripturã, esse quasi mercatũ quendam spiritualẽ, & tanquam officinã medicã.68.pa.47.
Qualiter Deus apparuerit Abrahę. Ibidem.
De duobus modis, quibus Deus seruos suos recreare, & confirmare consueuit.70. pag.49.
De Ciuitate Hai.73. pag.51.

TERTIA DISPVTATIO.

DE situ montis Garizim & Hebal.74. pag.53.
Discutitur opinio Gerardi Mercatoris super istis montibus: & altercatio cum eo Andreæ Masij 75. pag.53.
De duplici ratione tentandi Deum. 79. pag.56.
De quinque causis, ob quas Deus, tam grauiter tentari & vexari Abraham,passus sit.80. pag.56.
De sex causis, propter quas solent ab hominibus in varias & longinquas terras peregrinationes suscipi.82. pag.58.
Non esse peroptandã viris eximiam vxorũ pulchritudinẽ.83. pag.59.
Laus Saræ, vxoris Abrahæ, ex B. Ambrosio,& Chrysostomo.84. pag.60.
Originem Hebræorum non esse ab Ægyptiis,vt à Molone,Posidonio, & Appione proditum est. 85. pag.61.
De corruptis ingeniis & moribus quorundam aulicorum,& indomita atque insuperabili nonnullorum Principum libidine. 85.& 86. pag.61.& 62.
Origo rapiendi mulieres, eiusque rei exempla.87. pag.62.
Deum,tutorẽ ac vindicem esse coniugalis pudicitiæ, pulchra Ambrosij oratio.88. pag.62.& 63.

Quemadmodum Pharao sit à Deo flagellatus, propter ablatam Saram Abrahæ. 89. pag. 63.
De cõsuetudine regum Persarum, non admittendi ad torum suum mulieres, nisi ante per annum exquisito cultu præparatas, ex B. Hieronymo. 91. pag. 65.
An fuerit miraculum, Saram non esse pollutam à rege Pharaone, vti putat Chrysost. 92. pag. 66.
Peregrinationem Abrahæ in Ægypto, & afflictionẽ eius, fuisse quasi portẽtum quoddam eorũ quæ posteris eius, quatuor post secula, ibidem contigerunt, Ruperti disputatio. 95. pag. 68.

QVARTA DISPVTATIO.

AN tempore Homeri, inferior pars Ægypti, proxima mari mediterraneo, non fuerit. 95. pag. 68. & 69.
Ægyptum non fuisse ante Homeri ætatem, opinio Herodoti & Plinij, sed falsa. 96. & seq. pag. 69.
Quando vixerit & claruerit Homerus: & vixisse eum circa tempora regis Salomonis. 98. & 99. pag. 70. & 71.

QVINTA DISPVTATIO.

AN peccauerit Abraham, simulans, Saram esse sororem suam, & dissimulans esse vxorem. 102. pag. 72.
Origenes male sensisse videtur de isto facto Abrahæ: sed excusant Augustinus, Rupertus, Caietanus, & alij. 102. & seq. pag. 72 & 73.
Sententia Auctoris super ea re, quatuor propositionibus explicatur. 106. pag. 75.

SEXTA DISPVTATIO.

QVandiu manserit tunc Abraham in Ægypto, & an eo tempore disciplinas Mathematicas docuerit Ægyptios. 110. pag. 77. & 78.
Refellitur Artapanus, qui dicit, viginti annos mansisse tunc in Ægypto Abraham. 110. pag. 77.
Disputatur, vtrum Abraham Mathematicas disciplinas docuerit Ægyptios, vt ex antiquis scriptoribus docẽt Iosephus & Eusebius: & ostenditur, probabilius esse, Ægyptios istiusmodi doctrinas didicisse à Iacob & à Ioseph, quàm ab Abraham. 111. & 112. pag. 78. & 79.
Mercurium Trismegistũ non fuisse primum auctorem sapientiæ Ægyptiorum. 113. pag. 79.
Confutatur Philo, dicens, Mosem Philosophiam didicisse à Græcis. 114. pag. 79.
Qualis fuerit vetus Ægyptiorum sapientia, ex Philone, & Iustino martyre, & Clemente Alexandrino. 113. & 115. pag. 79. & 80.

SEPTIMA DISPVTATIO.

DE origine nominis Pharaonis, quo appellabantur olim reges Ægypti. 116. pag. 81.
An dicti sint Pharaones à Pharo insula, vt placuit Ludouico Viui. 116. & 123. pag. 85.
Declaratur quadruplex lapsus Iosephi in Chronologia & historia. 118. & seq. pag. 82. & 83.
Reginam, quæ venit ad audiendum Salomonem, non fuisse reginam Ægypti & Æthiopiæ, vt tradit Iosephus. 122. pag. 84.

An dicti sint Pharaones à Pharo insula, vt placuit Ludouico Viui. 116. & 123. pag. 85.
Declaratur quadruplex lapsus Iosephi in Chronologia & historia. 118. & seq. pag. 82. & 83.
Reginam, quæ venit ad audiendum Salomonem, non fuisse reginam Ægypti & Æthiopiæ, vt tradit Iosephus. 122. pag. 84.

CAPVT XIII.

Quinque Disputationes.

PRIMA DISPVTATIO.

ADVERSVS amatores diuitiarum & auaros. Nu. 1. pag. 88.
Quid in diuitiis Abrahæ considerari oporteat 1. p. 88.
Quales sint mores diuitum, ex Aristotele. 2. pag. 89.
Cur paupertas, vt tradit Aristoteles, libẽtius maneat apud bonos, quàm apud improbos. Ibidem.
Quam sit arduum, esse virũ bonum, eũ qui prędiues est. 3. p. 89. & 90.
Cur Socrates dixerit, diuitias esse similes tunicis talaribus. Ibidem
In Nouo Testamento studium diuitiarum dissuaderi, & maxime commendari volũtariæ paupertatis studium 4. pag. 90.
Sicut opulentia est causa dissidiorum & seditionũ; ita paupertas concordiæ ac pacis: idque demõstratur exẽplo Romanorum, & auctoritate Aristotelis. 6. pa. 92.
De causa rixæ inter pastores Abrahæ, & Loth. 7. pag. 92.
De singulari modestia & mansuetudine Abrahæ. 9. pag. 94.
Quæ sit perfectæ humilitatis ratio, ex B. Chrysostomo. Ibidem.
De significatione nominis Paradisi. 15. pag. 99.

SECVNDA DISPVTATIO.

DE Iordane fluuio. Num. 17. pag. 100.
Commẽdatio Iordanis ex auctoribus Ethnicis, & ex Sacris literis. 13. & 17. pag. 97. & 100.
De origine Iordanis. 18. pag. 101.
De progressu & decursu Iordanis. 19. pog. 102.
Vbi nam fuerint aquæ Meron. 21. pag. 102.
Quas aquas in alueum suum recipiat Iordanis. 23. pag. 103.
Quantum sit spatium, quod ab ortu suo ad occasum peragit Iordanis. Ibidem.
An Iordanis condat se sub terram, priusquã ingrediatur Mare Mortuum. 24. pag. 104.
An Iordanis, transmeans Mare Mortuum, aperto meatu ex eo effluat. 25. pag. 104.
Qualis fuerit Iordanis, ante excidium Sodomorum. 26. pag. 105.
De quinque causis, ob quas dissociari Abraham à Loth, conueniens fuit. 29. pag. 107
Posse, ac nonnũquam etiam solere,

inter Sanctos viros, dissensiones aliquas ac dissidia oriri, salua inter eos charitate. 30. pag. 107. & 108.
Reiicitur opinio Hebræorum, crimini vertentium ipsi Lot, quod habitare voluerit inter Sodomitas. 31. pag. 108.
De duplici significatione harum vocum, Peccator, & Peccatum. 33. pag. 109.
Quid sit aliquem esse bonum vel malum coram Deo 34. & 35. pag. 109. & 110.
Defenditur Translatio 70. Interpretum, à reprehensione B. Hieronymi. 36. pag. 111.
Cæcitas veterũ Græcorum, & Romanorum, circa peccatũ nefandum. 37. pag. 111. & 112.
Quæ fuerint alia, præter nefandum, Sodomorũ peccata. 38. pag. 112.
De prima peccati nefandi origine. 39. pag. 113.

TERTIA DISPVTATIO.

AN potuerit Abraham ex vno loco, omnẽ terrã Chanaan conspicere. Num. 40. pag. 114.
Quomodo intelligendum sit, quod scripsit B. Gregorius; B. Benedictum vidisse totũ mundum quasi sub vno radio Solis collectum. 43. pag. 116.
Quomodo promiserit Deus Abrahæ se daturũ illi possessionẽ terræ Chanaan; cum eam nũquam ille possederit. 44. pag. 117.
Notabilis regula in promissionibus, quæ memorãtur in Scriptura, valde obseruãda. 45. pag. 117.
Quomodo verum sit illud Dei promissum, semẽ Abrahæ multiplicatũ iri instar pulueris terræ. 47. pag. 119.
Quomodo intelligẽdum sit, electos esse numeratos apud Deum, non autem reprobos. 48. pag. 119.

QVARTA DISPVTATIO.

QVomodo Deus promiserit Hebræis, possessionẽ terræ Chanaã in æternũ. 50. pag. 121.
Quandiu Hebræi possederint terram Chanaan. 50. pag. 121.
Excutitur documentũ B. Hieronymi, aiẽtis, vocẽ, Holam, scriptam cum litera vau, significare æternitatem, sine ea vero, annum Iubilei. Ibidem.
Exponitur copiosè, circa supradictã disputationem B. Augustini sententia. 51. pag. 122. & 123.
Thostatus censet eã Dei promissionẽ, aut esse conditionalẽ, aut vocabulum illud, Æternum, non significare interminatum tempus, sed longissimum. 53. pag. 125.
Quemadmodũ Caietanus & Thomas Anglus, eandem quæstionem enodent. 53. & 54. pag. 125. & 126.
De quadruplici significatione hebraicę vocis Holam, quam Latinus interpres, vertit, æternum, vel seculum. 55. pag. 127.

De

De varia significatione Græcæ vocis, αἰὼν vel αἰώνιον ex Aristotele, & Damasceno. 58. pag. 129.
Quid sit illud sæpe vsurpatum in Latina translatione, A sæculo: & quæ dicãtur in Scriptura, Tempora sæcularia, siue æterna. Numero 59. pag. 129.
Nonnunquã ponitur, Ab initio, pro Ab æterno. 60. pag. 130.
Optime solui quæstiones, auctore Augustino; quarum plures, atque eæ omnes probabiles, solutiones traduntur. 61. pag. 130.
Quandiu steterit Lex Circumcisionis, & qua ratione præceptũ sit, Circumcisionem seruari debere in æternum. Ibidem.
Copiosè disputatur, promissa bonorum temporalium, Hebræis à Deo data, pleraque non proprie, sed figurate esse interpretanda & intelligenda. 62. pag. 131.
Nomine Dauidis, interdũ in Scriptura, non ipsum Dauidem, sed Christum Dominũ intelligi debere. Ibidem.
Promissionem terræ Chanaan, in æternũ possidendæ ab Hebræis, conditionalem tantum fuisse; & ideo non simpliciter præstandam, probatur multis & manifestis Scripturæ testimoniis. 64. pag. 133.

QVINTA DISPVTATIO.

DE Vrbe Hebron. Num. 66. pag. 136.
De insigni antiquitate vrbis Hebron, ex Iosepho; significante eam vrbem ducentis annis ante ortum Abrahæ, fuisse conditam. 66. pag. 136.
Rabbi Salomon, conditorem eius vrbis facit Cham, filium Noe: at vero Ioannes Annius, ab Adamo eam fuisse conditam asserit. Ibidem.
Quo tempore Iosephus scripserit libros de Bello Iudaico. Ibidem.
Tanis & Memphis, Ægypti vrbes omnium antiquissimæ; quibus tamen antiquior perhibetur Hebron. 68. pag. 137.
Cur decem plagas Ægypti Dauid dixerit factas esse in campo Taneos. Ibidem.
De Ilice Mambre, quam diutina Abrahæ apud eam habitatio nobilitauit. 69. pag. 137.
De agro Damasceno, ex cuius terra creditur formatum corpus primi hominis. Ibidem.
An Hebron, prius dicta sit ciuitas Arbe, id est, Quatuor, propter quatuor Patriarcharum in ea vrbe sepulturam. Numer. 71. pag. 138.
Quisnam vir fuerit Arba, ex quo Hebron appellata quondam est, ciuitas Arbe. 72. pag. 139.
An Hebrõ sit appellata ex quodam filio Caleb, vt tradit S. Hieronymus. 73. pag. 139.
An in vrbe Hebron sepultus sit Adam. 74. pag. 140.

CAP.

CAPVT XIIII.

Septem Disputationes.

VR Moses profana,& impiorũ hominũ bella, immiscuerit sacræ historiæ. Numero. 1. pag.143.

PRIMA DISPVTATIO.

QVi fuerint illi quatuor reges externi, à quibus quinque reges Pentapolitani sunt debellati.2. pag.144.

Refellitur Eupolemus, à quo est proditum illos reges fuisse Armenos. Ibidem.

An fuerint illi, Persæ, vt putauit Diodorus.3. pag.145.

Approbatur sententia Iosephi affirmantis,eos fuisse Assyrios:& sub quo rege Assyriorum,bellum illud gestum sit.4. pag.145.

Disputatio cum Genebrardo,an illi quatuor fuerint veri ac liberi reges, an vero Duces & Satrapæ regis Assyriorum.5. pag.146.

An qui nominatur rex Sẽnaar, fuerit Nemrot, vt opinantur Hebræi.6. pag.147.

Quis fuerit ille rex Ponti: & quid significet in Scriptura vocabulum Ponti.7. pag.147.

Quis dicatur rex Gentium; & de causa appellationis Galilææ Gẽtium.10. pag.149.

Quis locus fuerit vallis Siddim. 11. pag.150.

An lacus Asphaltites, etiã ante excidium Sodomorum, in eo ipso loco fuerit.12. pag.150.

Quid maxime obseruãdum in Latina trãslatione,quæ creditur esse B.Hieronymi.15.pag.152.& 153.

Quæ gens fuerit Raphaim,& de ea refellitur opinio Thostati. Numer.16. pag.153.

Quis locus fuerit Astaroth: & pro quo Deo coleretur ab Antiquis. 17. pag.154.

Quæ gens fuerit Emim & Zuzim, & Horrhæi siue Corrhæi. 18. pag.154.

Qualis fuerit Solitudo Pharan.20. pag.155.

Quis locus fuerit appellatus, fons Iudicij,& cur.21. pag.156.

An Cades, & Cades Barne fuerint diuersa loca.22. pag.157.

Moralis expositio illius belli, ex Ruperto.25. pag.159.

SECVNDA DISPVTATIO.

DE prima origine & causa appellationis Hebræorũ. 26. pag.159.& 160.

An dicti sint Hebræi ab Abraham, vt dixit Artapanus, & quodam loco significauit S.Augustinus. Ibidem.

An dicti sint Hebræi à verbo Habar,id est,Transiuit,quasi Transitores,vt multi de Patribus senserunt.27. pag.160.

Quomodo Paulus Burgensis deriuet nomen Hebræorum ab Abraham.28. pag.161.

Copiosè disputatur, Hebræos esse appellatos ex Heber, ex quo itẽ linqua dicta est Hebræa. 29. & seq. pag.162.

Cur non omnes posteri Heber, dicti sint Hebræi.32. pag.163.

Cur Abraham non sit appellatus Hebræus, nisi post illam victoriam.33. pag.164.

De sex rebus,quę vt bellum iustum sit, requiruntur.35. pag.165.

Quis locus fuerit Dan,& quã variis nominibus appellatus.38.p.167.

De trecentis decem & octo vernaculis Abrahæ,mystica disputatio Ruperti.37. pag.167.

Quantam in eo prælio prudentiam militarem ostenderit Abraham, duplici vsus militari stratagemate.40. pag.169.

Bella, consilio magis & vigore animi,quam roboro corporis:& recta disciplina,atque militum alacritate potius, quam multitudine, prospere geri, ex Salomone, & item ex Xenophonte & Euripide. Ibidem.

Huius facti Abrahæ videri persimile quod de Leonida Lacedæmoniorum rege, celebratum est ab Ethnicis.41. pag.170.

Quæ dicatur in Scriptura vallis Saue; & vallis illustris, & vallis Regis.42. pag.170.

Super historia regis simul & pontificis Melchisedec.

QVibus rebus excellat historia, quam de Melchisedec perscripsit Moses.43. pag.172.

Quas res memoratu atque obseruatu præcipuas de Melchisedec literis prodiderint Philo & Iosephus.44.& 45.pag.173.& 174.

Verba, quibus Moses exposuit historiam de Melchisedec, quam varie legantur.46. pag.174.

Quo in loco Melchisedec, obuiam procedens Abrahæ,eum excepерit, ex Iosepho, Hieronymo & Borcardo.47. pag.174.

Caietanus putauit, nomen Melchisedec,nõ fuisse nomen proprium eius viri, sed nomẽ appellatiuum significans Regem iustitiæ: cui suffragari videtur Traditio Hebræorum,quam refert S. Hieronymus. verum eam opinionem esse falsam, probatur multis argumentis.48. pag.175.

Hugo S. Victoris tradit, morem fuisse apud Priscos, redeuntibus ex bello victoribus, offerendi panem & vinum, ceu quoddam beneuolentiæ,ac pacis,& lætitiæ Symbolum.Ibid.

Particulam,Et,pro enim, vel quia, ex more linguæ hebrææ, sæpe vsurpari in sacra Scriptura. 49. pag.176.

Hebræa vox,Choẽ,quæ plurimum interpretatur Sacerdos, plerunque significat sacerdotem proprie dictum, nonnunquam vero principem,& primarium virum. 50. pag.177.

Quid in Scriptura significet vocabulum Benedictionis.51. p.177.

Primus omniũ in Scriptura legitur Melchisedec nominasse Deum Creatorem Cæli & terræ. 52. pag.178.

Licet in verbis Mosis, tam secundum hebraicam, quam græcam, & chaldaïcam, & latinam lectionem, dubiũ videri possit, vtrum Abraham decimas dederit ipsi Melchisedec, an Melchisedec ipsi Abrahæ: attamen esse intelligendum, Abraham dedisse ipsi Melchisedec; præter auctoritatem B. Pauli, constat etiam testimonio Philonis & Iosephi. 54. & 55. pa. 179. & 180.

In more fuisse apud Ethnicos, offerre decimas bonorum suorum, vel Herculi, vel Ioui, vel Apollini, vel Dianæ ostenditur Herodoti, Xenophontis, Ciceronis, & Plinij Testimoniis. 56. pag. 180.

TERTIA DISPVTATIO.

QVis fuerit ille Melchisedec: an verus homo, an spiritus cœlestis sub hominis imagine. 57. pag. 182.

Origenes & Didymus, referente Hieronymo, putarunt fuisse Angelum: Alij Filium Dei: Hieraz, & Auctor Quæstionum veteris & Noui Testamenti, fuisse Spiritum Sanctum. 57. pag. 182.

Sex rationes, quibus demonstrare quidam volũt, Melchisedec fuisse Spiritum Sanctum: & earum rationum solutio. 59. & 60. pagina. 182. & 184.

Quis fuerit ille Auctor Quæstionum veteris & Noui Testamenti, qui vulgo putatur Augustinus. 59. pag. 183.

An Melchisedec fuerit maior quam Abraham: & quibus rebus præstantior eo fuerit. 60. pag. 184.

Quomodo intelligendum sit, Melchisedec fuisse sine patre & sine matre. Ibidem.

An probabilis sit opinio Eustathij & Suidæ; aientium, Melchisedec scorti filium fuisse. 61. pag. 184.

Quid sit, Melchisedec fuisse regem iustitiæ & pacis. Ibidem.

In rebus diuinis credendis, & confirmandis, & probandis, non humanis argumentis & commentis nitendum esse, sed Diuina & Apostolica auctoritate; insignis Epiphanij aduersus Hæreticos sententia. Ibidem.

Ob tres causas dictum fuisse Abraham Patrem omnium credentium. Ibidem.

Probatur tribus argumentis, Melchisedec fuisse verum hominum. 62. pag. 185.

Discutitur opinio Hebræorum affirmantium, Melchisedec fuisse Sem, filium Noe, quod etiam Lyrano & Thostato, aliisque permultis placuit: sed ea opinio quatuor argumentis refellitur. 63. & 65. pag. 186. & 187.

Epiphanij lapsus in Chronologia. 64. pag.

Melchisedec fuisse de populo Gentili, &

tili, & de gente Chananæorum; probatur auctoritatibus plurimorum. 66. pag. 188.

Suidas scriptum reliquit, Melchisedec fuisse Chananæum, sed genus duxisse ex regibus Ægypti vel Lybiæ, & detestabili coitu progenitum: condidisse vrbem Salem in monte Sion: regnasse annis centum tredecim; & perpetuo virginem fuisse. Verum de perpetua eius virginitate etiam Ignatius martyr testimonium perhibuit. Ibidem.

Egregium argumẽtum ductum ex verbis B. Dionysij Areopagitæ, ad probandum, Melchisedec non fuisse de gente Hebrẽorum, sed de populo gentili. Ibidem.

QVARTA DISPVTATIO.

AN vrbs Salem, cuius rex dicitur fuisse Melchisedec, fuerit ea ipsa quæ postea nominata est Hierusalem. 67. pag. 189.

Exponitur & expenditur sententia B. Hieronymi, distinguentis vrbem Salem, ab vrbe Hierusalem. 68. & 69. pag. 190.

Auctor, sententiæ Hieronymi præfert communem opinionem: quę est Eupolemi, & Iosephi, & Patrum, vrbem illam Salem, fuisse Hierusalem. 70. pag. 191.

QVINTA DISPVTATIO.

AD quem finem, siue vsum, Melchisedec occurrẽs Abrahæ, protulerit panem & vinum. 71. pag. 191.

Prima sententia Iosephi, Caietani, & Hebræorũ, protulisse ea Melchisedec, ad reficiendum milites & socios Abrahæ: & quod eam sententiam Lyranus & Thostatus non recte refellant. 71. pag. 191. & 192.

Altera sententia est fere Patrum cõmunis, fuisse ea prolata, ad sacrificandum Deo, pro victoria Abrahæ: id autem, quinque argumentis confirmatur. 72. pag. 192. & 193.

Hebræum verbum (Hothsi) latine, protulit, siue obtulit, esse verbum sacrificale in Scriptura. Ibidem.

Petrus Galatinus & Genebrardus, probãt auctoritate Rabbinorũ, Melchisedec vsum esse sacrificio panis & vini. 73. pag. 193.

Tertia sententia est Clementis Alexandrini & Theodoreti: ea quæ protulit Melchisedec, prius fuisse Deo sacrificata; postea vero ea esse collata in cibum & potum Abrahæ, & sociorum eius. 74. pag. 194.

SEXTA DISPVTATIO.

CVm dicitur Abraham dedisse decimas Melchisedec, intelligendum sit de decimis proprie dictis, nec ne. 75. pag. 195.

Disputatur aduersus Caietanum, & probatur ex doctrina S. Pauli, Mosem locutum esse de

decimis proprie dictis. Ibid.
De differentia Christiani, atque Leuitici sacerdotij. 76. pag. 196.
Cum Christus Dominus natus sit ex semine Abrahæ, sicut etiam Leui: cũque Paulus dicat, ipsum Leui fuisse in lumbis Abrahæ, & ideo decimatum à Melchisedec: quæritur, cur nõ similiter Christus dicatur fuisse in lumbis Abrahæ, & decimatus à Melchisedech, & præclara super ea re B. Augustini & Sãcti Thomæ sententia. 77. & 78. pag. 197. & 198.

SEPTIMA DISPVTATIO.

CVr Dominus noster dictus sit in Psalmo 109. Sacerdos secundum ordinem Melchisedec. 78. pag. 198.
Quis fuerit ille ordo, declarat ex quatuor rebus S. Hieronymus. 79. pag. 199.
Vndecim rebus Melchisedec præfiguratum fuisse Christum Dominum: quarum illa fuit potissima, quod non aliud sacrificare Deo soleret, nisi panem & vinum. 79. & 80. pag. 199. & 200.
Quomodo in iugi sacrificio Iudaico adhiberetur panis & vinum. 80. pag. 200.
An Christus fuerit Sacerdos in æternum, propter cruentum ipsius sacrificium in cruce, an propter incruentum Eucharistiæ; breuis disputatio aduersus Hæreticos. 81. pag. 201.
Cur Paulus in Epistola ad Hebræos, disputans de Sacerdotio Melchisedec, & Christi, nullum verbum fecerit de Sacrificio panis & vini, quo ille vsus est. 82. pag. 202.
Quod & quale esse oporteat officium boni regis 83. pag. 203.
Leuare manum ad aliquẽ, frequens Scripturæ phrasis est, & octo habet varias significationes. 83. & 84. pag. 204.
Cur Abraham vsus sit iureiurando, & quanta fuerit etiam apud Ethnicos, iurisiurandi religio. 85. pag. 205.
Solum Deum verum esse rerum omnium possessorem & dominum: homini vero solũ fructum & vsum rerum, datum esse à Deo ad tempus; egregia Philonis disputatio. 86. pag. 206.
Quid significet illud, *A filo subtegminis, vsque ad corrigiam caligæ.* 87. pag. 207.
Cur Abraham tantopere recusauerit, hominum munere & beneficio ditari. 88. pag. 208.

CAPVT XV. GENESIS.

Decem disputationes.

CVr diuina reuelatio, dicatur in Scriptura, aut verbum Dei, aut visio Prophetæ. 2. pag. 212.
Deum vocari mercedem hominis, tam causaliter, quam substantialiter. 5. pag. 214.
Quanta sit hominis merces in cœlo: & præclarũ super ea re, Sancti Thomæ dictum. 6. pag. 215.
Comparatio mercedis cœlestis, cum laboribus & meritis hominum in hac vita. 7. pag. 215. & 216.
Duo esse magna & propria Prædestinatorum bona; & quid sit donum Perseuerantiæ. Ibidem.
Mesech, vox hebræa quid significet. 10. pag. 218.
An vrbs Damascus condita fuerit à Damasco seruo Abrahæ, Iosephi, Hieronymi, Historiæ Scholasticæ, Thostati, & aliorum discrepantes sententiæ. 11. pag. 219.
Quam sit Deus propẽsus & promptus ad cõsolandos seruos suos. 12. pag. 220.
Prodire ex vtero, vel de ventre alicuius, id est, ex eo generari, secundum proprietatẽ linguæ hebrææ, non solum in fœminas dici, sed etiam in viros. 13. pag. 220.
Illud: *Eduxit eum foras, & dixit, suspice cœlum, & numera stellas, si potes*, secundum allegoricam expositionem soli viro sapiẽti conuenire, luculenta disputatione ostendit Philo. 16. pag. 223.

PRIMA DISPVTATIO.

DE multiplicatione seminis Abrahæ, instar stellarum. Ibidem.
Lyranus censet illam multiplicationem non esse intelligendam secundũ literalem sensum & principaliter, de multiplicatione carnali, sed spirituali. 17. & 18. pag. 224. & 225.
Abraham in illa Dei promissione intellexit (vt putat Lyranus) promissa sibi esse ac semini suo, bona cælestia per Christum præstanda. 19. pag. 225.
Promissa bonorum temporalium, quæ leguntur in veteri Testamento, duplicem habere, auctore Lyrano, sensum literalem; vnum, & principalem, de bonis æternis; alterum minus principalem, de bonis temporalibus. Ibidem.
Auctor supradictas Lyrani sententias refellit. 20. pag. 226.
Quis sit sensus literalis, tribus ex rebus spectari ac iudicari debere. Ibidem.
Multiplicationẽ seminis Abrahæ, secundum literalem sensum, intelligendam esse de semine carnali: at vero secũdum mysticum sensum, de spirituali semine. 21. pag. 227.
Promissa bonorum temporalium in veteri Testamento, quæ omnem fidem & veritatẽ excedunt; nec verum effectum habere possunt, non esse accipiẽda proprie, vt sonant verba, sed figurate. 23. pag. 229.
An iudicandus sit literalis, sensus, quicunque principalius à Spiritu Sancto est intẽtus; disputatio cum Lyrano & Thostato. 24. pag. 230.

Vtilis obseruatio, super origine sensus literalis & mystici. 25. p. 230.
Non promisisse Deum in veteri Testamento pro bonis operibus meritoriis, bonum aliquod temporale, tanquam iustam illorum mercedem. 27. pag. 231. & seq.
Nouem rebus, carnale semẽ Abrahæ fuisse figurã spiritualis seminis eiusdem. 28. pag. 232.
Egregia B. Augustini sententia, de recte intelligendis promissionibus bonorum temporalium, in veteri Testamento à Deo datis. 29. pag. 233.
Laus fidei Abrahæ, ex Hilario & Ambrosio. 30. & 31. pag. 233. & 134.
An secundum morẽ loquẽdi Scripturæ, differant inter se, credere Deo & credere in Deum, siue in Deo. 32. pag. 234. & 235.
Quid sit, fidẽ reputari ad iustitiam. 33. pag. 236.
Apud Hebræos non esse vsum reciprocorum nominũ, vti est apud Latinos. 34. pag. 237.
Quãtæ virtutis sit, & quantę laudis, Deo, vti oportet, credere, pręclara Philonis oratio. 35. pag. 238.

SECVNDA DISPVTATIO.

CVr fides Abrahæ, credentis Deo futuram seminis sui multiplicationẽ instar stellarum, tantopere sit laudata; cum antea etiam perfectæ fidei & obedientiæ suæ, eximia prodiderit exempla & documẽta; disputatio Burgensis & Thomæ Angli. 36. pag. 239.
Tres causæ, cur illa fides Abrahæ tantopere sit commendata; & de triplici perfectione fidei. 37. pag. 240. & 241.
Quomodo fides glorificet Deum. 38. pag. 242.

TERTIA DISPVTATIO.

AN illud: *Credidit Abrahã Deo & reputatum est illi ad iustitiam*, adiuuet opinionem Hæreticorũ, de Iustificatione hominis ex sola fide. 39. pag. 243.
Probatur manifestis Scripturæ testimoniis & rationibus, exemplum hoc Abrahæ nihil iuuare istiusmodi Hæreticorum sententiam. 40. pag. 243.
Præclara sentẽtia B. Ignatij Martyris, & Sancti Augustini, in Iustificatione hominis multo maiorem & præstantiorem esse vim Charitatis quam fidei. 41. pag. 244.
Quomodo & cur, iustificationem hominis Paulus attribuat fidei. 42. pag. 244.
Communis sententia Patrum, attribuentium iustificationem hominis fidei, tanquam initio, & fundamento, & radici ipsius iustificationis: & memorabiles super ea re, Ambrosij, & Emisseni, & Chrysostomi, & Augustini sententiæ. Ibidem.

QVARTA DISPVTATIO.

AN recte B. Paulus, ex hoc loco Geneseos & hoc exẽplo Abrahæ, argumentetur in Epistola ad Romanos, neminem iustificari ex operibus, sed per fidem Christi. 43. pag. 246.
Copiosa explicatio disputationis Pauli in quarto capite Epistolæ ad Romanos. Ibidem.
Quid sit, Iustificari ex operibus legis. 44. pag. 247.
Cur bonum opus morale, factũ sine fide, dixit Paulus habere gloriam apud homines, sed non apud Deum. 45. pag. 248.
Quid sit, mercedẽ non imputari secundum gratiã, sed secundũ debitum & meritum. 46. pag. 248.
Quid sit secundum Paulum, imputari alicui fidem ad iustitiam. 47. pag. 249.
Cum iam tunc Abraham fuisset iustus, & illa eius iustificatio, iustitiæ tantum fuisset in eo amplificatio, ex merito eius procedens: quomodo Paulus isto exemplo Abrahæ bene argumentatur, Iustificationem peccatoris non fieri propter merita, sed propter fidem. 48. pag. 249.
Quomodo intelligẽdum sit, vitam æternam esse Gratiam; cum certum sit, eam esse mercedem boni operis & meriti; expositio B. Augustini. 49. pag. 250.
Vtrum Abraham tunc iustificatus fuerit propter fidem Christi. 50. pag. 250.
De discrepãtia, quæ videtur esse inter Iacobum & Paulum, de Iustificatione hominis ex fide, vel ex operibus. 51. pag. 251.
Quod fuerit principale Pauli institutum & propositum, in scribendo epistolam ad Romanos. Ibidem.
Vtrum Abraham, dicens illa verba: *Vnde scire possum quod possessurus sim terram hanc?* dubitauerit de promissione Dei, tres expositiones. Prima Augustini, Chrysostomi, Theodoreti: Altera Ruperti & Caietani: Tertia ipsius Auctoris. 54. & seq. p. 254. & seq.
Disputatio S. Thomæ, vtrũ Abraham hoc loco tentauerit Deum, petendo signum; & an Gedeon, petens etiam signum, peccauerit: sed quod attinet ad Gedeonem, Auctor dissentit à B. Thoma, sequens Lyranum & Caietanum. 56. pag. 256.
An quinque illa animalia, quæ iussit Deus parare Abraham, pertinuerint ad faciendum sacrificiũ, an ad percutiendum fœdus. 57. pag. 257.
Mos veterum in pangendis fœderibus, ex sacris & profanis libris. 58. pag. 258.
De voce hebræa Heglach, Latine significante vaccã, ex Oleastro, & ex Varrone. Et de vocabulis hebræis significantibus Turturem & Columbam. 59. 60. pag. 259. & 260.
Vocabulum soporis, quid proprie significet in Scriptura. Ibidem.

QVINTA DISPVTATIO.

DE veris rationib. & causis, cur adhibita sint illa quinque ani

animalia; tam secundum literalem sensum, quam mysticum: ex Philone, & Theodoreto, & Lyrano. 60. pag. 260.
Cur Deus voluerit, illa animalia esse triennia. 61. pag. 262.
Cur nihil præceperit Deus de illorum animalium integritate & perfectione, sicut præceptum fuit postea in lege Mosis. Et insignis super ea re Philonis sententia. Ibidem.
Egregium morale documẽtum, ex illorum quinque animalium paratu depromptum. 62. pag. 262.
Cur Abraham diuisit animalia terrestria, non autem aues? Et de mysterio in ea re contento ex B. Augustino. 63. pag. 263.
Quid significauerit, quod Abraham descendentes aues ad sacrificium suũ, abegerit. Et memorabilis sententia B. Gregorij de abigendis in oratione importunis & immundis Dæmonũ suggestionibus. 64. pag. 264.
Quid significaret occasus ille solis, & sopor atque horror Abrahæ. 65. pag. 264.
Philonis disputatio, vocabulum solis in Scriptura, quatuor habere significationes allegoricas: Et de quadruplici Ecstasi, siue excessu mentis. 66. pag. 265.
Quid elibanus fumans, & lampas transiens signarent. 67. pag. 266.

SEXTA DISPVTATIO.

AN Hebræi manserint in Ægypto, & seruierint Ægyptiis per quadringentos annos. 68. pag. 267.
Hebræos non mansisse in Aegypto quadringentis annis, sententia B. Augustini, & vera; quamuis à Genebrardo incassum oppugnata. 69. pag. 268.
Hebræos mansisse in Aegypto, annis tantum ducentis quindecim, probatur auctoritate Iosephi, Eusebij, Hieronymi, Augustini, Bedæ, Ruperti, & est communis opinio: quę nititur sententia Beati Pauli ad Galatas 3. Num. 70. pag. 269.
Refelluntur tres opiniones, de tempore habitationis Hebræorum in Aegypto: vna S. Chrysostomi; altera Hebræorum, Lyrani & Caietani; tertia Genebrardi. 71. pag. 269.
Quandiu Hebræi seruitute oppressi & afflicti sint ab Aegyptiis; & quod illa seruitus breuior cẽtum triginta annis fuerit, manifesta & certa argumentatione ostẽditur. Ibidem.
Si habitatio Hebræorum in Ægypto, non fuit longior ducentis quindecim annis, seruitus autem illorum ibidem breuior fuit centum triginta annis: quomodo Deus Genes. 15. significauit, Hebræos peregrinaturos in Aegypto, atque inibi seruituros, per quadringentos annos? 72. pag. 270. & 271.
Exponitur super ea quæstione sententia B. Augustini, duas eius quæstionis solutiones tradentis. 73. pag. 271.
An Isaac, & Iacob fuerint aduenæ, & peregrini in terra Chanaan, in qua nati fuerant, disceptatio cum Oleastro. 74. pag. 272.
Quomodo Isaac vere dicatur fuisse primum semẽ Abrahæ, cum tredecim ante ipsum annis, Abraham genuisset Ismahelem. Ibid.
Erratum Iosephi, qui scriptum reliquit, inter obitũ Ioseph patriarchæ, & ortum Mosis, intercessisse annos centũ septuaginta: cum id temporis interuallum, non vltra sexaginta quatuor annos extensum sit. 76. pag. 273.
Licet peregrinationis Hebræorum in terra aliena, annos tãtum quadringentos Moses, Genes. 15. commemoret; fuisse tamen eos constat, quinque & quadringentos: solere enim Scripturam, paruos excessus, aut defectus numerorum, in magnis eorum summis commemorandis, omittere; vt bene docet Augustinus. 73. & 77. pag. 271. & 274.
An cum hoc loco Geneſis, pugnet locus Actorum 7. vbi habitatio & seruitus Hebræorum in terra aliena, definitur quadringentis triginta annis. 78. pag. 274.

SEPTIMA DISPVTATIO.

CIrca illa verba: *Generatione quarta reuertentur huc*: & de trium vocum significatione: quarum vna est hebræa, Dor: altera est græca, γενέα: tertia est latina, generatio. Ibidem.
De quadruplici significatione vocis Generatio, ex variis Scripturæ locis. 79. pag. 275.
De significatione vocis γενέα ex Herodoto, Diodoro, Dionysio Halicarnasseo, Censorino, & Eusebio. Ibidem.
Vnde, & quemadmodum numerus illarum quatuor generationum percensendus sit, opinio Lyrani & Caietani quæ refellitur. 80. p. 276. & 277.
An Esron, filius Phares, & nepos Iudæ fuerit idem qui Caleb, vt Lyranus & Caietanus crediderunt. Ibidem.
Quemadmodum S. Hieronymus computationem illarũ quatuor generationum explicet. Ibidem.
Vtrum Naasson intrauerit terram Promissionis. 81. pag. 278.
Auctoris sententia, de probabiliori modo computandi illas quatuor generationes. 81. & 82. pag 278.
Cum scriptũ sit Genes. 15. Hebræos reuersuros in terram Chanaan, quarta generatione; quemadmodum Exo. 12. secundum translationem LXX. Interpretum, significetur, eos illuc ascendisse generatione quinta? 83. pag. 279.
Philonis expositio allegorica illarũ quatuor generationum, qua demõstratur processus hominis per quatuor gradus, ad virtutis & sapientiæ perfectionem. 84. p. 279.

OCTAVA DISPVTATIO.

Circa illa verba. Nondũ completæ sunt iniquitates Amorrhæorum.85. pag.280.

Quid senserit Philo de Fato, vt consentaneum doctrinæ Mosis. 86. pag.281.

Super verbis supradictis quadripartita obseruatio Caietani; breuis illa quidem, sed plane theologica.Ibidem.

De triplici genere iniquitatum gentis Chananæorum. 87. pagina 281. & 282.

Cum septem gẽtes tenerent eo tempore terram Chanaan; cur vnius duntaxat gentis Amorrhæorum mentio sit facta.Ibidem.

Quando sit maturum tempus, in quo Deus dilatam aliquandiu peccatorum vindictam exerceat: & quemadmodum olim Deus Assyrios & Chaldęos,hodieque Christianos etiam castigare & punire soleat.89. pag.283.

De longanimitate Dei, differentis vindictam peccatorum,quo plus temporis detur homini ad resipiscendum.90. pag.284.

Notabilis B. Gregorij sententia in eos,qui non pœnitentes,peccatis peccata cumulant.91. pag.285.

Duplex Dei iudicium in hac vita aduersus peccatores, ex Thoma Anglo.92. pag.285.

Quodnam sit, & quando fiat complemẽtum peccatorum, mouens Deum ad vindictam.93. p.286.

De quatuor causis ob quas Deus puniat in hac vita,alicuius gentis peccata. Ibidem.

Tribus maxime rebus contineri & censeruari communitatem & societatem hominum.93.pag.287.

Sex perinsignia exẽpla diuinæ vindictæ in hac vita, variarum gentium,ob earum peccata.94. pagina 287.

Quæ sit causa tam miseræ seruitutis, & tantæ calamitatis Græcorum.95. pag.288.

Cur Deus tamdiu Anglicanã persecutionem Catholicorum sæuire patiatur.Ibidem.

De variis modis determinandi magnitudinem & situm terræ promissionis, in scriptura vsitatis. 98. pag.290.

Cur fluuius Euphrates, dicatur in Scriptura, fluuius magnus, vel etiam præcise fluuius.99. p.290.

NONA DISPVTATIO.

Qvisnam sit ille fluuius Ægypti, quem Scriptura statuit terminum terræ Promissionis.100. pag.291.

An ille fluuius Ægypti fuerit Nilus:& super ea re, Rabbini Salomonis,& Chimhi sententia.Ibid.

De variis nominibus, quibus ille fluuius appellatur in Scriptura; & de rationibus eorum nominum.101. pag. 291.

Cur illum fluuium appellauerint septuaginta interpretes, Rhinocoluram; & de ratione eius nominis, Diodori, Strabonis, & Ptolemæi verba.102. pag.292.

Fluuium illum Ægypti, non fuisse alium, quàm riuum è Nilo deriuatum, per vastam solitudinem, & iuxta Rhinocolurã, profluentem;atque inter Pelusium & Gazam, intrantem Mare Mediterraneum; & disterminantem à parte australi,Iudæam ab Ægypto.Ibidem.

An gentes,quę in tempore Abrahæ habitabant & tenebant terram Promissionis, essent decem, an septem:super quo discutitur opinio Thostati, & item B. Augustini.103. pag.293.

Quæ gens fuerit Raphaim, opinio Thostati. 104. pag.294.

DECIMA DISPVTATIO.

An promissum Dei, datum Abrahæ,de terra possidẽda à posteris eius, à fluuio Ægypti vsque ad Euphratem, fuerit aliquando impletum.Ibidem.

Opinio Caietani, & Oleastri, quibus fauere videtur S. Augustinus, impletum fuisse illud Dei promissum tempore Dauidis & Salomonis.105. pag.295.

B.Augustinus dupliciter distinguit terram promissam Hebræis: alteram faciens,quam Hebræi habitare deberent, deletis eius pristinis habitatoribus;& hanc fuisse terram Chanaan, quæ extenlebatur à Dan vsque Bersabee: lteram verò,quam non ipsi haitarent, ejectis eius incolis; sed ño imperio subiugarent, & tributariam facerent; & hanc fuisse porrectã vsque ad Euphratẽ.Ibi.

Quemadmodum Andreas Masius supradictam Augustini opinionẽ refutare conetur.106. p.297.

Quot milliaribus definiat beatus Hieronymus, longitudinem & latitudinem terræ Promissionis. 107.pag.297.

Dictum Sancti Hieronymi, in veteri Testamento regnum cęlorum non promitti. Ibidem.

An vera sit illa Hieronymi sententia, Gentes debellatas à Dauide vsque ad Euphratem, non fuisse ab eo possessas, sed tantum ei amicas & confœderatas. Ibidem.

Sententia Andreæ Masij, super disputatione proposita: & an tempore Dauidis & Salomonis,illud Dei promissum fuerit impletum. 108.& 109.pag.299.& seq.

Auctor exponit sententiã Augustini,& defendit aduersus Masiũ,& soluit propositã quęstionem.110. pag.300.

CAPVT XVI.

Vnica Disputatio.

Qva ratione vsa sit Sara, vt persuaderet Abrahæ, cõiugium Agar ancillæ suæ,ex Philone.2.p.305.

Voluisse Sarã filios genitos Abrahę ex Agar educare & habere pro suis:& quod Abraham,vbi ex se grauidam cognouit Agar,in posterum ab ea se abstinuerit, Philonis sententia.Ibidem.

De tribus causis naturalibus sterilitatis mulierum;& quod talis ste-

rilitas ex Dei volũtate sæpe proueniat.2. pag.305.
Caietani sententia, diligenter expendenda, licitũ fuisse priscorum hominum morem, multas ducendi vxores: nec id esse contra ius naturæ; nec videri fuisse ad id opus dispensatione diuina.3.pag. 306.
Ædificari ex aliquo, vel ædificare aliquem, vel ædificare alicui domum, phrases esse linguæ Hebrææ, sæpe in Scriptura vsurpatas, pro eo quod est generare filios, aut facere numerosam & æternam posteritatem.4. p.307.
Huius facti Saræ, tradentis Abrahę aliam vxorem, ex qua posset filios suscipere, persimile narrari à Plutarcho de Stratonica, Deiotari regis vxore. Ibidem.

DISPVTATIO.

AN coniugium Abrahæ cum Agar licitũ & legitimum fuerit.6. pag.309.
Exponuntur sententiæ & rationes, pro defensione illius coniugij, Ambrosij, Augustini, Theodoreti.6.& seq. pag.309.& 310.
Caute legendum esse quod dixit Ambrosius, adulterium ante legem Euãgelicam & legem Mosaicam, fuisse excusabile, tãquam legi diuinæ non contrarium. 8. 12.& 25. pag.311.313.& 322.
Exponuntur quinque rationes, quibus demonstrari videtur, non fuisse licitũm illud coniugium Agar.9.& seq. pag.311.& seq.
An polygamia tunc esset per se licita, an per solam Dei dispensationem.10.& 20. pag.312.& 318.
Cui primum facta sit dispensatio de Digamia.22. pag.320.
Explicatur sentẽtia Magni Leonis, significantis, Agar, quod esset serua, non fuisse veram vxorem Abrahæ, sed concubinam. 11. & 24. pag.313.& 321.
Refellitur opinio Durandi & Thostati, aientium, Polygamiam non esse prohibitam lege naturali, sed tantum lege positiua euangelica: cum sit contraria & communi Theologorum doctrinæ, & auctoritati Innocentij Tertij.22. pag.320.
An quisquam sanctorũ hominum, ante Abraham, vsus sit polygamia.20. pag.38.
An polygamia sit cõtra primæuam Matrimonij constitutionem. 19. pag.318.
Quomodo sit intelligendum, Agar fuisse concubinam Abrahæ: & quod discrimen facerent veteres inter concubinam & vxorem: & quid distaret inter Matronam, & Matremfamilias, ex A. Gellio. 23. pag.32.
Auctoris sententia, validis rationibus probantis, illud coniugium fuisse licitum.15.& seq. pag.35. & 316.
Vsum tunicarum talarium & manicatarum, apud veteres Romanos fuisse flagitiosum: at verò ætate B. Augustini fuisse honestissimum; & contrarium fuisse turpem, ex B. Augustino, & Aul. Gellio. Ibidem.
Grauis sentẽtia Gregorij, in eos qui sua prudentia vel doctrina inflati, Prælatos suos aspernantur.25. pag.322.
Vtrum Sara peccauerit, nimis affligendo ancillam suam Agar, vt putauit Ambrosius. Ibidem.
Hæreticos iuste puniri à Catholicis, Augustini egregia sententia. 26. pag.323.
Quando cœptum sit nomen Saracenorum ex B. Hieronymo, & Plinio.27. pag.324.& seq.
Gentem Saracenorum fuisse sobolem Ismahelis, & quantopere ea gens, numero, potentia, & viribus aucta fuerit, & quam perniciosa Romano Imperio, ex Ammiano. Ibidem.
Quinque tantum viris, in Scriptura legi, mirabiliter ante eorum ortum, prænũciatum fuisse nomen proprium.29. pag.326.
De studiis, moribus, institutis, rationeque viuendi & bellandi Saracenorum, ex Ammiano Marcellino.31. pag.328.
Onager, quale sit animal. 32. pag. 329.
Quid sæpe in Scriptura significet, facies alicuius rei.33. pag.329.
Qualis in hac vita contingat homini, cognitio Angelorum. 35. pag.330.& seq.
Particula, Si, quam vim habeat in Scriptura. Ibidem.
Esse viuentem, & videntem, simpliciter & absolute dicta, vnius esse Dei propria.36. pag.332.
Vbi fuerit desertũ Sur.37. pag.333.
Philonis, de quinque fontibus in Scriptura celebratis, allegorica disputatio. Ibidem.
Falsum de gente Ismahelitarum siue Saracenorũ, vaticinium, falso adscriptum Methodio martyri.38. pag.334.

CAPVT XVII.

Septem Disputationes.

CVR annos vitæ atque ætatis Abrahæ, tam subtiliter & distincte annotauerit Moses.num.1. pag.338.
Magnum esse fidei firmamentum, credere, Deum esse omnipotentem: Quos ea fides in animis nostris affectus generet: Quid significetur, cum dicitur, Deus omnipotens.num.3. pag.340.
Quid significet Hebræum nomen Dei, Saddai, quod Latinus interpres vertit Omnipotens, ex B. Hieronymo & Caietano: Et super ea re animaduersio in Oleastrum.4. pag.340.& seq.
Quid sit, Placere Deo: Quid sit, Ambulare cum Deo, coram Deo, post Deum, in nomine Dei, & in viis Dei.5. pag.342.

Quid

Quid sit, hominem esse perfectum. 6. pag.342.
Abrahæ paternitas spiritualis, quæ fuerit,& quam fuerit ignota Iudæis.8. pag.344.
De mutatione nominis Abram in Abraham, varia disputatio, & quid super ea re prodiderit Philo.9. & 10. pag.345.& seq.
Quibus rebus Circũcisio alias omnes Veteris Testamenti cęremonias præcelluerit.11. pag.348.

PRIMA DISPVTATIO.

AD quem finẽ & vsum instituta sit Circumcisio.12.pa.349.
Philonẽ, sex vsus & vtilitates Circumcisionis exposuisse. Ibidem.
Mosis Ægyptij opinio de vsu Circũcisionis; quã secutus est Thostatus.13. pag.350.
Ad abolendũ spurcissimum Priapi cultum, fuisse institutam Circumcisionem,ex B.Thoma. 13. pag.350. & seq.
Sententia Iosephi,Chrysostomi,& Theodoreti de vsu Circumcisionis.15. pag.352.
Lactãtij disputatio de causa,ob quã instituta sit Circũcisio.10.p.353.
Auctoris sentẽtia,institutã esse Circumcisionẽ, vt esset signũ,& signũ quidẽ quinq; modis, Memoratiuũ,Repręsentatiuũ,Distinctiuũ, peccati originalis Demonstratiuum & curatiuũ,deniq; Figuratiuum spiritualis Circũcisionis. 17.& seq. pag.354.& seq.
Cur Paulus appellauerit Circumcisionem, signaculum iustitiæ fidei,ad Romanos 4. expositione Origenis, Theophylacti,& Caietani.18. pag.355.
Quomodo Circumcisio in Veteri Testamento tolleret peccatum, & iustificaret hominem, ex B. Thoma.19. pag.356.
Quæ gentes,præter Hebræos,ritum circuncidendi vsurpauerint, ex Herodoto;qui super ea re falsitatis arguitur.20. pag.357.
Quanto in honore apud Ægyptios fuerit olim Circumcisio,ex Origene. Ibidem.
In Circũcisione rite susceptа,sublatum fuisse peccatum originale, Augustini,Gregorij,& Bedæ sẽtentia.21.& 22. pag.358.& 359.
Quadruplicem esse similitudinem Circumcisionis & Baptismi. 23. pag.360.
Baptismus,triplici nomine præstantior est Circumcisione. Ibidem.
Vtrũ columna nubis, & Mare Rubrum,expresiorem figuram Baptismi gesserint, quàm Circumcisio.24. pag.361.
Quomodo Circumcisio carnalis, figura fuerit Circumcisionis spiritualis, ex B.Irenæo. 25. pag. 361.& seq.
Pulchra figura spiritualis Circumcisionis,ex capite 21.Deuteronomij.26. pag 363.

SECVNDA DISPVTATIO.

AN post publicatam legem Euangelicam, recte omissa fuerit obseruantia carnalis Circumcisionis.27. pag.363.

Proba

Probatur multis argumentis, abolendam fuisse Circumcisionem carnalem, vbi Christus venisset in mundum. Ibidem.
Cur Deus Hebræis,non potius spiritualẽ Circumcisionẽ præceperit,quàm carnalẽ,sicut eã præcepit Christianis:aut si illa carnalis erat bona & vtilis,cur eã non etiã Christianis imposuit, erudita B. Ambrosij disputatio.31. pa.366.
Diluitur Iudæorũ obiectio aduersus Christianos,criminantiũ eos quod omiserint obseruantiã Circũcisionis, quã Deus æternã fore edixerit: & quẽadmodum intelligendum sit, Circũcisionis præceptum & pactum æternũ fore, trib. modis ostenditur.32.p.367.

TERTIA DISPVTATIO.

DE parte corporis,quam iussit Deus Circumcidi.33. pag. 369.
De trib. causis, ob quas Deus iussit eam corporis partem circũcidi: & ibi egregiũ quoddã Anacharsis Philosophi dictum.Ibidem.
Disputatur, an præputiũ semel per Circumcisionem ablatũ,regenerari possit ac restitui: & id affirmatur ex duob. Scripturæ locis, & auctoritate Epiphanij,qui tradit fuisse id diabolicum inuentum per Esau notificatũ.34. pag. 369.& 370.
Demõstratur auctoritate Cornelij Celsi,naturale quibusdã esse,non habere præputiũ:& quemadmodum per artem Medicinæ,ei, qui non habet præputium , apponi queat. Ibidem.
Quale sit, quod ab Hebræis proditum est,Sem esse natum sine pręputio. Ibidem.
Cur Ethnici poëtæ Hebręos appellauerint Apellas & Recutitos. Ibidem.

QVARTA DISPVTATIO.

DE die octauo, quo iusit Deus infantes circumcidi. num. 35. pag.371.
An præceptum de circumcidendis infantibus octauo die, atrox & sæuum videri possit, disputatio B.Cypriani. Ibidem.
Cur octauus dies post ortũ infantis, potius quàm alius quilibet, præscriptus sit eius Circumcisioni:& super ea re discutiuntur duę rationes,traditę à Chrysostomo. 36. pag.372.
Veræ eius rei rationes duæ, altera historica,altera mystica,fuse tractãtur,ex Plutarcho, Hugone S. Victoris,Aug.& Cypriano.ibid.
An octauus dies Circũcisionis præueni posset:opinio Magistri sententiarum , quam non probant Hugo S.Victoris & B.Thomas. 38. pag.373.& 374.
Disputatur, quomodo Prouerbiorũ.4.dicatur Salomon fuisse vnigenitus matris suæ. Ibidem.
Si ante octauũ diem præueniri Circumcisio non poterat,quid fiebat tunc infantibus, ante id temporis de vita periclitantibus. Ibidem.
An vltra octauum diem differri

posset

posset Circumcisio.39. pag.375.
An Hebræi sine crimine omiserint Circumcisionem, dum fuerũt in Deserto.40. pag.375.
An per eum annum, quo Hebræi constiterunt ad montem Sina, liberos suos inibi natos, aut proxime ante, circũciderint. Ibidem.
Obseruantiam Circumcisionis, magis fuisse apud Hebræos religiosam, quam Sabbati.41.pag.376.
Cur Angelus interficere voluerit Mosen in itinere, propter filium eius incircumcisum.42. pag. 377.

QVINTA DISPVTATIO.

DE iis personis, quæ lege Circumcisionis tenebãtur. 43. pag.378.
Exponuntur vocabula hæc in Scripturis vsitata, Aduena, Peregrinus, Colonus, Mercenarius, seruus, & Indigena. Ibidem.
An præter Hebræos, alia gens vlla, Circumcisionis lege fuerit obligata.44. pag.379.
An serui Hebræorum cogi potuerint à dominis, ad recipiendam Circumcisionem: & super ea re, opinio Thostati, & item Caietani, narratur & refellitur.45.46. & 47. pag.379.& seq.
Thomas Anglus, putãs præceptum fuisse Hebræis dominis ne vterentur seruis nisi circumcisis, refellitur.48. pag.382.
Auctoris sententia, neminem qui Hebræus non esset, fuisse circumcisionis lege obstrictum.49. pag.383.
Cur incircumcisis fas non erat comedere Pascha.50. pag.383.
An quisquam Hebræorum incircumcisus, dum fuere illi in deserto, comederit Pascha. Ibidem.
Quomodo qui non erant Hebræi, seruarent Circumcisionem. 51. pag.384.
Cur lex Circumcisionis primũ data sit Abrahæ, & non ante eum vel post, alij cuipiam Patriarchæ imposita, ex B.Thoma.52. pag. 384.

SEXTA DISPVTATIO.

QVæ sit germana & propria, & vt vocant, literalis sententia illorum verborum Dei: *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.*53. pag.385.
Exponitur sententia B. Augustini, quæ tripertita est. Nam primo putat ista verba pertinere ad infantes: tum, animã deleri de populo suo, interpretatur, perire morte non corporali sed æterna, id est, segregari à consortio & societate Sanctorum: tertio, meritũ eius pœnæ infantis, dicit fuisse peccatum originale, cum quo moritur, quod traxit ex Adamo, in quo existens tanquam in prima radice naturę humanę, etiam ipse irritum fecit illud Dei pactum cum Adamo, de non edendo fructu arboris scientiæ boni & mali. Ibidem.
Supradicta expositio & opinio Augustini, examinatur ab auctore: & octo argumentis ostenditur, eam non esse admodum probabilem.55.& seq. pag.387.
In illis Dei verbis, præcipi de Circuncisione adultorum, non autem infantium, ratione probatur, & auctoritate Diodori, & Caietani, & ex ipsamet Scriptura. 55. & 56. pag.387.& seq.
Pœna infantis incircunciſi, non ad eum, sed ad eius parentes vel curatores spectabat.57. pag.389.
Deleri aliquem de populo suo, non aliud significare in veteri Testamento, nisi corporali morte puniri.58. pag.389.
Deleri animam de populo suo, esse phrasim hebraicam, & quæ sit eius significatio atque vsus. Ibid.
An cum dicitur irritum esse factum ab incircumciso pactum Circumcisionis, intelligi possit de pacto illo facto cum Adamo.60. pag.391.
Supradictam opinionem Augustini, non esse visam probabilem B. Thomæ. Ibidem.
Auctoris iudicium est, illam expositionem Augustini, si vt literalis tradatur, nõ esse probandam; sin autem vt mystica, minime reiiciendam esse.61. pag.392.
Consuetudo imponendi nomina in Circumcisione, an ex præcepto Dei orta esset, an sola tãtum traditione, & more Maiorum retineretur.62. pag.392.
Romanos, auctore Plutarcho, nomina imposuisse puellis octauo die, pueris nono, & cur. Ibidem.
An ferreo cultro, an petrino, fieret apud Iudæos Circumcisio: De petrino affirmant Augustinus, Bernardus, & Magister sententiarum: negat vero Iustinus martyr, Hugo, S. Thomas, Lyranus, Thostatus.63. pag.393.

SEPTIMA DISPVTATIO.

VTrum Abrahã cum audiens promissionem Dei de generatione Isaac, risit in corde suo, & dixit illa verba: *Putasne centenario nascetur filius?* vacillauerit in fide diuinæ promissionis. 64. pag.395.
Chrysostomus & Hieronymus significant Abraham tunc peccasse infidelitate, sed refelluntur; quanquam Chrysostomus mutasse videtur postea sententiam. Ibidem.
Ioannes Arboreus opinatur, Abraham primo dubitasse de promissione sibi data; sed mox Dei verbis confirmatum, dubitationem omnem ex animo suo penitus excussisse: verum ea opinio refellitur.67. pag.397.
Caietanus putat, vere dubitasse Abraham, non quidem de veritate

promissionis, aut potestate promittentis, sed de vero sensu & intellectu illius promissionis: vtrũ scilicet illa Dei verba proprie accipienda essent, an figurate & mystice. Quam opinionem Auctor laudat & amplectitur. 68. & 70. pag.397.& 399.

Ambrosius, Augustinus, & Ruperpertus, negant Abraham vllo modo dubitasse: & risum illum Abrahæ fuisse hominis, non irridentis, sed propter diuini beneficij magnitudinẽ, incredibili gaudio exultantis: nec verba eius fuisse dubitantis, sed omnipotentiam & benignitatem Dei admirantis. 69.& 70. pag.398.& seq

CAPVT XVIII.

Quinque Disputationes.

HISTORIAM Mosis de tribus Angelis hospitio acceptis ab Abrahamo, priscos poëtas nec latuisse, & in fabulas suas transtulisse. 1. pag.405.

An vnus illorum qui apparuerunt Abrahæ, fuerit Filius Dei, vt quidam putarunt. 2. pag.407.

Tres illos vere fuisse Angelos, euidenter demonstratur ex B. Paulo 4. pag.405.

An hi tres Angeli fuerint, vt opinati sunt Hebræi, Michael, & Gabriel, & Raphael. 5. pag. 407. & seq.

Exhortatio Ambrosij, ad colendam hospitalitatem. 6. pag.408.

De significatione verbi hebræi Sahah, & Latini verbi, adiuro: & ibi vtilis super ea re doctrina B. Thomæ. 7. pag.408.& seq.

Cum Abraham tres viderit & hospitio acceperit; cur postea cum vno tantum sermocinatus sit, ex B. Augustino & Chrysostomo: & quod hinc ductum sit celebre illud: Tres Vidit & Vnum Adorauit. 8. pag.410.

Philonis pulcherrima disputatio, de triplici cognitione & cultu Dei. 9. pag.410.

Cur Abraham illos tres conuiuas sub arbore requiescere fecerit; & quænam arboris species illa fuerit. 10. pag.413.

Cur Abrahã in sermocinando cum illis tribus, subinde transeat à numero singulari ad pluralem, & contra ex Ruperto & Ambrosio. 11. pag.413.

Hoc loco primũ, à Scriptura commendari virtutem hospitalitatis. 12. pag.414.

Non solum in Dei populo, verum etiam apud Ethnicos, religiose cultam & celebratam fuisse hospitalitatem; ex Homero & Virgilio. Ibidem.

Quod genus mensuræ sit, quod in Scriptura vocatur Satum, ex Epiphanio, Iosepho, Hieronymo. 13. pag.417.

Quid sit similia, & de quatuor partibus molitæ farinæ, ex Phinio. Ib.

De

De panibus subcinericiis: & quando, vel vbi, eorum vsus fuerit: & de azymis panibus, & de fermentato, cuius in sacris, etiam apud Ethnicos, vt ait Plutarchus, non erat vsus. 14. pag.416.

Engryphia, vox græca, quid significet ex Isychio, Suida, Athenæo, Ambrosio. Ibidem.

Cum comedere sit actio propria animalis, denotat enim sumptionem cibi, conuertibilis in substantiam comedentis; quomodo Moses vere dixerit, Angelos comedisse, ex Theodorero, & B. Thoma. 15. pag.417.

Sicut virum in publico versari, ita fœminam in abdito domestica negocia tractare, decẽs est, exemplo Abrahæ & Saræ, ex B. Ambrosio: & item hinc tracta moralis disputatio B. Gregorij, de officio carnis & spiritus. 16. pagina 417.& seq.

Vtrum Sara, cum audiens se generaturam filium, risit, ea re peccauerit. Excusat à peccato Ambrosius: sed Augustinus incusat: ad cuius sententiam Auctor accedit. 17. 419.

Cur omniũ primus in Scriptura, Abrahã sit appellatus senex, ex Philone & S. Hieronymo. 18. p.419.

Vitiũ libidinis quã fœdũ & probrosum sit in senibus, ex Sophocle, Cicerone, & Iuuenale. 19. p.420.

PRIMA DISPVTATIO.

VTrum Abraham & Sara, ille centenarius, hæc non agena ria, essent naturaliter inualidi ad generandam prolem. 20. p.421.

Exempla virorum, qui vltra octogesimum annum, & fœminarum quæ post sexagesimum genuere filios ex Plinio. Ibid.

Quomodo intelligendum sit quod Aristoteles scriptum reliquit, aliquas fœminas sine menstruorum profluuio concipere. 20.& 31. p. 421.& 427.

Opinio S. Thomę negantis sanguinem menstruum muliebrem, esse materiam humani conceptus & generationis. 20. pag.421.

Propositam quæstionem, vtrum Abraham esset naturaliter inhabilis ad generandum, dupliciter solui ab Augustino: & posteriorem solutionem magis probari B. Thomæ; Augustino vero & Auctori, priorem. 21.& 22. pag. 422.& seq.

SECVNDA DISPVTATIO.

AN cessatio menstruorum in muliere, conuincat, eam naturaliter non posse concipere. 23. pag.424.

Cur Moses, fœminarum menstrua, præcise vocauerit, muliebria: & super ea re sententia Aristotelis. 24. pag.424.

Duplicem esse causam naturalem menstruorum; vnam tanquam materiam; alteram vero, tãquam finem. 25. pag.425.

Quomodo menstrua, sint materia generandi animalis, eleganter

describi à Plinio: & super ea re dissensio Medicorum cum Aristotele.26. pag.425.
Cur neque grauidis, neque lactantibus, fluant menstrua: & ibi ex Nigidio & Aristotele. Ibidem.
Vtrum ante initium, & post finem menstruorum fieri queat conceptus,& cur vocentur Menstrua: & quando primum incipiant,aut denique desinant,ex Aristotele& Plinio.28. pag.426.
Quomodo intelligi oporteat, sine menstruis non posse fieri conceptum. Ibidem.
Galeni sentẽtia, cur plurimum mulieres concipiant, aut incipientibus aut cessantibus menstruis.32. pag.427.
Triplex laus hospitalitatis, in inuitando, in accipiendo & tractando, & in deducendo: & morem deducendi hospites, fuisse antiquissimum, & Mosis auctoritate ostenditur,& Homeri.34. pag. 428.& seq.

TERTIA DISPVTATIO.

AN Chrysostomus dicens, Abraham coluisse virtutes, & se dignum fecisse gratia Dei, contradicat doctrinæ Catholicę de grátia Dei, & faueat Pelagianismo.35 pag.429.
B.Chrysostomum sensisse, nullum in homine esse bonum ante Dei præuenientem gratiam.37. pagina 431.
Duplicem fuisse in Abraham doctrinam quæ vitam & actiones eius dirigebat.Ibidem.
Quale genus dicendi fuerit Chrysostomi.Ibidem.
Quid nonnũquam acciderit Patribus, propter ardorem in decertando cum Hæreticis: & super ea re, iudicium Sancti Basilij de Dionysio Alexandrino.38. pagina 432.
Quomodo Abraham, senex iam centum annorum, appellatus à Deo sit puer, disputatio S. Ambrosij.39. pag.433.
Octo modis in Scriptura dici aliquid impossibile, ant non posse fieri,ex Nazianzeno, & Cyrillo Alexandrino.40. pag.433.& seq.
Quas nam res, Patres qui fuere ante legem Mosis, ad salutem animæ & cultum Dei pertinentes,tradere viua voce solerent posteris suis.42. pag.435.
Quid sit in Scriptura, facere iudicium & iustitiam, & quod ea phrasis variam habeat significationem & vsum.43. pag.435.
Deum ob eximia merita Abrahæ præuisa, ante tribuisse ei insignia quædam beneficia, & posteris eius amplissima dedisse promissa.44. pag.436.
Quid significet clamor peccatorum ad Deum.45. pag.436.
Quæ fuerint Sodomorum, præter nefandum scelus,peccata, ex Iosepho, & Philone, & Ezechiele propheta.46. pag.437.

Quomodo intelligẽdũ sit, descendisse Deum,vt exploraret & cognosceret, an vera essent quæ de Sodomitis audiret,nec ne:& quale Principib.ac Iudicib.documẽtũ ea re datũ sit:& super ea re prę-clara B.Gregorij sententia.47.& 48. pag.438.& seq.
De tribus modis quib. punire solet Deus hominum peccata: & cur Deus peccãtes, nõ semper in hac vita puniat.50. pag.440.
De trib.causis,ob quas nõ sit omittenda punitio peccatorũ,erudita disputatio ex Thauro philosopho & Platone.51. p.440.& seq.
Eius,quod scripsit Moses,descẽdisse Deũ vt exploraret peccata Sodomorum, similia finxisse antiquos poëtas de suo Ioue; haud dubie furatos id ex Mose: Et super ea re,Ouidij versus.52. pag.441.

QVARTA DISPVTATIO.

AN cõtrarium sit diuinæ iustitiæ,perdere iustos simul cũ improbis:& an bonitati Dei cõueniens sit,propter paucos iustos parcere multis impiis.54. pag. 442.& seq.
An probabilis sit argumẽtatio, qua vsus Abrahã, Non esse perdendum iustum vna cum impiis;immo propter iustum,esse parcendum impiis.55. pag.444.
An quod Deus dixit,se ꝓpter quinquaginta iustos,atq; etiã propter decẽ,parciturũ Sodomitis,accipi posit in vniuersum; an tãtum de Sodomitis intelligi debeat,disputatur à B.Augustino.56.pa.445.
Quantum valeat vir iustus apud Deum & quam sit vtilis humanæ societati, ex Ambrosio:& super ea re, non satis laudata Philonis disputatio.59. pag.447.
Memorabile factũ Augusti Cęsaris, propter vnũ Philosophũ & amicũ suũ, Ariũ, parcẽtis vrbi Alexãdriæ, omnibusq; Alexãdrinis, de ipso pessime meritis.60. p.448.
Vtrum homo, natura sua cõsideratus,sit magnum quippiam & eximium;an paruũ,& vile, ac leue, disputatur.61. pag.448.
Quî fit,vt quãto quisque melior vir est, tãto humilius de se loquatur & sentiat, egregia B. Gregorij sententia.62. pag.449.
Quã vim habeat illud vetus & celebre verbum, Nosce te ipsum: & quod quãto quisq; peior est, tanto minus sibi notus est,scitissima Gregorij oratio.63. pag.449.
Quemadmodum in sanctissimis viris, cum profundissimo timore & reuerentia Dei, mixta sit admirabilis fiducia & libertas loquendi cum Deo: qua de re Philo, Abrahæ & Mosis exemplo, erudite differit. 64. & seq. pag.450.
Cur Abraham commemorãs apud Deũ viros iustos,nec supra quinquaginta, nec infra decem, eos commemorauerit,Thomæ Angli bene docta disputatio. 67.& seq. pag.452.

QVINTA DISPVTATIO.

Continet quatuor quæstiones.

PRima quæstio : Cur Abraham post cõmemoratos decẽ iustos, non vltra institit supplicare Deo pro Sodomitis.69. pag.454.

Secunda quæstio: An præter Lot & familiã eius, fuerint in ea gẽte & regione,alij homines iusti. Ibid.

Tertia quęstio:Cur Abrahã nõ pro prie ac nominatim, supplicauerit Deo pro liberatione Lot. 70. pag.455.

Quarta quæstio : Cur Deus precib. Abrahæ nõ sit flexus,ad ignoscẽdum Sodomitis.71. pag.455.

Tres esse apud Deum optimos pro peccatorib. deprecatores atque intercessores : & super ea re,pulcherrima Philonis disputatio. 72. pag.455.& seq.

Vanum Philonis vaticinium,de futura Iudæorum sui temporis felicitate. Ibidem.

CAPVT XIX.
GENESIS.

Septem Disputationes.

AN quod dicitur, omnem populum ciuitatis cõcurrisse ad domũ Lot, intelligendum sit simpliciter, an hyperbolice, disputatur inter Lyranum,& Thostatũ,atque inter Burgensem & Caietanum:& his fauere vidẽtur Ambrosius & Chrysostomus.1. pag.462.

Cur Lot mãsit Sodomæ,cum gente tam scelerata, ex Chrysostomo.2. pag.463.

De virtute & laude Lot.3. pag.463.

PRIMA DISPVTATIO.

AN Lot peccauerit, offerendo filias suas Sodomitarum libidini.Ibidem.

Ambrosius & Chrysostomus,quomodo excusẽt factũ istud Lot. 4. pag 464.

Quid ea de re senserit Augustinus variis in locis:& quod tandem factum illud,culpabile fuisse decernat quod plurimi posteriorum Theologorum secuti sunt. 5. pag.465.

De quatuor viis excusandi factum illud Lot.Prima est, S. Thomæ: secunda, Caietani & Arborei: tertia & quarta Caietani;quę auctoritate Chrysostomi,& Gregorij atque Augustini firmari videtur.7.& seq. pag.464.

An Dominicus Sotus, recte sententiam quandam Augustini commemorauerit,& ad confirmationem sententiæ suæ accommodauerit 9. pag.468.

Auctoris super hac cõtrouersia opinio,per quinq; Propositiones explicatur.10. pag.469.& seq.

Non licere minore peccato maius repellere,& cur:Et sententia quędam Gregorij atq; Concilij Toletani,quæ videtur contraria, exponitur.10.& 11. pag.470.

Quomodo intelligẽda sit illa vulgata sentẽtia,ex malis, quod minus est,eligi oportere.12. pag.471.

An pa-

An pater ius habeat & potestatem, exponendi corpora suarum filiarum alienæ libidini,ob euitãdum ingens quoppiam scelus,disputatio Augustini & Auctoris sentẽtia.14. pag.472.

Excusationem facti Lot,traditam à Caietano, videri cæteris præferendã:verũ Authori probabilius videri,peccasse Lot,vt cẽsuit August.15. pag.472.& seq.

An ignorantia iuris,potuerit eo tẽpore excusare Lot à peccato.Ibi.

SECVNDA DISPVTATIO.

DE Cæcitate qua percussi ab Angelis sunt Sodomitæ. 16. pag.473.& seq.

Qualis fuerit illa cæcitas Sodomitarum,& quibus ex causis ea cæcitas accidere potuerit Sodomitis. 16.& 17.pag.473.& seq.

De quatuor rebus ad recte cernendum necessariis.17. pag.474.

Quod dixit Moses,Sodomitas cæcitate percussos non potuisse ostium inuenire, de quo id ostio intelligi oporteat;an de ostio domus Lot, an domus propriæ cuiusque illorũ:Et super ea re, Auctoris disceptatio cum Francisco Ribera.18.&.19.pag.475. & seq.

Pulcherrima B. Gregorij disputatio,aduersus inuidos & malignos Sãctorum virorum obtrectatores.21. pag.477.

TERTIA DISPVTATIO.

CVr præceptũ sit Lot, ne respiceret retro:& de vxore eius in statuam Salis conuersa. 22. pag.478.

Exponũtur quinque rationes, ad ostendẽdum illius præcepti æquitatem & vtilitatem.Ibidem.

De quatuor causis,tam seueræ animaduersionis diuinæ in vxorem Lot.23. pag.480.

Cur vxor Lot mutata sit in statuã Salis, potius quam in aliã quampiam rem.24. pag.480.

Quid in Scriptura significet pactum Salis ; & cur ea locutione vtatur ad significandam firmitatem pacti.25. pag.480.& seq.

Statuam illam Salis mansisse vsque ad ætatem Ioseph; quin etiam vsque ad tempora Borcardi. Ibidem.

Fabulosa Hebræorũ ratio,cur vxor Lot mutata sit in statuam salis:& de multiplici ac pretioso vsu salis apud veteres, ex Plinio. 26. pag.481.

Rationem eius facti,probabiliorem videri eam, quam tradit Sanctus Augustinus, vt id posteris magno exemplo & documẽto esset. 27.& 28. pag.482.& seq.

Solere Deum & verbis & factis loqui ad homines.28. pag.482.

Super cõuersione vxoris Lot in statuam Salis,varia Philonis disputato allegorica.29. pag.483.

Beati Irenæi allegorica expositio eiusdem statuæ,ad Ecclesiã Christi pertinens.30. pag.485.

Quo in tempore,& quo in loco,illa vxoris Lot mutatio in statuã salis,facta fuerit.31. pag.485.

An Lot

An Lot peccauerit, recusando ire ad montem, vt iusserat Angelus. 33. pag.487.
An B.Gregorius, laudãs factũ Lot, recusantis ire ad mõtem, approbandus sit.34. pag.487.
Montes Engaddi, quales fuerint.35. pag.488.
De Etymologia Vrbis Segor, ex.B. Hieronymo contra Theodoretum.36. pag.488.& seq.

QVARTA DISPVTATIO.

AN illis verbis: *Pluit Dominus à Domino ignem & sulphur*, significatum fuerit mysteriũ Sãctissimæ Trinitatis.37.pag.489. & seq.
Exponitur opinio Thostati, Caietani,& Oleastri,aientiũ in supradictis verbis nullũ contineri mysterium, sed merum esse hebraismum.38. pag.490.
Declaratur contraria sententia,quæ est Patrum & Concilij Syrmiensis.39. pag.491.
An Thostati & Caietani sententia, quod est contraria illius Concilij decreto, propterea damnanda sit tanquàm hæretica : & quatenus Concilium illud probatum fuerit,probandũque sit.40. pa.491.
Auctoris obseruanda disputatio & doctrina ostendentis, & in illis verbis verum esse hebraismum, & simul etiam latere mysterium. 41.& 42. pag.492.& 493.

QVINTA DISPVTATIO.

DE pluuia sulphurea & ignea. 43. pag.494.
Quã fuerit attox & horrẽdũ excidiũ illud Sodomiticũ;& quod in Scriptura proponatur tanquam Specimẽ & exẽplum quoddã inferni supplicij Dæmonum.Ibid.
Imbrem illum non modo igneũ & sulphureum fuisse, sed etiam salsum.44. pag.495.
De cõuenientia punitionis Sodomitarũ cũ eorũ peccato,Sancti Gregorij disputatio.45. pag.496.
Cur imber ille dictus sit, descẽdisse de Cœlo : & q; super causa exustionis Sodomiticæ regionis verius senserint Solinus & Tacitus, quam Strabo.46. pag.496.

SEXTA DISPVTATIO.

DE rebus illo excidio Sodomitico euersis ac perditis. 47. pag.497.
Quot ciuitates in illo excidio pericrint, varie proditũ esse ab Ethnicis auctoribus,& in Sacris literis. Ibidem.
Auctoris sententia,fuisse tunc euersas tantum quatuor vrbes : & disputatio eius aduersus Theodoretum, Suidam,& Lyranũ,aientes, etiam vrbẽ Segor fuisse subuersam.48. pag.498.
Quantum illius regionis spatium,ea clade vastatum sit : & de Maris Mortui magnitudine, variisque eius nominibus in Scriptura vsitatis.49. pag.499.
De tetra & horrenda illius regionis facie post illam cladem, ex Borcardo.50. pag.500.
Plantarum eius regionis quantum & quam

& quã memorabile fuerit damnum, ex ea clade proueniens. 51. 500.
Cur etiam infantes illa clade sodomitica perempti fuerint.53. 501.
An omnes adulti illius gentis, vt corporali excidio,ita inferni supplicio perierint.54. 502.
Examinatur B. Hieronymi sententia,significãtis,eos, qui Diluuio, & sodomitico excidio & subuersione in Mari Rubro perierunt, per hoc ipsum euasisse pœnas inferni : vbi triplex interpretatio sententiæ Hieronymi ponitur,& consuetudo eius in scribendis Commentariis declaratur.54.& seq. 502.
Explicatur Chronologia excidij sodomitici, respectu Diluuij Noetici, & decem plagarum Ægyti.57. 504.

SEPTIMA DISPVTATIO.

DE ebrietate Loth & incestu filiarum eius.58. 505.
Commutatione locorum, non fieri hominem meliorem, nec tutiorem reddi:& super ea re, egregia B.Gregorij sententia.Ibidem.
An Lot fuerit simpliciter iustus, an tantum comparatiue : vbi excutitur sententia quædam Origenis,medium quid ponentis, inter esse iustũ,atque iniustũ.59. 506.
An opinio filiarum Loth,putãtium periisse tũc omnes homines præter patrẽ suũ,sit excusabilis. Aiũt Iosephus, Irenæus, Ambrosius, Chrysost. Theodoretus. Negat Caietanus ; cui potius assentitur Auctor, non leuibus adductus argumentis.61. 507.
An si solus in terris Loth remansisset,licitus fuisset cum eo filiarum eius concubitus,generandæ prolis causa. Ambrosius, licitum significare videtur:quanquam alio loco id neget. At S. Augustinus, cuius sentẽtia est Theologorum cõmunis,id plane negat.62.508.
Vinum quo inebriatus est Lot, vnde fuerit,& quale, id est,an simplex,an vero mixtura & cõditura aliqua infectũ. 63. 508.& seq.
An ebrietas Lot culpanda sit,an excusanda. Chrysost. simpliciter excusat. Theodoretus partim incusat, partim excusat. S.Augustinus simpliciter accusat : Auctor,sequẽs S.Thomam,mauult excusare ebrietatem Loth. 64.& 65. 509.& 510.
An fieri potuerit vt Loth omnino nescius, cõcubitum cum filiabus peregetit, disputatio Hebræorũ, Lyrani, & Thostati. 66.& 67. 510.& seq.
Auctor sequens Irenæum, putat, dormiente Loth,incestum illum esse factum.68.
Exemplum cuiusdam puellæ à patre suo dormiẽte grauidatæ traditum à B.Thoma : & an id fieri aliquando possit inuiolato virginali claustro.67. 511.
Disputatur an filiæ Loth peccauerint crimine incestus. Negant Irenæus, Chrysost. Theodore-

tus: affirmat S. Augustinus cuius sententiæ accedit Auctor. 69. & seq. 513.
Cur Deus Lot prolabi in illud tam turpe facinus permiserit. 72. 515.
Quantum mali sit in ebrietate, ex Origene & Ambrosio. 73. 516. & seq.

CAPVT XX. GENESIS.

Tres Disputationes.

AN idem sit desertum Sur, & desertum Ethan, disceptatio. Thostati cum Lyrano. 2. 519.

PRIMA DISPVTATIO.

QVomodo Sara iam nonagenaria, eximiæ fuerit pulchritudinis, & vel à regibus expetibilis. 4. 521.
Refellitur opinio Hebræorum, aiẽtium, illam pulchritudinem non fuisse naturalem, sed instar miraculi haberi debere. 4. & 5. 521. & seq.
Exponuntur tres causæ, ob quas Sara, in ętate nonagenaria, etiam naturaliter, tantæ pulchritudinis esse potuerit. 5. 522.
Quæritur cur Deus in simili causa, dissimiliter tractauerit regẽ Pharaonem, atque regem Abimelec. 7. 523.
Pulchra expositio Ruperti allegorica, duplicis raptus Saræ; prioris, à rege Ægypti; posterioris, à rege Philistinorum. Ibidem.
An perfectior esse possit reuelatio diuina, quę fit in somno, quam ea quæ fit in vigilia. 8. 524.

SECVNDA DISPVTATIO.

DE multiplici significatione vocis, Propheta, & verbi Prophetare. 9. 525.
Primum omnium in Scriptura nominatum esse prophetam, Abraham: Quanta sit Prophetæ dignitas, & quæ sit eius definitio ex Philone. 9. & 10. 525. & seq.
Duplex significatio vocis, Propheta, secundum Thostatum: & Oleastri opinio de Etymologia vocis, Propheta. 11. 526.
Auctoris sententia, sex modis vti Scripturam voce Prophetæ, & verbo Prophetandi. 12. 527.
Quantum sit Reipublicæ bonum, si etiam Principes legibus obtemperent; & super ea re, præclara verba Platonis, & nefaria aliquot Imperatorum dicta. 13. 528.
Quãtum malum ferat adulterij flagitium. 14. 529.
Disputatur breuiter (nam copiosa eius rei disputatio, tractata est in secundo Tomo) an Sara fuerit vera Soror Abrahæ, vt putarunt Clemens Alexandrinus, S. Hieronymus, Caietanus, Lippomanus & Sotus. 15. & seq. 529.
Argenteus, quod genus monetæ fuerit: Et an eius dem pretij fuerint siclus, stater, argẽteus. 17. 531.
Cur LXX. Interpretes hebraicum siclum, græce dixerint didrachma. Ibidem.

TERTIA DISPVTATIO.

QVale fuerit velamentũ oculorum, quod rex Abimelec dedit Saræ. 18. 532.
Exponuntur super ea re, verba Mosis obscurissima, secũdum varias translationes, diuersasque Auctorum interpretationes; ac denique latina translatio eius loci astruitur. 18. & seq. 532.
Cur Abimelec qui nihil peccauerat, percussus tamẽ & punitus à Deo quasi reus criminis fuerit. 23. 535. & seq.

CAPVT XXI. GENESIS.

Tres Disputationes.

LAVDABILIS priscorum mos, vt matres ipsæ filios suos lactarent: Et super ea re elegans Phauorini disputatio apud Gellium. 2. 540.
Quot annis lactatus sit Isaac, & lactari solerent infantes Hebræorum. 4. 541.
Cur Abraham in die ablactationis Isaac, splendidum fecerit conuiuium, potius quam in die ortus, aut Circumcisionis eius, mystica ratio, ex Ambrosio, Augustino, & Ruperto: literalis autem, ex Caietano. 5. & 6. 542. & seq.

PRIMA DISPVTATIO.

DE Lusu Ismahelis cum Isaac, propter quem ille domo Abrahæ eiectus est. 7. 543.
Naturale esse ac proinde inculpabile, studiose pueros inter se ludere, ex Horatio, & Quinctiliano. Ibidem.
Cur lusu Ismahelis cum Isaac, tantopere offensa sit Sara, ratio ex B. Hieronymo. 8. 544.
Nõ fuisse Hieronymum, auctorem Commentariorum in pleraſque Epistolas Pauli, licet sub eius nomine ferantur. Ibidem.
Opinio Hebræorum de lusu Ismahelis cum Isaac; & de quatuor significationibus huius verbi, ludere, traditis à Lyrano, sed à Burgensi & Thostato reiectis. 9. 545.
De quatuor causis, ob quas Sara iuste Ismahelem eiecit. 11. 546.
Qualis fuerit hæreditas Abrahæ, cuius Sara participem esse Ismahelem nolebat. 12. 547.
Cur Abraham dure accepit quod Sara volebat, de eiiciendo Ismahelem & Agar. 13. 548.

SECVNDA DISPVTATIO.

DE viatico tantum panis & aquæ, quod Abraham dedit Agar & Ismaheli. 14. 549.
Ponere aliquid super humerum alicuius, esse phrasim Scripturæ; & quid ea significat. Ibidem.
Vtrũ Abrahã reuera non plus viatici dederit, quã sonant verba, id est, panẽ tantũ & aquã: An vero istiusmodi nominibus significetur, quicquid ad victũ necessariũ erat; disceptatio inter Caietanũ & Thostatum, cui potius assentitur Auctor, motus auctoritate Theodoret. 15. & seq. 549. & 550.
An Ismahel cum eiectus est domo patris fuerit annorum circiter viginti. 18. 551.
Illius facti Abrahæ, tam duriter

tractantis, & domo sua eiicientis vxorem suam,& filium, pulchra expositio allegorica Ruperti. 19. & 20. 552.
Egregia virtus Abimelech regis Philistinorum, & quã ea rata sit in Principibus, ex Sallustio & Polybio: Quibusque rebus impulsus sit Abimelech ad honorandum Abraham,& amicitiam eius optandam.21. 553.
Quid significarent septẽ agnæ,quas seorsum separauit à grege Abrahã, icturus fœdus cũ Abimelech.22.554.
De vrbe Bersabeæ, cui propinqua est Gerara,natale solum Isaac,vt vult Hieronymus.23. 554.
Cur Abraham plantauerit nemus. 24. 555.
Vsus arborum,& nemorum, lucorumque apud Gentiles, in celebrando Deorum suorum cultu, ex diuina Scriptura,& ex Plinio. 25. 556.
Quatuor rationes à Philone traditæ, interdictarũ arborum & nemorum circa Dei cultũ, ex præscripto legis Mosaicæ.26. 556.
Quandiu Abraham peregrinatus fuerit in terra Philistinorum, secũdum opinionem Hebræorum & Lyrani: & an diutius ibi immoratus fuerit, quam in vrbe Hebrõ;de quibus lis est Thostato cum Hebræis & Lyrano. 27. 556.& seq.
TERTIA DISPVTATIO.
SVper verbis B. Pauli ad Galatas 4. quibus exponitur Allegoria de Agar & Sarã, atque de Isaac & Ismahele.28. 558.
Vocabulum legis, varie vsurpari in Scriptura.Ibidem.
Cur dictus sit Ismahel natus secundum carnem;& Isaac,non secundum carnem; sed secundam repromissionem. 29. 558.& seq.
De duplici Allegoria,vna rerũ,quæ est propria diuinæ Scripturæ,altera verborum, quæ communis est cum externis & humanis doctrinis: Quid sit Allegoria, & quod allegoricus sensus potior sit literali.30. 559.
Vox Testamenti, quid significet in Scriptura.31. 560.
De tripili conditione seruili status veteris Testamenti.32. 561.
Latinus interpres, in transferendis ex græco, vel hebræo nominibus, retinere solet, etiam contra latinam grammaticam, casus & genera eorum nominum, quæ habent in ea lingua, vnde transferuntur,idque multis Scripturæ exemplis ostenditur.33. 562.
Quomodo intelligendum sit,montem Sina,coniunctum fuisse vrbi Hierusalem.35. 563.
Cur Ecclesia Christi desursum esse dicatur, & cur sæpe appelletur nomine Hierusalem.36. 564.
Quomodo Ecclesia Christi, & vocetur,& sit libera, & de quadruplici eius libertate. Ibidem.
Quomodo Ismahel persecutus sit Isaac: & de duplici persecutione, vna, quæ bona & iusta est, qua spirituales homines & Catholici persequuntur carnales & Hæreticos; altera improba & iniqua, qua hi persequũtur illos,ex Hieronymo,& Aug.37. 565.& seq.
Vtrum Abraham eiiciẽs Agar, dissoluerit cum ea cõiugium,quantum advinculum matrimonij,an solum quãtum ad torum & contubernium,ex S.Thoma,& Auctore.38. 567.
Eiectio Agar & Ismahelis,quomodo fuerit figura eiectionis Synagogæ, & reprobationis Iudæorum,ex Ruperto.39. 568.
Augustinus Synagogam comparat cũ Iona propheta, & Vetus Testamentum cum hedera, siue cucurbita,quæ inumbrabat Ionam 40. 568.

probabilius.2.& 3. 573.& seq.
Diem quo immolandus erat Isaac, fuisse primũ diem septimi mensis:& ob eius rei memoriam, postea secundum legem Mosis, eo ipso die esse institutũ festum tubarum.3. 574.
SECVNDA DISPVTATIO.
QVomodo dicatur Deus tentasse Abraham;cum Iacobus Apostolus dicat, neminem à Deo tentari.4. 574.& seq.
Tentare Deum homines & nõ tentare, quomodo verum sit,secundum expositionem Ambrosij & Augustini.5.& 6. 575.& seq.
De duplici tentatione,vna bona,altera mala, & de quadruplici earum differentia.7. 575.
Quomodo intelligẽdum sit, Deum esse auctorem malæ tẽtationis:& cur eam tam malis quàm bonis viris ingerat. Ibidem.
Ad quem finem Deus tentet homines,tam bonos quàm malos:& item Diabolus ad quem finẽ tẽtet, siue bonos siue malos.9. 577.
Si tentare est, experiẽtiam capere de re ignota, quomodo vere dici potest Deus tentare quẽpiam: & ibi Caietani opinio, id non proprie, sed metaphorice accipi debere.10. 578.
Copiosa disputatio Augustini, exponentis quomodo Deus,cui nihil ignotum est, tentasse dicatur Abraham.11. 578.
De duplici fine tentationis Abrahæ: & super ea re sententia

CAPVT XXII. GENESIS.

Quindecim Disputationes.

CVR historiam immolationis Isaac, voluerit Deus tã diligẽter scribi,& consignari literis, ex Ruperto.num.1. 573.

PRIMA DISPVTATIO.

DE tẽpore immolationis Isaac. 2. 573.
Secundum Auen Esrã fuit tũc Isaac duodecim circiter annorum; sed refellitur:secũdum Hebræos, triginta septem annorũ,viua adhuc Sara; quod non est improbabile: secundum Iosephũ,fuit tunc annorum vigintiquinque, quod est

Theodoreti.12. 579.
Abraham decies fuisse tentatum à Deo, secũdum Traditiones Hebræorum.13. 580.

TERTIA DISPVTATIO.

DE loco immolationis Isaac, siue de monte Moriath. 14. 580.
Cur mõs ille dictus sit Moriah, aut vt Latinus interprẽs habet, terra visionis, ex Ruperto, Eugubino, Lippomano, & Oleastro. 14. & 15. 581.
Vtrũ in monte Moriah sacrificauerint Abel & Cain: & post diluuiũ Noe, vt tradunt Hebræi.16. 582.
Descriptio eius montis, vt fuit ante excidium Hierosolymitanũ, & post illud, ex Borchard.17. 582.
Excidium Hierosolymitanũ, & vt fuit postea, ex Borchardo. Ibid.
Origenes disputat, cur Deus non prius iusserit Abrahã ire in montem Moriah, & ibi præcepit ei de immolando filio: sed triduo ante, cum esset Geraris, id ei præcepit. 18. 583.

QVARTA DISPVTATIO.

QVam fuerit illud præceptum Dei de immolando Isaac, graue & asperum.19. 584.
Quomodo dictus sit Isaac fuisse vnigenitus Abrahæ, cum viueret frater eius grãdior natu Ismahel. ibid.
Scripturæ mos, certam quampiam tẽporis differentiã de re quã narrat, vsurpãtis, vt sic eius rei durationẽ & permansionẽ in ea differentia temporis ostẽdat.20. 584.
Nullum esse genus interitus, magis (vt ita dicam) annihilatiuum rei, quam holocaustum.22. 585.
Philonis egregia oratio põderantis grauitatẽ illius diuini prẽcepti, & excellentiam virtutis Abrahæ in eo exequendo.23. 586.
Cur in senectute geniti, vehemẽtius à parentib. amẽtur, ex Phil. Ibid.

QVINTA DISPVTATIO.

VNde notũ & certũ fuerit Abrahæ, illam fuisse veram Dei visionẽ, ac non potius illusionem Dæmonis.24. 587.
Quæ res potuissent (secũdum rationem humanam) reddere Abraham dubium de illo viso & præcepto Dei, & earum rerũ explicatio.25. & 28. 588. & 590.
Quemadmodũ Deus quib. reuelat mysteria sua, facit eos de veritate eius reuelationis certos: & super ea re, insignis B. Gregorij sententia.26. 588.
Primis quasi fundatoribus, doctoribus & rectorib. populi Dei tã in veteri Testamẽto, vt Patriarchis & Prophetis, quã in Nouo, vt Apostolis, datas esse diuinas reuelationes, maxime claras, distinctas & exactas: Atq; ea de re, minime contemnẽda Thomæ Angli disputatio.27. 589.
Quomodo non sit iniquũ, etiã innocentẽ hominẽ occidi ex prẽcepto Dei, disputatio S. Thom.29. 590.
An dici queat, Deum aliquid facere contra naturam, ex Augustino & B. Thoma.29. & 30. 590. & seq.
Quomodo Abraham triduo moratus sit in eo itinere quod vix vnius erat diei, discrepãs sententia B. Hieronymi atque Thostati: & super ea re iudiciũ Auctoris. 32. & 33. 591. & seq.
Inde nouerit Abraham, montem illum Moriah, fuisse eum quẽ destinauerat Deus immolationi Isaac.34. 592.

SEXTA DISPVTATIO.

AN mẽtitus sit Abraham, cum dixit seruis suis: *Expectate hic: postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.*35. 593.
Excutitur sentẽtia Augustini, quam sequuntur multi, Abraham propterea non esse mentitum, quia certo credidit resurrecturũ fuisse Isaac. ibidem.
Ambrosius significat, Abrahã sciẽter locutũ esse captiose, quasi non intendentem id quod proprie significabant verba, sed inscienter tamen prophetasse: Atque idem ipsum tradit Melchior Canus. 36. 593.
Noua & acuta ratio excusandi Abraham à mendacio, excogitata primũ à Thoma Anglo, & deinde à Caietano confirmata. 37. & 38. 594.
Thomas Anglus complures rationes tradit, vindicandi à mẽdacio Abraham, & omnes sane probabiles.38. 594.

SEPTIMA DISPVTATIO.

EXpenditur magnitudo virtutis Abrahæ & Isaac, circa illam immolationem.39. 595.
Cõparatur virtus & factũ Isaac, cũ alio simili, q̃ Poëtæ celebrarunt de Iphigenia, regis Agamemnonis filia.39. & 41. 595. & seq.
Egregia sententia Zenonis, Episcopi Veronensis, exaggerantis eximiam tam Abrahæ quam Isaac tum constantiam, tum fidem & obedientiam.42. 597.
Abrahæ nouissima verba ad Isaac, cum eũ vellet immolare, ex Iosepho: & quid in illis verbis reprehendat Lyranus.43. 598.

OCTAVA DISPVTATIO.

DE diuina prohibitione immolationis Isaac.44. 599.
Quoties Deus Abrahæ visus & locutus sit: & de cõtradictione quæ super ea re videtur esse in hisce Commentariis. ibidem.
Quid sit extendere manum in, vel super aliquem.45. 599.
An Isaac, cũ ductus est ad immolationẽ, fuerit puerili ætate, vt putauit Burgẽsis: & an vocabulũ pueri etiã in grandem hominis ætatem dicatur in Scriptura. ibid.
Præceptũ Abrahæ datũ de immolãdo filio, plenũ fuisse Sapiẽtiæ atque vtilitatis, ostẽditur multis rationibus.46. & 47. 600. & seq.

NONA DISPVTATIO.

CVm Deo nulla cognitio noua possit accidere, quomodo ipse dixit Abrahæ: *Nunc cognoui quod*

quod timeas Deum. 48. 601.
Augustinus exponit, quem plerique sequuntur: Nunc cognoui, id est, Nunc te, vel alios cognoscere feci: & eadē est Gregorij & Chrysostomi interpretatio. 48. & 49. 601. & 602.
Burgensis reprehendit istam expositionem Patrū: sed immerito. 50. 603.
Hilarius quemadmodum ea verba exponat: & de duplici cognitione diuina, ab eo tradita, & valde obseruanda in lectione Scripturæ. 51. 603.
Burgensis & Caietani expositio illorum verborum. 52. 604.
Thomas Anglus tres modos declarandi ea verba tradit. 53. 605.

DECIMA DISPVTATIO.

CVr Deus dixerit Abrahæ, *Noui quod timeas Deū*, & non potius *quod ames Deum.* 55. 606.
Qualis fuerit timor ille Abrahæ: & qualis esse debeat Sanctorum virorum in hac vita amor erga Deum. Ibidem.
Timor Dei, quem plurifariam multumque prędicat diuina Scriptura, qualis sit. Ibidem.
Ostenditur multis rationib. actum illum Abrahæ volentis, propter Deum immolare filium, fuisse actum perfectissimæ charitatis. 56. & seq. 607.
S. Thomas putat, ex illis verbis Dei, *Nunc cognoui quod timeas Deum*, certo notū fuisse Abrahæ, se esse in Dei gratia: & an talis cognitio contingat aliquibus in hac vita, breuiter eodem auctore Sancto Thoma disputatur. 58. 608.

VNDECIMA DISPVTATIO.

DE prestantia illius facti Abrahæ, cūparando ipsum cum aliis similib. factis Ethnicorū hominum valde celebratis. 59. 609.
Exēpla multorū, qui vltro mortem oppetierūt, à Cicerone commemorata. 59. 609.
Codri factū vltro se offerentis morti pro salute patriæ, enarratur verbis Iustini. 60. 609.
De Idomeneo & de Mario quodam Rege, qui secundum Cyrillum, proprium filium immolauit. Ibidem.
Philo disertissima oratione disputat nullum reperiri exemplum, quod cum isto facto Abrahæ iure comparari queat. 61. & seq. 610.
Diabolum, pessimū diuinitatis affectatorem, ad exemplum facti Abrahæ, à sui cultoribus humanas victimas, etiam propriorū filiorum expetiisse. 64. 612.
In illa immolatione arietis, quē cornibus hærentem vepribus deprehendit Abraham, reuelatā fuisse ei futuram Filij Dei immolationem & mortē, egregie disputat Sanctus Ambrosius. 65. 612.
Sabech, vox hæbræa quid significet, & quā varie exponatur. 66. & seq. 613.

XII. DISPVTATIO.

Super illis verbis.

Vocauit Angelus Domini Abraham secundo, dicens Per metipsum iurauī, &c.

VTrum iste Angelus, vere fuerit Angelus, an Filius Dei sub nomine Angeli, disputatio Aug. 73. 616.
Origenis verba significantis Filium Dei assumpsisse primo naturā angelicam, sicut postea humanā assumpsit, sic exponūtur, vt ad probabilem intellectum redigantur. 74. 617.
Cur Deus dicta & promissa sua firmet iurando per semetipsum. 75. & 76. 618.
An conueniens sit, Deum iureiurando promissa & dicta sua firmare, disputat Thom. Anglus. 78. 619.
Caietanus putat, Deum iurare, dici metaphorice, sicut tentare, &c. 79. 620.
Pulcherrima disputatio Philonis, an decens sit Deum iurare. 80. & 81. & seq. 621.
Animaduersio in Philonem non recte de Filij Dei diuinitate loquētem 82. 622.
De variis modis, quibus iurasse Deū legimus in Scriptura. Ibidem.

DECIMA TERTIA

Disputatio.

DE quatuor promissis, ob egregium illud Abrahæ factum, datis ei à Deo. 83. 622. & seq.
Auctoris disceptatio cū Paulo Burgensi, An illud promissum Dei: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, fuerit nouum, & tunc primum ei datū: an vero fuerit prius datum, & tunc renouatum. 85. & seq. 624.

DECIMA QVARTA.

Disputatio.

SVper illis verbis Pauli ad Galatas 3. *Non dicit, & seminibus, quasi in multis; sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus.* 89. 627.
Zerant, vox hebræa, latine semen, vtrū careat plurali numero, necne: & quomodo Paulus ex numero singulari illius vocis bene argumentetur, eam vocem in superioribus verbis Dei de vno tātum Christo intelligi debere: cū ea vox sæpe in Scriptura, etiam in numero singulari, in multis ponatur. 90. 628.
Vnde cōpertum fuerit B. Paulo, semen illud Abrahæ, in quo benedicendæ erāt omnes gentes, non fuisse aliud nisi Christum; cum simile quippiam de Salomone dictum sit in psalmo. 91. 92. & seq. 628.

DECIMA QVINTA

Disputatio.

VTrius meritum & virtus, in illo negocio immolationis, insignior & præstantior fuerit Abrahæ, an Isaac. 96. 630.
An fortitudo magis eluceat in subitis atque inopinatis malis, an ve-

ro in præuiſis.96. 630.
Enarratur fuſe hiſtoria regis Moab, quę eſt in lib.4.Regum c.3.qui in extremo diſcrimine primogenitũ filiũ ſuper mœnibus vrbis obtulit holocauſtũ:& ibi de cauſa immolationis eius varię memorantur opiniones,Rabbi Salomonis, Lyrani,Burgenſis,Thoſtati,Vatabli, denique Caietani , cui adhæret Auctor. 98. &ſeq. 631.
Hus filius Nachor,an fuerit conditor terræ Hus , de qua ſcriptũ eſt fuiſſe Beatum Iob.107. 636.
An de progenie Buz fuerit Balaam, qui in libro Iob dictus eſt Eliu. 108. 636.
Camuel filius Nachor , an fuerit conditor Syriæ.109. 637.
Caſed filius Nachor , an fuerit auctor gentis Chaldæorum. Ibid.

CAPVT XXIII. GENESIS.

Duæ diſputationes.

QVANTO tempore poſt actũ illum immolationis Iſaac, mortua fuerit Sara,opinio Ioſephi,& Hebræorum : & quod Saræ omniũ mulierum primæ ætas , mors,& ſepultura narretur in ſcriptura.1. & 2. 640.
Vrbem Hebron, nõ temere credi à nonnullis , fuiſſe patriam Sancti Ioannis Baptiſtæ.7. 642.
Abrahæ luctum ob mortem Saræ vxoris , honeſtum fuiſſe ac laudabilem.9. 643.
Antonini Imperatoris egregiũ dictum:humanum eſſe carorũ hominum mortem lugere. Ibidem.
Diſcrimẽ inter Luctũ & Planctum in Scriptura obſeruatũ.10. 644.
Luctũ mortuis quodãmodo deberi à viuis, ex Homero & Euripide: & quęnam eius rei cauſa.11.644.
Vtrius melior fuerit ſententia , Enniine , qui nolebat mortem ſuam lacrymis decorari : an Solonis cupientis funus ſuum amicorum fletu ac gemitu celebrari.Ibid.
An probabilis ſit cõſuetudo earum gentium,quæ ortũ hominis cum triſtitia,occaſum vero cum gaudio celebrabant.Ibidem.
Funebre officiũ quod perſoluit Abraham vxori Saræ, qualenam fuerit.12. 645.
Cuius rei figura fuerit mors Saræ, ex Ruperto.12. 645.

PRIMA DISPVTATIO.

AN licitũ fuerit Ephroni vendere Abrahæ ius ſepulturæ, vel ipſi Abrahæ emere.13. 645.
Sepulturam Eccleſiaſticam non eſſe venalem:& præclara B.Gregorij ſuper ea re ſententia.Ibidem.
Quemadmodum locus ſepulturæ poſsit, vel non poſsit vendi & emi:& quod Abraham emendo locum ſepulturæ nõ peccaverit, diſputatio S.Thomæ.15. 647.
Thomas Anglus putat ſepulturas Gentiliũ nihil habuiſſe ſacrũ , & ideo licite fuiſſe venales.18. 648.
Caietanus cenſet religionem ſepulturæ, tantũ prouenire ex legibus poſitiuis.19. 649.

Thoſtatus ait locum ſepulturæ non fieri ſacrũ ob eius ſtructurã , ſed ob collocationẽ in eo loco humani cadaueris. 21. 649. & ſeq.
Etſi apud Græcos & Romanos ſepulchra religioſe quodam ritu & cæremoniis conſtituebantur ; id tamen à multis gentibus minime obſeruabatur.22. 650.
Sepulcra Gentilium , ſicut eorum tẽpla Idolis dicata , nihil ſacrum aut reuerendum habebant , & ideo per ſe vendi atque emi poterãt , niſi forte propter conſcientiam aliter ſentientium. Ibidem.
Quid ſignificet illud,quod dixerunt Hethæi Abrahæ : *Princeps Dei es apud nos.*23. 651.
Scripturæ mos ponendi plurale pro vno aliquo ex multis ſingularibus.24. 652.
Vox,Electum, quid proprie ſignificet in Scriptura. Ibidem.
Vtrũ S.Ioãnes Apocalypſis 19. voluerit adorare Angelũ,quia eum putauit eſſe Deum, Auctoris diſputatio cũ B.Auguſt. 26. 653.
Cur Angeli ante Chriſti aduentum ſinebãt ſe adorari ab hominibus, poſtea vero minime,ſcita B.Gregorij ratio. Ibidem.
Cur appellata fuerit ſpelunca duplex, ſex opiniones:prima Hiſtoriæ Scholaſticæ:ſecunda,Ioannis Bellet:tertia , Auenezræ & Caietani:quarta,Hameri:quinta Thomæ Angli : ſexta Rabbini Salomonis.27. 654.
Moralis expoſitio illius duplicis ſpeluncæ, pertinẽs ad coiunctionem vitæ actiuæ & contemplatiuæ,ex B.Gregorio.28. 654.
Antiquitus pecunia ſoluebatur vel cõmutabatur,non tã numerãdo, quàm appẽdẽdo:nec videtur fuiſſe tunc ſignata pecunia :nec fere vſus pecuniæ aureæ,ſed vel ſolũ, vel plurimum argenteæ.29 655.
Lapſus memoriæ vel incogitãtiæ B. Hieronymi,dicentis Solũ pẽdere vnciam vnã,ſiue octo drachmas, cum tantum pendeat quatuor,vt ipſemet alibi tradidit.Ibidem.
Antiquus mos Iudæorum in celebrandis contractibus, declaratur ex quodã loco Hieremię.31.656.
An Mambre, & conuallis Mambre idem fuerit locus , Thoſtati diſputatio.32. 656.& ſeq.

SECVNDA DISPVTATIO.

DE notabili quadã diſſonantia ſuper locũ ſepulturæ quem emit Abraham,inter Moſen hoc loco,& B.Stephanũ Actorum 7. nam ille ait Abrahã emiſſe ſepulturã in Hebron ab Ephrone filio Seor : hic autẽ dicere videtur, eũ emiſſe in Sychem,à filiis Hemor filij Sychem.33. 657.
Quid ſuper iſta diſſonantia ſcripſerit S.Hieronymus , & B. Gregorius.33.& 34. 657.& ſeq.
Hiſtoria Scholaſtica,vt tollat iſtam diſſonantiã , varie mutat ſtructuram verborum Stephani.35.658.
Beda & Rabanus ſignificant B. Stephanũ in tali narratione lapſum eſſe memoria , & hoc aperte &

affirmate tradit Melchior Canus.36.&37. 659.
Quomodo istã difficultatẽ explicet Lyranus, Caietanus & Gregorius.38.& seq. 660.
Eugubinus & Lippomanus putant locum illũ, qui est in Actis Apostolorum,dupliciter esse mendosum, idẽque sentit Andreas Masius: & quemadmodum ab istis locus ille corrigatur & emendetur.41. 661.& seq.
Auctor reiicit opinionẽ Bedæ, Rabani,& Cani, docens B.Stephanũ in illa narratione non esse lapsum memoria.42. 662.& 663.
Auctor ostẽdit verba illa S.Stephani non esse mendose scripta, nec locum illum esse corrupũ, vt visum est Eugubino, Lippomano & Masio.43 663.
ctor refellit Historiam Scholasticã & Caietanum, mutãtes ordinẽ & structurã verborum Stephani; docens id facere in Scriptura,nequaquam fas esse.44. & 45. 664.& seq.
Auctoris rationes tollentis supradictã dissonantiam, & id ex Hieronymo & Gregorio.46. 665.
Frequens esse in Scriptura, eandem personã diuersis nominibus appellari in diuersis locis.47. 666.
Solere Scripturam plurali numero dicere aliquid de multis, quod aliquibus tantum eorum, atque etiam vni duntaxat conueniat. 49. 666.& seq.
Auctor disputat standumne sit opinioni S. Hieronymi dicẽtis duodecim Patriarchas non esse sepultos in Hebrõ,sed in Sychem; an potius Iosephi idipsum affirmantis.50. 668.

CAPVT XXIIII.

Vndecim Disputationes.

ABraham tẽpore coniugij filij sui Isaac cum Rebecca,agebat centesimũ quadragesimum annũ.1.674.
An verum sit quod dixit Rupertus, quosdam Maiorum Abrahæ, vixisse septuplo amplius quam ipsum.2. 674.
De quatuor generibus bonorum temporalium,quę probis viris in veteri Testamẽto promittebantur & dabantur à Deo.3. 675.
Allegoria missionis serui Abrahæ in Mesopotamiam, & quod ille seruus figura B. Petri Apostoli fuerit.5. 676.
In Scriptura, fœmur,lumbi,venter siue vterus, generationem significant.6. 677.
Quid significet quod Christus apparens Ioanni,visus est habere in vestimento & in fœmore scriptũ hoc, Rex Regum & Dominus Dominantium.7. 677.

PRIMA DISPVTATIO.

DE ratione & origine illius cerẽmonię,qua vsus est Abrahã, iubens seruum suum ponere manum sub fœmere suo.8. 678.
Prima opinio Chrysostomi & Iosephi:secunda Auen Esræ; & ibi cur

cur mons Indiæ, in quo dicitur educatus Dionysius, dictus sit μηρὸς id est,fœmur.8.& seq. 678.
Fabulosa traditio Indorum, quam memorat Plinius de incredibili numero regum, & de duratione regni eius gentis.11. 679.
Dionysius siue liber Pater,eo tempore belligerabat in India, quo tempore Iosue imperabat Hebræis. Ibidem.
Abraham ætate anteceſsit liberum Patrem,plus trecẽtos septuaginta annos. Ibid.
An ceræmonia ponendi manũ sub fœmore dum erat iurãdum, pertinuerit ad religionẽ Sacramenti Circumcisionis, vt tradiderunt Hebræi:contra quos Oleastri & Thomæ Angli obiectiones,infirmas esse ostenditur.12. 680.
An illa cęremonia denotaret auctoritatem & potestatem dominantis, simulque seruiẽtis subiectionẽ,vt putauit Auen Esra.13.680.
An iuraturi ponerent manũ sub fœmore ad denotandũ stabilitatem & firmitatem iurisiurandi, sicut fœmur est firmissima pars hominis;vt putauit Oleaster:sed refellitur.14. 681.
Opinio Patrũ, quam sequitur Auctor,eiusmodi cæremoniã fuisse mysterium, quo adumbrabatur fides de futura Incarnatione Filij Dei: & ibi Augustini, Gregorij,& Theodoreti,super ea re disputatio.15. 681.
Multa in veteri Testamento præcepta esse vt religiose obseruarẽtur, quorũ tamẽ mystica significatio, paucissimis tũc erat nota.16.683

SECVNDA DISPVTATIO.

DE variis modis adiurãdi,quorum in Scriptura frequens est vsus.17.
An viris perfectæ virtutis amatoribus, inconueniens sit adiurare aliquem vt significauit Origenes. 17.& 18. 684.& seq.
Quid sit adiurare,& de duob. modis adiurandi, in Scriptura frequentatis.18.& 19. 685.
An fas sit adiurare Deũ,an Dæmones:an res expertes rationis. 19. & 20. 685.& seq.
De adiuratione,quę fit imperando: & an ea in Dæmones & animalia vti liceat.21. 686.
Quomodo Magi & Necromantici adiurent Dæmones, imperando & comminando illis.22. 687.
Quomodo Iosue imperauerit Soli & Lunę,vt sisterẽt cursum suum. 23. 687.& seq.
Adiurare nonnunquam in Scriptura,significare,inducere aut etiam adigere quempiam ad iurãdum. 24. 688.
Qualis fuerit Adiuratio, qua seruum suum adiurauit Abraham. 25. 689.

TERTIA DISPVTATIO.

CVr Abraham tantopere auersatus sit coniugium mulierum Chananæarum.26. 690.
Eius rei duæ rationes exponuntur à B.Ambrosio.26.& 27. 690.

Coniugium fidelis cũ infideli, quàm periculosum & quàm noxiũ sit, diserta B. Ambrosij & Chrysost. disputatio. 27. & seq. 690.

Quæritur, an parẽtes Rebeccæ, veri Dei cultores fuerint, & super ea re disputatur in vtrãque partem, exposita Ruperti & Augustini sententia. 30. 692.

Theodoreti opinio discutitur, aientis, diuina lege interdictum fuisse Abrahæ dare Isaac coniugẽ de Chananæis mulieribus. 33. 693. & seq.

Cur filij Iacob non abhorruerint à coniugiis Chananæarum mulierum, sicut pater & auus ipsorum. 34. 694.

Cur de coniugio Rebeccæ, non sit requisita sentẽtia & assẽsus Isaac, sed totum id negotium mandatum sit seruo. 35. 694.

Cur Abrahã nõ ipsũmet Isaac misit in Mesopotamiã, coniugis accipiendæ causa, sicut postea Isaac misit eo filium suũ Iacob: duplex redditur ratio, vna mystica, ex Ruperto, altera literalis, ab Auctore. 36. & 37. 695. & seq.

QVARTA DISPVTATIO.

CVr Abraham ciuitatẽ Mesopotamiæ Haran, vbi frater eius Nachor habitabat, appellauerit terram suã, cum ipse Chaldæus esset, & natus in vrbe Chaldææ Vr. 38. 697.

Refellitur Paulus Burgensis, affirmans natum esse Abrahã in ciuitate Haran. 39. 698.

Thostatus, dicens, Abraham manifisse cum patre suo Thare in vrbe Haran, vsque ad mortẽ eius, id est, per annos sexaginta, manifestis rationibus coarguitur, tanquam veritati, & sibi ipsi contradicens. 40. 698.

Exponitur vera ratio, cur Abrahã vocauerit Mesopotamiam terram suam. 41. 699.

Animaduersio in Caietanum, non recte sentientem de regione Mesopotamiæ, & de ciuitate Haran. 42. & 43. 700.

An vera sit Thomæ Angli opinio, inter Rebeccã & Isaac absentes, per seruum Abrahæ, cõtractum fuisse matrimonium: Et hinc primũ innotuisse, matrimonia inter absentes posse cõtrahi. 45. 702.

Quã multas & magnas præstẽt hominib. Angeli vtilitates, declaratur exemplo Tobiæ. 46. 702.

Allegorica expositio decẽ camelorum, quos seruus Abrahæ duxit in Mesopotamiam, ex Ruperto. 47. 703.

De incredibili copia, & multiplici vsu camelorum apud Oriẽtales: & de eius animalis velocitate, robore, & patientia potus ac cibi, ex Aristotele, Plinio, Philostrato, & Iulio Scaligero. 49. & 50. 704. & seq.

QVINTA DISPVTATIO.

AN oratio serui Abrahæ, petẽtis sibi dari à Deo signum, quo deprehenderet futurã vxorem Isaac, superstitiosa fuerit, & quasi quasi hominis Deum tentantis. 51. 706.

Augustinus disputat ea de re, nihil certi statuẽs. Chrysostomus, Lyranus, Theodoretus, Rupertus, Caietanus, sed maxime omnium Thomas Anglus ostendunt orationẽ illius serui fuisse plenã fidei & pietatis. 53. & seq. 707.

Auctor orationẽ illã serui Abrahæ ab omni vacuã esse vitio ostendit: & docet quãdo petere signũ à Deo, sit, aut non sit tẽtare Deũ. 56. 709.

SEXTA DISPVTATIO.

DE obseruatione & vsu ominũ, & de Diuinatione ominatoria. 57. 711.

Quid sit Omẽ, & quæ fuerit eius origo apud Ethnicos, ex Cicerone & Valerio Maximo. ibid.

Exempla insignium Ominum, celebrata ab Ethnicis. 58. 711.

Ad coarguendã vanitatẽ Ominatoriẽ superstitionis appositissimum exẽplum, simulque argumẽtum ex Pausania. 59. 711. & seq.

Cicero quemadmodum deriserit & cõfutauerit obseruationẽ Ominatoriam. ibid.

Auctoris argumentatio, qua obseruatio & diuinatio ominatoria funditus euertitur. 60. 712.

De triplici signorum genere, Naturali, Diuino, Humano & quod nullo istorũ trium voces humanæ possint esse signa rerum futurarum. ibid.

Quasnam proprietates habeat signum naturale: quas item diuinum signum. Ibidem.

Humanum signum si certũ est, non est, nisi rei vel præteritæ vel præsentis, non autẽ futuræ, aut si est futuræ, non nisi eius, quæ de nostro consilio & arbitrio pendet. 62. & seq. 713.

An obseruatio & diuinatio ominatoria secundum Sacram doctrinam & disciplinã Ecclesiasticam approbanda sit. 65. 714.

B. Augustinus refugit vti vocabulo ominis, tanquam inusitato in sacris literis & in scriptis Patrum, quanquam nomen ominis semel reperitur in Scriptura: verum ab Ethnicis vsurpatum. ibid.

Tria exempla ominum in sacris literis obseruata. 66. & seq. 714.

Omen datum Ambrosio & Augustino fuse narratur. 68. & 69. 716. & seq.

Verba hominum, quæ certa sunt signa futurorum, disciplina Ecclesiastica non appellat omina, sed prophetias, siue scienter, siue inscienter, siue per bonos, siue per malos editas: & super ea re Augustini sententia. 69. 717.

Plinius quid senserit de ominatoria obseruatione. Ibidem.

SEPTIMA DISPVTATIO.

CVr Rebecca dicta sit Virgo, & insuper viro incognita, cum idem vtroque vocabulo significetur. 70. 718.

Quãta sit gratia virginalis pudoris & in

& integritatis.70. 718.
Caietani expositio,cur Moses dixerit Rebeccam esse virginem & viro incognitam. Ibidem.
Rabbi Salomon quemadmodũ declaret posse aliquas mulieres esse incognitas viro, & tamen non esse virgines.71. 719.
Cypriani egregia sentẽtia in virgines re ipsa corruptas, de sua gloriantes virginitate. Ibidem.
Clemens Alexandrinus & Origenes per illud *incognita viro*, interpretãtur de Diabolo, quia possit mulier exteriori libidine non esse corrupta ab homine, sed interiori esse à Dæmone. Verum istam expositionem docet Auctor nec esse literalẽ, nec proposito Mosi congruentem.72. 719.
Breuis disputatio aduersus Origenem aientẽ in Scriptura Veteris Testamenti, non veras narrari historias, sed sub historicę narrationis specie, operte ac figurate mysteria pandi.73. 720.
Hieronymi & Augustini reprehensio eorum, qui posthabito historico sensu, ad tropologicum & mysticum confugiunt. Ibid.
De multiplici vtilitate Sacræ historiæ.74. 721.
Crassi laus 12. tabularũ apud Romanos & Ciceronis commendatio Historiæ: & Titi Liuij de vsu & fructu Historiæ, quæ omnia demõstrat Auctor multo verius & plenius competere in Sacram historiam. Ibidem.
Consuetudinem esse diuinæ Scripturæ, rem eandem multis & diuersis verbis explicare; idque secũdum proprietatem linguæ hebrææ, & propter orationis ornatum atque elegantiam, quamquã eiusmodi verborum geminationes & repetitiones faciunt plerumque ad maiorem eius rei, qua de agitur, cõfirmationem. Et super hac re pulchra B. Augustini sententia.75. 722.
Leonis Castro sententia de differentia duarum vocum hebræarum Betula & Alma exponitur, & approbatur.76. 723.

OCTAVA DISPVTATIO.

AN verum sit, quod dixit B Hieronymus pugnans in Iudæos, vocem Alma, nusquam in Scriptura significare, nisi mulierem incorruptam atque virginem.77. 724.
Quid super ea re scriptũ reliquerit B. Hieronymus, tam in 24. caput Genesis, quã super 7. Isaiæ. Ibid.
Oleastri opinio de origine & etymologia vocis, Alma, an vero Alma possit etiã significare mulierem corruptam, ipse non decernit; sed tantum contrarias ea re opiniones S. Hieronymi & Caietani commemorat.79. 725.
Caietani opinio discutitur, affirmãtis, vocem Alma apud Salomonem Prouerbiorum 30. nõ posse significare virginẽ, sed necessario interpretandam esse de muliere corrupta.80. 725.
Ponuntur tres expositiones verborũ Salomonis in eo loco: & dissoluitur argumentatio Caietani: & ostenditur, in eo loco vocem Alma, intelligi posse de virgine. 81. & seq. 726.
Lyranus quomodo exponat verba illa Salomonis, de B. Maria, & de Christo.81.
Qualis sit eius loci Prouerbiorum, vetus lectio latinorum & græcorum codicum. Ibidem.
Iansenij interpretatio illorum verborum Salomonis.82. 727.
Si vox, Alma, significat virginem absconditã & remotam ab oculis hominum vt tradit B. Hieronymus, quomodo id nomen vere competit in Rebeccam, quæ publice itabat extra vrbem ad hauriendã aquam: & super ea re disputatio Thomæ Angli.83. 727.
An eo tempore viueret Bathuel pater Rebeccæ, super qua re discrepat communis opinio à Iosepho.84. 728.
Nonnunquam in Scriptura nomine fratrum, significari patres atque filios, & auos atque nepotes. Ibi.

NONA DISPVTATIO.

AN serui Abrahę narratio discrepet à narratione Mosis, earumdem rerum quæ ab vtroque narrantur. 85. 729.
Exponuntur sex regulæ, secundum quas iudicari potest, an duæ narrationes eiusdem rei, sint inter se contrariæ.86. & seq. 730.
Cur Sacri Euangelistæ, non eodem prorsus modo scripserint Euangelicam historiam: & super ea re, verba S. Augustini.88. 731.
Variatio ordinis in diuersis narrationibus earundem rerum, quando contrarietatem narrationum faciat, aut non faciat, & de causa diuersitatis ordinis in narrando easdem res apud Sacros Scriptores, disputatio B. Augustini. 89. 731. & seq.
Vnde iudicari queat an ordo narrationis sit congruens rei gestæ. 90. 733.
An potius standum sit narrationi Scriptoris canonici, quam aliorum hominum, quos Scriptor canonicus, easdem res narrantes inducit.91. 733.
Explicantur tres modi tollendi dissonãtias temporum, quæ in diuinæ Scripturæ narrationibus videntur nonnunquam esse. 92. & seq. 734.
De duplici computatione; vna inclusiua; altera, Exclusiua. Ibid.
In percensendis temporibus, Scripturam minutias quasdam, vel dierum, vel mensium, interdum exacte persequi, nonnunquam vero prætermittere.93. 734.
An Ioathan rex Iuda, sexdecim annis tãtum regnauerit; an viginti, nam vtrumque legitur in Scriptura: & quomodo tales dissonãtiæ, ad veritatis consonantiam reuocandæ sint.94. 735.

DECIMA DISPVTATIO.

QVia Moses scribit Isaac egressum esse ad meditãdũ in agro, quęritur, quod nã fuerit genus meditationis Isaac. 96. 736.

Suach verbi hebræi (quod Latinus interpres vertit Meditari) varia interpretatio. Ibidem.

Septuaginta interpretes verbum istud hebræum reddiderũt græce ἀ δολεσχῆσαι: & de varia eius verbi significatione. Ibidem.

Quid sibi voluerit B. Ambrosius, dicens, Isaac exisse in campum, abalienare. Ibidem.

Ponuntur nouem interpretationes illorum verborum: *Egressus fuerat Isaac ad meditandum in agro*, quarum interpretationum auctores sunt Ambrosius, Hieronymus, August. Hebræi, Lyranus, Thostatus, Caietanus, Vatablus, Hamerus. 97. & seq. 737.

Pythagoreorũ vetus institutum, & à sapientibus viris vsurpatũ, vesperi commemorare, quęcumque in eo die audisset quisque, dixisset, legisset audisseque. 99. 738.

Auctoris sententia, quid proprie significet in Scriptura, verbum Meditandi. 100. 738.

Quanta sit, & quantopere optanda solitudinis opportunitas ad meditandum & contẽplandum: Et de tribus causis eiusmodi opportunitatis. 101. 738.

Sanctum Hieronymum flagrantissimum solitudinis fuisse amatorem, & disertissimũ laudatorem, appositis eius verbis ostenditur: Idẽque fuisse iudiciũ, eundẽque sensum Ethnicorũ scriptorum, præsertim autẽ Philosophorum & Poëtarum. Ibidem.

VNDECIMA DISPVTATIO.

CVR Rebecca conspecto Isaac, descẽderit de camelo, & operuerit se pallio. 102. 739. & seq.

De significatione vocis hebrææ Saiph, & græce θέριστρον, quib. latinus interpres ponit palliũ; & erat genus velamenti capitis & faciei Arabicarum mulierũ. Ibi.

Velamentum capitis & faciei mulierum, quam religiosè obseruatũ fuerit apud Romanos, declaratur exemplo C. Sulpitij Galli: qui vxorem repudiauit, quod non velato capite versata esset in publico. 103. 740.

Grauis Tertulliani exhortatio mulierum ad velandum caput & faciem. 104. 740.

Varius vsus operiendi capitis apud veteres. 105. 741.

Cur Rebecca viso Isaac descenderit de camelo: & allegorica huius facti expositio B. Gregorij. 106. 742.

Nomine cameli significari mystice in Scriptura tum Saluatorem nostrum; tum Ecclesiam ipsius ex Gentilitate collectam. Ibid.

Rupertus allegorice declarans factum istud Rebeccæ, demõstrat differẽtiam Ecclesiæ Catholicæ, atque Hæreticorum sectæ; quod in illa, humilitas, modestia, & mysterio

mysteriorũ Dei reuerentia, maxime eniteant: hæc autem contrariis vitiis delectetur, atq; glorietur. 107. 742. & seq.

Notatur Iosephi lapsus in Chronologia, aientis, paulo post coniugium Rebeccæ & Isaac, decessisse Abraham 108. 743.

CAPVT XXV.

GENESIS.

Octo Disputationes.

PRIMA DISPVTATIO.

CVR Abraham iã pene decrepitus, denuo vxorem duxerit. 1. 745.

Quoto ætatis suę anno, Abraham vxorem duxerit Ceturam: & num ante, an post Saræ mortem. Ibidem.

Quam rationem Sanctus Augustinus exponat, istius noui coniugij Abrahæ: ea verò est allegorica; nempe, vt tale coniugium figura esset carnalium hominum Noui Testamenti, præsertim autem Hæreticorum: & vt secundis nuptiis, exemplo Abrahæ, fides astrueretur. 2. 746.

Origenes nouissimum illud coniugium Abrahæ, ait figuram fuisse coniugij mentis cum sapientia; idque cum multa & varia tractat eruditione. 3. 747.

Aristotelis egregium dictum, mentem & sapientiam non nisi iam seni homini contingere. Ibidem.

Auctor, contrahendi illius coniugij tres causas exponit; duas literales, & tertiam mysticam. 5. & seq. 749. & 750.

Sicut olim omniũ atrocissimi hostes Iudæorum fuere gentes, sanguinis propinquitate illis coniũctæ, vt Moabitæ, Ammonitæ, Ismahelitæ & Idumæi: ita Christianis nullos fuisse capitaliores hostes, quàm qui similitudine fidei & doctrinæ videntur illis coniunctiores, Iudæos dico & Hæreticos. 8. 750.

SECVNDA DISPVTATIO.

AN Cetura, nouissima Abrahæ vxor, non alia mulier fuerit quam Agar. 9. 751.

Hebræi putant eandem fuisse mulierẽ, Ceturam & Agar: quã opinionem memoras Hieronymus, nec probat, nec improbat. 9. 751.

Lyrano non videtur displicere ista opinio Hebræorum: quamuis nõ neget, cõmunẽ Catholicorũ sententiam esse contrariam. 10. 751.

Thomas Anglus, Ceturam fuisse Agar, probat & auctoritate Sancti Hieronymi, & nonnullis rationibus. 11. 752.

Caietanus quibus rationibus concludat, Ceturam nõ fuisse Agar, 12. 753.

Thostatus bene refellit istam opinionem Hebræorum, ratione ducta ex Chronologia: quia tũc Abraham erat centum quadraginta annorum, Agar vero erat iam octogenaria: nõ igitur homo adeo senex, ex tã vetula muliere filios generare potuisset, quot

generati memorantur ex Cetura.13. 753.& seq.
Cur Abraham duxerit mulierem Chananæam vxorem, cum talium mulierum coniugia tantopere in filio suo Isaac auersatus esset.14. 754.

TERTIA DISPVTATIO.

DE filiis Abrahę procreatis ex vxore Cetura. 15. 755.
Disputatur quomodo Abraham centum quadraginta annos natus, tot filios genuerit, cum antea non maior centesimo anno, dicatur fuisse inhabilis ad generādum,& vt inquit Paulus, habuisset ad id corpus emortuum. Ibi.
Iosephus reprehenditur in historia & Chronologia, affirmās Abrahæ filios & nepotes ex Cetura vxore habitasse in regione Troglodytica: & militasse sub Hercule contra Antęum: cum isti nepotes Abrahæ plus sexcentos annos Herculem antecesserint. 16.& 17. 755.& seq.
Iosephi discutitur opinio aientis Aphricam fuisse appellatam ab Epher siue Apher nepote Abrahæ.18. 757.
Aphrica & Libya vnde appellationis suæ originem duxerint secūdum Solinum & Isidorum. Ibid.
Madianitarum gens qualis nam fuerit & quam infesta Hebræis. 19. 757.
Madianitas nonnunquam in Scriptura quasi eandem gentē atque Ismaelitas sumi.20. 758.
Madianitas nomine Æthiopum interdum vocari. 21. 758.
Sephora vxor Mosis, cum fuerit Madianitis, vt patet Exodi 2. cur Numerorum 12. appelletur Æthiopissa, & super ea re, Augustini verba. Ibidem.
Gentes Madian & Epha, vt generis necessitudine, ita regionibus & sedibus fuisse coniunctas, atque earundem rerum fertiles & copiosas, ostenditur ex quodam loco Isaię, adiuncta expositione B. Hieronymi.22. 759.
Notabile documentum B. Hieronymi, perutile ad intelligendas promissiones bonorum temporaliū, in veteri Testamēto datas Hebræis: nam vel figurate accipiendæ sunt pro bonis spiritualibus & cœlestibus, vel illæ promissiones fuerunt tantum conditionaliter datæ. 23. 759.& seq.
De gente orta ex Dadan siue Dedan nepote Abrahæ.24. 460.
Duos fuisse Dedan; vnum, pronepotem Noe; alterum, nepotem Abrahæ, ex his duæ gentes Dedam proseminatæ sunt. Ibidem.
S. Hieronymus putat Dedaneos fuisse incolas occidētalis Æthiopiæ: sed Auctor id non approbans, ostendit eos fuisse vicinos Idumæorum. Ibidem.
Quæ gens ex Saba nepote Abrahæ propagata sit, & vbi terrarum consederit.25. 760.
Tres nomine Saba memorari in libro Genesis: quorum duo nominantur ca.10. vnus nepos Cham, alter nepos Heber ex stirpe Sem: tertius nepos Abrahę ex Cetura progenitus. Ibidem.
Ex supradictis trib. Saba, ortæ sunt tres gentes Sabæorum: & alij Felicem Arabiam, alij Persidē, alij Indiam habitarunt. Ibidem.
Origenes indicat quid vtilitatis parit studiosis Scripturæ cognitio posteritatis Abrahæ ex vxore Cetura.26. 761.
Qualia & quanta fuerint bona & facultates Abrahæ, quarū hæreditatē reliquit filio Isaac.28. 762.
Cur omnium filiorū Abrahæ solus Isaac ab eo institutus sit hæres. 29. 763.
Quatuor causæ exponūtur, cur Abraham dum viueret, separare alios filios voluerit ab Isaac. 30. 763.
Dupliciter in Scriptura dici solere terram aliquam esse Oriētalem. 31. 764.
Auctor disputat aduersus eos qui prodiderūt istos Abrahæ posteros ex Cetura, segregatos ab Isaac, petiisse ac tenuisse regiones Indicas.32. 765.

QVARTA DISPVTATIO.

AN priscis illis temporibus Abrahæ obseruaretur distinctio coniunctionis viri cum fœmina in legitimā & illegitimam, & item procreationis filiorum. 33. 766.
Iurisconsultorū opinio negantium istiusmodi distinctiones fuisse ante leges scriptas, eaque opinio, Iustiniani Imperatoris & Ciceronis verbis illustratur. ibid.
Auctor refellit superiorem sententiam Iurisconsultorum,& ostendit etiam in ætate ac temporibus Abrahæ fuisse obseruatas septē differentias circa legitimam aut illegitimam commixtionem viri cum fœmina,& circa generationem liberorum.34.& 35. 766. & seq.

QVINTA DISPVTATIO.

SVbtiliter explicatur Chronologia totius vitæ Abrahæ, indicando insigniores eius res,& suo quamque earum tempore notando.36. 768.
De patria & de genere,& de Maioribus Abrahæ. ibid.
Quanto tempore post Diluuium Noēticum, post orbem conditum, & post linguarum ac gentium diuisionem natus sit Abraham.37. 769.
Quoto anno Abrahæ mortuus sit Noë.38. 769.& seq.
Quoto ætatis anno in ignē à Chaldæis Abraham sit coniectus, & inde mirabiliter ereptus, secundum traditionem Hebræorum. Ibidem.
An inuētor Astrologię apud Chaldæos fuerit Abraham. Ibidem.
Vtrum Abraham regnauerit Damasci, vt proditum est à Nicolao

Damaſceno,& Trogo Pompeo. 39. 770.
Victoria Abrahæ de quatuor regibus, & occurſus Melchiſedec, in quotũ inciderint ætatis eius annum.40. 771.
An verum ſit,quod ab Artapano & Eupolemo eſt traditum, Abraham viginti annos mãſiſſe in Ægypto;atque inibi docuiſſe Ægyptios Mathematicas diſciplinas. Ibidem.
Quæ res perinſignes euenerint in anno nonageſimo nono Abrahæ.41. 771.
Quo tempore facta ſit eiectio Agar & Iſmahelis ex domo Abrahæ. Ibidem.
Mors Thare patris Abrahæ in quẽ annum ætatis eius competat.42. 772.
Coniugium Iſaac & Rebeccæ; & item coniugium Abrahæ & Ceturæ in qua ætate Abrahæ facta ſint.43. 773.
Mors Abrahæ quanto tẽpore fuerit prior ortu Moſis & egreſſu ex Ægypto Hebræorum.44. 773.
Sem filius Noë, & Heber eiuſdem abnepos,quanto tempore ſuperfuerint Abrahæ.Ibidem.
Quinque interruptiones hiſtoriæ rerum Abrahæ,factas eſſe à Moſe.45. 774.
Hiſtoria Moſis de Abraham in libro Geneſis ſcripta, quot annorum res ab eo geſtas contineat. Ibidem.

SEXTA DISPVTATIO.

DE modo mortis Abrahæ.47. 775.
Commendatio mortis Abrahæ. ibidem.
Cur tanquam ſingulare quippiam dicatur de Abraham,quod deficiens mortuus ſit, cum id in omnes, qui non violenta & ſubita morte rapiuntur, vere dici poſſe videatur.49. 776.
Pro illo *deficiens*, quale verbum ſit hebraicæ, & de eius ſignificatione, variæ opiniones hebraizantium. Ibidem.
Qualẽ mortẽ Auguſtus Cæſar appellauerit εὐθανασίαν, & de differentia mortis ſenum atque iuuenum.50. 777.
Animaduerſio in B.Hieronymũ nõ bene reprehendentem 70.Interpretes, quos ſecutus eſt Latinus noſter interpres.51. 777.

SEPTIMA DISPVTATIO:

Super his verbis quib. Abraham dicitur mortuus in ſenectute bona,& plenus dierum.52.

QVæ videri poſſet in Sacris literis Tautologia,ea ſecũdum proprietatẽ hebrææ linguę, ornatum orationis & emphaſim habet.52. 778.

Quænã ſit appellanda ſenectus bona, & quæ mala, & ſuper ea re Boëtij carmina.53. 778.
Philonis diſputatio de triplici genere belli; & an vere dici queat Abrahã in pace vixiſſe & obiiſſe. 54. 779.
Quibuſnam hominibus ſenectus bona contingat ſecundum Philonem. Ibidem.
Collegiũ,ſiue,vt vocat Philo Conſiſtorium ſeptuaginta ſeniorum apud Hebræos, quale fuerit. 55. 780.
Quomodo Abraham fuerit plenus dierum,ſiue vt eſt hebraice, Satur: & an cuiquam mortalium poſsit naturaliter vitæ ſatietas contingere.56. 781.
Fabula de Pelia ex ſenectute ad iuuentutem à Medea medicatis aquis reuocato. Ibidem.
Quid ſit eſſe plenũ dierũ:& præclarum Apellis dictum, atque Titi Imperatoris.57. 781.& ſeq.
An poſsit quiſpiã mori tẽpore non ſuo,vt dixit Salomõ;cum & vitę & mortis cuiuſque tẽpus præfinitum à Deo ſit.58.& ſeq. 782.
Quid ſit mori præter naturam & præter Fatum.59. 782.& ſeq.
Electos in quacunq; ætate moriantur,mori tempore ſuo,id eſt,maturos, & opportunos ad bene moriendum.60. 783.
Quos appellet Iſaias Pueros centum annorum.60. 783.
Amatoribus huius mundi ſemper videtur mors intempeſtiue & immature venire.61. 784.
Quid ſit opera alicuius nõ eſſe plena,vt dicitur in Apocalypſi ca.3. atque eorum verborum ſeptem interpretationes.62. 784.

OCTAVA DISPVTATIO.

QVis fuerit populus ille, ad quem Abraham vita defunctus congregatus fuiſſe dicitur.63. 785.
Quibus modis,nõ alibi vſitatis, diuina Scriptura ſoleat ſtatum defunctorum, & hoc ipſum, quod eſt obiiſſe vel mortuum eſſe, deſcribere. ibidem.
Philonis expoſitio, quid ſit congregari ad populum vel ad patres ſuos:ſed ea tanquam Platonicam doctrinam tedolẽs potius quam Sacrã; & quod dicat animos noſtros ex natura Siderum eſſe, & poſt mortem hominis,ſuum cuique animæ ſidus aſsignari, refellitur.64. 786.
Auguſtini opinio excutitur,aientis, populum illum,ad quem mortui congregabantur, intelligi debere frequentiam & ſocietatem Sanctorum Angelorum. 65. & ſeq. 786.& 787.
Lyranus quomodo ſententiam hãc Auguſtini refutare conetur: & quomodo pro ea opinione, acriter propugnet Burgenſis. 66. & 67. 787.
Lyranus,populum illum, ad quem congregabãtur mortui,interpretatur ſocietatem omnium iuſtorum, qui poſt orbem conditum mortui,manebant in Lymbo. Et huius ſententiæ eſt Rupertus, Caietanus,& Theodoretus. 68. & 70. 788.& ſeq.
Reiicitur ſententia Burgenſis, affirmantis

mantis neminẽm iuſtorũ hominum qui deceſſerunt ante Abraham, ſtatim deſcendiſſe in Limbum: ſed prius aliquantiſper detentum in Purgatorio. 69. 788.

Illud *Apponi ad patres ſuos*, non tantũ in iuſtos dici, ſed etiã in reprobos, oſtẽditur exẽplo Iſmahelis, & an is fuerit ſaluus. 73. 789.

Apponi ad patres ſuos, & cõgregari cum populo, ſuo ſecũdum hebraizãtes, nihil habere myſterij, ſed eſſe merum hebraiſmũ, quo ſignificatur ſecundum proprietatem linguæ hebrææ, aliquem eſſe mortuum. 74. 790.

Burgenſis obſeruatio, in veteri Teſtamẽto neminem dici eſſe mortuum in Domino, vel dormiuiſſe in Domino, ſicut in Nouo Teſtamento de multis id legitur, & quam ille rationem huiuſce rei afferat. 75. 790. & ſeq.

Auctoris ſententia, locutiones illas, Apponi ad patres, congregari cum populo ſuo, & dormire cum patribus ſuis & eſſe hebraiſmos, ſimulque myſticam quandam rationem & intelligentiam in iſtiuſmodi locutionibus latere. 76. 791.

FINIS.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRAE QVI IN HOC TERTIO TOMO, AVT PROPRIE SIGNATEQVE TRACTANTVR, AVT *certe tractatu aliarum rerum non parum illustrantur.*

In quo Indice prior nota ſignat numeros adiectos in margine ad Commentarios ſingulorum Capitum: poſterior autem indicat paginam.

Geneſis 2.

IN quacumque die comederis ex ligno ſcientiæ boni, & mali, morte morieris. num. 53. pag. 385. & 386.

Geneſis 25.

Facti ſunt anni vitæ Iſmahelis, centum triginta ſeptem: deficienſque mortuus eſt, & appoſitus ad populum ſuum. 73. p. 789.

Geneſis 26.

Proſpiciens Abimelec per feneſtram, vidit eum (Iſaac) iocantem cum Rebecca vxore ſua. 10. pag. 545.

Geneſis 31.

Apud quemcumque inueneris deos tuos, necetur coram fratribus noſtris. 80. vſque ad 83. pag. 725. & ſequent.

Geneſis 34.

Nunquid vt ſcorto abuti debuere ſorore noſtra? 35. pag. 767.

Geneſis 35.

Abiit Ruben, & dormiuit cum Bala concubina patris ſui. 23. pag. 321.

Geneſis 37.

Videntes fratres eius (Ioſeph) quod à patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum nec poterant ei quicquã pacifice loqui. 40. pag. 433. & ſequent.

Geneſis 38.

Nuntiauerunt Iudæ, dicentes, fornicata eſt Thamar nurus tua. Dixitque Iudas, Producite eam, vt comburatur. 35. pag. 767. & ſequent.

Geneſis 39.

Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? 40. pag. 433. & 434.

Exodi 1.

Quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificauit eis domos. 4 pag. 307.

Exodi 2.

Erant Sacerdoti Madian, ſeptem filiæ: accepit autem Moyſes Sephoram, filiam eius, vxorem. 19. & 26. pag. 757. & 761.

Exodi 3.

Ego ſum qui ſum. Sic dices filijs Iſrael, qui eſt, miſit me ad vos. 9. pag. 410.

Exodi 14.

Cum eſſet in itinere, & diuerſorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Tulit

ergo ilico Sephora acutissimam petrã, & circũcidit præputium filij sui.42. p.377.
Exodi 7.
Aaron frater tuus, erit propheta tuus. 12. pag.527.& seq.
Exodi 12.
Et cunctis dijs Ægypti faciam iudicia.43. pag.435.
Ibidem.
Habitatio filiorum Israël, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum & triginta annorum. 43.47.70.& 71. pag. 29.30.32.269.& 270.
Ibidem.
Omnis alienigena non comedet ex eo. Omnis autẽ seruus emptitius circumcidetur, & sic comedet: aduena & mercenarius nõ edent ex eo:quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini; circumcidetur prius omne masculinum eius,& tunc rite celebrabit,eritq; sicut indigena terræ.42. 45.46.49. pag.377.379.380.& 383.
Ibidem.
Si quis circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo(Phasc.) 50. pag.383.
Exodi 14.
Crediderunt Domino, & Moysi seruo eius. 32. pag. 234.& seq.
Exodi 15.
Dominus quasi vir pugnator, Omnipotens nomen eius. 3.& 4. pag. 340.& 341.
Ibidem.
Dominus regnabit in æternum & vltra. 57. pag.228.
Exodi 20.
Bestia si tetigerit mortem, lapidetur. 34. pag. 487.& sequent.
Exodi 31.
Qui polluerit sabbatum meum morte morietur; qui fecerit in eo opus, peribit anima eius de medio populi sui.58. pag.389.
Exodi 32.
Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt.9. pag.545.
Exodi 32.
Quiescat ira tua,& esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac & Iacob.seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens, &c. 19.& 54. pag.685.686.442.& sequent.
Ibidem.
Aut dimitte illis hanc noxam;aut si non facis,dele me de libro tuo quẽ scripsisti. 64.& seq. pag.450.& 451.
Exodi 33.
Cumque ille reuerteretur in castra (Moses) minister eius Iosue,filius Nun, non recedebat de tabernaculo.45. pag.599.
Ibidem.
Videbis posteriora mea,faciem autem meam videre non poteris.35. pag.230.& seq.
Leuitici 25.
Terram non vendes in perpetuum: mea est enim vniuersa:quoniam aduenæ & peregrini vos estis coram me.86. pag.206.
Leuitici 20.& Deuteronomij 12.
Nolite ambulare in legitimis Nationũ quas ego expulsurus sũ ante vos:omnia enim hæc fecerũt,& abominat⁹ sũ eos.87.p.281.& seq.
Leuitici 23.
Mẽse septimo prima die mẽsis erit vobis sabbatũ memoriale clãgẽtibus tubis.3.p.574.
Numerorum 5.
Ipse autem(sacerdos)tenebit aquas amarissimas,in quibus cum execratione maledicta congessit. Adiurauitque eam (mulierem nomine adulterij suspectam) & dimittet,&c. 24. pag.688.& sequent.
Numerorum 6.
Sic benedicetis filijs Israël, & dicetis eis, Benedicat tibi Dominus & custodiat te,&c.34. pag.24.
Numerorum 11.
Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nostri, quod senes populi sint,& magistri.55. pag.780.
Numerorum 12.
Locuta est Maria & Aaron cõtra Moysen, propter vxorẽ eius Aethiopissã.21.p.758.
Numerorum 13.
Profectus est populus de Haseroth, fixis tẽtoriis in deserto Pharan.20. p.155.& seq.
Nu

Numerorum 14.
Propitius ei sum iuxta preces tuas (vel vt habet nostra Latina translatio, dimisi iuxta verbum tuum.40. pag.27.
Ibidem.
Vestra cadauera jacebunt in solitudine, filij vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta,& portabunt fornicationem vestram,donec consummãtur cadauera patrũ in deserto.40.& 41.p.375.& 376.
Numerorum 18.
Pactum salis est sempiternum coram Domino.25. pag.480.& seq.
Numerorum 20.
Pergat Aarõ ad populos suos,nõ enim intrabit terrã,quã dedi filijs Israel.63.p.785.
Numerorum 23.
De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus Orientis.32. p.765.
Ibidem.
Quis dinumerare possit puluerem Iacob, & nosse numerum stirpis Israel? 46.& 47. pag.118.& sequent.
Numerorum 28.
Offeretis decimam partem Ephi similæ, quæ cõsperſa est oleo purissimo,& habeat quartam partem Hin & libabitis vini quartam partem Hin per agnos singulos in sanctuario Domini.81. pag.201.
Numerorum 31.
Vlciscere prius filios Israel de Madianitis, & sic colligeris ad populũ tuũ.63.p.785.
Deuteronomij 2.
Enim primi fuere habitatores eius, populus magnus & validus.18. pag.154.
Ibidem.
Terra gigãtum reputata est: in ipsa olim habitauerunt gigantes,quos Ammonitæ vocant Zozomin. Ibidem.
Ibidem.
In Seir prius habitauerũt Horræi.19.p.155.
Deuteronomij 6.
Dominum Deum timebis & illi soli seruies, & per nomen illius iurabis. 85. 81.& 82. pag.205.621.& sequent.
Deuteronomij 8.
Nõ in solo pane viuit homo,sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.31. p.692.& seq.
Deuteronomij 11.
Qui sunt trans Iordanem (montes Garizim & Hebal) post viam quæ ducit ad Solis occubitum in terra Chananæi,qui habitat in Campestribus contra Galgalam. 75.& 77. pag.53.& 54.
Deuteron.11.19.& 30.
Cum dilatauerit Deus terminos tuos,sicut iurauit patribus tuis,& dederit tibi cunctã terram quam eis pollicitus est,si tamẽ custodieris mãdata eius,si auersum fuerit cor tuũ, atq; errore deceptus adoraueris deos alienos;prædico tibi hodie quod pereas,& paruo tẽpore moreris in terra, ad quã ingredieris possidendã.64. p.133.& seq.
Deuteron.12.
Dissipate aras eorum, in quibus coluerunt deos suos subter omne lignum frondosum: & lucos igne comburite.25. pag.556.
Deuteron. 13.
Tẽtat vos Dominus Deus vester vt palã fiat vtrũ diligatis eum,an non.6. pag.576.
Deuteron.15.
Et seruiet tibi vsque in æternum.50. p.121.& seq.
Deuteron.16.
Non facies tibi neque constitues statuam.29. pag.483.
Deuteron. 17.
Non habebit vxores plurimas quæ alliciant animum eius, neque argenti & auri immensa pondera.17. pag.316.& seq.
Deuteron. 21.
Si videris in numero captiuorũ mulierẽ pulchrã,& volueris habere eã vxorẽ; introduces eã in domũ tuam:quæ radet cæsariẽ, & circũcidet vngues. Et deponet vestem in qua capta est:sedẽsque in domo tua flebit patrem & matrẽ vno mẽse.26.p.372.
Ibidem.
Si habuerit homo vxores duas,vnã dilectã,& alterã odiosã,& pepererint filios dilectæ & odiosa fueritq; filius odiosæ primogenitus, voluerit,q; substãtiã inter filios suos diuidere:nõ poterit filiũ dilectæ facere primogeni

tum, & præferre filio odioſæ, ſed filiũ odioſæ agnoſcet primogenitum, dabitque ei de his quæ habuerit, cuncta duplicia. Iſte eſt enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita. 55. pag.780.

Deuteronomij 22.

Si inuenerit homo in campo puellam deſponſatam.78. pag.724.& ſequent.

Deuteronomij 23.

Quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua in via, quãdo egreſſi eſtis de Ægypto. 71. pag.191.& ſequent.

Deuteronomij 25.

Maledictus qui non reliquerit ſemen in Iſrael. 3. pag.747.& 748.

Deuteronomij 29.

Videntes plagas terræ illius: quibus eam afflixerit Dominus ſulphure & ſolis ardore cõburens, in exemplũ Sedomæ & Gomorrhæ, Adamæ & Seboim, quas ſubuertit Dominus in ira & furore ſuo.44. p.495.

Deuteronomij 32.

Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas.60. pag.130.

Deuteronomij 34.

Oſtendit ei (Moyſi) Dominus totam terram Galaad vſque Dan, & vniuerſum Nephthali, terramque Ephraim & Manaſſe, & omnem terram Iuda vſque ad mare nouiſſimum.40. pag.114.

Ioſue 1.

Omnem locum quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam, à deſerto & Libano, vſque ad fluuium magnum Euphratem. 106. pag.297.

Ioſue 3.

Inferiores aquæ in mare ſolitudinis, quod nũc vocatur Mortuum, deſcendunt, vſquequo omnino deficerent. 49. pag.499.

Ioſue 5.

Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundo filios Iſrael. 63. pag.393.

Ioſue 5.

Populus qui natus eſt in deſerto, per quadraginta annos itineris latiſſimæ ſolitudinis circumciſus fuit.40. pag.375.

Ioſue 10.

Tunc locutus eſt Ioſue Domino in conſpectu filiorum Iſrael, dixitque coram eis; Sol contra Gabaon ne mouearis; & Luna, contra vallem Aialon. 23. pag.688.

Ioſue 11.

Venit Ioſue, & omnis exercitus eius cum eo aduerſus illos ad aquas Merõ. 19.& 20. pag.102.

Ioſue 12.

Et vſque ad mare deſerti, quod eſt Mare ſaliſſimum.49. pag.499.

Ioſue 13.

A fluuio turbido qui irrigat Ægyptum, vſque ad terminos Accaron.101. p.291.

Ioſue 14.

Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe, Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt. 66.69.& ſeq. p.136.& ſeq.

Ioſue 19.

Aſcenderunt filij Dan, & pugnauerunt contra Leſem, ceperuntque eam; & habitauerunt in ea, vocantes nomen eius Leſem Dan, ex nomine Dã patris ſui.38.p.167.

Ioſue 24.

Trans fluuium habitauerunt patres veſtri ab initio.27. pag.160.

Iudicum 6.

Ingreſſus eſt itaque Gedeon & coxit hœdum, & de farinæ modio azymos panes. 14. pag.351.& ſequent.

Iudicum 6.

Innumera multitudo hominum & camelorum, quicquid tetigerant, deuaſtantes.49. pag.704.& ſequent.

Iudicum 6.

Dixitque Gedeon ad Dominum, ſi ſaluum facis per manum meam Iſrael, ſicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere, fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam quod per manum meam liberabis Iſrael.56. pag.256.& 257.

Iudicum 7.

Cum audiſſet Gedeon ſomnium & interpretationem eius, adorauit: & reuerſus eſt ad caſtra Iſrael, & ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus noſtras caſtra Madian.66. pag.714.& ſeq.

Iudicum 7.

Interfecit Oreb, & Zeb: & capite 8. Surrexit Gedeon, & interfecit Zebee & Salmana.38. pag.334.

Iudicum 13.

Cum aſcendit flamma altaris in cælum, Angelus Domini pariter in flamma aſcendit, & vltra non apparuit, ſtatimque intellexit Manue Angelũ Domini eſſe. 35. pag.330.& ſequent.

1.Regum 1.

Dominus concluſerat vuluam eius (Annæ matris Samuelis. 2. pag.305.

1.Regum 2.

Dominus mortificat & viuificat.29. p.590.

1.Regum 14.

Si autem dixerint, Aſcendite ad nos; aſcendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus noſtris. Hoc erit nobis ſignum. 67 pag.715.

1.Regum 14.

Adiurauit Saul populum, dicens: Maledictus vir qui comederit panem vſque ad veſperam, donec vlciſcar de inimicis meis. 21. pag.686.& ſequent.

1.Regum 18.

Inuaſit Spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus ſuæ.12. pag.527.

1.Regum 25.

Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, ſi reliquero de omnibus quæ ad ipſum pertinent vſque mane, mingentem ad parietem 87. pag.207.& ſequent.

2.Regum 1.

Planxit Dauid planctum huiuſcemodi, ſuper Saul, & ſuper Ionathan: & præcepit vt docerent Iudam planctum hunc. 10. pag.644.

2.Regum 2.

Surgant pueri, & ludant coram nobis. 10. pag.545.

2.Regum 8.

Faciebat Dauid iudicium & iuſtitiam omni populo. 43. pag.435.

2.Regum 8.

Filij Dauid ſacerdotes erant.50. p.177.

2.Regum 12.

Non recedet gladius de domo tua vſque in ſempiternum, eo quod tuleris vxorem Vriæ Hethæi, vt eſſet vxor tua.14. pag.529.

2.Regum 19.

Rex Dauid operuit caput ſuum, & clamabat voce magna, Fili mi Abſalon, Abſalon fili mi.105. pag.741.

3.Regum 1.

Et erit cum dormierit Dominus meus rex cum patribus ſuis, erimus ego & filius meus Salomon peccatores. 33. p.109.

3.Regum 2.

Dies quibus regnauit Dauid ſuper Iſrael, quadraginta anni ſunt: in Hebron regnauit ſeptem annis; in Hieruſalem, triginta tribus.93. pag.734.& ſeq.

3.Regum 4.

Salomon erat in ditione ſua habens omnia regna, à Flumine vſque ad terram Philiſtym, & vſque ad terminum Ægypti, offerentium ſibi munera, & ſeruientium cunctis diebus vitæ eius.105. pag.297.

3.Regum 4.

Habitabat Iuda & Iſrael abſque timore vllo à Dan vſque Berſabee, cunctis diebus Salomonis.107.& 109. p.197.& ſeq.

3.Regum 13.

Ecce filius naſcetur domui Dauid, Ioſias nomine, & immolabit ſuper te Sacerdotes excelſorum, qui nũc in te thura ſuccẽdunt, & oſſa hominum ſuper te incendunt. 29. pag.326.

Ibidem.

Non comedes panem, & non bibes aquam ibi, nec reuerteris per viam qua veniſti. 22. pag.478.& ſeq.

3.Regum 14.

In quinto anno regis Roboam, aſcendit Seſac rex Ægypti, in Hieruſalem.121. p.84.

3.Regum 15.

Fecit Aſa rectum ic conſpectu Domini, & Maacham matrem ſuam amouit ne eſſet princeps in Sacris Priapi, & in Luco

Universidad de Deusto
Biblioteca

quem consecrauerat, subuertitque specum eius, & confregit simulacrũ turpissimũ, & cõbusit in torrẽte Cedrõ.14.p.351.et seq.

4. Regum 19.

Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, & egressus, stetit in ostio speluncæ.105. pag.741.

3.Regum 20.

Quod acceperũt viri pro omine: & festinãtes rapuerunt verbum ex ore eius.61.p.713.

4.Regum 3.

Cum audisset rex Moab prævaluisse hostes, arripiens filium suum primogenitũ, obtulit holocaustum super murum. 98. vsque ad 102. pag. 631.& sequent.

Ibidem.

Et facta est indignatio magna in Israel. Statimque recesserũt ab eo (rege Moab) & reuersi sunt in terrã suã 102.& seq. p.633.

4.Regum 6.

Eliseus orauit ad Dominum, dicens, Percute obsecro, gentem hanc cæcitate: percussitque eos Dominus ne viderent, iuxta verbum Elisei.16.& 17. pag.473.& seq.

4.Regum 15.

Viginti quinque annorum erat Ioathan, cum regnare cœpisset, & sedecim annis regnauit in Hierusalem.94. pag.735.

4. Regum 23.

Viginti trium annorum erat Ioachaz, cum regnare cœpisset.47. pag.666.

4. Regum 24.

Decem & octo annorum erat Ioachim, cum regnare cœpisset. Ibidem.

1.Paralipomenon 2.

Caleb filius Esron accepit vxorem nomine Azuba. 80. pag.276.& seq.

Ibidem.

Filij Caleb, filij Ieremael, Meza primogenitus eius; ipse est pater Ziph, & filij Maresa patris Hebron.73. pag. 139.& seq.

1.Paralipomenon 5.

Ceperunt omnia quæ possederant, camelorum quinquaginta millia. 49. pag. 704. & 705.

2.Paralipomenon 12.

Fecit malum Roboam, & non præparauit cor suum vt quæreret Dominum: & dormiuit Roboam cum patribus suis.73. p.789.

2.Paralipomenon 18.

Iterum atque iterum adiuro te, vt mihi non loquaris nisi quod verum est in nomine Domini.18. pag.685.

2.Paralipomenon 32.

Dereliquit illum Deus (Ezechiam regem) vt tentaretur.7. pag.576.

1.Esdræ 10.

Surrexit Esdras, & adiurauit principes Sacerdotũ, & Leuitarum, & omnem Israel vt facerent secundum verbum hoc: & iurauerunt. 24. pag.688.

Nehemiæ vltimo.

Numquid non in huiusmodi re peccauit Salomon rex Israel; & ipsum duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ?27.p.690. & seq.

Tobiæ 12.

Pater quam mercedem dabimus ei (Angelo Raphaeli) aut quid dignum peterit esse beneficijs eius?46. pag.702.& 703.

Ibidem.

Quoniam acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te. 80. pag.56.& 57.

Ibidem.

Cum essem vobiscum, videbar quidem manducare & bibere; sed ego cibo inuisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.15. pag.417.

Tobiæ 13.

Portæ Hierusalem ex Sapphiro & Smaragdo ædificabuntur.23. pag.229.

Iudith 2.

Et obtinuit eum (Arphaxad regem Medorum, Nabuchodonosor rex Babylonis) in campo qui appellatur Ragar in campo Erioch regis Elicorum.9. p.148.& seq.

Iudith 5.

Populus iste ex progenie Chaldæorum est.13. & 15. pag.11.& seq.

Esther 2.

Cum venisset tempus singularũ per ordinem puellarum, vt intrarent ad Regẽ, expletis omnib⁹, quæ ad cultũ muliebrẽ pertinebãt, mensis duodecimus vertebatur.91. p.65.

Esther 7.

Necdum verbum de ore Regis exierat, & statim operuerũt faciem eius. Et suspensus est Amã in patibulo quod parauerat Mardochæo. Et Regis ira quieuit.105.p.741.

Iob 1.

Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet.45. pag.599.& seq.

Iob 9.

Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam, etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. 58. p.608.

Iob 11.

Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum Onagri, se liberum natum putat.36. pag.332.

Iob 12.

In Antiquis sapientia est, & in senibus prudentia.3. pag.747.

Iob 19.

Per diẽ incurrunt tenebras.21. pag.477.

Iob

Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam.90. pag.284.

Iob 31.

Si leuaui super pupillum manum meam.84. pag.204.

Iob 32.

Et iratus Eliu filius Barachiel Buzites.108. pag.636.

Iob 33.

Per somnium, in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo suo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos, instituit disciplina. num.8. p.524.

Psalmo 2.

Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. 42. pag.493.

Ibidem.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius.70.pag.191.

Ibidem.

Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.55. pag.606.

Psalmo 5.

Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.4. pag.213.& 214.

Psalmo 7.

Factus est in pace locus eius; & habitatio eius in Sion.67. pag.189.

Psalmo 8.

Cõstituisti eũ super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius.61.p.448.

Psalmo 9.

Parauit in iudicio thronum suum, & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate, populos in iustitia.56. pag.445.

Psalmo 35.

Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.36. pag.332.& seq.

Psalmo 44.

Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentissime.7. pag.677.

Psalmo 49.

Os iusti meditabitur sapientiã.100. p.738.

& Psalmo 70.

Lingua mea meditabitur iustitiam. Ibidem.

Psalmo 68.

In me psallebant qui bibebant vinum. 63. pag.508.& 509.

Psalmo 71.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ.92.& 95. pag.628.& 629.

Psalmo 77.

Coram patribus eorũ fecit mirabilia in terra Aegypti, in campo Taneos.68.p.137.

Psalmo 82.

Tabernacula Idumæorum, & Ismahelitæ, Moab & Agareni. 11. pag. 752.

Psalmo 88.

Misericordias Domini in æternum cantabo.56. pag.127.

Psalmo 94.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic. 79. pag. 275.& seq.

Psalmo 100.

Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. 34. pag.428.

Psalmo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psalmo 101.
Ne revoces me in dimidio dierum meorum. 58. pag. 782.
Psalmo 102.
Recordatus est quoniam pulvis sumus. 62. & 63. pag. 449.
Psalmo 104.
Constituit eum (Ioseph) Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ, vt erudiret principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret. 112. & *sequent.* pag. 78. & 79.
Psalmo 105.
Stetit Phinees & placauit, & cessauit quassatio. Et reputatum est ei in iustitiam, à generatione in generationem vsque in sempiternum. 33. pag. 236.
Psalmo 106.
Terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea. num. 47. & 48. pag. 497. & *sequent.*
Psalmo 109.
Ex vtero ante Luciferum genui te. 13. pag. 220.
Ibidem.
Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. 78. & *seq.* pag. 198. & 199.
Psalmo 118.
In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas. 97. pag. 737.
Ibidem.
Leuabo manus meas ad mandata tua quæ dilexi. 84. pag. 214.
Ibidem.
Confige timore tuo carnes meas; à iudicijs enim tuis timui. 68. pag. 453.
Ibidem.
Feci iudicium & iustitiam, non tradas me calumniantibus me. 43. pag. 435.
Psalmo 129.
Ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius. 33. pag. 237.
Psalmo 131.
De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. 13. pag. 220. & 677.
Psalmo 138.
Proba me Deus, & tenta me. 5. pag. 575.
Psalmo 146.
Qui numerat multitudinem stellarum. 15. pag. 222.
Psalmo 147.
Ante faciem frigoris eius quis sustinebit? 33. pag. 329.
Prouerbiorum 2.
Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. 93. pag. 286.
Prouerbiorum 4.
Nam & ego filius fui patris mei, tenellus & vnigenitus coram matre mea. num. 38 pag. 373. & *seq.*
Prouerbiorum 8.
Dominus possedit me in initio viarum suarum. &
Ecclesiastici 24.
Ab initio & ante secula creata sum. 60 pag. 130.
Prouerbiorum 20.
Cogitationes consilijs roborantur, & gubernaculis tractanda sunt bella. 40. p. 169. & *sequent.*
Prouerbiorum 30.
Generatio quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis. 79. pag. 275. & *sequent.*
Ibidem.
Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam aquilæ in cælo: viam colubri super petram: viam nauis in medio mari: & viam viri in adolescentula. 80. vsque ad 83. pag. 725. & *sequent.*
Ecclesiastæ 7.
Ne impie agas multum, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. 59. & *sequent.* pag. 782.
Ecclesiastæ 8.
Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala. 49. pag. 439. & 440.
Canticorum 4.
Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. 15. pag. 581.

Sapien-

Sapientiæ 4.
Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis, vita immaculata. 15. pag. 417.
Sapientiæ 8.
Hanc ego cogitaui vxorem adducere mihi, velut habet vulgata editio Latina, Hanc amaui & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius. 3. p. 747. & *sequent.*
Sapientiæ 10.
Hæc (sapientia) iustum (Lot) à pereuntibus impijs liberauit fugientem, descendente igne in Pentapolim. 47. & 48. p. 497. & *sequent.*
Sapientiæ 12.
Tu Domine cum tranquillitate iudicas. 47. & 48. pag. 438. & 439.
Sapientiæ 19.
Percussi sunt cæcitate, sicut illi in foribus iusti cum subitaneis cooperti essent tenebris, vnusquisque transitum ostij sui quærebat. 19. & 20. pag. 475. & *seq.*
Ibidem.
Et incredibilis animæ memoria stans figmẽtum salis. 23. & 25. pag. 480. & *seq.*
Ecclesiastici 10.
Secundum iudicem populi, sic & ministri eius. 85. pag. 61.
Ibidem.
Si dives fueris, non eris immunis à delicto. 3. pag. 89.
Ecclesiastici 11.
Ante mortem ne laudes hominem quemquam. 65. pag. 786. & *seq.*
Ecclesiastici 18.
Numerus dierum hominis vt multum centum anni. 79. pag. 275. & *seq.*
Ecclesiastici 34.
Qui non est tentatus quid scit? 8. p. 7. & 8.
Ecclesiastici 38.
Fili in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus incipe plorare. 9. pag. 643.
Ecclesiastici 39.
Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vocabit: in terram alienigenarum gentium pertransiet: bona enim & mala in omnibus intentabit. 4. pag. 748.
Ecclesiastici 41.
Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni. 32. pag. 23.
Ecclesiastici 46.
Fortis in bello Iosue, successor Mosis, in Prophetis magnus secundũ nomen suum. 11. pag. 526.
Ecclesiastici 48.
Mortuũ prophetauit corpus eius. 12. p. 527.
Ecclesiastici 49.
Et ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetarunt. Ibidem.
Isaiæ 1.
Visio Esaiæ filij Amos quam vidit super Iudam. 2. pag. 212.
Ibidem.
Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. 52. & 53. pag. 501.
Isaiæ 3.
Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. cap. 95.
Ibidem.
Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant, et composito gradu incedebant: Decalubit Dominus verticem earum, et crinem earum nudabit. 107. pag. 742. et *seq.*
Isaiæ 5.
Ideo iratus est furor Domini in populum suum, et expandit manum super eum, et percussit eum: etc. sed adhuc manus eius extenta. 45. pag. 599.
Isaiæ 7.
Ecce virgo cõcipiet, et pariet filiũ. 77. p. 724
Isaiæ 9.
Factus est principatus super humerum

eius. num. 14. *pag.*549.

Isaiæ 10.

*Væ Assur: virga furoris mei & baculus ipse est.*89. *pag.*283.

Isaiæ 15.

*Cor meum ad Moab clamabit: vectis eius vsque ad Segor, vitulam cõsternatam.*36. *pag.*488. *& seq.*

Isaiæ 16.

Emitte Agnum Domine dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Sion. 72. *pag.*515.

Isaiæ 20.

*Solue saccum de lumbis tuis, & calciamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens & discalciatus.*28. *pag.*482. *& seq.*

Isaiæ 22.

*Dabo clauem domus Dauid super humerum eius.*14. *p.*549.

Isaiæ 25.

*Faciet Dominus omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.*5. *pag.*542.

Isaiæ 27.

*In die illa percutiet Dominus ab alueo Fluminis vsque ad terminum Ægypti (siue vt verterunt LXX. Interpretes, vsque ad Rhinocoluram.)*102. *pag.*292.

Isaiæ 38.

*Generatia mea ablata est & conuoluta est à me, quasi tabernacula pastorum. numero.*79.

Isaiæ 40.

Deus dat lasso virtutem, & ijs qui non sunt, fortitudinem, & robur multiplicat. 39. *pag.*433.

Isaiæ 41.

*Dabo in solitudine cedrum & spinam, & lignum oliuæ: ponam in deserto abietem, vlnum & buxum.*27. *pag.*556. *& seq.*

Isaiæ 45.

*Hæc dicit Dominus: Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim, viri sublimes ad te, transibunt, & tui erunt.*25. *pag.*760.

Isaiæ 49.

Ecce leuabo ad gentes manum meam, & afferent filios tuos in vlnis, &c. nu. 84. *pag.*728.

Isaiæ 54.

*Lætare sterilis quæ non paris; quia multi filij desertæ magis quam eius quæ habet virum.*36. *pag.*564. *& sequent.*

Isaiæ 60.

*Inundatio camelorum operiet te, dromedarij, Madian & Epha: Omnes de Saba venient, &c.*22. *pag.*759.

Isaiæ 65.

Et puer centum annorum morietur. nu. 60. *pag.*783.

Isaiæ 66.

Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, dicit Dominus Deus? 42. *pag.*493. *& seq.*

Ieremiæ 5.

Circumite vias Hierusalem & quærite in plateis eius, si inuenietis hominem facientem iustitiam, & quærentem fidem, & propitius ero peccatis eorum. num. 57. 446.

Ieremiæ 9.

*Visitabo super omnem qui incircumcisum habet præputium, super Ægyptum & super Iudam, super Edom, & super filios Amon & Merob.*51. *pag.*384.

Ieremiæ 13.

Si mutare potest Aethiops pellem suam, & pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. 93. *pag.*286. *& sequent.*

Ieremiæ 15.

Si steterint Moses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istũ. 72. *et* 73. *pag.*456. *et seq.*

Ieremiæ 27.

Eac tibi vincula & catenas, & pones eas in collo tuo. 28. *pag.*482. *et seq.*

Ieremiæ 31.

*Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Iuda pactum nouum.*31. *pag.*560.

Ieremiæ 32.

*Emi agrum ab Hananeel, filio patrui mei: & appendi argentum, septem stateres, & decem argenteos. Et scripsi in libro & signaui, & adhibui testes, &c.*31. *pag.*656.

Ieremiæ 33.

Si irritum potest fieri pactum meum cum die & nocte, vt non sint in tempore suo, & pactum meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo, vt non sit ex eo filius qui non regnet in throno eius, & Leuitæ ac Sacerdotes ministri mei. nu. 62. *pag.*131. *& sequent.*

Ieremiæ 34.

*Dabo homines qui transgressi sunt pactum meum, qui non steterunt verbis quæ pepigerunt coram me, vitulum quem diuiserunt in duo, & transierunt per medium duorum membrorum eius.*58. *pag.*258.

Ieremiæ 49.

*Fugite, & terga vertite, descendite in voraginem habitatores Dedan: quoniam perditionem Esau eduxi super eum, tempus visitationis eius.*24. *pag.*760.

Ieremiæ 51.

*Iurauit Dominus exercituum per animam suam.*82. *pag.*622.

Threnorum 2.

Leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum. num. 84. *pag.*204.

Threnorum 5.

*Patres nostri peccauerunt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portauimus. nu.*88. *pag.*282. *& seq.*

Ezechielis 7.

*Venit contritio super te, qui habitas super terram: venit tempus, prope est dies. num.*75. *pag.*722.

Ezechielis 14.

Si fuerint tres viri iusti in medio huius terræ, Noe, Daniel & Iob, ipsi in iustitia sua liberabunt animas suas, terra autem desolabitur. 72. *&* 73. *pag.*455. *& sequent.*

Ezechielis 16.

*Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Hetæa.*87. *pag.*281. *& seq.*

Ezechielis 20.

*In die illo leuaui manum meam pro eis, vt educerem eos de terra Aegypti. num.*84. *pag.*204.

Ezechielis 21.

*Occidam in te iustum & impium.*50. *&* 51. *pag.*440.

Ezechielis 27.

*Filij Dedan negotiatores tui: & rursus, Dedan institores tui in tapetibus ad sedendum.*24. *pag.*760.

Ezechielis 37.

*Et rex erit vnus omnibus imperans, & non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna, & seruus meus Dauid rex erit super eos. num.*62. *&* 63. *pag.*131. *& sequent.*

Danielis 13.

Et videbant eam (Susannam) senes quotidie ingrediẽtem & deambulantem, & exarserunt in concupiscentiam eius, & auerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum. 19. *pag.*420.

Oseæ 1.

*Verbum Domini quod factũ est ad Oseam.*2. *pag.*212.

Oseæ 2.

*Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.*101. *pag.* 738.

Oseæ 4.

*Super capita montium sacrificabant & subter quercum, & populum & terebinthum. num.*21. *pag.*553.

Oseæ 9.

*Quasi vuas in deserto inueni Israel: quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorum.*2. *pag.*3. *&* 4.

Oseæ 10.

Numquid non principes mei, simul reges sunt? 5. pag.146.

Oseæ 12.

Ego visiones multiplicaui, & manibus Prophetarum assimilatus sum.68. pag.47. *& sequent.*

Ioelis 1.

Plange sicut virgo induta sacco, super virum pubertatis tuæ.76. pag.723.

Amos 2.

Ego exterminaui Amorrhæum, cuius altitudo, cedrorum altitudo eius; & fortis ipse quasi quercus.87. pag.281. *& seq.*

Nahum 1.

Quid cogitatis contra Dominum? consumationem ipse faciet: non consurget duplex tribulatio.54. & seq. pag.502.

Malachiæ 3.

Placebit Deo sacrificium Iuda & Hierusalem, sicut dies seculi, & sicut anni antiqui.60. pag.130.

1.Machabæorum 1.

Fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto, & iuncti sunt Nationibus, & venundati sunt vt facerẽt malum.34. pag.369. *& sequent.*

1.Machabæorum 2.

Abraham in tentatione inuentus est fidelis, & reputatum est ei ad iustitiam. 39. pag. 243.

1.Machabæorum 3.

Expanderunt libros legis de quibus scrutabantur Gentes similitudines simulacrorum suorum.7. pag.523.

Matthæi 1.

Liber generationis Iesu Christi filij Dauid filij Abraham.15. pag.681. *& seq.*

Matthæi 3.

Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.21. pag.227. *& seq.*

Ibidem.

Tunc venit Iesus à Galilæa in Iordanem, ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. num.17. pag.100. *& sequent.*

Matthæi 4.

Ostendit ei (Diabolus Christo) omnia regna mundi & gloriam eorum. 43. pag.116.

Ibidem.

Terra Zabulon & terra Nephthali, via maris trans Iordanem Galilæa Gentium.10. pag.149.

Matthæi 5.

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.26. pag.323.

Ibidem.

Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.40. pag.433. *& seq.*

Ibidem.

Non veni soluere legem sed adimplere. 3[illegible] pag.365. *& seq.*

Matthæi 9.

Non possunt filij sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus.40. pag.433. *& seq.*

Matthæi 11.

Lex & Prophetæ vsq; ad Ioannẽ.12.p.645.

Matthæi 13.

Domine, non ne bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergo habet Zizania? & ait illis, Inimic⁹ homo hoc fecit.72.p.719.

Ibidem.

Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus.13. pag.415.

Matthæi 15.

Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.36. pag.695. *& seq.*

Matthæi 19.

Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.26. & 27. pag.19[illegible]

Ibidem.

Facilius est camelum per foramen acus trãsire, quam diuitem intrare in regnum cælorum.6. pag.677.

Matthæi 21.

Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.39. pag.568.

Matthæi 23.

Reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam & fidem: excolantes culicem, camelum autem glutientes.47. pag.703.

Matthæi 25.

Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.75. p.790. & sequent.

Matthæi 26.

Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes, vt quid perditio hæc? potuit enim (vnguentum) istud venundari multo, & dari pauperibus. num. 49. *pagina* 666. *& sequent.*

Ibidem.

Sic non potuistis vna hora vigilare mecum? 40. pag.433. *& sequent.*

Matthæi 27.

Sanguis eius super nos & super filios nostros. 21. pag.552.

Marci 3.

Non potest Satanas Satanam eijcere.n.40. pag.433. *& seq.*

Marci 5.

Quid tibi & mihi Fili Dei altissimi? Adiuro te per Deum, ne me torqueas. Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine isto. num. 19. *&* 20. pag.685. *& sequent.*

Marci 6.

Et non poterat ibi virtutem vllam facere (Christus) nisi paucos infirmos impositis manibus curauit. 18. pag.433. *& seq.*

Marci 8.

Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum.35. pag.330. *& seq.*

Marci 13.

De die autem illo vel hora, nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.54. pag.605.

Marci vltimo.

Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.82. pag.58.

Lucæ 1.

Vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem.29. p.326.

Ibidem.

Erit magnus coram Domino (Ioannes Baptista)35. pag.110. *& seq.*

Ibidem.

Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.29. pag.326.

Ibidem.

Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione, et intrauit in domum Zachariæ, et salutauit Elisabeth. 7. p.642.

Ibidem.

Ecce vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. 69. pag.398.

Ibidem.

Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à seculo sunt Prophetarum eius.59. p.129.

Ibidem.

Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis. 88. pag.625.

Ibidem.

Puer crescebat et confortabatur spiritu: et erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israel.101. pag.738.

Lucæ 2.

Et postquam consummati sunt dies octo, vt vt circumcideretur puer, et reliq. 35. *et seq. et num.62.* pag. 371. *et* 392.

Ibidem.

Et responsum acceperat (Simeon) à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.69. pag.398.

Lucæ 9.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me.31. pag.366.

Ibidem.

Factum est post hæc verba, fere dies octo, et assumpsit Petrum, et Iacobum, et Ioannem, et ascendit in montem, vt oraret. Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera, et vestitus eius albẽs et refulgens.92. pag.734.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ibidem.
Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. num.27. pag.482.
Lucæ 10.
Neminem per viam salutaueritis. num. 22. pag.478.& seq.
Lucæ 16.
Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.6. pag.408.
Lucæ 17.
Memores estote vxoris Loth.27. pag.482.
Lucæ vlt.
Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.28. pag.558.
Ioannis 1.
In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. num. 20. pag.584. & seq.
Ioannis 5.
Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.. nu. 39. pag.491.
Ioannis 6.
Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatẽ eius qui misit me.36. pag. 695.& seq.
Ibidem.
Est scriptum in Prophetis, erunt omnes docibiles Dei.24. pag.652.
Ioannis 8.
Si filius vos liberauerit, vere liberi eritis.36. pag.564.& seq.
Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum: & vidit & gauisus est. 19. 11.& 65. pag.225.526.527.& 612.
Ioannis 11.
Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. num.69. pag.717.
Ioannis 12.
Multi ex principibus crediderunt in Iesum, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è synagoga non ejcerentur. dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei. 32. pag.235.
Ioannis 15.
Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. num. 32. pag.561.
Ibidem.
Omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.54. pag.605.
Ibidem.
Vt impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.28. pag.558.
Actorum 1.
Et conuescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent. 15. pag.417.
Actorum 4.
Non possumus quæ vidimus, & audiuimus non loqui.40. pag.433.& seq.
Ibidem.
Et nunc Domine da seruis tuis, cum omni fiducia loqui verbum tuum in eo quod manum tuam extendas ad sanitates, & signa, & prodigia fieri per nomen sanctum filij tui Iesu.56. pag.709.& 710.
Ibidem.
Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna: nec quisquam, eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.. num. 6. pag.92.
Actorum 5.
Audiẽs autẽ Ananias hæc verba, cecidit & expirauit: & factus est timor magnus super omnes qui audierunt. num.50.& 51. pag.440.
Actorum 7.
Locutus est Abrahæ Deus, quia erit semen eius accola in terra aliena, & seruituti eos subjcient, & male tractabunt eos annis quadringentis triginta.78. pag.274.
Actorum 7.
Tunc exijt de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan.39. pag.698.
Ibidem.
Descendit Iacob in Aegyptum: & defunctus est ipse & patres nostri, & translati sunt in Sychem; & positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti, à filijs Hemor, filij Sychem. 33. vsque ad 50. pag.657.& seq.
Ibidem.
Et eruditus est Moyses omni sapiẽtia Ægyptiorum: & erat potens in verbis & operibus suis.113.& seq. pag.79.& 80.
Actorum 10.
Cecidit super eum mentis excessus. num.66. pag.265.
Actorum 13.
Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem vsque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo & tenebræ, & circumiens quærebat qui ei manum daret.50.& 51. pag.440.
Actorum 15.
Surgens Petrus, dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Euangelij & credere. 5. pag.676.
Ibidem.
Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices Discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?19. pag.552.
Ibidem circa finem.
Facta est dissensio inter illos (Paulum & Barnabam) ita vt discederent ab inuicem.29.& 30. pag.107.& seq.
Actorum 19.
Tentauerunt quidam de circumeuntibus Iudæis exorcistis, inuocare super eos qui habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu, dicentes, Adiuro vos per Iesum quem Paulus prædicat.18. pag.685.
Romanorum 1.
Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ: nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum in eum vsum qui est contra naturam.37. pag.111.& seq.
Romanorum 2.
Circumcisio quidem prodest, si legem obserues.11. pag. 348.
Ibidem.
Secundũ duritiam tuã & impœnitẽs cor, thesaurizas tibi irã in die iræ, &c.90.p.284.
Romanorum 3.
Sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere, Faciamus mala: vt veniant bona.10.& 11. pag.469.& seq.
Infra; ad finem.
Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis. & capite 5. Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum.42. pag.244.& seq.
Romanorum 4.
Quid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? nu. 43. pag.246.& 247.
Ibidem.
Si enim Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.44.& 45. pag.247.& sequent.
Ibidem.
Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.46. pag.248.
Ibidem.
Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiã.47.& seq. p.249.
Ibidem.
Signum accepit (Abraham) circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei quæ est in præputio.18. pag.355.
Ibidem.
Vt sit pater (Abraham) omnium credentium per præputium.61. p.184 & seq.
Ibidem.
Patrem multarum gentium posui te. nu. 8. pag.344.
Ibidem.
Non est infirmatus fide (Abram) nec considera

siderauit corpus suum iam emortuum cum ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ.20.65.& 39.p.421. 295.& 243.

Ibidem.

In repromissione etiam Dei non hæsitauit (Abraham) diffidentia; Sed confortatus est fide,dans gloriam Deo.nu. 65.& 39. pag.343.& 395.

Rom. 5.

Vsque ad legem, peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur cum lex non esset.12. pag.313.& seq.

Rom.6.

Stipendia peccati mors; Gratia autem Dei, vita æterna.49. pag.250.

Rom.8.

Si secũdum carnem vixeritis,moriemini.29. pag.558.& seq.

Ibidem.

Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.5.& seq. pag.214.& 215.

Ibidem.

Quos præsciuit, & prædestinauit. Quos autem prædestinauit,hos & vocauit.1. p.3.

Ad Romanos 11.

Vbi plenitudo gentium intrauerit,tunc omnis Israel saluus fiet.20. pag.552.

Ibidem.

Non repulit Dominus plebem suam quam præsciuit.51. pag.603.

Romanor. vltimo.

Secundum reuelationem mysterij temporibus æternis taciti.59. pag.129.& seq.

1.Corinthiorum 3.

Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi,non escam.5. pag.542.

1.Corinth.4.

Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 36. pag.430.

1.Corinth.5.

Nescitis quia modicũ fermẽtum totam massam corrũpit? expurgate vetus fermentũ, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ,& nequitiæ;sed in azymis sinceritatis & veritatis. 14. pag. 416.

1.Corinth.6.

Frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles?8.& 10. pag.93.& 95.

1.Corinth. 7.

Vir, sui corporis potestatem non habet, sed mulier. 7.& 13. pag.309.310.& 314.

Ibidem.

Circumcisus aliquis vocatus est?ne adducat præputium.34. pag.369.& seq.

1.Corinth.9.

Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt.25. pag.230.& seq.

1.Corinth.10.

Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri, omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube& in mari.24.p.361.

Ibidem.

Hæc omnia,figura nostri fuerunt. 28.& 29. pag.232.& seq.

1.Corinth.13.

Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc maior autẽ horum est charitas.41. p.244.

1.Corinth.14.

Qui prophetat, hominibus,loquitur ad ædificationem,& exhortationem, & consolationem.12. pag.527.

Ibidem ad finem.

Si quis ignorat,,ignorabitur.51. pag.603.

1. Corinth. 15.

Corrumpunt mores bonos, colloquia mala.11. pag.546.& seq.

2.Corinth. 3.

Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes & reliq.31. pag.560.

Ad Galatas 3.

Non dicit & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo qui est Christus.88.& seq. pag.625.& 626.

Ibidem.

Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem.41.& 45. pag.28.& 31.

Ad Galatas 4.

Dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non legistis? Scriptum est enim quoniam Abraham duos filios habuit, &c. 28. pag. 558.

Ibidem.

Illa quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra.36. pag.564.

Ibidem.

Quemadmodum tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum,ita & nunc.37.& 26. pag. 323.565.& seq.

Ad Galatas 5.

Ecce ego Paulus,dico vobis,quoniam si circuncidamini,Christus vobis nihil proderit.27.& seq. pag.363.& 364.

Ad Ephesios 5.

Nolite inebriari vino, in quo est Luxuria.73. pag.515.& seq.

Ibidem ad finem.

Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & in Ecclesia. num. 19. pag.318.

Ad Philippenses 2.

Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.74. p.617.

Ibidem.

In humilitate, superiores sibi inuicem arbitrantes.9. pag.94.& seq.

Philippens. 3.

Quæ retro sunt obliuiscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens me ipsum. 22. pag.478.& seq.

Colossens. 2.

Circumcisi estis circumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed circumcisione Christi consepulti ei in baptismo.23. pag.360.

Coloss.3.

Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. num. 28. pag. 654.

2.Timoth.3.

Quemadmodum Iannes & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati.48. pag.666.

Ad Hebræos 4.

Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.9. pag. 577.

Ad Hebræos 5.

Omnis pontifex ex hominibus assumptus,pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.81. pag.201.

Ibidem.

Facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. 5. pag.542.

Ad Hebr.6.

Quoniam neminem habuit (Deus) per quem iuraret maiorem; iurauit per semetipsum dicens, Nisi benedicens benedicam

ribi,&c.75.& seq. pag.618.& 619.

Ibidem.

Impossibile est mentiri Deum.40. pag.433. *& sequenti.*

Hebr.7.

Qui (Melchisedec) interpretatur rex iustitiæ:deinde autem & rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia:neque initium dierum,neque finem vitæ habens. 60. & 65. pag.184. & 187.

Ibidem.

Assimilatus Filio Dei manet sacerdos in perpetuum.61. pag.184.

Ibidem.

*Intuemini quantus sit hic (Melchisedec) cui decimas dedit de præcipuis Abrahã Patriarcha.Et quidem de filijs Leui Sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere à populo secũdum legem, id est,à fratribus suis.65.*pag.187.& seq.

Ibidem.

Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham. 65. & 66. pag. 187. & seq.

Ibidem.

Et(vt ita dictum sit)per Abraham & Leui, qui decimas accepit, decimatus est: adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchisedec. num.77.& 78. pag.197. & seq.

Hebr. 10.

Vmbram habens lex,futurorum bonorum.28. pag. 232.

Hebr. 11.

Fide Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem:& exijt,nesciens quo iret.7. pag.7.

Ibidem.

Fide, & ipsa Sara sterilis, virtutem in conceptione seminis accepit, etiam præter tempus ætatis. 22. pag.423.

Hebr.13.

Hospitalitatis nolite obliuiscI,per hanc enim placuerunt quidam,Angelis hospitio receptis.4.& 12. pag.407.& 414.

Iacobi 1.

Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.4. pag.574.& seq.

Iacobi 2.

Abraham pater noster, nonne ex operibus iustificatus est,offerens Isaac filium suum super altare? 51. pag.253

Iacobi 5.

Merces operariorum qui messuerunt regiones vestras,quæ fraudata est à nobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introiuit.45. pag.436.& seq.

Ibidem.

Multũ valet deprecatio iusti assidua,Elias homo erat, similis nobis,passibilis:& oratione orauit vt non plueret super terram: & non pluit annos tres,& menses sex.58. & seq. pag.446.& 447.

1.Petri 3.

Quod & nos nunc similis formæ saluos facit baptisma.24. pag.361.

2.Petri 2.

Et iustum Lot oppressum à nefandorum iniusta conuersatione eripuit: aspectu enim & auditu iustus erat: habitans apud eos,qui de die in diem animam iusti iniquis operibus cruciabant. 2.3.31.& 59. pag.

pag. 108. 463. & 506.

1. Ioannis 5.

Qui credit in Filiũ Dei, habet testimonium Dei in se. Qui autem non credit Filio, mendacem facit eum.32. p.234.& seq.

Ex Epistola Iudæ Apostoli.

Sicut Sodoma & Gomorrha & finitimæ ciuitates,simili modo exfornicatæ,& abeuntes post carnem alteram,factæ sunt exemplum ignis æterni pœnam sustinentes.43. pag.494.& seq.

Apocalypsis 3.

Non inueni opera tua plena coram Deo meo.62 pag.784.

Apocalypsis 10.

Angelus leuauit manum suam ad cœlum, & iurauit per viuentem in secula seculorum.84. pag.204.

Apocalypsis 11.

Hi sunt duo candelabra,in conspectu Domini terræ stantes.33. pag.561.

Apocalypsis 14.

Et cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius.33. pag.562.

Ibidem.

Beati mortui qui in Domino moriuntur.75. pag.790.

Apocalypsis 19.

Et cecidi ante pedes eius vt adorarem eum. Et dixit mihi,Vide ne feceris: conseruus enim tuus sum & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu, Deum adora.7. pag.408.& seq.

Ibidem.

Et habet in vestimento & in fœmore suo scriptum, Rex regum, Dominus dominantium.7. pag.677.

BENEDI

Universidad de Deusto
Biblioteca

BENEDICTI PERERII COMMENTARIORVM IN GENESIM TOMVS TERTIVS.

CAPVT XII.

Euocatur Abram ex patria sua, venit in terram Chanaan, & propter famem peregrinanti in Ægypto, aufertur à Rege Sara, sed ingenti miraculo, intacta redditur.

DIXIT *autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi. Faciamque te* 1 2
in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisq; benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus 3
tibi, atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ. Egressus est itaque Abram, sicut præceperat ei Dominus, & iuit cum eo Lot. septuagintaquinque annorũ erat Abram, 4
cum egrederetur de Haran. Tulitque Sarai vxorẽ suam, 5
& Lot filium fratris sui, vniuersamque substantiam quam possederant, & animas quas fecerant in Haran: &

Universidad de Deusto
Biblioteca

egreßi ſunt vt irent in terram Chanaan. Cumque veniſſent in eam, pertranſiuit Abram terram vſque ad locum Sichem, & vſque ad conuallem illuſtrem. Chananæus autem tũc erat in terra. Apparuit autem Dominus Abram, & dixit ei, Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei. Et inde tranſgrediens ad montem, qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum ſuum, ab occidente habens Bethel, & ab Oriente Haï: ædificauit quoque ibi Altare Domino, & inuocauit nomen eius. Perrexitque Abram vadens, & vltra progrediens ad meridiem. Facta eſt autem fames in terra, deſcenditque Abram in Aegyptum, vt peregrinaretur ibi: præualuerat enim fames in terra. Cumque prope eſſet vt ingrederetur Aegyptum, dixit Saraï vxori ſuæ, Noui quod pulchra ſis mulier, & quod cum viderint te Aegyptij, dicturi ſunt, Vxor illius eſt, & interficient me, & te reſeruabũt. Dic ergo, obſecro te, quod ſoror mea ſis; vt bene ſit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiã tui. Cum itaque ingreſſus eſſet Abram Aegyptũ, viderũt Aegyptij mulierem quod eſſet pulchra nimis. Et nũciauerunt Principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum: & ſublata eſt mulier in domũ Pharaonis. Abram verò bene vſi ſunt propter illam. Fueruntque ei oues & boues, & aſini, & ſerui, & famuli, & cameli. Flagellauit autẽ Dominus Pharaonem plagis maximis & domum eius propter Saraï vxorem Abram. Vocauitque Pharao Abram, & dixit ei, Quidnam eſt hoc quod feciſti mihi? quare non indicaſti mihi quod vxor tua eſſet? Quã ob cauſam dixiſti eſſe ſororem tuã, vt tollerem eam mihi in vxorem? Nunc igitur ecce coniux tua, accipe eam, & vade. Præcepitque Pharao ſuper Abram viris: & duxerunt eum, & vxorem illius, & omnia quæ habebat.

Dixit

Dixit autem Dominus ad Abram, Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrauero tibi.

Vocatio Abrã omnis boni eius principium.

1 DIVINA hæc vocatio Abram, initium fuit excellentiæ ſanctitatis & gloriæ, quam ille poſtea conſecutus eſt. Ante hanc enim vocationem, nulla eius viri præclara merita, nulla egregiæ probitatis & pietatis præconia leguntur. Poſt hanc autem vocationem, plurima, & luculentiſſima præſtantiſſimarum eius virtutum, clariſſimorumque factorum ac dictorum teſtimonia & encomia in ſacris literis celebrantur. Itaque vocatio hæc Abrahæ, inſignis fuit velut figura quædam iuſtificationis, & ſanctificationis noſtræ, ad quam ſcilicet non meritis noſtris, ſed excitante nos DEO, & vocante, & quaſi manuducente peruenimus. Huc ſpectare videtur quod apud Iob ſcriptum eſt: *Vocabis me, & ego reſpondebo tibi, Operi manuum tuarum porriges dexteram.* Nimirum illud eſt veriſſimum, quod dixit B. Paulus: *Quos præſciuit, & prædeſtinauit: quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.* Hæc autem quatuor quæ numerauit Paulus, ita ſunt ratione quadam inter ſe apta & nexa, vt poſteriora reſpondeant prioribus. Etenim qualis & quanta eſt præſcientia DEI (id eſt, electio hominum ad gloriam, loquitur enim Paulus de præſcientia DEI non ſimpliciter, ſed de ea, quam Theologi vocant, approbationis, de qua etiam intelligitur illud eiuſdem Pauli: *Non repulit* DEVS, *plebem ſuam quam præſciuit*) qualis, inquam, & quanta fuit electio hominis ad gloriam, talis eſt prædeſtinatio eius, id eſt, præordinatio meritorum, quibus gloriã illam conſecuturus eſt; & qualia hæc futura ſunt, talis etiam ſolet eſſe vocatio, iuſtificatio, & magnificatio. Nam quibus DEVS ex æternitate voluit magnam in cœlis gloriam dare, ijs quoque magna deſtinat merita, eorumque inſignem admodum facit & vocationem, & ſanctificationem. Quoniam igitur eximia fuerat electio, & prædeſtinatio Abrahæ, ideirco ſingularis & admirabilis fuit eius vocatio, & ſanctificatio.

Iob 14.

Ad Romanos 8.

Ad Rom. 11.

Vocatio Abram quaſi primitiæ vocationis Iudæorum, & Gentium. Cyrill. lib. 3. contra Iulianũ Apoſtatam.

2 Scitum profecto eſt, nec prætermittendum hoc loco, quod ſcribit Cyrillus Alexandrinus, hanc vocationem Abrahæ fuiſſe quaſi primitias, & quaſi præcocem quendam fructum futuræ poſtea tam Iudæorum quàm Gentium ad veri Dei fidem, cultumque vocationis. Verba Cyrilli hæc ſunt: Regnante apud Aſſyrios Nino, vixit diuinus Abram, abominatuſque eſt Aſſyriorum conatus, & gloriam DEI læſam ægre tulit. Nam ex medio deceptorum ereptus, ad lucem veræ agnitionis DEI vocatus eſt; factuſque eſt Abram quaſi radix eorum, qui per

Universidad de Deusto Biblioteca

legem & Prophetas ad pietatem eruditi sunt. Itaque ex vocatione
Ad Rom. 4. Abrahæ præsignata est vocatio Iudæorum & Gentium, quippe qui futurus erat pater omnium credentium. Recte igitur in Abram competit
Osea 9. quod quidam Propheta dixit, *Quasi botrum in deserto inueni Israel, & vt fructum in ficu præcocem vidi patres eorum.* Res enim rara & difficilis inuentu in solitudine, est botrus: inuentus tamen semel ab eo qui omnia videt, desideratissimus & vt decerperetur, gratissimus fuit. In ficubus autem gratissimum & iucundissimum cibo ducitur quod præcox est, ante alia matureſcens. DEVS igitur sic inuenisse dicitur Abram inter Chaldæos, vt botrum & præcocem ficum in deserto. Etenim Idololatriæ & superstitiosis erroribus dediti erant Assyrij: vnde Abram quasi præcox ficus decerptus est. Recte autem præcocibus ficis comparatus est Abram: nam sicut præcox fructus quasi specimen est quoddam & promissio aliorum fructuum qui deinde producendi sunt: ita vocationem hanc sortitus est Abrã, quia vestigia eius subsecuturæ erant Gentes quæ tunc ad veri DEI cognitionem cultumque capiendum, nondum maturæ erant. Hactenus ex Cyrillo. Verum sententiæ Mosis quam supra posuimus, singula verba expendamus.

Octies Deũ esse locutũ cum Abram

Dixitque DEVS *ad Abram.* Octies locutum esse DEVM cum Abram, docet hæc historia Mosis. Primùm enim locutus est ei cum iussit eum relicta patria venire in terram Chanaan, vt hoc loco scribit Moses. Secundùm locutus est cum eo postquam primum ingressus est Abram terram Chanaan, vt hoc ipso capite paulo infra narrat Moses: tertiùm, cum ex Aegypto regressus in regionem Chanaan dissociatus & separatus est à Lot, Genes. 13. quartùm cum promisit ei posteritatem numero stellarum comparabilem Genes. 15. quintùm, cum præceptum ei dedit circumcisionis, Genes. 17. sextùm cum tres Angelos sub humana specie hospitio accepit, Genes. 18. septimùm cum iussus est eiicere è domo sua Ismaelem, Genes. 21. octauùm cum iussus est immolare filiũ suũ Isaac, à mox deinde eum immolare prohibitus, Genes. 22. Sed quo modo loquebatur DEVS cum Abram? Interiori videlicet & spirituali locutione mentem eius illustrans ad percipienda quæ docere
Basilius in cap. 7. Isai. eum volebat. Audi Basilium: Equidem arbitror prophetas non percepisse verbum DEI sensili auditu: sed quia animæ illorum, intellectuales suppetebant aures, ea quæ superne ipsis nunciabantur, citra vllam corporis vocem ad eorum pertinebant notitiã, idque fiebat splendore veræ lucis mentes eorum occupante, & subseruiente ad illustrationem intellectus Prophetarum. Vice autem corporeæ vocis, diuinitus accipiebant vt alieni fierent à sensoriis organis, perinde atque corporeis vinculis soluti hinc emigrarent. Hæc Basilius. Quanquam ex historia Mosis coniici potest, tribus modis DEVM apparuisse & locutum esse Abrahæ: vel dormienti per somnia diuinitus ei missa; vel vigilanti in ecstasi & raptu mentis, per visiones imaginarias; vel per Angelos humanæ naturæ figuram gerentes. Atque in his omnibus mens Abrahæ diuino intelligentiæ lumine perfundebatur, quo quæ reuela-

reuelabantur ipsi, liquido cognosceret, eaque à DEO sibi esse tradita, ob idque verissima, sine vlla dubitatione crederet. Vide infra num. 68. Verum de multiplici ratione locutionis diuinæ cum Angelis & hominibus copiosè disputauimus in primo Tomo commentariorum horum in Genes. lib. 6. super illa verba cap. 4. *Vocauit Deus Adam, & dixit, Vbi es?*

4 *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Egressio, inquit Basilius, perfectissima ascẽsio est ab omnibus corporis voluptatibus, quæ quidem nomine terræ explicãtur, cum dicitur ipsi Abrahæ: *Egredere de terra tua.* Sed & fuga à delectatione sensilium organorum, nomine cognationis innuitur, cum additur: *Et de cognatione tua.* Denique auersatio & fuga vitæ criminibus prius obnoxiæ per contraria virtutum studia, paternæ domus vocabulo insinuatur, cum subiungitur, *Et de domo patris tui.* Hæc Basilius secundum mysticum huius loci sensum pulchre admodum, & pie: Sed nos primo sensum historicum & literalem indicemus. *Egredere de terra tua,* Terra Abrahæ Chaldæa erat, cuius ciuitas Vr, patria erat & natale solum ipsius Abrahæ. Quocirca non semel in sacris literis legitur Abram eductũ esse de Vr Chaldæorum. Erat autem id temporis Chaldæa, abominanda propter Idololatriam tunc primum cœptam à Nino; qui patrem suum Belum, post excessum eius, diuinis honoribus publice coli iussit. Accessit ad impietatem Idololatriæ, pestifera vanitas diuinationis astrologicæ, cuius fuere Chaldæi parentes ac magistri. Cum impietate autem Idololatriæ & astromantiæ, alia quamplurima coniuncta erant flagitia. Ob hæc igitur, cum terra Chaldæorum execrabilis & pestilens esset, meritò eam deserere iubetur Abram. Quomodo autem parentes & maiores Abrahæ, qui posteri erant Sem, venerint in Chaldæam, ibique habitauerint, cum ea regio sub imperio esset posterorum Cham, non satis compertum est. Nam quod quidam existimarunt; Assur, qui filius Sem supra commemoratur capite 10, conditorem fuisse gentis Assyriorum, & ciuitatis Niniue, refutatum à nobis est in secundo Tomo lib. 15. Illud; *De cognatione tua* significat propinquos & consanguineos Abram, qui in eadem regione atque etiam in eadem ciuitate habitabant: exempli causa auunculos, consobrinos, filios fratrum atque alios eius generis.

Basilius in cap. 7. Isai.

Impietas Chaldæorũ tempore Abrahæ.

5 *Et de domo patris tui.* Vocabulum domus, non modo significat domicilium, verum etiam familiam paternam, vt fratres ipsius Abram, & filios fratrum, non quidem omnes, sed eos tantum qui intra idem domicilium vna cum Thare & ipso Abram habitabant. quoniam vero domum paternam derelinquere iussus est Abram, non obscure ea re significatum est, non satis probam & bene moratam fuisse eam domum; periculumque fore, ne domestica exempla & instituta probitati ac pietati Abrahæ nocerent. Vix enim credibile dictu est, quantum ad formandos filiorum animos in vtramque partem, valeat paterna educatio atque institutio, domesticaque disciplina. Sed cur distincte & separatim posuit DEVS egressum ex terra, & ex cognatione, & ex domo

Universidad de Deusto
Biblioteca

paterna, cum in primo contineantur duo posteriora? derelicta enim patria, necesse erat derelinqui cognatos & paternã familiam, quæ inibi sedes habebãt. An propterea DEVS distincte illa tria proposuit, quod in singulis illorum trium inerant præcipua & propria quædam mala omnino vitanda & fugienda Abrahæ, vt probitati ac pietati eius plane contraria? An potius illa distincte commemorauit DEVS, quo vehementius commoueret naturalem penitusque infixum animo Abrahæ erga illa tria affectum & amorem? etenim singula illa maximam habent vim & potentiam in hominis animum, vt non illa non toto studio amare possit, nec ab illis nisi quam ægerrime ac violentissime abstrahi se patiatur? Quid enim dulcius homini, natali solo? Quid iucundius consuetudine & conuictu cognatorum? Quid paterna domo suauius & ad retinendum hominem efficacius? Hæc igitur tria separatim DEVS proposuit, quo magis tẽtaret per singula animum & affectum Abrahæ, atque ea ratione magis exerceret probaretque fidem & fiduciam atque obedientiam Abrahæ. Etenim magnæ fidei & excellentis obedientiæ fuit, iis, quæ nota, certa, & carissima erant, posthabitis, extranea & ignota, atque, si humana ratione & prudentia æstimarentur, etiam nimis ardua & incerta ac periculosa consectari. Ac nisi fallor, ad hoc spectasse videtur Sanctus Ambrosius ad hunc modum scribens; Satis fuerat dixisse: *Egredere de terra tua*, ibi enim erat exire de cognatione, & exire de paterna domo. Sed ideo addidit singula, vt eius affectum probaret, ne fortè aut imprudenter cœpisse videretur, aut fraus aliqua mandatis cœlestibus pararetur. Sed sicut coaceruanda fuerunt præcepta ne quid lateret; ita etiam proponẽda præmia, ne fortè desperaret. Tentatur vt fortis, incitatur vt fidelis, probatur vt iustus. Hoc est quod pro magno inter septem sapiẽtium dicta celebratur, SEQVERE DEVM. Ita profecto præuenit Abram dicta sapientum, & secutus DEVM, exiuit de terra sua. Hæc Ambrosius.

Ambrosius lib. 1. de Abraham c. 2.

Et veni in terram quam monstrauero tibi. Pro illo: *quam monstrauero tibi* hebraicè est; *quam videre te faciam.* Nimirum DEVS oculis Abrahæ conspiciendam præbuit terram Chanaan: namque infra legitur dixisse DEVM Abrahæ: *Leua oculos tuos, & vide à loco in quo nunc es ad Aquilonem & Meridiem, ad Orientem & Occidentem: omnem terram quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum.* Verum quæritur hoc loco an DEVS tunc expresse dixerit Abrahæ nomen illius terræ, appellando eam terram Chanaan; an tantùm indefinite ac confuse nominauerit terram, cuius postea illi & nomen imposuit & faciem ac situm ei ostendit? Duæ circa hoc sunt opiniones: altera est (quam sequitur Caietanus & Oleaster) eorum qui putant DEVM tunc proprio nomine appellasse terram illam, nominando Terram Chanaan; idque dupliciter argumentantur, tum quod supra capite 11. dictum est, Thare vna cum Abraham exisse de terra Chaldæorum vt irent in terram Chanaan, haud dubie vocati & iussi à DEO, vt hic narrat Moses; similiter hoc ipso capite 12. dicitur Abram exisse de ciuitate Haran, vt iret in terram

6

Genes. 13.

An DEVS expresse nominauerit Abrahæ terrã Chanaan. Caietanus Oleaster.

terram Chanaan, sicut ei præceperat DEVS, ergo DEVS indicauerat, notumque fecerat Abrahæ nomẽ illius terræ Chanaan: tum etiam quia non potuisset Abram ex Chaldæa profectus, iter dirigere in terram Chanaan, nisi nomen & situm illius terræ cognitum habuisset. Nisi lubet fingere missum à DEO Angelum, qui esset Abrahæ index & dux illius itineris.

7 Sed altera sententia huic contraria, multo pluribus & clarioribus viris probata est, aientibus DEVM cum hoc mandatũ dedit Abrahæ, non indicasse ei nomen terræ Chanaan. Hoc illi probant tum ex hoc loco, tum ex oratione B. Stephani quam narrat Lucas: vtrobique enim cum memorantur verba quæ DEVS dixit Abrahæ, ponitur dixisse DEVM illi: *Veni in terram quam monstrauero tibi*: at si dixisset ei, Veni in terram Chanaan, id potius illi posuissent, cum id & breuius & apertius esset. Verùm B. Paulus videtur feciſse hoc manifestum atque indubitatum, ita scribens, *Fide, qui vocatur Abraham obediuit in locum exire quem acceptarus erat in hæreditatem, & exiit, nesciens quo iret.* Si Abraham egressus est, nesciens quo iret, ergo non erat ei nota terra Chanaan, ad quam vocatu & ductu DEI venturus erat. Adiice quod ita magis declaratur & illustratur fides & obedientia Abrahæ, qui solam DEI voluntatem ac præceptum spectans, ad terram sibi ne de nomine quidem notam, prompte libenterque profectus est. ex hac enim re videtur Paulus verbis proxime positis prædicare ac magni facere fidem & obedientiam Abrahæ. Nec sanè magnum faceſſit negotium, quod pro priori sententia allatum est. Nam quod dictum est, Thare & Abram ex Chaldæa discesisse vt irent in terram Chanaan, sic est intelligendum, illud, (in terram Chanaan) esse dictum à Mose per anticipationem, id est, in terram quæ verè erat terra Chanaan, sicut postea illis ostensum & cognitum est. Vel Moses ita loqui voluit ob maiorem narrationis breuitatem ac perspicuitatem: id est, ne ita dicere cogeretur, vt irent in terram, quam se DEVS monstraturum Abrahæ promiserat, quæ circuitio verborum nimis longa in narratione fuisset. Illud verò quod addebatur, Si Abraham profectus esset nesciens nomen terræ, opus fuisset illi aliquo indice duceque itineris diuinitus misso: ita solui potest; Cum DEVS iussit Abræ egredi ex Chaldæa, non indicauit ei nomen proprium terræ ad quam venire eum iubebat: postquam autem se ad iter accinxit, aut etiam aggressus est, nomen proprium eius terræ declarauit: idque fecit quò magis fidem fiduciamque atque obedientiam Abræ exerceret probaretque.

Actor. 7.

Ad Heb. 11.

8 Cæterum quærat quispiam, cur Deus voluerit Abram per tot regiones vagari ac peregrinari, denique venire in terram Chanaan? Verùm complures eius rei, easque probabiles causas afferre licet. Primò, quia eiusmodi peregrinationes plurimum conducunt ad perfectam rerum humanarum scientiam prudentiamque comparandam; hæc enim multis ac variis locorum, legum, consuetudinum, ingeniorum, morum, factorumque experimentis cõstat. Quocirca ad magnam Vlyssis laudem pertinuit,

Cur DEVS voluerit Abram tãdiu & in tã variis regionibus peregrinari.

Universidad de Deusto Biblioteca

Homerus Odyss. 1. Eccle. 34.

pertinuit, quod de eo dixit Homerus: Qui mores hominum multorum vidit, & Vrbes. Et Sapiens noster: *Qui non est*, inquit, *tentatus, quid scit? Vir in multis expertus, cogitabit multa: & qui multa didicit, enarrabit intellectum. Qui non est expertus, pauca recognoscit.* Huius igitur sapientiæ ac prudentiæ acquirendæ causa, vtile fuit Abræ, multifariam peregrinari: Simulque quò liquidius cerneret instabilitatem vanitatemque rerum mundanarum, cæcitatemque ac fœditatem omnium gentium, quibus non affulsisset lux aliqua diuinæ cognitionis; ex quo vehementius ipse excitaretur ad agẽdas DEO gratias, à quo ex tãtis errorũ tenebris quasi manu extractus esset. Deinde magno in discrimine probitas & pietas Abræ futura erat, si mansisset in patria, & versatus esset cum Chaldæis; quippe cum primi essent Idololatriæ auctores, quam tunc apud ipsos exorientem quoquo modo apud omnes disseminare & amplificare obnixè cõtendebant: præter Idololatriæ autem, & vanissimarum superstitionum impietatem, erant præterea illi corruptissimis moribus & fœdissimis institutis. Nec ab hac impietate & improbitate vacabant cognati, amici, & propinqui Abræ: à cognatis autem & domesticis, amicisque diuino cultui & obsequio contrariis, facilius impeditur quis à studio veritatis & pietatis, & ad contraria studia impellitur, quàm ab extraneis & ignotis. Ad hæc, mirabilius futurum erat, & illustrius diuinæ potentiæ & prouidentiæ argumentum, ex vno viro Abram numerosissimum populum in extranea regione propagari & mirabiliter protegi & nobilitari, exterminatisque eius regionis vetustissimis habitatoribus & possessoribus, gentem dico Chananæorum amplissimam & robustissimam, eius regionis, in qua diu peregrinati fuerant, possessionem obtinere. Voluit porrò DEVS Abram venire in terram Chanaan, vt eam terram iniuste à Chananæis possessam, eisque propter execranda eorum scelera, iuste auferendam, ipsi Abræ & posteris eius attribueret; simulque vt Abram prima veræ fidei ac religionis semina iaceret in eam terrã, quam postea habitaturus erat populus Hebræus, penes quem solum omniũ mundi gentium, veri DEI cognitio & religio multis seculis futura erat; indeq. post Messiæ aduentum, per vniuersum terrarum orbem dispergenda ac proseminanda.

Vocatio Abræ figura fuit vocationis fidelium ad perfectionem vitæ euangelicæ.

9 Accedit ad hæc, quod hoc factum Abrahæ, tam prompte & alacriter ijs rebus omnibus sese abdicantis, quas habebat ipse carissimas & iucundissimas, insigne fuit quasi specimen quoddam & exemplar futuræ olim tempore legis euangelicæ, abdicationis & renunciationis omnium rerum temporalium, quam plurimi facturi erant propter ardentissimum studium adipiscendæ perfectionis virtutum omnium, & imitandi CHRISTI Domini nostri, qui eam renunciationem exemplo suo firmauit, & grauissimis verbis docuit atque commendauit, cum dixit: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & sequere me:* &; *Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Eiusdemque renunciationis quasi speciem & formam multo ante adumbrauerat & præscripserat Dauid illis verbis quæ ad Ecclesiam CHRISTI pertinent

Matt. 19. Luc. 14.

Psal. 44.

pertinent ex infidelibus gentibus collectam: *Audi filia & vide & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum.* Quatenus autem huiusmodi renunciatio procedere debeat apud flagrantes perfectionis Euangelicæ amatores, vt absoluta & consummata ritè haberi queat, præclare disputat sanctus Basilius in libro Regularum fusius disputatarum in Responsione ad interrogationem octauam.

10 Allegoricam verò seu potius tropologicam huius historiæ intelligentiam Philo in eo libro quem inscripsit De migratione Abram, minime ineptam & ineruditam tradit. Nam super illa verba: *Egredere de terra tua & de cognatione tua & de domo patris tui*, hunc in modum disputat Philo: Volens DEVS purificare hominis animam, primum offert ei perfectæ salutis occasionem, hoc est, migrationem à corpore, sensu, atque ratione. Nam terra corpus denotat, ex terra enim corpus hominis primo formatum, in terram denique resoluitur: cognatio significat sensus; sensus enim cognatus est mentis, ambo enim partes vnius animæ sunt: domus paterna demonstrat intellectum siue mentem ac rationem; etenim pater noster intellectus est, potentias suas in singulas partes seminans, suas cuique operationes attribuens, ipse verò curam & præfecturam gerens omniũ: domus autem quam inhabitat reliquis celsior, est ratio. Ergo qui cupidus est scientiæ ac virtutis assequendæ, recte dicitur ei: *Egredere de terra tua*, id est, è terreno tuo & contaminato corpore, & fuge carcerem corporis, simulq. voluptates & cupiditates custodes eius carceris quantum potes deuita. Egredere cognationem quoque sensuum quibus nunc familiariter vteris, ipsis vehementer deditus, qui tamen multa te fœdaque ad flagitia pelliciunt & impellunt. Postremò egredere domũ paternam, id est, vanitatem tuæ rationis, quæ se prorsus abijcit ad cogitationem rerum caducarum ac vilium, & in ijs quæ breui peritura sunt, quin etiam tibi ipsi valde nocitura, consectandis tractandisque tota plane occupatur: hinc, inquam, egredere, id est, ab hoc studio & cura rationem abstrahe, & ad rerum meliorum, id est, æternarum ac cœlestium contemplationem & amorem erige. Verum de multis quæ illic disputat Philo, satis fuerit pauca hæc cõmemorasse, cætera quærenda & consideranda lectori relinquamus. Nec dissimilia profecto scribit Ambrosius, sine dubio, vt solet, Philonem imitatus.

Allegorica Philonis expositio.

Gen. 12.

Ambrosius lib. 1. de Abrahã ca. 2.

PRIMA DISPVTATIO.

Vbi erat Abram, cum hoc DEI *oraculum & mandatum accepit.*

11 POST expositionem eorum verborum quæ locutus est DEVS Abrahæ, euocans eum ex terra sua, disputandum est quo in loco erat Abram cum ea verba DEVS ei locutus est, an in Chaldæa, an potius in Mesopotamia, an verò

Universidad de Deusto
Biblioteca

in ciuitate Haran. Tres sunt Doctorum qui hanc quæstionem tractarunt sententiæ. Prima sententia est B. Augustini affirmantis verba hæc dixisse DEVM Abrahæ post egressum eius ex Chaldæa,& ante ipsius aduentum in ciuitatem Haran cum esset in Mesopotamia,id est,in ipso itinere quo ex Chaldæa tendebat in vrbem Haran, vel potius in terram Chanaan. Augustini verba sic habent:Intelligendum est locutum fuisse DEVM cum Abrahã,cum is esset in Mesopotamia,prius quam habitaret in Charra;sed eum peruenisse in Charram cum patre, DEI præcepto apud se retento: inde autem exisse septuagesimo & quinto suo, patris autem sui centesimo & quadragesimo quinto anno. Putat verò Augustinus tunc Abramum discessisse ex ciuitate Haran relicto patre,cum illuc peruenit frater eius Nachor,alter filius Thare, qui discedentem patrem ex Chaldæa non fuerat secutus, sed illic manserat aliquandiu:non enim ante eius aduentum voluit Abraham summa patrem tristitia afficere, derelinquendo eum solum. Audi Augustinum: Non sanè incredibiliter existimatur, cum postea secutus esset Nachor patrem suum Thare, tunc Abram relicto patre præceptum Domini impleuisse, vt cum Sara coniuge sua & Lot filio fratris sui exiret de Charra. Atque hæc est Augustini sententia,quam ille non alia ratione
Act.7. firmat, quàm auctoritate B.Stephani, quem Lucas hæc verba loqui facit: DEVS *gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charra,& dixit ad illum, Exi de terra tua,& de cognatione tua, & veni in terram quam monstrauero tibi.* Erat igitur (auctore B.Stephano) Abram in Mesopotamia, cum DEVS verba illa locutus est.

S. Aug.de ciuit. Dei lib. 16.ca.15.

Discutitur opinio S.Augustini.

At enim opinio hæc Augustini,dupliciter refelli posset.Nam primo 12
contra eum facit,quia iubetur Abram exire de terra sua,id est,de patria sua,in qua nempe tunc erat ipse cum ei DEVS ea verba dixit. Sed patria Abrahæ erat Chaldæa,vt ex multis scripturæ locis patet;Mesopotamia autem (prout eam distinguit Augustinus à Chaldæa) non erat patria Abrahæ, nec in ea sedem vnquam habuer. , sed in ea tantum obiter fuerat,id est,transiens eam vt iret in terram Chanaan: ergo non erat Abram in Mesopotamia,cùm illud præceptum DEI accepit.Deinde fatetur Augustinus (nec sanè potest negari) terram natalem atque patriam Abrahæ fuisse Chaldæam:si igitur cum DEVS locutus est Abrahæ, tunc erat ipse in Mesopotamia, & iam ex Chaldæa discesserat, quomodo dixit ei DEVS vt egrederetur ex terra sua, id est, ex Chaldæa,quasi iubens actum agere? Hanc obiectionem prospexit Augustinus,itaque diluit, Abraham corpore quidem egressum fuisse ex patria, retinuisse tamen desiderium & propositum illuc reuertendi: iussit autem DEVS, vt quemadmodum corpore, sic etiam animo egrederetur,voluntatem illuc regrediendi omnino abiiciens. Ita se habent Augustini verba: Quod autem iam in Mesopotamia constituto, hoc est, iam egresso de terra Chaldæorum dixit DEVS: *Exi de terra tua, &c.* non vt corpus inde eiiceret,quod iam fecerat,sed vt animam euelleret,

dicitur.

dicitur.Non enim exierat inde animo, si spe redeundi & desiderio tenebatur:quæ spes & desiderium,DEO iubente ac iuuante,& eo obediente,fuerant amputanda.Hæc Augustinus,cuius responsum refutans hoc loco Lyranus: Non est,inquit, credibile cupiuisse Abram regredi in Chaldæam,cum in ea regnaret eo tempore Nemrod impius & crudelis tyrannus,propter cuius impietatem & sæuitiam, patriam ille deseruerat. Verùm errare videtur Lyranus in ratione temporum. Nos enim in secundo tomo horum Commentariorum in Genesim libro decimoquinto, Numero sexagesimo septimo ostendimus, quem appellat scriptura Nemrod, fuisse eum ipsum quem Ethnici scriptores nominarunt Belum patrem Nini regis: mors autem Beli plus quadraginta annos antecessit ortum Abrahæ.Namque Belo successit in imperium filius eius Ninus, cuius imperij quadragesimotertio anno natus est Abram, qui septuagintaquinque natus annos hoc DEI præceptum accepit.

Lyranus Augustinũ refellens refellitur.

13 Ergo aliter,& quidem tripliciter responsio Augustini refellenda est: primo quia dura & improbabilis est interpretatio, certe nequaquam litteralis,illud, *Egredere de terra tua*, interpretari non de egressu corporali, sed de egressu spirituali. Deinde excusari non posset Abram quin peccasset,si tantopere cupiuisset redire eo, vnde eum DEVS omnino abire tam graui præcepto iussisset. Et verò, cum Abram dereliquisset Chaldæam propter odium & fugam Idololatriæ, quæ id temporis apud eam gentem maxime vigebat: quî fit credibile, Abram illuc reuerti voluisse?Nam discessisse Abram ex Chaldæa fugientem eius gentis Idololatriam, Achior dux Ammonitarum his verbis confirmauit Holoferni: *Populus iste (Hebræus) ex progenie Chaldæorum est. hic primùm in Mesopotamia habitauit,quoniam noluerunt sequi Deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum.* Argumentum porrò Augustini petitum ex auctoritate B. Stephani, qui dixit Abram fuisse in Mesopotamia, cum vocatus à DEO est,ita soluitur; Stephanum vocabulo Mesopotamiæ latissime vsum esse; nam eo nomine significauit omnem illam regionem quæ trans fluuium Euphratem erat, habito respectu ad terram Chanaan;id est, Syriam, Mesopotamiam, Chaldæam & Babyloniam. Quod autem pro eodem posuerit Stephanus Mesopotamiam & Chaldæam,licet in illa ipsa eius oratione animaduertere.Cum enim dixisset Stephanus DEVM apparuisse Abrahæ,cum esset is in Mesopotamia,& dixisse illi; *Egredere de terra tua,&c.* mox subiecit: *Tũc exyt de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan*: perspicue ostendẽs idem se vocabulo Mesopotamiæ & Chaldææ significare voluisse.

Solutio rationũ S. Augustini.

In libro Iudith cap.5.

14 Altera sententia est,Abram fuisse in ciuitate Haran, cum hoc DEI præceptũ accepit.Ita sentiunt * Ambrosius,Rupertus,Lyranus,Tostatus, & Paulus Burgensis: verum diuersis isti rationibus in eam sententiam ducti sunt. Fundamẽtum quo sententiã hanc Tostatus firmissime niti putat,illud est,Abram non semel tantum,sed bis fuisse à DEO vocatum,iussumque egredi terram suam: primum quidẽ cum esset Abra-

*Ambrosius lib.1.de Abraham c.2. Ruper.lib. 5. in Genes. cap.5 Lyran.& Burgen.hoc loco. Tostatus in cap.12.Gen. q.12.& 18. Opinio Tostati.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ham in Chaldæa: & de ea vocatione intelligi debere, ea quæ refert B. Stephanus supradicto loco: cum verò Abram ex Chaldæa venisset in ciuitatem Haran, ibique aliquandiu mansisset, secundo fuisse à DEO vocatum vt inde exiret & iret in terrã Chanaan: atque hanc secundam vocationem narrare hoc loco Moſen. In prima vocatione non indicatur ætas Abrahæ: in secunda vocatione dicitur fuisse eum septuagintaquinque annorum. In prima vocatione comites Abrahæ fuerunt pater eius Thare, & vxor eius Sara & Lot filius fratris eius; in secũda autem vocatione Thare nõ fuit comes eius, sed eo relicto discessit cum vxore sua & Lot. Quid plura? Posterioris vocationis & profectionis Abrahæ terminus à quo, fuit ciuitas Haran; terminus autem ad quem, fuit terra Chanaan. Quod autem Abraham secundo vocatus fuerit à DEO cum esset ipse in Haran, manifestissimum fit considerãti seriem narrationis Mosaicæ. Etenim sub finem vndecimi capitis Moses dixit, Thare eduxisse de Vr Chaldæorum Abram, & venisse eos vsque in Haran, & ibi habitauisse; & proxime subdit posthæc, vocatũ esse Abram à DEO & iussum inde exire: & paucis quibusdam interiectis subiungit, Abram exisse de Harã, sicut præceperat ei DEVS. Quis non videt ex hac serie narrationis Mosis, vocationem Abrahæ, quæ hoc loco narratur, factam esse cum Abrã habitaret in ciuitate Haran? Deinde Abram longo tempore habitauit in Haran. Nam & sub finem capitis vndecimi scriptum est Abramum venisse in Haran & habitasse ibi. verbum autem habitandi longam & diutinam significat mansionẽ. Atque in hoc ipso capite duodecimo paulo infra ait Moses Abram exisse de Haran cum Sara & Lot, & secum tulisse omnem substantiam quam possederant, & animas quas fecerant in Haran: necesse igitur est diu eos fuisse in Haran, si magnam ibi substantiam multasque animas fecerant. Atque hæc fere sunt quæ pro hac opinione valide propugnans disputat Tostatus.

Tostatus refellitur.

Abrã semel tantum à DEO esse vocatũ, iussumque egredi terrã suam.

15 Verum hæc sententia tribus argumentis vehementer oppugnatur. Ac primo quidem Tostatus duas facit vocationes Abrahæ, vnam in Chaldæa, alteram in Haran: sed vnam tantùm fuisse tripliciter ostenditur. Etenim nec Scriptura, nec Patres agnoscunt nisi vnam vocationem Abrahæ, & hanc factam in Chaldæa. Licet enim Scriptura aliquando dicat Abraham eductum fuisse à DEO ex Chaldæa, vt infra capite decimoquinto & alibi; interdum autem fuisse eum à DEO translatum ex Haran, quæ est in finibus Mesopotamiæ, vt liquet ex libro Iosue capite vigesimoquarto, & ex oratione Stephani Actorum septimo; attamen nusquam Scriptura nisi vnam vocationem Abrahæ commemorat. Et vero, vocationem Abrahæ quam refert Stephanus, non fuisse diuersam à vocatione eiusdem, quam Moses hoc loco commemorat, vt vult Tostatus, magno argumento est, quod Stephanus eandem sententiam ac plane eadem verba refert quæ hic ponit Moses, vt dubitari non possit Stephanum ad hanc Mosis historiam spectasse. Adiice quod opus fuisse Abrahæ duplici vocatione DEI, arguit tardam, atque imperfectam obedientiam Abrahæ, id est, vel tergiuersationem

nem eius, vel obliuionem prioris vocationis & mandati diuini, vel certe ad id exequendum cunctationem atque tarditatem. Nisi quis forte dicat Abrã priori vocatione iussum proficisci ex Chaldæa in ciuitatem Haran; posteriori autem vocatione præceptum ei esse vt ex Haran iret in terram Chanaan: quoniam igitur diuersæ fuerunt vocationes, quod Abraham bis sit vocatus à DEO, non propterea bene cõcluditur eum fuisse tardum in obtẽperando diuinæ vocationi & præcepto. Abrahamum autem discedentem ex Chaldæa iussum esse venire in ciuitatem Haran, non obscure indicatur in libro Iudith capite quinto: DEVS, inquit, *præcepit eis* (significat Thare & Abraham) *vt exirent inde ex Chaldæa, & habitarent in Charan.* Locus Iudith cap. 5.

16 At enim vero Thare & Abramum discessisse ex Chaldæa, eo animo vt irent per se primo in terram Chanaan, non autem in Haran, apertissimis verbis demonstrat Moses capite vndecimo ita scribens: *Tulit Thare filium suum, & Lot filium Aran filij sui, & Saraï nurum suã, & vxorem Abrahæ, & eduxit eos de Vr Chaldæorum vt irent in terram Chanaan.* Quod autem venerint in ciuitatem Haran, & ibi aliquandiu habitauerint, eo factum est quod transeuntibus illis Mesopotamiam vt irent in terram Chanaan in extremitate Mesopotamiæ occurrit ciuitas Haran; vbi Thare fessus ex itinere vlterioremque pertæsus peregrinationem, nec transgresso Euphrate, quasi alium terræ orbem petere volens, mansit, secumque retinuit Abraham. Nam quod ex libro Iudith paulo supra allatũ est, DEVM præcepisse Abrahæ veniẽti ex Chaldæa vt habitaret in Haran siue Charan; non sic est intelligẽdum quasi DEVS vellet illum esse terminũ vocationis & profectionis Abrahæ ex Chaldæa; sed quod indulgens, vel Thare, vel Abram ne patrem desereret, voluit vt quoad alter filius Thare dictus Nachor illuc veniret, cum patre suo Thare maneret Abram. Illud denique facit contra sententiam Tostati, quod in hac Vocatione Abrahæ quã narrat Moses, positũ est, DEVM dixisse Abrahæ *Egredere de terra tua*, quid est, de terra tua, nisi de patria tua in qua natus es? Talis autem non erat ciuitas Haran. Nam quod huic rationi occurrens Tostatus respondet, Haran dici hoc loco terram Abrahæ, quod in ea iamdiu habitauerat; hoc friuolum est. Mitto enim discutere an diu Abrã inibi habitauerit: ait quidem Tostatus, sed negat B. Augustinus alijque grauiores Tostato auctores: illud tantum dico, cum Abraham manserit in Haran tamquam peregrinus & incola, certoque consilio & proposito pergendi ad eam terram, ad quã DEVS eum vocabat, nullo modo posse dici, ciuitatẽ Haran fuisse terram propriam, & patriam ipsius Abrahæ, etiamsi plures annos in ea mansisset

Euertitur fundamentum opinionis Tostati.

17 Restat vt fundamentum ac firmamentum opinionis Tostati demoliamur. Argumentatur Tostatus, hanc vocationem Abrahæ, quam hic narrat Moses, esse factam in Haran; tum quod Moses proxime ante dixerat Abram venisse in ciuitatem Haran & ibi habitasse, tum quod paulo post subiungit Abrã exisse de Haran sicut ei præceperat DEVS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad hoc respondemus, in ea narratione Mosis non esse seruatum ordinem temporis rerum gestarum, quod etiam Tostatus velit nolit fateri cogitur. Moses enim hanc vocationem Abrahæ narrat post mortem Thare à se narratam; cum tamen illa vocatio Abrahæ sexaginta annis (auctore Tostato) mortem Thare anteceſſerit. Ergo Moses primo memorat vocationem Abrahæ ex Chaldæa, cum ait: *Dixit* DEVS *ad Abram, Egredere de terra tua.* Tum indicat promptam executionem mandati diuini, dicens. *Egressus est itaque Abram sicut præceperat ei Dominus.* Post hæc exponit iter Abrahæ ex Chaldæa in Chanaan; Et hoc quidem iter, bipartitum fuerat, prius quidem ex Chaldæa in Haran, quod quia paulo supra enarrauerat sub finem capitis vndecimi, idcirco id commemorare deinde in capite duodecimo superſedit. Posterius autem iter Abrahæ fuit ex Haran in Chananæam regionem, & hoc exposuit in capite duodecimo, subiungens: *Septuagintaquinque annorum erat Abram cum egrederetur de Haran. Tulitque Saraï vxorem suam & Lot filium fratris sui, vniuersamque substantiam quam possederant, & animas quas fecerant in Haran, & egressi sunt vt irent in terram Chanaan.* Verum cum Tostato satis superque disceptatum est: ad Lyrani & Burgensis excutiendas sententias transeamus.

Opinio Lyrani.

17 Lyrani opinionem infideliter cõmemorat hoc loco Tostatus. Nam ea Lyrano attribuit, quæ refert ille quidem, sed refellit tamẽ. Hoc ergo feciſſe Tostatum reor, non prauitate animi & malitia, sed ex obliuione vel incogitantia. Lyranus igitur censet Vocationem Abrahæ quam hic narrat Moses, factam esse in ciuitate Haran, & post mortem Thare patris eius, quo tempore Abram erat septuagintaquinque annorum. Non enim Abram fuerat primogenitus Thare, vt placet Lyrano, neque natus fuerat anno septuagesimo eius, sed anno centesimo trigesimo. In hanc sententiam ductus est Lyranus propter ordinem narrationis Mosis, ratus nempe ordinem narrationis Mosaicæ, cum ordine temporis rerum quæ narrantur, omnino conuenire: & quia Moses narrat Vocationem Abrahæ post mortem Thare, idcirco existimat, Abram vocatum esse post mortem Thare. Illud porro: *Egredere de terra tua,* non interpretatur de terra Haran, sed de terra Chaldææ, ex qua licet iam egressus fuerat, iubetur tamen hoc DEI præcepto longius & remotius ab ea abire. Sic Lyranus.

Refellitur Lyranus.

18 Sed hæc Lyrani sententia, multiplici obnoxia reprehẽsioni est. Primo enim reprehenditur Lyranus, quod vnicam tantum faciens Vocationem Abrahæ, eam dicat esse factam in ciuitate Haran; quam tamen B. Stephanus affirmat factam esse in Mesopotamia, priusquam ille veniret in Haran siue Charran. Deinde Lyranus ait, Abram esse vocatum post mortem patris sui Thare: at B. Stephanus vocationem Abrahæ, morte patris eius Thare priorem facit. Præterea falsum est quod assumit Lyranus, Abram post mortem patris sui Thare fuisse septuagintaquinque annorum, cum namque natum facit anno centesimo trigesimo Thare; sed enim in secundo Tomo horum commentariorum libro

Actor. 7.

libro decimosexto, numero centesimo nonagesimo primo & sequentibus demonstratum à nobis est, natum esse Abram septuagesimo anno patris sui Thare, vt supra indicauit Moses capite vndecimo: quo fit, vt quo anno mortuus est pater eius Thare, ageret ipse centesimum trigesimum quintum. Ad extremum, quod Lyranus illud: *Egredere de terra tua,* interpretatur idem valere, atque, Longius recede à terra tua, & abi in longinquiorem & remotiorem à patria tua regionem; id profecto non aliud est quam vim afferre verbis, eaque detorquere ad id significandum, quod neque apud vulgus, neque apud viros doctos significãt. Venio ad Paulum Burgensem. Nam rationem, qua maxime nititur Lyrani sententia, paulo infra euertemus, cum exponemus opinionem nostram.

Opinio Burgensis quod Abram non sit natus in Chaldæa, sed in ciuitate Haran.

20 Burgẽsis in prima Additione sua ad Postillas Lyrani super hoc caput duodecimum asseueranter ait, patriam in qua natus est Abram, non fuisse Chaldæam siue Vr Chaldæorum: siquidem ea regio possidebatur à posteris Cham, id est, à Nemrod vel posteris eius: Abram autem erat ex posteris Sem, cui alia quædam regio fuerat attributa. Non igitur credibile est patrem & Maiores Abrahæ venisse in Chaldæam vt ibi habitarent: ex quo efficitur, Abramum non esse natum in Chaldæa. Hinc Burgensis infert, terram de qua iussus à DEO est Abram egredi, non fuisse Chaldæam; siquidem terra illa erat patria & natale solum Abrahæ: talis autem non erat Chaldæa, vt se putat ostendisse. Deinde censet Burgensis germanam patriam in qua natus sit Abram, fuisse ciuitatem Haran. Hanc (vt id lectorem obiter moneam) septuaginta Interpretes appellant Charan, externi vero scriptores vocant plurali numero Charras, insigni clade Romani exercitus & Marci Crassi Imperatoris nece nobilitatas. In hac igitur ciuitate fuisse putat Abramum cum est à DEO vocatus, eamque iussus est egredi. Quod autem Haran fuerit patria & natalis terra Abrahæ, existimat significari tum in capite vigesimoquarto libri Geneſis, cum dicitur Abram misisse seruum ad Terram suam (Hebraice est in terram natiuitatis suæ) misit autem seruum in ciuitatem Haran, vbi erat Bathuel & Rebecca. Ergo ciuitas Haran erat terra natiuitatis Abrahæ. Denique colligit Burgensis ex eo quod scriptum est in libro Iosue capite 24. Thare & Abram transfluuium Euphratem habitasse in Mesopotamia, ipsumque Abram ex finibus Mesopotamiæ, id est, ex ciuitate Haran quæ posita est in extremitate Mesopotamiæ, translatum à DEO fuisse in terram Chanaan. Ex quo satis apparet, natalem terram Abrahæ significari fuisse ciuitatem Haran. Sic Burgensis.

Refellitur Burgensis.

21 Sed hæc opinio Burgensis, omniaque eius dicta plane sunt paradoxa, contraria nempe communi Doctorum tam Hebræorum quam Christianorum sententiæ. Namque Abram natione Chaldæum fuisse, & in ciuitate Vr quæ est Chaldææ natum, cõfessio est omnium. Quinetiam sacræ Scripturæ manifeste aduersatur Burgensis. Abram enim non in ciuitate Haran esse natum, sed in Chaldæa, & ipsum tam ortu

quam

Abram fuisse ortu & genere Chaldæum. Iosephus. Eusebius.

quam genere Chaldæum fuisse, præter sententiam Iosephi, Philonis, aliorumque Hebræorum, & Gentilium auctorum quos citat Iosephus primo libro Antiquitatum & Eusebius libro nono de Præparatione Euangelica cap. vltimo, necnon & sanctorum Epiphanij, Hieronymi, Augustini aliorumque complurium, etiam Moses non obscure significat, cum ait: Aran filium Thare, & fratrem Abrahæ mortuum esse in terra natiuitatis suæ, hoc est, in Vr ciuitate Chaldæorũ; & inde Thare secum eduxisse Abramum, vt irent in terram Chanaan: quo significatur eos ab initio habitasse in Chaldæa eamque fuisse Patriam eorum ac natale solum. Verum id apertius indicatur in libro Iudith cap. 5. vbi dicitur, Populus Hebræus fuisse ex progenie Chaldæorum, & patres Hebræorum habitasse ab initio in Mesopotamia, & inde venisse in ciuitatem Haran siue Charan. Hæc autem verba præcipue ac proprie spectant ad Abram quem principem, satorem ac parentem suæ gentis gloriabundi iactabant Hebræi. Ergo Abram prius habitauit in Chaldæa & Mesopotamia quam in ciuitate Haran: non igitur in ea ciuitate natus est Abram, vt vult Burgẽsis. Deinde quod Burgensis negat Abramum fuisse à DEO euocatum & eductum ex Chaldæa, sed tantummodo ex ciuitate Haran; plane repugnat diuinæ Scripturæ id ipsum apertis verbis tradẽti tam in capite 15. libri Geneſis quam apud B. Lucam Actorum Capite 7. vtroque enim loco traditum est, Abramum fuisse à DEO euocatum eductumque ex Chaldæa. Verum quid ego in refutanda opinione Burgensis amplius moror & laboro, in qua nec ipse perstitit; sed eam postea re melius considerata & iudicata prudenter antiquauit? Is enim in quadã sua Additione ad caput 28. libri Deuteronomij aperte & asseueranter scriptum reliquit, Abram natum esse in Chaldæa, & inde fuisse à DEO eductum.

Genes. 11.

Soluuntur rationes Burgensis.

22 Nec profecto magni fuerit negotij dissoluere Burgensis argumenta. Ait primo loco, habitationem terræ Chaldæorum pertinuisse ad posteros Cham, non autem ad posteros Sem, de cuius stirpe erat Abram: non igitur credibile esse Abram natale solum & sedem habuisse in Chaldæa. Respondeo, quod à Burgensi & aliis quibusdam proditum est de Partitione orbis terræ in tres partes, & attributione singularum facta singulis Noe filiis, nec esse certum, nec admodum verisimile. Verum nolo id ad præsens in iudicium & examen vocare. Illud tantum dicam, Burgensem, cum ait Chaldæam & Assyriam pertinuisse ad posteros Cham, aduersari communi Doctorum sententiæ. Etenim Iosephus libro primo Antiquitatum, Epiphanius in Anchoratu, Eusebius initio Chronicorum, S. Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis in Geneſim, Augustinus libro 16. de Ciuitate DEI, & alij, qui hos secuti sunt, quamplurimi scriptis tradiderunt, ex duobus filiis Sem, quorum alter Assur, alter vero Arphaxad in capite 10. Geneſis nominatur à Mose, originem traxisse Assyrios & Chaldæos, illos quidem ex Assur, nos autem ex Arphaxad. Verum demus hoc Burgensi: fuerit Chaldæa sub imperio posterorum Cham. Id tamen non obstabat ne potuerint Maiores

Iosephus. Epiphanius. Eusebius. Hieronym. Augustinus.

iores Abræ venire in eam terrã, & ibi stabile locare domiciliũ: non secus ac videmus Hispanos, Gallos, Italos, Germanos, alios in aliorum regionib. vna cum indigenis versari, fixasque habere sedes, & posteritatẽ propagare. Vrget secũdo loco Burgensis, terram natiuitatis Abrahæ appellari Mesopotamiã Genes. 24. & in lib. Iosue cap. 24. nominari Trans fluuium: talem autẽ esse ciuitatẽ Haran perspicuũ est. Verũ non animaduertit Burgensis sacram Scripturam interdum latissime vti vocabulo Mesopotamiæ, significantem ea voce omnem regionem quæ trans Euphratem est, Syriam dico & Mesopotamiam proprie dictã, atque Chaldæam, quæ quidem comparatione Iudææ non minus Trans fluuium Euphratis est quam ciuitas Haran. Illud porro quis credat, vel non potius rideat, quod tam affirmate dicitur à Burgensi, Abram natum fuisse ante fratrem suum Aran: cuius tamen Aran filiam fuisse Saraï putat Burgensis? Nam, cum Saraï decem tantum annis minor natu fuerit quã vir eius Abram, vt clare significatur cap. 17. Geneſis, hinc efficeretur Aran, cum esset nouem annorum, genuisse Saram. Hoc autẽ Burgensem exorbere, aut etiam concoquere potuisse, valde miror.

Auctoris sententia.

23 Quod igitur est nostrũ in hac controuersia iudicium & sententia? Arbitramur hanc diuinam vocationem Abrahæ esse factam, cũ Abram eo tempore versaretur non in ciuitate Haran, sed in Chaldæa. Huius sententiæ confirmatio ex superiorum sẽtentiarum refutatione ducitur: illis enim euersis hanc stare necesse est. Si enim Abram non est vocatus cum erat in Haran, neque post egressum ipsius ex Chaldæa, vt supra probauimus: ergo cum versabatur in Chaldæa, tũc vocatus à DEO est, ob eamque causam dicitur ex Vr Chaldæorum eductus à DEO Genes. 15. Omnino B. Stephanus apud Lucam docet Vocationem Abrahæ factã esse in Mesopotamia (id est in Chaldæa, vt supra exposuimus) antequam veniret Abram in ciuitatem Haran: vocationem autem Abrahæ quam memorat Stephanus, non esse diuersam ab ea quam Moses hoc loco narrat, supra ostensum est. Magnam præterea huic sententiæ fidem faciunt illa verba Mosis: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua*, quibus verbis significatur fuisse tunc Abramum in patria sua, ex qua discedere iubebatur: patriam autem Abræ fuisse Chaldæam, ipsumque tam ortu quam genere Chaldæum fuisse, & in libro Iudith capite quinto indicatur, & à nobis paulo supra pluribus verbis demonstratum est: vbi etiam ostensum est hanc esse communem Doctorum sententiam: cui etiam Chrysostomum adhæsisse, si verba eius considerate legantur, Lector agnoscet: quamquam ea in contrariam sententiam nonnulli deflectant. Sic enim scribit Chrysostomus: Ecce in principio videtur esse quæstio. nam Moses dicit: *Tulit Thare Abram, & eduxit ex terra Chaldæorum, vt iret in terram Chanaã, & venit vsque ad Charran, & habitauit ibi.* At B. Stephanus dicit DEVM apparuisse Abrahæ cum esset in Mesopotamia, priusquam habitaret in Charran, & hinc postquam mortuus est pater eius, migrare eum fecisse. Quid igitur, dissidentne à seipsis diuinæ Scripturæ? absit: sed ex hoc animaduertere licet, quod cũ Abram

Act. 7.

Chrysost. homil. 31. in Geneſim.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DEO acceptus esset, visus ei DEVS imperauit vt inde migraret. Quod vt agnouit Thare pater eius,licet infidelis esset, ob amorem tamen filij sui Abrahæ,socius illi peregrinationis esse voluit. Et, vt venit in Charran,atque illic habitauit aliquandiu, vita excesit. Abram vero tunc imperium DEI exequens, perrexit in Chananæam. Denique non ante DEVS illum euocauit inde, quam mortuus esset Thare pater eius.Hæc Chrysostomus.In cuius verbis duplicem eius sententiam distinguere & perpendere oportet;alteram,quod putat præceptũ DEI de discedendo ex Patria datum esse Abrahæ,cum esset is in Chaldæa; quæ sententia vera est,eamque nos in præsentia sequimur : altera eius sententia est, Abramum non ante ex ciuitate Haran profectum esse in terram Chanaan,quam pater eius ibi mortuus esset; quam nos sententiam falsam esse ostendimus tom.2.& libro decimosexto horum commentariorum in Disputatione decimatertia. Nam,cum Abrã natus sit anno septuagesimo Thare, hic autem vixerit ducentos quinque annos (nam hæc duo aperte docuit Moses supra capite 11.) cumque Abrã septuagintaquinque annorum fuerit,cum exiuit è ciuitate Haran,vt hoc duodecimo capite tradit Moses : non potuit exitus ille subsequi mortem Thare,quinimo sexaginta annis eam prægredi necesse fuit.

Tres obiectiones contra sentẽtiã Auctoris.

Verum enim vero tria huic nostræ opinioni possent obiici. Prima 24
obiectio. Moses hanc Vocationem Abrahæ narrat post aduentum & habitationem eius in Haran, quinetiam post mortem Thare inibi obitã: ergo vocatio illa nõ est facta in Chaldæa,sed in ciuitate Haran. Respondeo, cogi nos sentire ac dicere, vocatum esse Abram à DEO, cum esset ille in Chaldæa;nam Moses capite 11.dixit Abram egressum esse de Chaldæa cum patre suo, vt irent in terram Chanaan: & cur ire volebant in terram Chanaan?nempe quia DEVS id iusserat. Sed hoc ipsum apertius demonstrat narratio B.Stephani,in qua ille disertis verbis ait Abram,cum esset in Mesopotamia,& priusquam veniret in ciuitatem Haran, esse vocatum à DEO. Hæc igitur cum ita se habeant, confiteamur necesse est, Mosem hoc loco in enarrando Vocationem Abrahæ non seruasse ordinem temporis rei gestæ, sed posteriori loco narrasse, quod priori tempore gestum erat, vtentem scilicet ea figura orationis quam vocant Recapitulationem. Causam porro, cur Moses non suo loco,id est,multo ante, Vocationẽ Abrahæexposuerit, veram equidem esse reor quam attulit B.Augustinus : cum vellet Moses, inquit Augustinus,quæcumque pertinebant ad historiam Thare, continenti narratione breuiter expedire, vt exinde ordiretur historiam Abrahæ diligenter à se copioseque perscribendam;ob eam causam prius exposuit discessum Thare ex Chaldæa, aduentum eius in ciuitatẽ Haran, & mortem eius. His autem expositis orsus est scribere historiam Abrahæ,initium eius repetens à Vocatione DEI & mandato deserendi patriam,quod ille acceperat in Chaldæa:quæ autem post illud DEI mandatum acciderant vsque ad eius aduentum in ciuitatem Haran, cum iam supra commemorasset;idcirco post narratam à se Vocationem Abrahæ,

Act.7.

Cur Moses narrauit vocationem Abræ post mortẽ Thare, cum illa sexaginta annis hanc præcesserit. Aug. de Ciuit.Dei libr. 16.cap.15.

Abrahæ,proxime subiecit exitum eius ex ciuitate Haran & profectionem in terram Chanaan.

25 Secunda obiectio. Abram decedens è Chaldæa, nec cognatos nec domum paternã deseruit,vt iussus à DEO fuerat:nam & patrem suum Thare, & Lot filium Aran fratris sui socios itineris habuit : non igitur plene mandatum DEI perfecit. Verum facile diluitur hæc obiectio. Abram enim,quãtum in ipso fuit,omnes suos dereliquit:sic enim animo affectus & paratus erat, vt, licet suorum nemo eum sequi vellet, aut etiam omnes eum retinere conarentur,ipse tamen omnia remouẽs impedimenta, omniaque rumpens retinacula, quocumque DEVS eum vocabat,alacriter pergeret. Quod igitur Thare & Lot secuti sint Abram, id contrarium mandato DEI non fuit,nec obedientiam Abrahæ quidquam diminuit. 2.obiectio.

26 Tertia obiectio. Non videtur Abram decessisse ex Chaldæa diuino mandato ac oraculo monitus ac iussus,sed voluntate & auctoritate patris sui Thare; qui, cum ex Chaldæa abire statuisset, secum inde tulit Abram:id enim Moses indicat capite 11. illis verbis : *Tulit itaque Thare Abram filium suum,& Lot filium Aran filij sui, & Sarai vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan.* Moses igitur,discessus Abrahæ ex Chaldæa auctorem facit patrem eius Thare.Respondeo,Abramum iussu DEI (vt supra ostensum est) discessisse ex Chaldæa; sed quia pater eius vna cum filio suo Abram discedere voluit,vel amore filij sui Abrahæ cuius societate carere noluit, vel tædio atque odio Chaldæorum; partim ob acerbam filij sui Aran mortem,vt indicat Iosephus libro primo Antiquitatum, partim ob impietatem & idololatriam Chaldæorum, vt significatur in libro Iudith capite V. idcirco Moses decorum seruans, auctorem discessus ex Chaldæa fecit Thare potius quam Abramum. 3.obiectio. Iosephus.

27 Concludam hanc disputationem adiecto breui documento morali, quod ex hac historia eleganter concinnauit apud Cassianum Abbas Paphnutius. Diximus supra,hanc Vocationem Abrahæ & derelictionem omnium quæ carissima ei erant, fuisse tanquam specimen quoddam & exemplar vocationis ad statum perfectionis Euangelicæ,& abdicationis seu renuntiationis omnium rerum temporaliũ. Paphnutius igitur tres distinguit modos Vocationis,tria item facit Renuntiationis genera. Alia,inquit, vocatio fit ex DEO,alia per homines,alia ex necessitate. A DEO quidem proxime fit vocatio, vel per manifestam reuelationem,vt fuit vocatio Abrahæ:vel per occultam inspirationẽ instinctumque DEI,vt B.Antonio contigisse legimus; qui audiens in ecclesia illud ex Euangelio:*Si vis perfectus esse,vende omnia quæ habes, & sequere me*:id tanquam vni sibi ptæcipue ac proprie dictum accipiens, continuo relictis omnibus secutus est CHRISTVM. Altera vocatio fit per homines, sic per Mosem Hebræos DEVS ex Ægypto vocauit in terram promisionis, & per Heliam vocauit Elisæum. Sic per Prophetas vocare solebat Iudæos ad pœnitentiam suorum scelerum, Cassianus initio Collationis tertiç

Moralis doctrina Adbatis Paphnutij de Triplici vocatione ac Renũciatione.

Matth.19.

3.Reg.17.

& per Apostolos vocatæ sunt Gentes ad fidem CHRISTI. Tertius vocationis modus oritur ex necessitate: siquidem mala quæ nos premunt, ad DEVM ire compellunt: & quibus aures ad cælestes voces claudit prosperitas, iis patefacit & attentas reddit aduersitas. *Cum occideret eos*, inquit Scriptura, *quærebant eum: & clamauerunt ad Dominum cum tribularentur.* Tria quoque genera sunt Renuntiationum. Primum est, quo vniuersis bonis temporalibus nuntium remittimus: alterum, quo etiam cupiditates earum rerum exuimus: tertium quo mentem animumque ab omnium rerum visibilium studio & cogitatione, ad rerum inuisibilium & cælestium contemplationem atque amorem traducimus: scilicet contemplantes (vt monet B. Paulus) non ea quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. Itaque in carne viuentes extra carnem, conuersationem nostram in cœlis habemus. Atque hæc tria Renuntiationum genera vt simul perficiantur, etiam ipsi Abrahæ legimus Dominum præcepisse, cum ei dixit: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Primò dixit, *Exi de terra tua*, id est, de facultatibus mundi huius, opibusque terrenis. Secundò dixit, *De cognatione tua*, id est, de conuersatione & moribus, vitiisque prioribus, quæ nobis à nostra natiuitate cohærentia, velut affinitate quadam & consanguinitate cognata sunt. Tertiò dixit, *De domo patris tui*, id est, de omni memoria mundi huius, rerumque mundanarum, quæ perpetuo nostrorum oculorum occurrunt obtutibus. Hactenus quæ commemorauimus, à Cassiano prodita sunt.

Psal. 77. & 106.

2. *Cor.* 4.

VERSV 2. *Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.*

Vocatio DEI duas res cõtinet, vnam quasi terminum à quo, alteram vt terminũ ad quem.

OMNIS vocatio diuina hominum, siue ad gratiam & iustitiam simpliciter, siue ad singularem & eximium aliquem sanctitatis ac dignitatis gradum, duas res continet; alteram quasi terminum à quo, abiectionem aliquarum rerum, quas qui vocatur derelinquere debet; alteram tamquam terminum ad quem, promissionem bonorum, quæ, si quis vocanti DEO auscultauerit, consecuturus est. Nonne hoc animaduertere licet in verbis illis Dauidis, *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum & domum patris tui; & concupiscet rex decorem tuum?* Et in illis Domini nostri ad adolescentem quendam; *Si vis perfectus*

Psal. 44.

Matth. 19.

ctus esse, Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo? Abram igitur iussus est à DEO relinquere patriam, cognatos, & paternam domum; sed mox addita est merces amplissima, qua ei promissa est numerosa & glorioſa posteritas, affluentia bonorum temporalium, claritas nominis ac famæ, diuina eius beneuolentia & tutela, & quod super omnia est, Messias ipse ex eius stirpe generandus. Compara quæ Abram iussu DEI dereliquit, cum iis quæ daturum se illi promisit DEVS; & videbis quam liberaliter & quam cumulate remuneratus sit eum DEVS. Iussit patriam deserere: sed meliorem ei promittit dicens: *Veni in terram quam monstrauero tibi:* cuius terræ non tantum habitationem, verum etiam possessionem pollicitus est. Iussit deserere cognatos: sed pro paucis cognatis, & gentem magnam posteritatis ei repromittit. Exire iubet de domo patris: sed eum patrem multarum gentium constituit; vt pro patris benedictione, DEI benedictionem, nullius non boni efficacem, consequatur. O admirabilem commutationem rerum! Exigua, vilia, breuique peritura bona, quibus nos ipsi priuamus propter CHRISTVM, amplissimis æternisque bonis à DEO compensantur. Quapropter non inepte hic dici posset quod DEVS apud Isaiam dixit: *Scies quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis. Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum.* Caietanus ait supradictis DEI verbis septem bona fuisse promissa Abrahæ, vt per ipsum numerum septenarium, vniuersitas omnium bonorum insinuaretur: Primum fuit Principatus magnæ gentis, seu Paternitas amplissimæ posteritatis: Secundum, copia facultatum: Tertium, Gloria nominis: Quartum, Complexio omnium DEI benedictionum, cum dicitur: *Et sis benedictio*, sic enim legitur Hebraice, pro eo quod Latinus interpres vertit, *Et eris benedictus.* Benedictio autem in abstracto, comprehendit omnia benedictionum genera. Quintum, quod non solum DEVS benefaciet ipsi Abrahæ, sed etiam amicis eius: Sextum, quod inimicos eius vlciscetur: Septimum, quod in ipso benedicendæ essent omnes cognationes terræ: quod euenit per ipsum Messiam qui filius Abrahæ fuit; ex omni enim gente aliqui benedicti sunt per CHRISTVM, qui mortuus est pro omnibus. Cæterum perpendamus singula verba. Nam, vt inquit Rupertus, in omnibus huius sententiæ verbis, ne vnum quidem iota, vel apicem vnum, vacare aut carere rei pondere certò putandum est.

Isaiæ. 60.

Caietanus in cap. 12. Genesis. Septem promissa Abrahæ.

Rupertus li. 5. Commentario. in Genes. cap. 1.

28 *Faciamque te in gentem magnam.* Magnam intelligere possumus multitudine, id est, numerosam, sicut dicitur magnus exercitus; nam paulo infra, posteritas Abrahæ propter multitudinem comparatur cum puluere terræ & stellis cæli. Et vero, multæ ac variæ gentes ex Abram proseminatæ sunt: per filium quidem eius Ismaelem, Gens Ismaelitarum: per nepotem eius Esau, Gens Idumæorũ: per alterum nepotem Iacob, Gens Hebræorum, (de qua proprie dictasse verba hæc, credibilius est:) ex filiis autem susceptis ex altera coniuge, cui nomen Cethura, Madianitæ, Sabæi, Afri, aliæque gẽtes. Rupertus tamen & de vna gente

Gen. 13, & 15. Multiplicatio posteritatis Abrahæ. *Genes.* 25.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hebræorum hoc interpretatur, & magnam gentem appellari eam putat, non propter multitudinem, sed propter claritatem & gloriam. Non dixit, ait Rupertus, gentem multam, siquidem gens Hebræa exigua fuit in comparatione aliarum complurium gentium: Audi Mosem ita loquentem Hebræis: *Non quia cunctas gentes numero vincebatis, elegit vos Dominus, cum omnibus sitis populis pauciores: sed quia dilexit vos Dominus, & custodiuit iuramentum quod iurauit patribus vestris.* Bene ergo non ait, (Faciam te in gentem multam) sed in gentem magnam. Nam vere magna gens, cuius Dominus DEVS eius; quã magnificauit & honorauit magnus Dominus; de qua magnos Patriarchas, & Reges, ac diuersorum meritorum magnos viros habemus, per quos veri DEI magnitudinem cognouit mundus. Ergo magna Gens futura dicitur Hebræa gens, magnitudine opum, honorum, virtutum, illustrium virorum, rerum gestarum, & prærogatiuarum, quibus à DEO præter alias gentes nobilitata est: vt recte in eam dictum sit: *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.*

Deuter. cap. 7.

Psal. 147.

30 *Et benedicam tibi.* Benedictio DEI denotat affluentiam bonorum. Ergo sensus est: Bona temporalia, quæ auidissime expetuntur ab omnibus, ea tibi expleta cumulataque tribuam. Sed quia post promissionem Gentis magnæ, quæ pertinet ad carnalem progeniem Abrahæ, subiunxit, *Et benedicam tibi*: existimat Rupertus hanc benedictionem non esse intelligendã temporalẽ, nec pertinere ad carnale illud semen Abrahæ; sed esse spitituale, & spectare ad semen spirituale, id est, fideles fidem Abrahæ sectantes, de quibus dixit Ioannes Baptista: *Potens est* DEVS *de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Hæc igitur benedictio Abrahæ ad Nouum Testamentum potius quam ad Vetus pertinet: de qua scilicet illud dictum est à Dauide: *Etenim benedictionem dabit legislator.* Si post legis Mosaicæ lationem, danda promittitur benedictio; ea profecto ad nouam legem, id est, gratiam SPIRITVS SANCTI referri debet, de qua scriptum est: *Lex per Mosem data est, gratia & veritas per* IESVM CHRISTVM *facta est.* Sic Rupertus.

Rupertus loco citato.

Matth. 3.

Psal. 83.

Ioan. 1.

31 *Et magnificabo nomen tuum.* Faciam vt nomen tuum toto orbe, omnibusque seculis non modo notum & clarum sit, verum etiam magna cũ tui laude & admiratione celebretur. Nam & olim non solũ apud Hebræos, aliosque ex stirpe Abrahæ ortos populos, sed etiam apud alias gentes magnũ fuit & venerabile nomen Abrahæ, & ab Ethnicis scriptoribus (quos Iosephus refert libro primo Antiquitatum, & Eusebius extremo libro nono de Præparatione Euangelica) eximijs præconijs celebratũ. Adde quod apud Christianos toto sparsos orbe, & ex omni gente delectos, clarissimum est eritque semper nomen Abrahæ: cuius nempe filios se agnoscũt secundum promissionem, & eius fidem atque obedientiam consectantur. *Magnificabo* igitur *nomen tuum*, hoc est, Per totum orbem deuotio fidei tuæ, præstãtia religionis ac pietatis, inuicta animi fortitudo, & excellentia obedientiæ, pleno ore laudabitur ab omnibus; quin etiam tanquam perfectũ virtutis exemplar imitandum sibi

Quantopere magnificatus à Deo fuerit Abrã.

Iosephus. Eusebius.

Rom. 9.

sibi proponent, quicumque ad fastigium absolutæ & consummatæ virtutis peruenire cupient. Ea quoque ratione nomen Abrahæ vehementer magnificatum est, quod cum nomine DEI magno & tremendo vnà profertur etiam nomen Abrahæ: dum per vniuersum terrarum orbem talis nominis DEI definitio prædicatur: DEVS *Abraham*, DEVS *Isaac*, DEVS *Iacob*. Quid potuit magnificentius dici, quam, vt qui communiter DEVS omnium est, is præcipue ac proprie DEVM se Abrahæ appellari ab omnibus ac prædicari velit? Rupertus putat hoc quod dicitur, *Magnificabo nomen tuum*, etiam aliter intelligi posse: vt non ad personam Abrahæ, sed ad semen eius, id est, CHRISTVM referatur. Quemadmodum enim dictum est, *In te benedicentur omnes cognationes terræ*; quod non tam de ipso Abrahamo intelligitur, quam de semine eius qui est CHRISTVS, ita & hoc, *Magnificabo nomen tuum*, pertinet ad CHRISTVM, cui DEVS Pater tale tantumque dedit nomen, vt vere de eo cantetur: *A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini.* Dedit enim ei nomen, vt inquit Paulus, quod est super omne nomen: Vt in nomine IESV omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.

Rupertus loco supra citato.

Galat. 3.

Psal. 112.

Ad Philip. 2.

32 Tria igitur bona superioribus verbis DEVS promisit Abrahæ. Primo magnam posteritatem, tum abundantiam rerũ temporalium, præterea claritatem nominis, & famæ celebritatem. Ex quo apparet, splendorẽ nominis & famæ, & in bonis esse ponẽdum, & posse à viris etiam bonis laudabiliter expeti, quando pro magno bono sanctissimis hominibus à DEO promittitur, & donatur. Testis huius rei est diuina Scriptura; *Curam*, inquit, *habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi quàm mille thesauri pretiosi & magni.* Audi etiam Philonem qui hæc ipsa verba DEI de Abram allegorice (vt pleraque solet) tractans, ita scribit: Sicut bonum ac honestum esse, ita & videri atque haberi prodest. Est quidem veritas opinione hominum melior; vtramque tamen sua bona fortuna sequitur. Multi enim nõ fucati nec simulati cultores virtutis, capti eius natiua pulchritudine, neglectis vulgi rumusculis, petiti sunt insidiis, pro malis habiti, cum re vera boni essent. Cæterum bona existimatio tum demum prodest, quando ex re nascitur; sicut experimur in corporibus. Nam etiamsi omnes homines ægrotum bene valere, aut sanum ægrotare crederent; ea tamen opinio nec prodesset homini nec obesset, quippe nec morbum ei nec sanitatem afferret. At cui DEVS vtrumque concessit, vt bonus & sit ipse, & aliis videatur; is verè beatus est, & verè vir magni nominis. Non itaque negligenda est bona fama, res tum ad custodiam, tum ad dignitatem vitæ vtilissima. Sic Philo. Merito igitur laudatur illud Socratis de comparanda gloria præceptum: hanc esse ad gloriam proximam, & quasi compẽdiariam viam, si talis esse quisque studeat, qualem se haberi cupit.

Magnum bonum esse bonum nomẽ & famã.

Ecclesiast. 41.

Philo in libro qui inscribitur de Migratione Abrahæ.

Hoc dictũ Socratis refert Cicero lib. 2. De Officiis.

33 *Et eris benedictus.* His verbis certum securumque facit DEVS Abram, hæc sua ipsi rata fore promissa: quasi diceret, Benedictio quam imper

Universidad de Deusto
Biblioteca

impertior tibi,erit sine dubio efficax, omnino præstans quod promisi. Hæc enim differentia est humanæ benedictionis ac diuinæ; quod illa plerumque inefficax est;nō enim in potestate hominis est præstare bona quæ optat aut precatur alteri.Itaque vsu venit,vt qui ab homine benedictus est,re vera non sit benedictus, id est, benedictionis eius vim atque effectum minime consequatur. At diuina benedictio nunquam frustratur effectu:quia DEVS potens est cumulate præstandi quicquid homini pollicitus est.Recte igitur dictum est:*Ego benedicam tibi, & eris benedictus.* Vt iam nunc certissima spe percipiens bona tibi à me promissa,gaudeas, & in rebus aduersis quæ tibi contingent,te ipse recrees atque sustentes.Hebraice ad verbum est; *Et sis*,vel,*esto benedictio.* Illud (sis) Imperatiui modi significat deliberatam & efficacem DEI voluntatem vt illud fiat.Illud autem *benedictio* more Hebraico positum est pro benedictus. Habet tamen magnam emphasim quoties nomen abstractum ponitur pro concreto, significatur enim excessus quidam & excellentia eius rei quæ alicui tribuitur:vt si quem excellenter prudentem aut iustum, vehementer laudare volumus,solemusdicere, est ipsa Prudentia vel Iustitia:nomen enim abstractū,purius & plenius formam ipsam,significat quam nomē concretum. Nec ea loquendi consuetudo non est in Latina lingua: frequens enim in ea est,hominem sceleratissimum & pernicioſissimum,appellari scelus,pestem,exitium

Abstracta pro concretis vsurpari in sacris literis secundum duplicem significationem

Nec illud est ignorandum, abstracta pro concretis vsurpari in sacris literis dupliciter, interdum actiue,nonnumquam etiam passiue.Exempla in sacris literis,maxime vero in Psalmis passim obuia sunt:hinc illa Deus illuminatio vel lux,salus,fortitudo mea,id est,me illuminās, saluans, fortem faciēs:Et illa,Dominus exultatio mea,laus,& gloria mea; id est, in quo exulto, quem laudo, in quo glorior: & apud Paulum CHRISTVS dicitur iustitia, sanctificatio, & redemptio nostra, id est,iustificans, sanctificans & redimens nos. Ergo nostri temporis Hæreticos, qui ex hoc loco Pauli argumentantur hominem iustificari coram DEO non intrinsecus per inhærentem sibi iustitiam ei à DEO infusam,manifestum est, vel per inscitiam falli, vel per malitiam alios velle fallere. Verum Hebræi secus ac dictum est,hæc verba interpretantur. Aiunt enim his verbis significari,fore vt in populo Hebræorum Sacerdotes benedicentes populo, hac vterētur benedictionis formula, DEVS Abrahā,& DEVS Isaac,& DEVS Iacob benedicat tibi;DEVS Abraham benedicat tibi. Itaque benedictio illa publica incipiebat à nomine Abram,& in idem nomen terminabatur,& hoc esse volunt quod hic dicitur,*Sis benedictio*, quasi dicat;tuo potissimum nomine constabit benedictio qua benedicetur populo meo. Sed tali benedictionis formula vsos esse sacerdotes, mihi non liquet:Illud certe liquet aliam instituisse DEVM formam benedicendi populo. *Locutus est Dominus ad Moysen*, inquit Scriptura, *Loquere Aaron & filijs eius.Sic benedicetis filijs Israel & dicetis eis,Benedicat tibi Dominus& custodiat te.Ostendat Dominus faciem suā tibi, & misereatur tui.Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det*

Hebręorum interpretatio.

Numer.ca.6. Formula benedicēdi populo Hebræo per sacerdotes.

det tibi pacem. Inuocabuntque nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.

35 *Benedicam benedicentibus tibi,& maledicam maledicentibus tibi.*Non potuit expressius quam his verbis, declarari DEI erga Abram beneuolentiæ ac fauoris magnitudo, perpetuaque eius cura & tutela:Non solum,inquit Deus, diligam te,& tibi benefaciam; sed etiam propter te diligam amatores tuos, & benefactoribus tuis benefaciā; inimicos autem tuos odio prosequar ac disperdam.Et hoc DEI promissum re ipsa comprobatum est. Etenim Lot filium fratris Abrahæ de Sodomitico eripuit incendio propter ipsum Abram. Sic enim scriptum est Genesis 19.*Cum subuerteret* DEVS *ciuitates regionis illius; recordatus est Abrahæ;& liberauit Lot de subuersione vrbium in quibus habitauerat.* Propter eundem quoque Abrā benedixit DEVS Ismaeli,licet is extraneus populo DEI futurus esset.Dixit enim DEVS Abrahæ; *Super Ismael quoque exaudiui te,Ecce benedicam ei, & augebo,& multiplicabo eum valde. Duodecim duces generabit,& faciam illum in gentem magnam.*Contra vero, quatuor reges victoria elatos ac feroces,qui Lot, omnesque facultates eius ceperant, per Abram parua manu profligauit. *Genes.* 17. *Genes.* 14.

36 Et Abram quidem fuisse in gratia & tutela DEI,notum erat ijs gentibus quibus cum versabatur: quam etiam ob causā summo apud omnes in honore & veneratione erat.*Responderūt Abram filij Heth*, ait scriptura,*dicētes,Audi nos domine,princeps* DEI *es apud nos.*Abimelech quoque licet rex esset,& exercitu potens, gratiam tamen & amicitiam Abrahæ affectauit & ambiuit. Audi quid narret de eo scriptura: *Dixit Abimelech*(rex Geraræ paulo supra Genes.20.nominatus fuerat) *& Phicol princeps exercitus eius ad Abrahā,*DEVS *tecum est in omnibus quæ agis: iura ergo per* DEVM *ne noceas mihi & posteris meis, stirpique meæ:sed iuxta misericordiam quā ego feci tibi,facies mihi & terræ in qua versatus es aduena.* O res mira! Rex, & exercitu armatus metuit hominem & priuatum & inermem: Cur?non aliam sane ob causam nisi quia diuino eum præsidio videns circumuallatum,sciebat eum esse insuperabilem,quin etiam omnibus formidandum.Balaam solicitatus à rege Moab vt malediceret populo Hebræo, respōdit:*Quomodo maledicā ei cui non maledixit* DEVS? *qua ratione eum detester, quem Dominus non detestatur?* Itaque verba hæc summam afferre consolationē ac fiduciam sancto viro Abrahæ debuerunt,vt securo lætoque animo illud Dauidicū carmen vsurpare posset: *Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos,*&,*Dominus protector vitæ meæ,à quo trepidabo?Si exurgat aduersum me prælium,in hoc ego sperabo. Si ambulauero in medio vmbræ mortis,non timebo mala,quoniam tu mecum es.* *Numer.* 23. *Psal.*117. *Psal.*26. *Psal.*22.

37 *Atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.*Hoc extremum promissum,non modo præstantius est superioribus,sed est supremum felicitatis Abrahæ fastigium.Prærogatiuæ enim Abrahæ, partim ob insignem eius sanctimoniam ei concessæ sunt,partim quia futurus erat pater populi DEI,maxime vero quia de stirpe eius generandus erat Messias,qui omnium DEI promissionum omniumque donorum finis fuit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad quem illa referebantur. Illud *in te*, idem significat ac *per te*, vel *propter te*: assumendo nomen tuum, tales sibi omnes contingere benedictiones optabunt, quales tibi contigerunt. Illud *cognationes* idem est, atque familiæ seu tribus terræ, nam Græce est φυλαὶ, id est, tribus. hæc autem omnia idem significant, ac si diceretur, Vniuersæ gentes terræ; vt patet ex capite 22. huius libri, vbi hæc ipsa benedicto paulo expressius ponitur his verbis: *Et benedicentur in semine tuo, omnes gentes.* Verum quæstio existit, quo modo omnes gentes benedictæ fuerint in Abram. Hebræi sententiam huius promissionis sic interpretantur, omnes gentes precantes sibi vel alijs bona, ita dicent; Sic mihi benedicat vel faciat DEVS, sicut benedixit & fecit Abrahæ. Simile quiddam de Romanis proditum est; qui cum Imperatores eorum inaugurabantur, & Imperij solennia capiebant, illud in publicis acclamationibus & votis vsurpabant: *Sis felicior Augusto, & melior Traiano.* Sed vt id factitatum sit à posteris Abrahæ, quis credat obseruatum esse ab alijs gentibus etiam barbaris, ad quas ne nominis quidem Abrahæ notitia peruenerat? Quocirca nonnulli verba illius promissionis ita exponunt: *In te*, id est, propter fidei & obedientiæ tuæ imitationem, omnes gentes benedicentur: omnes enim veri imitatores fidei Abrahæ benedicti sunt, & benedicentur à DEO. Verum propterea id mihi non probatur, quod ea ratione nihil singulare nec eximium diceretur de Abram. Idem enim dici posset de Noe, Mose, Dauide, quorum præstantiam virtutum quicumque imitantur, eos similiter à DEO benedici non est dubitandum.

Quomodo omnes gentes benedictæ sint in Abram.

38 Sed quid ego moror germanam ac veram horum verborum interpretationem ex B. Paulo in medium proferre? Is enim propriam huius promissionis vim & intelligentiam doctus à DEO, interpretatur ea verba de CHRISTO. Itaque illud, *In te*, idem significat, ac in tuo semine. Sic enim exposuit DEVS infra capite 22. Illud autem semen Abrahæ fuit CHRISTVS. Ergo cum benedictio non acciderit cunctis gentibus ex persona Abrahæ, nec ex vllo posterorũ eius, præter vnum Messiam, res ipsa loquitur, euidenterque testatur non posse aliter hunc locum nisi de Messia intelligi. Nimirum de eo dixit Simeon: *Lumen ad*

Ad Gal.3.

Luc.2. *reuelationem Gentium:* & Isaias: *Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea*

Isa.49. *vsque ad extremum terræ.* Et Paulus; *Qui benedixit nos in omni benedictione*

Ephes.1. *spirituali in cælestibus in* CHRISTO. Et vt hæc vltima promissio soli CHRISTO conuenit; ita superiores ex parte quidem in Abram, ex toto autem perfecteque in CHRISTO cõpletæ sunt: Exempli causa, illud; *Faciam te in gentem magnam:* & item illud: *Magnificabo nomẽ tuum:* atque illud etiam: *Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi.*

Quantũ valeat vir iustus & sanctus apud DEVM.

39 HOC loco lectori cogitandum ac perpendendum est, quanti faciat DEVS homines iustos & sanctos. Etenim per hos, & propter hos sæpenumero mira facit, quæ non modo ad illos pertinent, sed etiam ad alios, eosque non paucos tantum & priuatos, sed etiam ciuitates, reges,

reges, populos, & nationes. Exempla huius rei plurima sunt & clarissima in sacris literis; quædam velut cursim indicasse satis fuerit. Ante diluuium, per quam illustre exẽplum suggerit nobis Scriptura Henoch, quem DEVS ex mortalium societate, consuetudine, & conuictu eductum, & in statum vitæ plane ignotum homini translatum, tot iam millia annorum tanto potentiæ suæ ac prouidentiæ miraculo conseruat. Post diluuium, immo in ipso diluuio fuit Noe: post hunc Abram, Isaac, Iacob, Ioseph: post hos Moyses; denique Dauid & Helias, vt alios quamplurimos taceam. Quid sceleratius & execrabilius ciuitate Sodomorum? Huic tamen se parciturum fuisse dixit DEVS, si decem iusti homines in ea ciuitate fuissent.

Genes.5.

Genes.6.

Genes.18.

40 Non possum facere vt tacitum præteream, quod in hanc sententiam luculente scriptum est à Philone: Compertum est, inquit, ad familias, ciuitates, regiones, nationes, atque etiam patentissimos terrarum tractus, ex vnius viri probitate nonnumquam magna peruenisse commoda, amplissimasque felicitates: præsertim vero cum ille simul cum bona mente, diuinitus accepit inuictam potentiam, & largam atque expeditam benefaciendi facultatem: vt cum peritissimus musicæ, ad canendum pulsandumve, perfecta nactus est instrumenta: aut cum magno igni ingens lignorum non deficit materia. Nimirũ vir iustus quasi fulcrum & firmamentum est generis humani, bona sua liberaliter in communem hominum vtilitatem & publicum vsum afferens. Idem quidquid apud seipsum non inuenit, à DEO bonorũ omnium & possessore ditissimo, & benignissimo largitore postulat. At ille aperto cœlesti promptuario, nimis imbrisque in morem affatim depluit, vt inde omnes terrestres lacunæ restagnent. Hæc autem DEVS, supplicationibus iustorum hominum permotus, largiri solet: dixit enim Moysi qui pro peccato Hebræorum ei supplicabat: *Propitius ei sum iuxta preces tuas.* Oremus igitur vt tamquam columna in domo, & mens in anima, sic humano in genere vir iustus permaneat ad calamitatum remedium: nam hoc incolumi de salute publica desperandum non est: per hunc enim seruator DEVS præsentissimam medicinam porrigit, qua obliuiscantur animæ vulnera per ignorantiam, iniustitiam, aliaque vitia mortalium animis inflicta. Exemplum extat in Noe iusto; qui generali diluuio terrarum orbe absorpto, fortiter supernatans fluctibus, euasit omni clade superior: nec ipse tantum seruatus est, sed ex se amplas pulchrasque radices emisit, vnde natum est genus sapiens, & triplex ille celebratus omni æuo fructus Abraham, Isaac & Iacob. Sic Philo.

Philonis in lib. de Migratione Abraham præclara sententia.

Exod.32.

Gen.7.8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECVNDA DISPVTATIO.

Vtrum ab eo tempore quo DEVS *hanc promißionem dedit Abrahæ, vsque ad tempus legis per Mosen in monte Sina Hebræis promulgatæ, transierint quadringenti & triginta anni.*

CAVSAM de hoc dubitandi afferunt nonnulli scripturæ loci, qui circa hoc videntur inter se discrepare. Etenim tempus illud inter hanc promissionem Abrahæ & legem Mosis interiectum, fuisse quadringentorum & triginta annorum, clare docet B. Paulus ita scribens: *Hoc autem dico, testamentum confirmatum à* DEO, *quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem.* Argumentatur ibi Paulus benedictionem & gratiam DEI non dari per legem Mosis; quoniam quadringentis & triginta annis ante legem, DEVS eam promisit Abrahæ & semini eius, in cuius semine dixit benedicendas esse omnes gentes. Ponit igitur Paulus, vt certum & indubitatum, inter promissionem Abrahæ datam, & legem Mosis annos triginta & quadringentos esse transactos. 41 *Ad Gal. 3.*

Ex altera parte sunt duo scripturæ loci huic sententiæ in speciem contrarij: vnus est in capite 15. Geneseos, vbi DEVS fore prædixit vt semen Abrahæ, id est Hebræi, durissimam seruitutem in terra aliena, id est, in Ægypto per quadringentos annos seruiret; Si autem Hebræi fuerunt in Ægypto per quadringentos annos, cum à tempore huius promissionis, quo tempore Abram dicitur fuisse septuagintaquinque annorum, vsque ad descensum Iacob in Ægyptum cum vniuersa familia sua, colligantur ex historia libri Geneseos anni ducenti quindecim, id est, vigintiquinque vsque ad ortum Isaac; sexaginta vsque ad ortum Iacob; centum triginta vsque ad descensum eius in Ægyptum; cum hæc, inquam, ita se habeant, necesse profecto est, à tempore huius promissionis Abrahæ vsque ad promulgationem legis Mosaicæ plus sexcentos annos præteriisse. Alter locus est in libro Exodi capite 12. vbi hæc scribit Moses: *Habitatio filiorum Israël, qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* His adde ducentos quindecim annos paulo supra commemoratos à tempore huius promissionis Abrahæ vsque ad descensum Iacob in Aegyptum, quod initium fuit habitationis Hebræorum in Ægypto; & comperies tempus exactum à promissione Abrahæ vsque ad legem Mosis, non minus quam sexcentorum quadragintaquinque annorum esse potuisse. Hæc igitur discrepantia locorum sacræ Scripturæ, fecit computationem illam annorum, quæ est apud Paulum, valde obscuram & perdifficilem ad explicandum.

Quam

Quamobrem S. Hieronymus supra dictum Pauli locum in epistola ad Galatas explanans in suis commentariis, indicata tantum rei difficultate, eam reliquit inexplicatam. Sic enim scribit: Supputandi sunt in hoc loco anni à promissione Abrahæ vsque ad legislationem Mosis, vtrum quadringenti triginta sint: vel quomodo in Genesi Dominus ipsi Abrahæ pollicitus est, posteros eius exituros de terra seruitutis post quadringentos annos: non enim parua res est; & à multis quæsita, nescio an ab aliquo sit inuenta. Sic Hieronymus. S. Hieronymus super 3. ea. epistolæ ad Galatas. *Genes. 15.*

42 Vnus omnium tam nostræ quam superioris memoriæ scriptorum (quos equidem legerim, & nisi me fallit memoria) Genebrardus vir doctus ac pius, non dubitauit contra omnium sententiam dicere, à tempore huius promissionis Abrahæ vsque ad tempus legis in monte Sina promulgatæ, amplius sexcentos annos fluxisse. Illos autem quadringentos & triginta annos, post quos Paulus ait latam esse legem, negat Genebrardus computari debere à tempore huius promissionis Abrahæ, esse enim multo plures; sed ab initio habitationis Hebræorum in Ægypto, siue à tempore quo Iacob descendit in Ægyptum: lex enim lata est post quadringentos triginta annos quibus Hebræi habitauerant in Ægypto, vt patet ex capite 12. Exodi. Hanc præterea opinionem suam firmat Genebrardus tum ratione, tum auctoritate diuinæ Scripturæ. Etenim si Hebræi annos dumtaxat ducentos quindecim in Ægypto mansissent, vt plerique omnes putant, incredibile videri ait, potuisse eos tam breui tempore in tantum numerum multiplicari, vt in eorum egressu ex Ægypto recenseri possent plus sexcenta millia bellatorum: cui numero, si adiiciatur numerus mulierum & marium vsque ad vigesimum ætatis annum, & senum qui per ætatem inhabiles bello erant, fuisse eos omnes circiter tricies centena millia satis est verisimile. hanc igitur tantam hominum multitudinem intra ducentos & quindecim annos ex septuaginta tantum hominibus, qui cum Iacob primum ingressi sunt in Ægyptum, esse propagatam, respuit animus credere. Ac licet nulla ad id probandum ratio suppeteret, sola tamen sacræ Scripturæ auctoritas ad id persuadendum sufficeret; apertissimis enim verbis in capite 12. libri Exodi proditum est à Mose, habitationem Hebræorum in Ægypto fuisse quadringentorum & triginta annorum. Ergo cum Paulus dixit legem Mosis, quæ post quadringentos triginta annos facta erat, non potuisse irritam facere promissionem quæ data fuerat Abrahæ: Illud, *Post quadringentos & triginta annos*, censet Genebrardus referri non debere ad promissionem Abrahæ, sed ad habitationem Hebræorum in Ægypto: haud dubie enim Paulum spectauisse ad illa verba Mosis Exodi 12. *Habitatio filiorum Israel, qua illi manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* Post hos vero quadringentos triginta annos lata est lex in monte Sina. Atque hæc quidem est Genebrardi opinio. Genebrardi lib. 1. Chronologiæ, opinio noua & communi Doctorum sententiæ contraria.

43 Verum Genebrardo reclamant & aduersantur omnes, quotquot vniuersam sacræ Scripturæ Chronologiam ordine, & cum cura ac Refellitur Genebrardus.

diligentia tractarũt tam Christiani quam Hebræi, tam huius temporis quam superioris æui scriptores. Eusebius quidem certe, quem in sacra & Ecclesiastica Chronologia tractanda posteriores chronographi secuti sunt, ad hunc modum scribit : Abram, cum septuagintaquinque esset annorum, diuino dignus habetur colloquio, & ea repromissione quæ ad eum facta est. A septuagesimoquinto anno Abrahæ vsque ad egressum Hebræorum ex Aegypto supputantur anni quadringenti triginta, quorum meminit Paulus ita dicens : *Testamentum confirmatum à* DEO; *quæ post quadringentos triginta annos facta est lex, non infirmat ad destruendam repromissionem.* Ipse quoque Moses in libro Exodi his congruens, ad hunc modum scribit: *Habitatio filiorum Israel, qua habitauerũt in Aegypto, & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum, anni quadringenti triginta.* Hæc Eusebius. Eadem fuit B. Augustini sententia, cuius hæc sunt verba: Intelligendum est, quod eodem anno facta sunt tria illa; & DEI promissio antequam Abram habitaret in Charra, & habitatio eius in Charra, & inde profectio eius in terram Chanaan: non solum quia Eusebius in Chronicis ab anno huius promissionis computat annos quadringentos triginta vsque ad exitum Hebræorum ex Ægypto, quando lex illis data est; verum etiam quia id commemorat Apostolus Paulus. Idemque repetit Augustinus cap. 24. eiusdem libri. Eusebij porro & Augustini vestigia persequens Beda tradit similia, sed paulo expressius atque enucleatius. Nam commemorans illa verba Exodi 12. *Habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum & triginta annorum*; subdit hæc: Horum summam annorum Chronographi computant à septuagesimoquinto anno natiuitatis Abram, quãdo primum intrauit terram Chanaan; videlicet sequentes editionem septuaginta interpretum quæ sic habet eo loco: *Habitatio filiorum Israel, qua habitauerunt in Aegypto, & in terra Chanaan, ipsi, & patres eorum, anni quadringenti triginta.* Quam lectionem necessario esse sequendam, & ipsa Hebraica veritas ostendit; hæc enim narrat Chaath filium Leui, qui cum auo suo Iacob ingressus erat Ægyptum, vixisse annos centum triginta tres, & filium eius Amram patrem Mosis centum triginta septem, & ipsum Mosem, cum annum ageret octogesimum, eduxisse populum Hebræum ex Ægypto: quorum omnium annorum numerus summam illam quadringentorum & triginta annorum implere non potest. annuit etiam huic traditioni Paulus Apostolus scribens, legem fuisse datam Hebræis annis quadringentis triginta post promissionem DEI factam ipsi Abrahæ. Hæc Beda.

Eusebius in Chronico.

Augustinus de Ciuitate Dei libr. 16. ca. 16. & 24.

Ad Gal. 3.

Beda in lib. de sex ætatib. Mundi.

Genes. 43.
Exod. 6.

S. Hieron. *Ad Galat. 3.*

Nec B. Hieronymus non idem sensit: quinimo explanans illa verba Pauli ad Galatas, huiusmodi computationem annorum sequitur. Nec eo loco dubitauit ipse de veritate huius computationis, sed de ratione conciliandi locum illum Pauli cum alijs scripturæ locis in speciem ab eo discrepantibus; præsertim autem cum loco illo Geneseos 15. vbi scriptum est, semen Abrahæ seruiturum quadringentis annis. Hoc ipsum cẽsent Hebræi, & tradũt in sua maiori Chronologia, quã appellant ipsi

Seder

Seder Holam, quam ex Hebræo Latinã fecit Genebrardus. Enim vero, quin hæc ipsa fuerit Iosephi sententia, dubitari non potest. Is namque describens tempus, quo templum Hierosolymitanum à Salomone fabricatum est, sic ait: Exorsus est Salomon fabricam templi anno regni sui quarto, secundo mense, quem Macedones Artemisium vocant, Iar verò Hebræi, annis quingentis nonaginta duobus post egressum Hebræorum ex Ægypto; mille autem & viginti annis post migrationem Abrahæ ex Mesopotamia in terram Chanaan. Hæc Iosephus. Si ab anno quo migrauit Abram ex Mesopotamia in terram Chanaan, vsque ad fabricam templi Salomonis, numerãtur, auctore Iosepho, anni mille & viginti; cum ab egressu Hebræorum ex Ægypto vsque ad illud templum Salomonis recenseat idem Iosephus annos quingentos nonaginta duos; necesse profecto est à tempore migrationis Abrahæ, quo etiam tempore prælaram illam DEI promissionem accepit, vsque ad egressum Hebræorum ex Ægypto putari annos quadringentos viginti octo; quibus si duos tantum annos adiicias, efficies summam illam quadringentorum triginta annorum, pro qua nunc propugnamus.

Iosephus li. 8. Antiquitatum.

45 Cæterum locus ille Pauli, quem ex epistola ad Galatas toties in hac disputatione in medium produximus, tam euidenter id ostendit, quod nos probare intendimus, vt neminem, si quidem verba Pauli considerate perpendat, dubitare sinat. Paulus enim, si consideretur contextus verborum, & consilium ac propositum eius, simulque vis argumentationis qua vtitur, id agit eo loco, idque contendit probare, legem Mosis non habuisse vim infirmandi & irritam faciendi promissionem DEI datam Abrahæ, in qua continebatur benedictio omnium gentium per semen eius: quia lex, inquit Paulus, lata est quadringentis triginta annis post illam promissionem. Benedictio igitur omnium gentium non per legem Mosis, sed per illud semen Abrahæ expectanda erat. Ergo propositum Pauli & vis argumentationis eius necessario exigit, vt illud, *post quadringentos triginta annos*, non aliò quam ad promissionem Abrahæ referatur. Itaque incongruum est, annos illos referre ad tempus habitationis Hebræorum in Ægypto (quo tamen detorquere conatur Genebrardus) cum eius rei nullam eo loco mentionem aut significationem fecerit Paulus; nec ea res ad propositum eius faciat. Quid quod falsum est, Hebræos post descensum Iacob in Ægyptum habitasse ibi quadringentos triginta annos, vt bene probat S. Augustinus in lib. 15. de Ciuitate DEI cap. 24. & Beda eo loco quem proxime posui? Verum nos propterea id vrgere nunc supersedemus, quod opportuniori loco, cum ventum erit ad explicationem decimiquinti capitis huius libri, ea de re disputaturi simus.

Locus Pauli ad Galatas cap. 3.

46 Illud præterea monere lectorẽ hoc loco nõ prætermittã, permagni referre, supradictã descriptionem tẽporis à promissione Abrahæ vsque ad legem Mosis, firme constitutam & firmatam habere. Ea quippe si teneatur, tota sacræ historiæ Chronologia ab exordio Mundi vsque ad Babylonicæ captiuitatis Iudæorum solutionem, & ab initio libri

Quanti momenti sit cõputatio annorũ à promissione Abrahę vsque ad legẽ Mosis, supra exposita.

Geneseos

Universidad de Deusto Biblioteca

Geneſis vſque ad libros Eſdræ,id eſt, per annos plus tria millia quadringentos & triginta, perpetua ſerie inoffenſe atque expedite procedit; eiuſque proceſſus clara & certa cognitio ex ſacris literis deduci poterit. Etenim ab exordio Mundi vſque ad diluuium, anni mille ſexcenti quinquagintaſex colliguntur ex capite quinto Geneſis. A diluuio vſque ad ortum Abrahæ; anni ducenti nonagintaduo, Geneſ. 11. Ab ortu Abrahæ vſque ad promiſsionem ei datam à DEO, & aduentum eius in terram Chanaan,anni ſeptuagintaquinque, Geneſ. 12. A promiſsione Abrahæ vſque ad egreſſum Hebræorum ex Aegypto, ſiue vſque ad legem Moſis,quadringenti triginta,ad Gal.3.Ab egreſſu Hebræorum ex Aegypto, vſque ad ædificationem templi Salomonis, quadringẽti octoginta,3.Reg.6.A quarto anno regni Salomonis, quo anno templum ædificari cœptum eſt,vſque ad captiuitatem Babylonicam Iudæorũ,regnante Sedechia,anni quadringenti triginta,ex 3.&4. libro Regum: hinc denique vſque ad eiuſdem captiuitatis ſolutionem ſub initium regni Cyri,ſeptuaginta anni,2.Paralipomenon vltimo, 1. Eſdræ 1.Hieremiæ 25.Ecce tibi continuus ſacræ Chronologiæ decurſus,vniuerſam fere veteris Teſtamenti hiſtoriam continens,hac ratione ſine vllo impedimento procedit.

At vero,ſi computatio illa annorum quadringentorũ triginta à promiſsione Abrahæ vſque ad legem Moſis infirmetur ac labefactetur, vacillet neceſſe eſt atque labaſcat ſacra Chronologia; videlicet continuatio eius longo interuallo intercidetur. Nam etſi tẽpus,quod fluxit à promiſsione Abrahæ, ſiue ab anno ſeptuageſimoquinto eius vſque ad deſcenſum Iacob in Aegyptum, cognoſci poteſt ex libro Geneſis, fuit enim annorum ducentorum & quindecim,hoc eſt,vigintiquinque vſque ad ortum Iſaac,hinc vſque ad ortum Iacob ſexaginta,hinc denique vſque ad deſcenſum Iacob in Aegyptum, centum triginta:attamen interiectum tempus inter deſcenſum Iacob in Aegyptũ, & egreſſum Hebræorum ex Aegypto,quot annorum fuerit,plane incompertum & ignotum erit.

Sed profert Genebrardus duos ſacræ Scripturæ locos, in quibus certam eius temporis notitiam contineri putat; alterum ex capite 12. Exodi,vbi apertis verbis traditur filios Iſrael habitaſſe in Aegypto quadringentos & triginta annos:alterũ ex cap. 15. Geneſis, quo loco narrat Moſes prædictum fuiſſe à DEO,ſemen Abrahæ peregrinaturum in terra aliena,& ſeruiturum per quadringentos annos.Verum neutro ex loco,quod vult Genebrardus, concludi poteſt.nã prior ille locus Exodi,quemadmodum intelligendus eſſet, declararunt ſeptuaginta interpretes,qui ſic verba illa interpretati ſunt; *Habitatio,qua filij Iſrael,& patres eorum manſerunt in Aegypto,& in terra Chanaan, fuit quadringentorum & triginta annorum.* Atque hanc eius loci interpretationem ſecuti ſunt omnes qui ſacram Chronologiam tractarunt, tam Græci quam Latini, tam veteres quam recẽtiores,tam Chriſtiani quam Hebræi.Ex his apparet,locum illum Exodi pro noſtra potius opinione,quam cõtra eam

Locus Exodi cap.12.

facere.Ad poſteriorem autem locum,qui eſt in 15.capite Geneſis, hoc nunc breue reſponſum accipe (nam cum eo ventum fuerit,plura diſputaturi ſumus:)illos quadringentos annos peregrinationis & ſeruitutis, putãri debere ab ortu Iſaac,quod primum fuit ſemen per repromiſſionem datum Abrahæ; ſic exponunt eum locũ Hebræi, itáque debere intelligi egregie probat ſanctus Auguſtinus libro 16.de Ciuitate DEI cap.23.& in Quæſtionibus in Exodum,quæſtione 47. B. Auguſtinus.

48 POTERAM hic finem ponere huic diſputationi:ſed quodammodo religioni habeo diſſimulare hoc loco & celare lectorem,quod circa ſupradictam computationem quadringentorum & triginta annorum à promiſſione Abrahæ vſque ad legem Moſis, non leuem mihi dubitationem affert: vt ſi ea dubitatio penitus diſcuſſa & ſublata fuerit,nullus in poſterum circa eam rem dubitationis ſcrupulus moleſtia lectorem afficere, aut eum deducere à vetere & communi ſententia poſsit. Duæ res de computatione illorum annorum dubitare me faciunt. Etenim,primo dubium & incertum videtur,A qua promiſsione Abrahæ initium computationis illorum annorum ſumendum ſit.Triplex enim legitur promiſsio facta Abrahæ:Prima, quam narrat Moſes in exordio huius capitis 12.cum ei dictum eſt: *In te benedicentur omnes cognationes terræ*;& ad hanc dicat fortaſſe quiſpiam ſpectaſſe Paulum ad Galatas 3. qui eam commemorauit,ita ſcribens:*Prouidens autem Scriptura,quia ex fide iuſtificat Gentes* DEVS: *prænunciauit Abrahæ,Quia in te benedicentur omnes gentes.* Altera promiſsio pertinet ed ſemen Abrahæ. Verum hæc duplex fuit:vna, qua promiſit ſemini Abrahæ poſſeſsionẽ terræ Chanaan,Geneſ.12.& 13.altera vero, qua promiſit fore vt in ſemine eius benedicerentur omnes gentes terræ, Geneſ.22.Et Paulus quidem euidenter eo loco vrget promiſsionẽ DEI factam ſemini Abrahæ,ſic enim ſcribit:*Abrahæ dictæ ſunt promiſsiones & ſemini eius.Nõ dicit:Et ſeminibus, quaſi in multis:ſed quaſi in vno:Et ſemini eius, quod eſt* CHRISTVS. *Hoc autem dico teſtamentum confirmatum à* DEO:*quæ poſt quadringẽtos triginta annos facta eſt lex,non irritum facit ad euacuãdam promiſſionem.*Sic Paulus. Vrget igitur Paulus promiſsionem factam ſemini Abrahæ: ſed vtram promiſsionem? Non ſane illam de poſſeſsione terræ Chanaan: hæc nempe ad CHRISTVM proprie nõ pertinet: ergo illam de benedictione omnium gẽtium in ſemine Abrahæ,quæ data eſt ei cum voluit immolare Iſaac,Geneſ.22. Computatio igitur illorum quadringentorum triginta annorum ex hac promiſsione videtur duci oportere. At enim,cuius ætatis fuerit tũc Abram,nõ liquet ex ſacris literis.Ioſephus ſcribit fuiſſe eo tempore Iſaac vigintiquinque annorum;cui eſſet conſequens Abram fuiſſe tunc centum & vigintiquinque annorum; nam centenarius ipſe genuit filium Iſaac.Hebræi vero in ſua maiori Chronologia tradunt,Iſaac fuiſſe tunc triginta ſeptem annorum; quos ſi ſequamur, fuiſſet tunc Abram centum triginta ſeptem annorum. Ab hoc igitur tempore, ſi computentur illi quadringenti triginta anni quos memorat Paulus, non tranſiſſent ex eo tempore vſque ad deſ-

1.Dubitatio.

Duæ dubitationes circa prædictam computationem annorum 430.

Triplex promiſſio facta Abrahæ.

Ioſephus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

censum Iacob in Ægyptum, nisi centum quinquagintatres anni, & non, vti volunt omnes, ducenti quindecim: reliqui præterea anni habitationis Hebræorum in Ægypto non fuissent ducenti quindecim, vt placet omnibus Chronographis; sed fuissent anni ducenti septuaginta septem. Hæc si vera essent, ex his necessario efficeretur, à septuagesimo quinto anno ætatis Abrahæ vsque ad legem Mosis siue egressum Hebræorum ex Ægypto, non esse numerandos dumtaxat quadringentos & triginta annos, vt computant omnes, sed annos quadringentos nonagintaduos. Atque hæc est prior causa dubitãdi de communi sententia circa illam computationem annorum.

2. Dubitatio. Altera de eadem re dubitandi causa, hæc est: communis auctorum 49
sententia pro indubitato sumit, tempore illius primæ promissionis (demus enim ipsis, Paulum illos quadringentos triginta annos computare à prima promisione Abrahæ) fuisse Abram septuaginta & quinque annorum: sed id consideranti narrationem Mosis vel falsum videtur, vel certe maxime obscurum & dubium. Etenim prima illa promissio data est Abrahæ cum esset ipse in Chaldæa. Postea iussu DEI discedẽs inde Abram venit in ciuitatem Haran: vbi cum habitasset aliquandiu, profectus deinde est in terram Chanaan; atque eo tempore scribit Moses fuisse eum septuaginta & quinque annorum. Et communis quidem sententia pro certo ponit, omnia illa superiora, id est, vocationẽ Abrahæ in Chaldæa, & discessum eius inde, habitationẽque in ciuitate Haran, atque ex ea profectionem in terram Chanaã, intra vnum eumdemque annum septuagesimumquintum esse acta. Hoc auctores isti non probant, cum tamen vel incertum sit, vel etiam falsi quam veri similius esse videatur. Nam plus vno anno moratũ esse Abram in ciuitate Haran, non obscure significat Moses scribens, habitasse Abram in ciuitate Haran; & inde postea discedentem tulisse omnem substantiã & omnes animas quas ibi fecerat: Hoc autem, longius vno anno tempus consumpsisse Abram in ciuitate Haran, satis indicat.

Hæc disputaui, non quo velim conuellere, ne dum euertere veterem 50
illam & communem sententiam, quam supra muniui & firmaui, & quam amplectendam esse omnibus etiam nunc cẽseo: sed ne lectorem, quid esset in ea sentẽtia difficultatis, celarem. Itaque ad priorem illam dubitationem respondeo, initium computationis illorum quadringentorum & triginta annorum, de quibus agit Paulus, sumi debere à prima promissione Abrahæ, quam in exordio huius capitis duodecimi exponit Moses. Ac licet in ea promissione nominatim & expresse non fiat mentio seminis Abrahæ, quod præcipue, maximeque vrget Paulus, tecte tamen & inuolute insinuatur illis verbis: *In te benedicẽtur omnes gentes.* Namque illud, *In te*, dictum est pro *in semine tuo*, sicut explicate & perspicue postea dictum est Abrahæ, cum voluit immolare filium Isaac, vt narrat Moses Gen. 22. Non enim verba illa, si referãtur ad personam Abrahæ, veram sententiam continerent; sin autem referantur ad semen eius, qui est CHRISTVS, habent verissimam. Paulus igitur primam

Solutio primæ dubitationis.

primam illam promissionem commemorans, & ex ea quod intendebat argumentans, ad sententiam potius spectauit quam ad verba. Ad posteriorem vero dubitationem respõdeo, intra vnum eumdemque annum septuagesimum quintum ætatis Abrahæ tria illa esse acta; vocationem dico Abrahæ in Chaldæa, & habitationem eius in ciuitate Haran, & inde profectionem eiusdem in terram Chanaan, vt Eusebius in Chronicis, & S. Augustinus lib. 16. de Ciuitate DEI capite 16. & 24. aliique permulti & in primis clari auctores prodiderunt. Nec quicquam afferri potest ex sacris litteris, quo non esse id credibile aut possibile demonstretur. Nam quod opponebatur ex verbis Mosis quæ sunt in hoc capite 12. inualidum est ad id probandum, vt nos paulo infra, in explanatione eorum verborum, ostendemus.

Solutio posterioris dubitationis.

Eusebius. Augustinus.

Egressus est itaque Abram sicut præceperat ei Dominus, & iuit cum eo Lot septuagintaquinque annorum erat Abram, cum egrederetur de Haran. Tulitque Saraï vxorem suam, & Lot filium fratris sui, vniuersamque substantiam quam possederant, & animas quas fecerant in Haran: & egressi sunt vt irent in terram Chanaan.

VERS. 4. & 5.

51 ABRAM vocatu & iussu DEI ex Chaldæa discessit vna cum patre suo Thare vt iret in terram Chanaan. Sed cum venisset in ciuitatem Haran quæ illi occurrit in itinere, nec pater vltra progredi vellet, ne patrem desereret aliquandiu ibi mansit; quoad scilicet eo venit Nachor frater eius, alter filius Thare. Post cuius aduentum, confestim Abram mandatum DEI de eundo in terram Chanaan executus est, discedens ex ciuitate Haran. Audi beatum Augustinum: Intelligendum est, inquit, locutum fuisse DEVM cum Abram cum esset in Mesopotamia, priusquam habitaret in Charra; sed eum in Charran peruenisse cum patre, retento apud se præcepto DEI: & inde exisse septuagesimo & quinto suo, patris autem centesimo quadragesimo quinto anno. Nec sane incredibiliter existimatur, cum postea secutus esset Nachor patrem suum, tunc Abram præceptum Domini impleuisse, vt cum Saraï coniuge sua & Lot filio fratris sui exiret de Charra. Sic Augustinus. Ergo Abram, cum in Chaldæa versaretur, vt accepit DEI mandatũ de discessu, statim inde profectus est in terram Chanaan: eamque profectionem continuauit vsque ad ciuitatem Haran, sed ibi continuatio itineris ad tempus interrupta est, aliquot mensium interposita mora, quibus manere ibi, propter causam supradictam coactus

Aug. libr. 16. De ciuitate DEI ca. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est Abram; videlicet, quoad illuc venit frater suus Nachor. Post eius vero aduentum, confestim Abram, repetita diuini mandati executione, ire perrexit in terram Chanaan.

Abrahã exẽplum perfectæ obedientiæ.

Illud autem: *sicut præceperat ei Dominus*, positum est ad declarandam 51
singularem pietatem atque obedientiam ipsius Abrahæ. Hanc enim habet sententiam: Non acquieuit carni & sanguini, non dulcedine natalis soli, non amore cognatorum, non amicorum consuetudine retardatus est; non ætatis iam ingraueſcentis respectu, non longinquitate itineris, non impedimentis familiæ, non vagæ atque incertæ peregrinationis incommodis, à perficiendo DEI mandato deterritus est: sed prompte & alacriter diuinis iussis (solam imperantis auctoritatẽ & voluntatem spectans) obtemperauit. Memorabile profecto, atque omnibus Euangelicæ perfectionis amatoribus & sectatoribus imitandum obedientiæ exemplum. Vera, enim est illa B. Gregorij, nec satis vnquam laudara sententia: Vera, inquit, obedientia nec præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit: quia, qui omne vitæ suæ iudicium Maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod præcipitur, operatur. Nescit enim iudicare, quisquis perfecte didicerit obedire: quia hoc tantummodo bonum putat, si præceptis obediat. Hæc Gregorius. Non est hic tacenda B. Chrysostomi hunc locum Mosis explanantis, Christianorum, in diuinorum mandatorum obedientia, & cœlestium bonorum amore frigescentium, plena veritatis atque grauitatis reprehensio. Iustus ille Abraham (ait Chrysostomus) cum de terra in terram vocaretur, præ se tulit diuinæ voluntatis & imperij obedientiam; vt eam neque senectus, neque temporum difficultas, neque alia multa quæ remorari eum debere videbantur, tardiorem ad obediendum DEO facere potuerint: sed ruptis omnibus vinculis, cucurrit semper tanquam inuenis (tametsi numerosæ familiæ oneribus impeditus esset (cucurrit, inquam, omnia superans atque postponens, vt quod sibi mandatum à DEO fuerat, quo ad eius fieri poterat, exqueretur atque perficeret. Nos autem qui non de terra in terrã vocamur, sed de terrã in cælum, non eandem quam ille iustus alacritatem in obediendo exhibemus; sed frigidas plerumque & futiles prætexitimus causas. Et neque nos promissorum nobis bonorum magnitudo, neque visibilium rerum vilitas & breuitas, neque vocantis dignitas attrahit: sed tantæ sumus negligentiæ, vt præferamus momentanea sempiternis, terram cælo, ea quæ auolant priusquam habeantur, ijs quæ nunquam finem accipere possunt. Hactenus ex Chrysostomo.

S. Gregorius in cap. 3. 1. Reg.

Chrysost. homil. 31. in Genesim

Illud porro: *Et iuit cum eo Lot*, facit ad commendationem Lot: quippe qui adeo patruum suum Abram, propter eius & sanctitatis & sapientiæ præstantiam adamauit; vt relicto auo suo Thare, & altero patruo suo Nachor, omniumque cognatorum & amicorum consuetudine posthabita, vni Abrahæ adhæserit, quocumque iret, sequi eum paratus. In quo sane magnum ille dedit probitatis & prudentiæ specimen: namque bonorũ atque sapientium virorũ amatores atque sectatores, 55

Commendatio Lot.

tores, probitatis quoquo eorum ac sapiẽtiæ participes esse, par est credere. Illustrauit hunc locũ Chrysostomus, ita scribẽs: Cur cum DEVS iussisset, vt relinqueret cognationem suã & domum paternam, Abram assumpsit & duxit secum Lot? num fuit inobediẽs DEO minime vero. Sed forte quia iuuenis erat Lot; & habebat patris loco ipsũ Abraham, ob singularem amorem, & morum eius suauitatem, diuelli à iusto noluit. Hanc ob causam assumpsit eum Abram, & filij loco postea habuit, præsertim quod tam grandæuus nullum adhuc haberet filium propter Saraï sterilitatem. Mores sane illius adolescentis non multum à iustitia aberãt. Nam cum proposita ei essent duo fratres, qui patrui ipsius erãt, Nachor & Abram; ipse iustiori adhæsit. Quantæ autem prudentiæ fuit, diiudicare & probare, cui patruorum sui curam permittere deberet? Insuper tam longinquam & incommodam peregrinationem eligere, honestatis morum fuit indicium. Atque ideirco iustus ille accepit eum socium itineris, & ipse magna alacritate alienam vitam domesticæ prætulit. Hæc Chrysostomus. Ex cuius verbis posset fortasse quispiã existimare, Abram adoptasse sibi in filium Lot, quod propter ingraueſcentem & suam & vxoris ætatã, iam desperasset prolem. Hoc non aperte, verum tecte dixit Chrysostomus; sed apertissimis tamen verbis id Iosephus scriptum reliquit: Abram, inquit, Lot filium Aran fratris, & Saraï coniugis suæ fratrem, adoptauit in filium, quod germano filio careret. Sed ego sententiæ Iosephi nequaquam accedo. Post aduentum enim eorum in terram Chanaan, nec breuem in ea commorationem, vt narrat Moses Genesis 13. appellauit eum fratrem, nõ autem filium, dicens: *Ne, quæso, sit iurgiũ inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos: fratres enim sumus.* At si fuisset filius eius adoptiuus, dixisset potius, *Filius enim meus es tu.* Et vero, si eum adoptasset in filium, etiã instituisset eum bonorum suorum hæredem: quomodo igitur segregari eum à se, & à suo contubernio & conuictu separari voluisset? cum eius tamen dissociationis ipse Abram suasor & auctor fuerit, Genes. 13.

Chrysostomus ibidẽ.

An Lot fuerit in filium adoptatus ab Abram.

Iosephus lib. 1. Antiquitatum.

54 Circa illud: *Septuagintaquinque annorum erat Abram, cum egrederetur de Haran*, magna exiſtit quæstio. Abram enim natus est anno septuagesimo patris sui Thare: hic autem vixit ducentis quinque annis (vtrumque enim tradit Moses, Genes. 11.) post mortem autem Thare narrat Moses egressum esse Abram de ciuitate Haran: quomodo igitur eo tempore potuit esse Abram septuagintaquinque annorum: à septuagesimo enim anno Thare quo natus est Abram, vsque ad ducentesimumquintum annum quo mortuus est Thare, numerantur anni centum trigintaquinque. Tot igitur annorum fuisse Abram necesse est, cum post mortem Thare egressus est de ciuitate Haran: aut si tunc erat septuagintaquinque annorum, necesse est eum non septuagesimo Thare anno, sed centesimo trigesimo esse natum. Hanc nos quæstionem copiosissime tractauimus in secundo Tomo horum Commentariorum in Genesim in 13. Disputatione libri 16. Ad præsens, quod ad expositionem huius loci, satis sit, illud tantum dicemus, tres à B. Augustino

Quæstio an tunc Abram fuerit 75. annorum.

Auguſt. in Quæſtionibus in Geneſim quæſtion. 25.

exoluendæ huius quæſtionis modos indicari: putat enim ille, quo plures ſoluendi difficiles quæſtiones exitus oſtenduntur, eo commodius eas diſſolui. Prima ſolutio petita eſt ex antiqua Hebræorum traditione, quam memorat S. Hieronymus, & ſine ea indiſſolubilem videri ait hanc quæſtionem. Tradunt Hebræi, reuera fuiſſe tunc Abram centum trigintaquinque annorum; nec ſeptuagintaquinque annos, quos hoc loco ei Moſes attribuit, computari debere ab eius ortu; ſed ab eo tempore quo à Chaldæis, quod in Idololatria cum illis conſentire nollet, coniectus eſt in ignē: vnde, magno diuinæ potentiæ miraculo, ereptus eſt. Tunc erat Abram ſexaginta annorum: & quia tunc quodammodo regeneratus & denuo natus videtur, propterea conſequentes eius annos ab eo miraculo Moſes computare voluit. Ergo ſeptuagintaquinque annis poſt illud miraculum contigit, quod de diſceſſu eius ex ciuitate Haran ſcribit hoc loco Moſes.

Hieronym. in Traditionib. in Geneſim.

Altera ſolutio eſt, re vera tunc Abram fuiſſe ſeptuagintaquinque annorum: nec Abram natum eſſe ſeptuageſimo anno Thare, ſed centeſimo trigeſimo. Nam quod ſupra dixit Moſes, Thare cū eſſet ſeptuaginta annorum, genuiſſe Abram, Nachor, & Aram, hanc habet ſententiam, eo anno cœpiſſe generare illos; & primum quidem eo anno genuiſſe Nachor; & poſt aliquot annos generaſſe Aram; denique ſexaginta annis poſt, generatum eſſe Abram: quem primum filiorum Thare numerauit Moſes, non quia primus natu fuiſſet, ſed propter primatum dignitatis ac diuinæ electionis & benedictionis. Hanc ſolutionem, omnium maxime, Theodoritus, Lyranus, Caietanus, aliique nec pauci nec obſcuri ſcriptores approbarunt. Et has quidem duas propoſitæ quæſtionis enodandæ vias, Auguſtinus ait non eſſe contemnendas. Verum nos eo, quem proxime diximus, loco, multis & firmis rationibus neutram eſſe tenendam oſtendimus.

Geneſ. 11. 55

Theodoritus. Lyranus. Caietanus.

Eſt igitur tertia ſolutio quam cæteris præfert Auguſtinus: & præ cæteris ſane probanda eſt: quam ego ſtrictim attingam, vt qui alio loco fuſius eam tractauerim. Quod narrat Moſes de egreſſu Abrahæ ex ciuitate Haran, cum eſſet is ſeptuagintaquinque annorum; id contigit non ſolum viuo Thare, verum etiam ante mortem eius annis ſexaginta, cum ille tunc ageret annum centeſimum quadrageſimumquintum. At enim, dicet quiſpiam, Moſes id narrauit poſt mortem Thare. Narrauit ſane, ſed ὑστερον πρότερον, vt dici ſolet, id eſt præpoſtere atque inuerſo ordine. Videlicet vſus eſt ea figura, quam vocant Recapitulationem, non infrequentem in ſacris literis, qua figura, quod prius geſtum eſt, poſteriori loco narratur. Recapitulatio autem, inquit Auguſtinus, ſi aduertatur in ſacra Scriptura, multas ſoluit quæſtiones, quæ indiſſolubiles videri poſſent. Cauſam vero cur Moſes hanc hiſtoriam Abrahæ non in loco quo debebat, ſed multo poſt expoſuerit, nempe quibuſdam aliis quæ poſteriora fuerant, prænarratis; aliàs aperuimus. Voluit certe Moſes, quia de Thare loqui cœperat Gen. 11. ea continenti narratione paucis expedire, vt deinde hiſtoriam Abrahæ quam

D. Auguſtin. li. 16. de Ciuitate DEI.

quam præcipue ſcribēdam ſuſceperat, à capite arceſſens, perpetua narratione ad extremum vſque pertexeret. Sed non addam plura: ne ſine cauſa iterare eadem videar. De myſteriis porro quæ latent in hoc numero 75. multa Philo allegorice philoſophatur & diſputat in eo libro, quem inſcripſit de Migratione Abram. Philo.

56 Sequitur illud, velut in tranſcurſu, hoc loco attingendum: *Et animas quas fecerant in Haran.* Animas dixit, pro hominibus, ſecūdum phraſim linguæ Hebrææ. Illud autem (facere) ſignificat vel gignere, vel acquirere. Si pro gignere poſitum eſt, vel gignendi verbum proprie ſumptum eſt, vel metaphorice. Si proprie ſumatur, nō poteſt id referri ad Abram: nullam enim prolem id temporis ſuſceperat Abram; cum prima eius proles fuerit Iſmael, quem genuit decem annis poſtquam venit in terram Chanaan, vt ſcriptum eſt Geneſis 16. Poſſet tamen id fortaſſe referri ad Lot, quaſi iam tunc is genuiſſet duas illas filias quarum infra capite 19. fit mentio. Quanquam nonnullis credibilius ſit, eas poſtea in terra Sodomorum eſſe genitas. Certe Moſes hoc loco in enarrando comitatu Abrahæ egredientis de ciuitate Haran, neque vxoris Lot, nec filiarum eius mentionem fecit. Quod ſi verbum illud (facere) poſitum eſt pro verbo gignendi non proprie, ſed metaphorice ſumpto, id eſt, pro eo quod eſt Lucrifacere homines DEO, videlicet ab infidelitate eos traducendo ad veri DEI fidem & cultum; ſi ita, inquam, interpretemur illud verbum (facere) hic erit ſenſus; Abram ſecum duxiſſe eos omnes, quos in ciuitate Haran, ex idololatria à ſe conuerſos ad rectam fidem, acquiſierat DEO: qui eum libentiſſimis animis, vt vitæ ſuæ ſpiritualis parentem, ac fidei magiſtrum ſecuti ſunt. Hanc potiſſimum interpretationem amplectuntur Hebræi. Hi enim tradunt, Abram viros, Saraï mulieres magno numero ab infidelitate deduxiſſe, & in veri DEI cultu inſtituiſſe, atque ita eos DEO procreaſſe. Suffragatur huic expoſitioni ſiue traditioni paraphraſis Chaldaica: nam pro eo quod nos legimus: *Et animas quas fecerant in Haran*, habet ipſa: *Et animas quas legi ſubiecerant in Haran.* Vocabula autem patris, filij, generationis, natiuitatis, ipſumque verbum gignendi, & naſcendi, non ſolum corporaliter, ſed etiam ſpiritualiter ſæpenumero vſurpantur in ſacris literis: cuius rei exempla, quod paſſim obuia ſint, omnibuſque nota, ab his commemorandis abſtineo. Sin autem illud verbum (facere) poſitum eſt pro acquirere; erit profecto facilior & planior ſenſus, & commodior interpretatio. Nam hic erit ſenſus: Abram ſecum duxiſſe omnes homines quos acquiſierat, id eſt omnes ſeruos quos emerat, quique ex emptitiis domi ſuæ nati erant, quos appellamus vernaculos. Abram vero duxiſſe in terram Chanaan numeroſiſſimam ſeruorum turbam, indicio eſt, quod de eo ſcripſit Moſes infra Geneſ. 14. narrans Abram ex ſuis tantum vernaculis, iiſque non quibuſlibet, ſed robuſtis & expeditis ad bellandum, trecentos decem & octo ad pugnam eduxiſſe. Abram igitur tulit ſecum omnes, quos ipſe & Lot vel emerant, vel qui domi ex ſeruis nati illis fuerant:

rant:quorum fuisse magnum vtrique numerum non est dubitandum.

Vtrum Abrã rex fuerit Damasci.

57 ILLVD præteræa se offert hoc loco nobis disquirendum & dijudicandum quod à quibusdam antiquis scriptoribus de Abram proditum est. Aiunt illi,Abram ex Chaldæa vel Mesopotamia venientem, priusquam regionem Chananæam intraret, regnasse Damasci. Huius sententiæ Iosephus primo libro Antiquitatũ, & Eusebius de Præparatione Euangelica libro nono,cap. vlt. autctorem faciunt Nicolaum quendam Dameſcenum.Ponam huius Nicolai verba, vti memorat ea Iosephus:Nicolaus autẽ Damascenus, ait Iosephus,in quarto Historiarum volumine ita scribit: Abram regnauit apud Damascum aduena,vt qui eò cum exercitu venerat è regione supra Babylonem sita, quæ Chaldæorum dicitur. Nec ita multo post, hinc quoque migrans cum suo populo, sedem transtulit in terram tunc Chananæam, nunc Iudæam appellatam:eiusque posteritas ingentem in numerum ibi creuit: quorum res alibi sum narraturus.Abrahami vero nomen,etiam nunc apud Damascenos celebre est; & vicus ostenditur, quem vocant Abrahami domicilium. Sic ille. Horum similia tradit Iustinus: cuius de multis, pauca quæ ad rem præsentem faciunt, hic adscribam verba: Fuit, inquit, Iudæis origo Damascena, quæ Syriæ nobilissima ciuitas est:vnde & à Syriis regibus genus ex regina Semiramide fuit,nomen vrbi à Damasco rege inditum: in cuius honore Syri sepulcrum Arathis vxoris eius pro templo coluere, Deamque exinde sanctissimæ religionis habent. Post Damascum Abram,Moses,Israel,reges fuere. Hæc Iustinus. Verum tota illa Iustini oratio de origine & incrementis rerum Iudaicarum, adeo falsa est,vt propemodum æquet verba mendaciis,vt alias ostendimus.

Ioſephus. Euſebius.

Nicolaus. Damaſcenus.

Iuſtinus lib. 36.

Auctor in 5. lib.commẽtariorum in Danielem, in Præfatione eius libr. Refellitur supra dicta opinio sex argumẽtis.

58 Verum mihi nullo modo fit verisimile Abram regnasse Damasci. Quale enim est, vt rem tam memorabilem, & quæ ad nobilitandum atque illustrandum genus Hebræorum faceret plurimum,ob idque dignissima esset, vt literis consignata posteritatis memoriæ commendaretur; eam Moses in omnibus suis libris, aliique sacri scriptores omnino tacitam præterierint?Quid quod B.Hieronymus,vt communem sententiam refert,Damascum vrbem à Damasco Eliezer seruo Abrahæ,cuius Moses meminit Genes. 15.esse conditam atque nuncupatam? Quanquam alio loco,secutus nempe Iosephum,conditorem eius vrbis faciat Hus filium Aram, & nepotem ipsius Sem. Præterea Abram illo ipso anno septuagesimoquinto,quo dicitur de egressus ciuitate Haran, venit in terram Chanaan,vt pater ex cap.16.Geneſis:vbi scriptum est, Abram cum esset octogintasex annorum genuisse Ismaelem, decem annis postquam habitare cœperat in terra Chanaan,ducta in vxorem Agar Ismaelis matre. Hinc liquet, Abram cum septuagesimumquintum ætatis annum ageret,habitare cœpisse in terra Chanaan.Non igitur verum est,Abram cum venit ex ciuitate Haran, priusquam intraret terram Chanaan,habitasse, nedum regnasse Damasci. Nec vero non grauiter peccasset Abram,neque DEI mandatum quo iubebatur

Refellitur

Hieronymus in lib. de locis Hebraicis.

Gen.11.

ex Meſo-

ex Mesopotamia ire in terram Chanaan, vt parerat,executus fuisset;si quidem Damasci non solum commorari, verum etiam, posthabitis DEI promissis,regnum sibi comparare studuisset.Adijce,quod Abram vbique se peregrinum & aduenam esse dixit; idemque confessus est Iacob de se suisque Maioribus. Nusquam igitur Abram certam & propriam sedem ac domicilium habuit: tantum abest vt regnum obtinuerit. Denique illud quæro, quid illo regno Damasceno factum sit; cur illud reliquerit Abram; cur non postea repetierit; cur eius posteri non illud aliquando, tanquam iure hæreditario ad se pertinens, recuperare curauerint? Ergo dictum illius Nicolai, vel merum eius commentum fuit ad claritatem Patriæ suæ augendam,vel ex commentitijs gentis eius monumentis siue traditionibus depromptum ab ipso est. Verum pergamus ad alia.

Cumque venissent in eam,pertransiuit Abram terram vsque ad locum Sichem,& vsque ad vallem Illustrem. Chananæus autem tunc habitabat in terra.

59 DECLARAT Moses vbi primum habitauerit Abram in terra Chanaan, cum ex Mesopotamia vocatu ac iussu DEI venit in eam regionem. Abram vero veniens ex Mesopotamia, intrauit terram Chanaan, à parte eius Septentionali, vergente tamen ad Orientem: est enim Mesopotamia, partim Septentrionalis, partim etiam Orientalis respectu Iudææ. Quocirca, cum Nabuchodonosor ex Chaldæa venit in Iudæam, intrauit & egressus eam est per ciuitatem quæ vocabatur Reblata, & alio nomine Emath,vt scriptum est 4.Reg.25. illa vero ciuitas est in confinio Septentrionis atque Orientis terræ Chanaan, vt dicitur Numerorũ 34. Abram igitur ingressus est terram Chanaã,qua est ipsa Septẽtrionalis, & aliquatenus Orientalis:atque hac ingressus perrexit versus partem eius Orientalem. Sichem enim vergit ad partem Orientalem,sita apud duos illos montes satis in scriptura nobiles,Hebal & Garizim: per quam partem intrauerunt etiam Israelitæ venientes ex Aegypto, vt patet Deuteromij 11.& Iosu.8.

60 Illud; *vsque ad locum Sichem*,sic dictum putant quidam,quod eo tempore nondum esset ciuitas Sichem; vt quam postea ædificatam esse ab Hemor patre Sichem,de quo Genes.34.non temere existimari queat: præsertim cum id significet B. Hieronymus in libro de locis Hebraicis vbi de Sichem. Et idcirco non est dictum in ciuitatem Sichem, sed in locum Sichem: scilicet in quo loco postea vrbs Sichem ædificata

Hieronymus.

Sichem Ciuitas. Eusebius Hieronymus.

est. Quod si iam erat id temporis Sichem, illud *vsque ad locum Sichem*, significare videtur, Abram non intrasse vrbem, sed locum eius, id est, agrum siue territorium transisse. De ciuitate autem Sichem ita scribit Eusebius in libello de locis Hebraicis quem Latinum fecit B. Hieronymus, ob idque fertur inter eius libros: Sichem & Salem, quæ Latine & Græce Sicima vocata est ciuitas Iacob, non deserta est. Ostenditur in suburbanis Neapoleos iuxta sepulcrum Ioseph. Hanc subuertit Abimelech, & seminauit in ea salem, sicut in libro Iudicum capite nono scriptum est. Postea instaurata est à Hieroboam, & sedes regni eius constituta 3. Regum 12. & sita est in finibus tribus Ephraim. Sed & filius Hemor appellabatur Sichem, à quo locus nomẽ acceperat, Genes. 34. Fuit autem & altera Sichem in monte Ephraim, ciuitas fugitiuorum. Sic Eusebius. Cuius extremam de duplici Sichem sententiam minime probat Andreas Masius. Namque is loquens de Sichem ciuitate fugitiuorum quæ erat in monte Ephraim; Eusebius, inquit, diuersam esse hanc Sichem existimat ab illa Dinæ stupro, Ioseph sepulcro, aliisque multis rebus nobilitata vrbe: quam posteritas dixit Neapolim, vulgus nunc Naplozam vocat. Sed veteres Iudæi in commentariis inscriptis Tamhuma, siue Ielammedena, Neapolim fuisse asylum censent. Idque ego esse credibilius opinor: cum de duabus Sichem nihil certi proditum sacris litteris esse videatur. Fuit quidem, vt apparet, Sichem apud montem potius quam super montem posita. Sed satis fuisse puto, vt vrbis indicium mons procul visus facere posset. Hæc Masius. Borchardus porro qui ante trecentos annos vixit, & in peragrandis perlustrandisque omnibus Terræ Sanctæ locis decennium consumpsit, de ciuitate Sichem, ad hunc modum scribit: Inter montes Bethel & Dan sita est vrbs Sichẽ, hodie Neapolis dicta, incredibili amœnitate ac deliciis abundans; non tamen munita, nec vero munitionis capax, ob idque incursionibus hostium obnoxia. Hanc reædificauit Ieroboam, fuitque prima sedes regni eius. A potra Sichem australi, quantum bis iacere posset arcus, est fons Iacob, super quem fatigatus ex itinere sedit IESVS Ioan. 4. Fons ipse effossus est in via, qua tendimus Hierusalem. Supra fontem ad dexteram mõs est excelsus, duo habens capita: quorum vnum nominatur mons Garizim, alterum vocatur Hebal. Ibi Iosue ædificato altari, recitauit totum Deuteronomium Mosis. Sic enim in libro Iosue, capite 18. scriptum est: *Media pars populi stabat iuxta montem Garizim, & media iuxta montem Hebal: & cuncta quæ scripta fuerant in legis volumine, replicauit Iosue coram omni multitudine Israel.* Hæc Borchardus.

Andreas Masius in 20. cap. Iosue.

Borchardus de diuisione Terræ sãctę Par. 1. cap. 7. num. 16. & 17.

61 Circa illud: *Et vsque ad Conuallem Illustrem*, non paruam affert difficultatem diuersitas lectionis Latinæ à Græca & Hebraica. Etenim sic est, si Latine ad verbum dicas Hebraica: *vsque ad Elon e Moreh*. Græce autem, *vsque ad quercum excelsam*. Chaldaica paraphrasis habet, *vsque ad planitiem Moreh*. Certe vox, Elon, proprie significat arborem, vel quercum, vel ilicem; itaque Latinus interpres alibi non semel eam vocem reddidit.

reddidit. Quocirca omnes qui de Hebræo ad verbum conuertunt, & item septuaginta interpretes, pro Elon, quercum posuerunt. Quomodo igitur B. Hieronymus vertit *Conuallem?* Nimirum non ignorauit Hieronymus, Elon, significare quercum: sed intellexit quercum poni pro quercubus, singulari videlicet, pro plurali: intellexit præterea hic per Synecdochen positum esse contentum pro continente, id est, quercum pro querceto, siue loco frequentia & magnitudine quercuũ spectabili & illustri. Eum porro locum, fuisse vallem siue planitiem, non potuit ignorare B. Hieronymus: quippe qui multos annos in Palæstina versatus, omnia Terræ Sanctæ loca suis ipse oculis curiosissime spectare ac contemplari voluit. Altera illa vox Hebræa *Moreh*, vtrum nomen sit proprium alicuius vel personæ vel loci, an vero nomen appellatiuum quod interpretandum sit, latet Hebræos: quamobrem & Pagninus aliique in suis translationibus, eam vocem sine interpretatione hoc loco posuerũt. At vero 70. Interpretes & S. Hieronymus pro nomine appellatiuo eam vocem accipientes, interpretati eam sunt; hic quidem, vertens Illustrem; illi vero, excelsam. Certe nomen Hebræum significare potest conspicuum, spectabile, monstrabile, siue quod seipsum ostendat & monstret: tale autẽ est id quod est altũ & excelsum, vt verterunt septuaginta; & item quod est illustre, vt reddidit B. Hieronymus.

Vox Elon.

Vox Moreh.

62 De hac Conualle Illustri ad hunc modum scribit Borchardus: In planitie media inter duos montes Gelboe & Hermon, incipit Conuallis dicta Illustris ob eius amœnitatem, atque pulchritudinem. Hæc autem extenditur ab hac planitie per totum defluxum Iordanis vsque ad Mare Mortuum. Sed & ipsum mare siue locus eius, ante subuersionem Sodomæ & Gomorrhæ, continebatur in hac Conualle Illustri, quæ aquis rigabatur velut Paradisus & Aegyptus. Sic Borchardus. Glossa Interlinearis, Lyranus, Tostatus, & complures alij tradunt hanc Conuallem Illustrem fuisse eam planiciem, in qua erant quatuor illæ ciuitates, Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim, & ab his paululum distans Bala siue Segor: quæ planities, prius quam ciuitates illæ cœlesti incendio deflagrarent, propter eximiam vbertatem simulque amœnitatem, Vallis Illustris, id est, nobilis & famosa vocabatur. Tostatus porro verba Mosis perpendens, propterea putat esse illud dictum: *vsque Sichem, & vsque ad Conuallem Illustrem*, quod Abram ex Mesopotamia veniens, & intrans terram Chanaan, prius venturus erat ad locum Sichem, quam ad Vallem Illustrem vbi erat illa Pentapolis. Namque Vallis illa erat in extremitate terræ promissionis in confinio lateris Orietalis atque Australis, vt patet ex descriptione terminorum Terræ Chanaan, quæ traditur Numerorum 34. Quocirca, erat hæc pars terræ Chanaã directo opposita ei parti, per quam Abram ex Mesopotamia veniẽs ingressus in eam est, per confinia nempe Septentrionis atque Orientis. quapropter erat ferme extremum Terræ Chanaan, quo eam pertransiens Abram peruenire poterat. Illud igitur, *vsque ad Conuallem Illustrem*, denotat quasi terminum totius motus Abrahæ per terram Chanaan.

Borchardus 1 Par. cap. 7. nu. 9. Vallis Il. lustris.

Glossa Interlinearis, Lyranus.

Tostatus in cap. 12. Genes. quæst. 24.

Masius in cap. 8. & 24. Iosue. De Elon & Moreh.

Facere non possum quin hic adscribam quæ super illa verba *Elon Moreh*, de quibus supra disseruimus, erudite disputat Andreas Masius; non enim parum ad planiorem eorum verborum intelligentiam conducunt. Explanans igitur versum trigesimum octaui capitis Iosue, sic ille ait: Ex Abrahæ historia constat, Elon Moreh aut ipsam esse vrbem Sichem, aut ei proximum locum. Memoratur enim Abram Genesis 12. iam tum recens ex Mesopotamia veniens, penetrasse per terram Chananæorum vsque ad Sichem, vsque ad Elon Moreh, quam Sichem esse statuunt Talmudici. Ego vero ei oppido propinquum potius fuisse locum dixerim; in quo Abram secessum quærens, primam omnium in Chananæa aram ei DEO extruxerit, à quo excitus patria, illuc venerat: cum Iacob quoque, eodem illo itinere ex Mesopotamia in patriam reuertens, memoretur & ipse ad vrbem Sichem substitisse, aramque struxisse; haud dubie eodem solo, quo ante auus suus Abram. Nimirum locus ipse eum auitæ pietatis admonebat, dulcique recordatione tãti viri atque etiam religione retinebat. Cur autem locus ille, Elon Moreh, vocaretur, hanc ego verissimam afferri posse causam censeo: Quia fuerit illic Ela arbor, siue quercus sit, siue terebinthus, aut alius speciei quippiam: nam varia est apud Hebræos opinio. Hoc enim certum est vel ex Iacobi historia in Gen. 35. defodit enim ille eo loco sub Ela, familiariũ suorum Deos, priusquam ad Bethel inde migraret. Et Iosue 24. sub Ela posita est à Iosue statua; quamobrem deinceps appellatus est locus ipse Elon Muzab, hoc est, quercus siue terebinthus, vel abies statuæ. Sed ante ab ipso Abram Elon Moreh nominatus fuerat: quia cum illuc ipse peruenisset, DEVS que ei apparuisset; & simul terram, cuius ei possessionem promiserat, ostendisset, inquiens: *Semini tuo dabo terram istam*; à tam fausto monstratore, hoc illi nomen posuit; Moreh enim, monstratorem significat. Idem Masius alio loco eorumdem commentariorum in Iosue, hæc scribit: Plerique Hebræorum opinantur arborem illam, Hebraice Elon, sub qua Iosue statuam posuit, vt est in libro eius cap. 24. fuisse eam ipsam, sub qua Iacob simulacra suorum condidit, quæ asportata fuerant ex Mesopotamia. Sed cuius generis arbor fuerit, nihil certi à quoquam adfertur. Multi enim quercum fuisse arbitrãtur, alii pinum aut abietem, quod significatur vocabulo Græco ἐλάτη, septuaginta terebinthum solent vocare: sunt etiam qui vlmũ, sunt qui castaneam fuisse statuant. Isaias capite sexto dicere videtur, hoc genus arboris hyeme abiicere folia; quod plerisque quidem accidere solet arboribus, sed non abietum generi. Ego vero cum Aquila Symmacho, atque Latino interprete; ex quercuum genere fuisse suspicor. Nam referunt homines peregrini, etiam nunc Elon siue Ilicem, ostendi apud illam Abrahæ habitationem: & folia illi esse paulo maiora, quam lentisco: fructus vero, quales quercubus. Hanc ego vnam atque eandem arborem esse puto, quæ trium præstantissimorum virorum, Abram, Iacob, & Iosue præsentia & monumentis nobilitata sit. Nam mansisse per annos minus quingentos, non debet videri incredibile. Certum est enim glandiferarum

63

Genes. 35.

Elon quæ nam sit species arboris.

ferarum genus, natura diutissime stare posse. Sic Masius.

64 Restat illa huius loci extrema sententia: *Chananæus autem tunc erat in terra.* Vocabulum Chananæi hoc loco non denotat omnes posteros Chanaan, qui supra capite decimo vndecim numerabantur à Mose; nec septem illas Gentes, quas vt nobiliores potentioresque huius terræ habitatores atque possessores, multis locis memorat Scriptura: sed significat vnam quandam de illis septem gentibus. Nam licet omnes posteri Chanaan, dici possent, & nonnumquam dicantur, Chananæi; omnes tamẽ illi propriis quisque nominib. insigniti sunt. attamen quia inter illos vndecim posteros Chanaã nominatos à Mose Genesis 10. non memorantur Chananæi; ex eo nos in secũdo tomo horũ Cõmentariorum lib. 15. num. 126. coniectura quadam opinabamur, ex vno aliquo illorum vndecim posterorum Chanaan hanc gẽtem Chananæorum esse progenitã, eamque nomen, quod omnium illorum posterorum Chanaan cõmune erat, præcipue ac proprie sibi adsciuisse. Hanc autem gentẽ Chananæorum non totam hanc terram Chanaan tenuisse, sed certam quandam eius partem, manifestum est cum ex aliis scripturæ locis, tum ex capite 13. Numerorũ, & ex cap. 11. Iosue, vbi traditur, Chananæos habitasse iuxta mare siue ad Occidentẽ, & circa fluenta Iordanis. Tota igitur Terra promissionis appellata est Terra Chanaan, non ab hac gente Chananæorum, quæ vnam tãtum partem eius inhabitabat; sed ex ipso Chanaan, vel quod ipse primus eam terram coluerit, & de suo nomine appellauerit; vel quod sator & parens fuerit earum gentium, quæ ab initio eam terram obtinuerunt.

Quæ nam fuerit hæc gẽs Chananæorum. *Deut. 7. Iosue 3.*

65 Verum quæritur hoc loco, cur Moses, cum dixisset Abram venisse in locum Sichem, & Conuallem Illustrem, adiecerit illud: *Chananæus autem tunc erat in terra.* Hebræi tradunt (Hebræos autem secuti sunt hoc loco Lyranus & Tostatus, & alij quam hi sunt multo etiam vetustiores) Noe post diluuium tribus filiis suis tres orbis terræ partes dispertiuisse, cuique attribuendo quam ipse & posteri eius colerent: assignasse autem ipsi Sem regionem illam, quam postea Hebræi tenuerunt. Verum Chanaan & eius posteri per vim eam inuaserunt, coactis Sem posteris alias sedes quærere. Quoniã igitur Abram erat de posteris Sem, cum Moses dixit eum venisse in eam terrã quam tenebat Chananæus, significare voluit, terram illam iure pertinuisse ad Abram, & iniuste à posteris Chanaan teneri: vt mirum nemini videri debeat, eam Chananæis ademptam, Abrahæ & semini eius fuisse à DEO traditam. Quod autem possessio huius terræ pertineret ad Sem & ad eius posteros, ex eo argumentãtur Hebræi, quia infra Genes. 14. inducitur Melchisedech rex vrbis Salem: ipsi autem arbitrãtur Melchisedech fuisse ipsum Sem; Salem vero fuisse eam ipsam vrbem quæ postea Hierusalem appellata est. Atque hæc est Hebræorum traditio.

An terra Palæstinę iure pertineret ad Sẽ & posteros eius, eamque per vim inuaserint posteri Chanaan. Hebræi. Lyranus. Tostatus.

66 Quam sane traditionem nondum ego satis concoquere potui. Nam illud de partitione Orbis terræ, & assignatione huius terræ posteris Sem, nihil isti afferunt, cur id credere debeã. Omnino, ex iis quæ supra

Refellitur traditio Hebræorũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

scripsit Moses Genes. 10. apparet, terrã illam nec à Sem fuisse vnquam, nec à posteris eius possessam; sed à principio eam insedisse ac tenuisse posteros Chanaan. Illud vero perspicue falsum est, Melchisedec fuisse ipsum Sem: de quo nihil ad præsens dicam, disputaturus copiose ea de re cum ad expositionem illius decimiquarti capitis ventum fuerit. Iam vero, si possessio illius terræ iure pertinebat ad posteros Sem, & inter hos præcipue ad Abrã; ergo cũ eam DEVS attribuit Abrahæ & semini eius, nõ tam illa fuit gratuita donatio rei nõ debitæ, nec munus meræ liberalitatis diuinæ; quam restitutio rei debitæ veris ac legitimis eius rei dominis facta, contra quam significat multis locis & testatur diuina Scriptura. Illud denique magnam habere vim contra istiusmodi traditionem videtur. Si enim Chananæi per vim in eam terram inuaserunt, & legitimis eius possessoribus vel eiectis, vel ab eius possessione exclusis, eam obtinuerunt: vel hoc ipso nomine iustissime ipsis adimi, & posteris Sem reddi æquissimũ erat. At scriptura, cum causam affert, cur habitatores illius terræ DEVS exterminauerit, & in eorum locum substituerit Hebræos, nusquam pro causa reddit violentam eorum inuasionem atque iniustam possessionem; sed alia fœdissima & execranda eorum flagitia, vt videre licet Leuitici 18. & alibi. Etiam illud adiuuat & vehementer firmat hanc nostram argumentationem; quod DEVS infra Genes. 15. quasi rationem exponens cur possessio illius terræ non antè quadringentos annos danda esset semini Abrahæ, subdit: *Nondum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum.* Enim vero, si Chananæi contra ius, & per vim eam terram ademerant posteris Sem; cum iniustissima esset eorum possessio, vel ob hanc causam solam optimo iure statim illis auferri, & posteris Sem reddi poterat; nec quadringentos annos expectari oportebat, quoad earum gentium complerentur iniquitates. Verum contra illam Hebræorum Traditionem, ita disputatum sit.

Nos igitur duas veras iustasque causas indicemus, cur Moses hoc 67
loco mentionem intulerit Chananæorum. Ac primo quidem id fecit Moses, vt ostenderet, quæ gens habitaret in iis locis in quib. erat Conuallis Illustris, ad quam penetrasse dixerat Abram, cum ex Mesopotamia primum in Chananæam regionem venit. Dictum autem est paulo supra, Conuallem Illustrem pertinuisse à Iordane, quà is è mari Tiberiadis exit, vsque ad Mare Mortuũ. Circa hæc vero loca habitasse quódam Chananæos non finit dubitare liber Numerorum, in cuius capite 13. sic est: *Chananæus vero moratur iuxta mare & circa fluenta Iordanis.* Illud *iuxta mare*, Tostatus interpretatur de Mari Mortuo: veru non recte; debet enim intelligi de mari Mediterraneo quod Iudæis erat Occidentale, & vocabatur Mare magnum: tum quia præcise dicitur mare, ob idque intelligi debet de magno mari: tũ quod in libro Iosue cap. 11. scriptum est, Chananæos habitasse ad Orientem & ad Occidentem terræ promissionis; ad Orientem quidẽ, propter habitationem eorum circa fluenta Iordanis, qui Iudæis erat Orientalis; ad Occidẽtem vero, propter

propter habitationem eorum iuxta mare Mediterraneum, quod semper in Scriptura constituitur terminus Occidentalis Terræ promissionis. Contra autem, Mare Mortuum vel solitudinis ad Orientem fuisse dicitur, & vt terminus Orientalis eius terræ describitur.

Altera ratio cur mentio Chananæorum hoc loco à Mose facta sit, huiusmodi est: significare voluit Moses, licet DEVS promiserit Abrahæ possessionem terræ Chanaan, dum tamen ille vixit, nihil eius terræ possedit; sed tamquam aduena & peregrinus in ea versatus est. Quin etiam, vt speluncam quandam habere posset in vsum sepulturæ vxoris suæ Saræ, pretio emit eam ab Ephron, qui inter Hethæos habitabat Genes. 23. Vere igitur de Abram illud à Paulo dictum est: *Fide, inquit, demoratus est in terra promissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac & Iacob cohæredibus promissionis eiusdem.* Simile est quod de eodem dixit B. Stephanus. *Et non dedit illi hæreditatẽ in ea terra, nec passum pedis: sed repromisit dare illi in possessionem, & Semini eius post ipsum, cum non haberet filium.* Ergo possessor & dominus illius terræ id temporis Chananæus erat, Abram vero vt aduena peregrinabatur in ea, subiectus iurisdictioni & dominationi Chananæorum; vt, si quæ lites inter ipsum & alios exorirentur, eas disceptari & dirimi Chananæorum iudicio & sententia oporteret. Quo factum est, vt cum inter pastores Lot & suos nescio quæ orta essent iurgia & litigia, satius fore duxerit Abram dissociari à Lot, quam coram Chananæis cum eo litigare.

Ad Hebr. 11.

Act. 7.

Genes. 13.

Apparuit autem Dominus Abram, & dixit ei, Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei.

68 EST diuina Scriptura, ait Chrysostomus, quasi mercatus quidam spiritualis, & medicorum ac medicamentorum officina animabus nostris. Quare par est, vt, sicut qui ad nundinas veniunt, inde multis mercibus comparatis redeamus: vel tamquã è medici domo, receptis quæ animis nostris prodesse queant medicamentis, exeamus. Vel in his paucis veris quantum reperire licet thesaurum? *Apparuit*, inquit Scriptura, DEVS *Abram*. vel vt legit Chrysostomus, *visus est* DEVS *Abram*. Ecce illud nouum & inusitatum est, DEVM apparuisse Abram. Hoc enim loco primùm eo verbo vsa est Scriptura. Nam etsi scriptum est, DEVM locutum esse cum Adamo, & cum Noe, nusquam tamen, ante hunc locum, legitur in sacris literis, DEVM apparuisse aut visum esse illis: el aliis, sed id primo de Abram Scriptura prodidit: fortasse ea re insinuans, rationem illius apparitionis diuinæ, singularem, eximiam, atque insolitam fuisse. Sed quo modo ei apparuit DEVS? An suam ei deitatem

Chrys. homil. 32. in Genesim. Diuina Scriptura, quasi mercatus quidã spiritualis.

Universidad de Deusto Biblioteca

Qualiter DEVS apparuerit Abrahæ. *Ioan.1. Exod.33.*

deitatem ostendit? Minime: DEVM enim nemo vidit vnquam: Nec videbit eum homo & viuet. Quomodo igitur apparuit? Sic nempe ab eo visus est, vt ipse solus scit, & vt illi possibile erat videre. Etenim sapiens & misericors DEVS multas & varias nouit vias, quibus se humanæ attemperat naturæ; & semetipsum iis, qui antea se ipsos digne præparauerunt, varie manifestat. Idque nos per Prophetã docuit DEVS *Ego* inquit, *visiones multiplicaui, & in manibus prophetarum assimilatus sum.* *Osee 11. Esaiæ 6. Ezechielis 1. Daniel. 7.* Vidit DEVM Isaias sedentem in solio excelso & eleuato: vidit DEVM Ezechiel super currum & quadrigam Cherubim: vidit DEVM Daniel vt Antiquum dierum: aliis denique Prophetis sub aliis figuris ac similitudinibus manifestatus est. Verum tres modos insigniores ac frequentiores diuinæ Apparitionis indicat Moses Numerorum 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini* (ait ille) *in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei; & palam, & non per ænigmata Dominum videt.* Sed quo trium horum modorum DEVS apparuit Abrahæ? Cum id non aperiat scriptura, nemini exploratum puto. Caietanus ait apparuisse in somno. Sed vnde id nouit, aut vnde probare potest? Immo cum præcise dicatur apparuisse ei, videtur intelligi debere de nobiliori apparitionis modo: constat autem modum apparitionis in vigilia præstantiorem esse, quam in somno. Et solet scriptura, cum loquitur de apparitione in somno facta, adiũgere illud, *in somno*, vel, *in somnis*. vt Matth. 1. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph*. Cum autem narrat apparitionem in vigilia factam, simpliciter vtitur vocabulo apparitionis, vel apparendi; vt Luc. 1. *Apparuit illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi*. Verũ missa hæc faciamus. Illud potius hic animaduertamus, quia primæ DEI apparitioni, quam paulo supra narrauit Moses, credidit & obediuit Abram, propterea dignum fuisse eum altera DEI apparitione, & consolatione.

69 *Semini tuo dabo terram hanc.* Hic primum promisit DEVS Abrahæ possessionem terræ Chanaan. Nam cũ ex Mesopotamia euocauit eum, tantum ei dixit, *Veni in terram quam monstrauero tibi*, non autem dixit, quam dabo tibi. Illud, *dabo*, futuri temporis, subindicat, possessionẽ eius terræ nonnisi longo post tempore tradendam fuisse semini Abrahæ. Cuius tãtæ dilationis duplex fuit causa; altera, quod voluit DEVS multis magnisque malis & calamitatibus peregrinationis atque seruitutis exerceri ac probari semen Abrahæ, antequam terram sibi promissam obtineret: quo videlicet possessio eius terræ iucũdior ei postea & carior accideret; simulque liquidius cognosceret fuisse eam gratuitum diuinæ benignitatis munus. Altera causa dilationis fuit, vt expectaretur quo ad improbitas Chananæorum ad eum terminum perueniret, vt secũdum vindicem scelerum iustitiam diuinam, dignissimi essent illi, vt possessione eius terræ priuarentur. Vtramque causam indicauit DEVS Abrahæ Genes. 15. priorem quidem, cum dixit: *Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua: & subijcient eos seruituti, & affligent*

affligent eos quadringentis annis. Posteriorem vero causam denotauit illis verbis: *Et posthæc egredietur cum magna substantia. Generatione autem quarta reuertentur huc: necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus.* Dupliciter igitur DEVS mirifice recreauit ac roborauit Abram; tum noua apparitione, suique manifestatione, quæ vt lux oculis, sic animis iucundissima est: tum promissione terræ Chanaan à semine eius possidendæ.

Duo modi quib. DEVS recreat & cõfirmat seruos suos.

70 His etiam duobus modis DEVS animos piorum hominum, cum in periculis & malis versantur, consolari & confirmare solet; primo quidẽ seipsum illis manifestando, id est, per interiores illuminationes & inspirationes illis significando & persuadendo esse ipsos in eius gratia, cura, & tutela; loquendo illis ad cor, spirituali dulcedine eos replendo, & dando illis manna spirituale quod nemo scit, nisi qui accipit. Maiorem deinde in modum recreat & sustentat eos, repræsentando eorum animis æterna bona promissa ipsis, & in cælis præparata. Vtramque diuinæ consolationis viam & rationem attigit B. Paulus: priorem quidem illis verbis: *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij* DEI: *si autem filij, & hæredes: hæredes quidem* DEI, *cohæredes autem* CHRISTI. *Ad Rom.8.* posteriorem autem, cum subiungit: *existimo enim, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Duas porro res Abrahæ optatissimas & iucundissimas continebat hæc DEI promissio, certam prolis & posteritatis spem, simulque possessionem terræ Chanaan. Vtramque profecto desperasset Abram, si eas res humani iudicii ac rationis trutina ponderare voluisset: Illã quidem, propter Saraï sterilitatem; hanc vero, propter Chananæorum potentiam. Verum, quia firmissime credidit nihil esse DEO impossibile; propterea confortatus est fide, vt ait Paulus, dans gloriam DEO, plenissime sciẽs, quia quæcumque promisit, potens est & facere. *Ad Rom.4.* Illud porro verbum *dabo* magnam vim habet ad declarandam potentissimam DEI prouidentiam circa res humanas: denotat enim, in potestate DEI esse, cuicumque velit regna dare, vel auferre. Verissimum enim est, quod dixit Daniel: *Ipse transfert regna & constituit*, & quod in libro Ecclesiastici *Danielis 2.* scriptum est: *In manu* DEI *est potestas terræ*. Frequenter autem DEVS ex vna gente regna transfert in aliam, propter insignem eius gentis atque inueteratam impietatem & malitiam. *Regnum à gente in gẽtem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.* & infra: *sedes ducum superborum destruxit* DEVS, *& sedere fecit mites pro eis.* Atque ob hãc ipsam causam, possessionem terræ Chanaan ademit Chananæis, Hebræisque tradidit.

Pietas & religio Abrahæ.

71 *Qui ædificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei.* Quemadmodũ, cum DEVS iussit Abram, derelicta patria & cognatis, ire in terram extraneam ei atque ignotã, insigniter enituit fides & obedientia eius, sine vlla cunctatione, quin etiam alacriter diuina iussa capessentis atque exequentis; sicut ait Apostolus: *Fide Abram obediuit exire in locum, quem acceperus erat in hæreditatem: & exijt nesciens quo iret:* Ita nunc accepto, *Ad Heb. 11.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

de possessione terræ Chanaan DEI promisso, cum aram DEO extruxit, mirabiliter eius aduersus DEVM pietas & religio eluxit. Etenim pro beneficiis à DEO acceptis, nulla ei potior referri gratia potest, quã si magno ardore ac deuotione animi, pietatis & religionis officia frequentẽtur. Neque hoc non à Dauide rege cognitum & factitatum est. Audimus enim eũ quodam loco exclamantem: *Quid retribuam Domino pro omnib. quæ retribuit mihi?* & continuo subiungit: *Calicẽ salutaris accipiã & nomen Domini inuocabo.* Et hoc ipsum paulo infra expressius declarans; *Dirupisti*, inquit, *vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, &c.* Cum autem legibus Abram ædificasse altare Domino, non solam extructionem aræ ab ipso factam intelligere conuenit: verum etiam alios omnes actus & officia eius virtutis quæ Religio nominatur, & in colendo ac venerando DEO, tam interiori quam exteriori cultu tota versantur. Illos dico Religionis actus, confessionem suæ infirmitatis, laudem diuinæ bonitatis, prædicationem nominis DEI, oblationes & sacrificia inuocationem nominis diuini, gratiarum actionem, bonorum à DEO petitionem, denique ad veri DEI agnitionem atque, cultum eorum, quibuscum versabatur, cohortationem atque incitationem.

Psal. 115.

VERSV 8. & 9. *Et inde transgrediens ad montem qui erat contra Orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum; ab Occidente habens Bethel, & ab Oriente Hai. Aedificauit quoque ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius. Perrexitque Abram vadens, & vltra progrediens ad Meridiem.*

VIDE quemadmodum beatus ille Patriarcha nusquam 72
consistat, sed huc illuc vagus terram illam pererret, nullibi fixum ac stabile ponens domicilium, sed peregrinando omnem vitam traducens. At cur? Fortasse incolis se, propter religionis ac morum dissimulitudinem, inuisum sentiens, subinde loca mutare cogebatur. Quanquam id non sine certa quadam & vtili prouidentiæ DEI ratione factum putauerim: quò scilicet pluribus locis ac populis veri DEI cognitionem & cultum traderet; simulque tam salutaris doctrinæ prædicatione, quam morum integritate ac sanctimonia, acerrimum illis gentibus ad pietatem & iustitiam colendam exemplum pariter atque incitamentum esset. Nec non vt præstantissima eius viri fides, obedientia & constantia, aduersis iuxta ac secundis rebus mirabiliter exercita & probata, magno posteris decumento foret, quemadmodum DEVS honorari & coli

& coli deberet. Græca lectio huius loci triplicem habet, sed paruam tamen & vocum potius quam sententiæ diuersitatem à lectione Latina; cætero simillima est. Nam pro eo quod in Latina translatione est: *Ab Occidente habens Bethel*; Græce est *ad mare vel à mari*. Verum idem est sensus: mare enim magnum siue Mediterraneum terminus erat Occidentalis illius terræ. Deinde, pro illo vocabulo, *Hai*, Græce est, *Ange*; sicut etiam legisse videtur Chrysostomus. Ad hæc, pro illo, *progrediens ad Meridiem*, Græce est, *castrametatus in deserto*; quo significatur pars Australis siue meridionalis: habet enim Terra promissionis ad Meridiem desertum Arabiæ Petrææ; & ideo deserti nomine terra Australis intelligi solet. Ergo quod Latine est, *ad Meridiem*, Græce est, *ad Desertum*, Hebraice vero, *ad Austrum*. atque id, non tantum hoc loco, verum alibi etiam in scriptura obseruandum esse, monet Hieronymus.

Varietas lectionis huius loci.

Hieronymus in traditionibus Hebraicis per hunc locum.

Illud porro verbum *Castrametatus est*, quo vsi sunt LXX. Interpretes, videtur significare Abram perinde ac si per hostilem terram iter faceret, familiam suam, quam numerosissimam habebat, quasi agmẽ quoddam contra ea quæ timeri poterant ab incolis, bene instructam & munitam duxisse; atque hoc denotari verbo illo castrametandi. Vel potius indicatur illo verbo, instabilem fuisse in ea regione habitationẽ Abræ; ad similitudinem nempe militum, qui subinde castra mutant. Sic enim hoc verbum interpretatur Chrysostomus: Aliena, inquit, dictione videtur vsa diuina Scriptura. Nam quemadmodum de militibus solemus dicere; ita & de iusto dicit, quod castrametatus sit; vt ostendat Patriarcham semper fuisse expeditum, semperque ad quamlibet loci mutationem, quotiescumque opus esset, accinctum. Sicut enim milites absque difficultate huc illuc tentoria sua transferunt: ita & iustus ille, quamuis secum duceret vxorem & fratris filium, tantumque seruorum numerum, magna tamen facilitate quocumque migrare solebat. Vidisti frugalem senis cum vxore & tot seruis vitam? sed mihi admirabilior videtur Saræ animi virtus atque constantia. Cum enim cogito muliebris sexus infirmitatem, & animaduerto quanta facilitate & alacritate cum Iusto illo peregrinaretur, & vagam vitam, non sine magnis incommodis multifariam oberraret, neque id moleste ferens ipsa, nec viro suo quicquam facessens negotij, obstupesco, ac non minorem in ea spiritum atque fortitudinem, quam in Abram fuisse censeo. Ita Chrysostomus.

Chrys. homil. 32. in Genesim.

73 DE Ciuitate Bethel commodius dicturi sumus infra Genesis 28. hic enim per anticipationem nominatur Bethel, cum id nominis plus cẽtum quinquaginta annis post acceperit à Iacob, vt narratur Gen. 28. tempore autem Abræ appellabatur Luza. Dicamus igitur hic de ciuitate Hai, quæ propter memorabile eius excidium, & atrocissimum regis eius vrbis supplicium, nobilitata & celebrata est in sacris literis, vt legere est in libro Iosue cap. 8. vbi hæc scripta sunt: *Iosue succendit vrbem Hai, & fecit eam tumulum sempiternum: regem quoque eius suspendit in patibulo vsque ad vesperam & Solis occasum: & deposuerũt cadauer eius de cruce;*

Ciuitas Hai.

Bibliotheca
Facult. Philosophiae
Provinciae Loyolensis S.I.

proieceruntque in ipſo introitu ciuitatis, congeſto ſuper eum magno acerno lapidum. De ciuitate Hai hæc tradit Borchardus: Supra Galgala, in montanis, contra Occidentem tribus leucis, in parte Occidentali Quarantenæ, vrbs eſt Hai: ex qua ad vnam leucam fere contra Aquilonem, paulum tamen declinando, eſt ciuitas Bethel. Verum de poſitu huius vrbis enucleatius atque vberius ſcripſit Andreas Maſius: cuius verba, quod pauca ſint, & ad illuſtrandum hunc locum faciant plurimum, hic referre non grauabor: Quantum, inquit, fuerit loci ſpatiũ inter vrbem Iericho & ciuitatem Hai, ſcriptum eſt in vetuſtis commentariis Hebræorum in Exodum, quæ nominãtur Semoth Rabbah. Illic enim ad caput 23. hæc leguntur: Inter Hai & Iericho tria dumtaxat ſunt milliaria, & tamen vrbs vtraque ſuum habebat regem &c. His conſentanea ſunt, quæ noſtri homines, qui loca illa perluſtrarunt, ſcripſere: poſitam fuiſſe Hai tribus circiter leucis à fonte Eliſei verſus Septentrionem, in occidua parte montis, quem Quarantenam nunc vulgus nominat à CHRISTI ieiunio, quod eo loci dies quadraginta pertulit noſtra cauſa. Fontem autem illum in agro Ierichuntino eſſe, certum eſt ex ſacra hiſtoria 4. Reg. 2. Quod autem ſpatium à Gallis leuca vocatur, id ab Hebræis (mil) ſumpto à Latinis vocabulo, ac ſi dicas milliarium, appellatum eſt, continens circiter bis mille & quingentos paſſus, hoc eſt, quantum itineris homo pedes horæ ſpatio conficiat vſitato progreſſu. Quanquam eſt, vbi pro mille paſſibus poſitum hoc verbum ab Hebræis, inuenies. Porro ab Hai ad Bethel non longius fere interuallum, quam leucæ fuit vnius. Sed Bethel ab Hai vergit ad Occidentem; verum ita, vt parumper in Septentrionem declinet. Hieruſalem vero, quæ à Bethel abeſt duodecim millibus paſſuum, pro harum vrbium ſitu, eſt ad Meridiem poſita, atque etiam nonnihil ad Occidentem. Fuit & altera vrbs Hai apud Ammonitas; cuius apud Ieremiam cap. 49. mẽtio eſt. Sed hæc noſtra plerumque per excellentiam, Hãbai, præpoſito articulo, appellatur: quod apud Nehemiam quoque obſeruatum videre eſt: nominat enim ille Haia, ſed Chaldæo ſermone vtens. Chaldæi enim, vt ait Elias Grammaticus, litera Aleph in fine collocata, Emphaſim ſignificant, plane vt Hebræi litera He poſita in principio. Hæc Maſius: quæ ad clariorem huius loci plenioremque intelligentiam conducere poſſe exiſtimaui.

Borchardus.

Andreas Maſius in ca. 7. Ioſue.

Matth. 4.

Elias Grãmaticus.

TER

TERTIA DISPVTATIO.

An mons, in quo dicitur hoc loco Abram tetendiſſe tabernaculum, & ædificaſſe altare Domino, fuerit mons Garizim & Hebal, nec ne.

74 QÆTERVM illud diſquirendum eſt, quis fuerit mons ille contra Orientem Bethel obiectus, in quo narrat hoc loco Moſes, tetendiſſe tabernaculum Abram, & altare Domino ædificaſſe, & inuocaſſe nomen eius? Toſtatus putat fuiſſe montem Garizim & Hebal, inter Bethel & Hai interiectum: qui licet re vera vnus mons ſit, duo tamen habet iuga & quaſi capita, quorum vni Garizim, alteri Hebal nomen fuit. In his recitatum fuit Deuteronomium audiente omni populo, ſicut legitur Ioſue 8. id enim fieri iuſſerat Moſes, vt Deuteronij 11 ſcriptum eſt. Et in Garizim quidem recitatæ ſunt benedictiones, in eos qui cuſtodirent legem Moſis conferendæ: in Hebal vero, maledictiones infligendæ legem violantibus. Quamobrem magna deinceps eius loci apud poſteros religio & veneratio fuit. De templo autem, quod ad æmulationem templi Hieroſolymitani in monte Garizim tempore Iaddi pontificis, & Alexandri Magni ædificatũ eſt; quodque ducentos annos ſtetit, nempe vſque ad Hircanum Pontificem & Principem Iudæorum ſubtiliter & copioſe ſcripſit Ioſephus. In hoc igitur monte arbitratur Toſtatus & tentorium poſuiſſe Abram, & altare ædificaſſe.

Toſtatus.

Ioſephus li. 11. & 13. Antiquita.

75 Nec ab hac Toſtati opinione procul videtur eſſe Gerardi Mercatoris ſententia; quã ſtrictim exponit Maſius, diſputationẽ quandam ſuam ſuper hac re cum illo habitam cõmemorans; namque eam ſcripto proditã à Mercatore non memini legere. Cenſet itaque Mercator vtrumque mõtem prope ab vrbe Hai ab fuiſſe: & ipſum quidem ciuitatẽ Hai in iugo Garizim eſſe poſitam; Hebal vero, intercurrẽte valle Paululum ad Occidẽtem verſus Bethel extitiſſe. Arã vero, quam in his montibus ſtructam hiſtoria Ioſue narrat capite octauo, veteris illius in aræ veſtigio fuiſſe poſitam, quam Abram inter Hai & Bethel ſtatuiſſe, hoc loco Geneſis quem tractamus memoratur. Laudat Mercator huius ſententiæ ſuffragatorem probatoremque B. Hieronymum, qui in libello de locis Hebraicis affirmate pronuntiat, montes iſtos non procul ab Iericho & Galgalis diſtare; ac Samaritanos magni & manifeſti erroris damnat, qui apud Neapolim, hoc eſt, Sichem, eos oſtendunt. Verba Hieronymi ſic habent: Sunt iuxta Iericho duo montes vicini contra ſe inuicem reſpicientes, è quibus vnus Garizim, alter Hebal dicitur. Porro Samaritani arbitrantur hos duos montes iuxta Neapolim eſſe; ſed vehementer errant. Galgala enim locus eſt iuxta Iericho: iuxta Galgala

Gerardus Mercator. Maſius in cap. 8. Ioſue. Mercatoris ſententia.

B. Hieronymus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Refellitur Mercator, & ostenditur vbi fuerit mõs Garizim & Hebal.

vero istos montes fuisse,scriptura Deuteronomij cap. 11. testatur. Hæc atque alia quædam horum similia disputabat Mercator.

Verum longe probabilior videtur opinio iampridem apud omnes peruagata,eos montes prope Sichem collocans. Primum enim in Iudicum historia capite nono mons Garizim vrbi Sichem dicitur imminere ; quin etiam illic statuitur Elon seu Quercus Moreh , quam supra diximus fuisse vel ipsam Sichem,vt Hebræi autumant,vel certe proximum ei locum. Nam quod Mercator montis Garizim longum iugum à Sichem ad Hai , & vltra etiam producit ; id quia nullo probat argu-

Iosephus. mento,nullam etiam fidem facit. Certe Iosephus non vno loco scribit, cæremoniam illam recitandi benedictiones & maledictiones apud Sichem esse actam. Iosephus autem, vt qui in regionibus illis educatus, quin etiã cum imperio versatus fuerit , auctoritate fideque præstat cæ-

Hebræi. teris. Hebræi quoque hos montes circiter sexaginta millia passuum ab Iordane remotos esse scribunt. Nostrorum etiam hominum quicũque loca illa peragrarunt, nemo est qui non eos montes paruo interuallo à

Borchardus. porta australi nouæ Sichem distare prodiderit. in primis Borchardus, sane diligens scriptor , qui decẽnium totum in illis regionibus studiose curioseque perlustrandis & cognoscendis consumpsit , ita scribit de illis montibus: A porta Sichem australi, quantum bis iacere posset arcus,est fons Iacob,super quem fatigatus ex itinere sedit Dominus IESVS Ioan.4.supra fontem ad dexteram mons est excelsus,duo habens capita:quorum vnum Gatizim;alterum Hebal nuncupatur : vbi Iosue ædificato altari, & audiente populo recitari iussit Deuteronomiũ Mosis. Super montem autem Garizim adhuc ostẽditur vetustissimi templi locus,quod quidem sub titulo Iouis Hospitalis,ad instar templi Hierosolymitani constructum olim fuerat. Permansit autem vsque ad excidium Hierusalem à Romanis factum. Montem porro Garizim & templum illud creditur significare voluisse Samaritana,cum dixit Saluatori nostro: *Patres nostri in monte hoc adorauerunt,&c.* Ioan.4.

Nec ab hoc tam recto sensu deducere quemquam debet liber ille 77 de locis Hebraicis , cuius auctoritate contra opinionem hanc pugnabat Mercator. Nimirum eius libri auctor fuit Eusebius ; Hieronymus autem tãtum interpres. Eusebium autem & linguæ Hebraicæ ignarum fuisse cõstat,nec locorum illius regionis admodum peritum. Nec obscurum est,quid Eusebium adduxerit in eam opinionem: Græca nempe lectio eorum quæ scripsit Moses de istis montibus Deuteronomij

Locus Deuteronomij cap.11. 11.decepit eum. Nãque eo loci,vbi designat Moses sitũ mõtis Garizim & Hebal,pro eo quod tam Hebraice quam Latine legitur, eos montes esse cõtra Galgala,vel è regione Galgalorum. Græce est, iuxta Galgal: quasi proximi sint Galgalis,& idcirco vrbi Iericho etiam vicini. Verum Hebraice ac Latine,vt dixi,non est,iuxta, sed contra, vel è regione ; id enim significat vox Hebræa (mul) Vox autem , contra,vel, è regione, etiam in locis procul inter se dissitis ponitur: id quod plane liquet ex verbis Mosis quæ sunt in exordio Deuteronomij. Etenim Moses planitiem

tiẽ illam cãporum Moabiticorũ,in qua paulo ante excessum suũ legem populo explanauit,fuisse scribit contra Mare Rubrum , vel è regione Maris Rubri : Mare autem Rubrum à campis Moabiticis quam longo distet interuallo , nemo est qui nesciat. Præterea in illo capite 11. Deuteromij scriptum est,montes illos fuisse contra Galgalam, quæ est iuxta vallem tendentem & intrantem procul: sic enim habet translatio Latina. Sed pro illis verbis Hebraice est,à regione Galgalorum apud Elon Moreh. Non semel autem supra dictum est. Elon Moreh denotare vel vrbem Sichem, vel locum ei proximum. Verum ne longior sim, hic terminabo disputationem hanc.

Facta est autem fames in terra: descenditque Abram in Aegyptum,vt peregrinaretur ibi: prævaluera enim fames in terra. VERS. 10.

78 IN reliqua parte huius capitis duodecimi , narrat Moses memorabilem quandam historiam peregrinationis Abrahæ in Apgypto , propter famem quæ in omni terra Chanaan prævaluerat ,ab eo susceptæ : simulque mirabilem casum, qui circa vxorem Saraï apud Aegyptios contigit,ita exponit, vt quasi oculis rem subjicere videatur. Quoniam autem Philo argumentum huius historiæ breui ac luculenta oratione perstrinxit , adiunctis quibusdam circumstantiis narrationem Mosis non parum illustrantibus ; nec alienum huic loco fuerit nec iniucundum lectori , verba eius hic adscribere. Approbans DEVS , inquit Philo,eximiam fidem, obedientiam , & pietatem Abrahæ , mox eum egregio quodam beneficio , remunerauit , coniugium eius à potente quodam & immoderato rege ingẽs adductum in discrimen, mira quadam ratione inuiolatum intactumque seruans. Cuius periculi hæc fuit occasio: Cum diu laboratum esset frugum penuria, iam propter insolitos squalores , iam vero propter nimios imbres ; vrbes Syriæ continua fame oppressæ , desertæ fuerant ab habitatoribus , aliis aliò dispersis quærendi victus gratia. Abram quoque , audita Aegypti fertilitate,cuius campi solenni stagnatione fluminis rigati , copiosas proferunt segetes, auris tempestiuis nutritas & maturatas ; illuc se cum omni familia contulit. Erat illi vxor animi & corporis dotibus ornatissima. Hac visa , quidam Aegyptiorum optimates , admirati pulchritudinem (nihil enim eximium latere potest) rem ad regem suum deferunt. Is, forma mulieris captus,abiecta hospitalitis iuris reuerentia , voluit ea prætextu nuptiarum potiri. At illa, in aliena regione , apud impotentẽ & crudelẽ Principẽ , omni destituta auxilio (nec enim vir eius malũ impendẽs arcere poterat (ad eã quæ sola supererat, opẽ diuinã cõfugit. Tunc propitius DEVS, factusque patientium iniuriã protector, graues

Philo in lib. de Abram.

pœnas

Universidad de Deusto
Biblioteca

pœnas & cruciatus inflixit regi;adeo vt animo & corpore laboraret,& morbo quidem multiplici; ita vt amorum voluptatũque oblitus,longe diuersas agitaret curas, quemadmodum scilicet euadere posset è tormentis,quibus sine intermissione dies noctesque afflictabatur. Quam eius pœnam sensit & tota Regia; propterea quod nemo se tantæ iniquitati opposuerat,sed omnes libidini regis assensi & obsecuti fuerant. Hac igitur ratione consuluit DEVS mulieris pudicitiæ: illæsam intactamque eam custodiens, quæ proxime à violenta constupratione abfuerat,mater deinceps futura non filiorum aut filiarum tantum,sed amplissimæ gentis, DEOque gratissimæ:cui videlicet contigerunt præter multos reges potẽtissimos,etiam vates ac sacerdotes in vsum totius generis humani.Sic Philo.

Triplex igitur periculum contigit Abrahæ:vnum ex generali fame, 79
propter quam ex regione Chanaan decedere coactus est:alterum vitæ apud Aegyptios,propter vxoris pulchritudinem:tertiũ pudicitiæ vxoris.Accessit præterea peracerbus dolor ex separatione vxoris, non minus vita sibi caræ.Ac licet DEVS manẽtem in Chananæa Abram alere & sustentare posset, sicut aluit Eliam per coruos,& per hunc viduam Sareptanam;idque probe nosset Abram,nec de potẽtia DEI dubitans, nec eius erga se benignitati diffidens: attamen DEVM tentare noluit, cum humana industria & diligentia periculum depellere ac vitare posset.Est autem duplex ratio tentandi DEVM:altera eorũ est qui dicunt, Non credam nisi videam; quemadmodum Iudæi olim DEVM tentauerunt in deserto:altera est eorum qui dicunt,Credo DEO,& confido Prouidentiæ eius, & idcirco non curo humana consilia & adminicula, quia ille sine his potest me conseruare. Priorem illam tentationem appellare licet à sinistris, posteriorem vero à dextris.Regia via est,quæ nec ad dexteram nec ad sinistram declinat; quæ sic diuina prouidentia confidit,vt nihilominus humanis consilijs & auxiliis,cum adsunt, vtatur;nec si ea tamen defuerint, desperet tamen; sed diuinæ potentiæ & benignitatis fiducia,seipsum sustentet.

3.Reg 17 Ibidem.

Duplex ratio tentandi DEVM. Exod.17. Psal.77.

Sed cur passus est DEVS hac triplici tentatione seruum suũ Abram 80
vexari & conflictari?Ob quinque causas:Primo,vt singularis eius prudentia & magnitudo animi in dubiis subitisque casibus magnisque periculis probata,mirabiliter explendescceret.Secũdo,vt quemadmodum aurum igne perspicitur & purgatur, sic illius fides,spes, patientia, & constantia,& aduersus DEVM pietas ac religio, sæpius rebus non tantum aduersis,sed etiam terrificis probata, perfectior in dies atque illustrior euaderet. Namque rebus maxime perturbatis & in extremum discrimen adductis,constanti & tranquillo animo esse,nec à proposito sanctitatis aut pietatis, vel transuersum vnguem dimoueri;raræ cuiusdam & consummatæ virtutis est, summæque laudis & gloriæ. Tertio, declaratum est & hoc aliis similibus præstantium virorum exemplis, esse quendam ordinem & processum graduſque distributionis gratiarum DEI. Non enim omne bonũ seruis DEI repente simulque tribuitur;

Quinque causæ cur DEVS tam grauiter tẽtari & vexari Abram, passus sit.

tur;sed à modico gratiæ principio, paulatim per hominis merita & acceptæ gratiæ incrementa proceditur,& quasi per gradus ad supremum perfectionis fastigium peruenitur. Nihil autẽ est quod æque conducat ad profectum & consummationem virtutis,quam tentationum & afflictionum,cum animi constantia & pietate coniuncta perpessio. Scitum enim est quod Apostolus Iacobus scripsit:*Omne*,inquit, *gaudium existimate,fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur;patientia vero opus perfectum habeat, vt sitis perfecti & integri in nullo deficientes.* Quarto; quia sic magis declarata est singularis DEI beneuolentia & prouidentia erga Abram. Nam quod de Tobia dixit Raphael: *Quoniã*,inquit,*acceptus eras* DEO,*necesse fuit vt tentatio probaret te.*Id etiam verissime in Abram dici potest,& item illud Pauli: *Quem diligit Dominus castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Et quo pluribus & grauioribus periculis liberatus à DEO est Abram:hoc illustrior & admirabilior extitit potentia & prouidentia liberantis.Quinto,voluit DEVS vt Abrahæ fides, & diuina eius protectio ac liberatio, posteris exemplum pariter atque solatium esset:vt ex iis quæ ei contigerunt discerent posteri, quemadmodum se aduersis in rebus gerere deberent,vt nec constantiam perderent, nec in fiducia diuinæ opis debilitarentur:sed talibus sanctorum documentis,monitis ac exemplis præmoniti atque prædocti,sibi suisque rebus prouide consulerent. Hoc enim est sapere (ait ille apud Comicum)ex aliis periculum facere, sibi quod ex vsu fiet. Audi quid scriptura dicat de cæcitate quæ Tobiæ accidit:*Hanc tentationem ideo permisit* DEVS *euenire illi,vt posteris daretur exemplum patientiæ eius,sicut & sancti Iob. Nam cum ab infantia sua semper* DEVM *timuerit,& mandata eius custodierit, non est contristatus contra* DEVM *quod plaga cæcitatis euenerit ei,sed immobilis in* DEI *timore permansit,agens gratias* DEO *omnibus diebus vitæ suæ.*

Iacobi.1.

Tobiæ 12.

Ad Hebr.12.

Tobiæ.2.

81 Sed expendẽda sunt verba illa, *Descendit Abrã in Aegyptũ vt peregrinaretur ibi.* Proprie locutus est Moses, ac secundum Topographiam Chananitidis & Ægypti, cum hoc loco ait, Abram ex Chananæa descendisse in Ægyptum: & paulo infra Gen.13.eundem ex Ægypto reuertentem in Chananitidem,scribit ascendisse.Nimirum terra Ægypti humilior & depressior est, quam terra Chanaan: recte igitur ex hac profectio in illam,vocatur descensus: ex illa vero in hanc, nominatur ascensus: & hoc quidem perpetuo in sacris literis obseruatum comperiet lector.Causa porro cur Abram discesserit ex Chananæa peregrinaturus in Ægypto,si eius cõsilium & animus spectetur,non alia certe fuit,quam inopia frumenti, & vt famis necessitati occurreret. At vero diuina prouidentia, per hanc famis occasionem, sapientem illum & sanctum virum eo misit,vt quemadmodum Palæstinos,ita quoque Ægyptios verbo prædicationis, & suarum virtutum exemplo erudiret. Sic profecto vsu venit,vt per mala quæ sancti viri patiuntur, aliorum bona promoueantur,ignorãtibus etiam vtrisque,DEO tamen dirigente, & ad destinatos prouidentiæ suæ fines omnia perducẽte.Audi quid

Universidad de Deusto
Biblioteca

Chrysost. hom. 30. in Genesim.

in hanc sententiam scriptum reliquerit B.Chrysostomus: Dispensabat DEVS, ait Chrysostomus, vt Abram non tantum Palæstinorum doctor esset, sed etiam lucem doctrinæ ac virtutis suæ impertiret Aegyptijs. Quasi enim luminare quoddam, eum qui in Chaldæorum terra delituerat, illinc euocauit; vt eos qui in tenebris errorũ sedebant, oblata veritatis luce illuminaret. Sed forte diceret aliquis, Cur non potius eos qui in Chaldæa erant, vt ad veram religionem venirent, sua pietate effecit? Verisimile est illorum salutem per aliorum prouidentiam esse procuratam. Attamen audi CRISTVM dicentẽ, *Non est Propheta absque honore, nisi in patria sua.* Vt igitur opere impleret quod ei promiserat, dicens, *Magnificabo nomen tuum*, propterea & famem oriri permisit, & cogente necessitate, ire fecit in Aegyptum, vt discerent qui illic erant, quanta eius viri esset virtus, & quanta in gratia esset is apud DEVM. Fames namque quasi lictor fuit, qui necessitatis iniecto vinculo, vi eum in Aegyptum abstraxit. Sic Chrysostomus.

Luc. 4.

Sex causæ cur homines peregrinentur.

SEX porro causæ sunt, quibus sæpe adducuntur multi, vt longinquas & laboriosas peregrinationes suscipiant. Prima causa est, naturalis quædam multorum vanitas & instabilitas. Est enim quorundam adeo mobile ingenium & inquies animus, vt nullo possint loco diu consistere; sed auide curioseque varia loca peruagentur atque pererrent. Altera causa est, necessitas; videlicet, quo magnum aliquod malum vitetur vel famis vel supplicij propter scelus aliquod patratum impendentis. Tertia causa est, vtilitas. Cuius generis sunt, mari terraque peregrinationes militum atque mercatorum. Quarta causa est, insatiabilis quorumdam, eorum præsertim qui excellenti sunt ingenio, cupiditas discendi res nouas & abstrusas; comparandæque multiiugis doctrinæ ac prudentiæ, variarum gentium ingeniis, moribus, institutis & disciplinis cognoscendis ac percipiendis. Hanc ob causam memoriæ proditum est, Pythagoram, Empedoclem, Democritum & Platonem longinquas orbis regiones perlustrasse; exiliis, verius, vt inquit Plinius, quam peregrinationibus susceptis. Legimus in veteribus historiis, ait B. Hieronymus, quosdam lustrasse prouincias, nouos adiisse populos, maria transisse: vt eos, quos ex libris nouerant, coram quoque viderent. Sic Pythagoras Memphyticos vates, sic Plato Aegyptum & Architam Tarentinum, eamque oram Italiæ quæ quondam Magna Græcia dicebatur, laborioſissime peragrauit: & cætera, quæ deinceps ille disertissimis verbis subdit. Quinta causa est, ardens studium iuuandi quamplurimos, & ad veri Dei cognitionem adducendi. Hoc zelo incensi Apostoli, toto propemodum terrarum orbe peregrinati sunt. Sic enim præceperat eis Dominus: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Sexta causa est, sancta quædam & religiosa cupiditas atque curiositas visendi ac venerandi sacra loca, in quibus Saluator noster & beatissima eius mater, dum in terris erant, versati sunt: vel vbi Apostolorum, aliorumque sanctorum, aut martyrij aut sepulturæ

Plinius lib. 30. cap. 1. S. Hieron. ad Paulinũ epist. 103.

Marci vlt.

& reliquiarum monumenta sunt: hanc ob causam Terra sancta, Ædes Lauretana, Compostella, & Apostolorum limina à fidelibus celebrantur.

Cumque prope esset vt ingrederetur Aegyptum, dixit Saraï vxori suæ: Noui quod pulchra sis mulier, & cum viderint te Aegyptij, dicturi sunt, Vxor illius est; & interficient me, & te reseruabunt.

VERSVS 11. & 12.

83 HVNC locum tractans B. Ambrosius, ita scribit: Exercetur athleta DEI, & duratur aduersis, in desertum abit, in famem incidit, in Ægyptum descendit. Compererat in Ægypto lasciuiam esse, iuuenum luxuriam, petulantiam, effrenatam cupiditatem, voluptatum intemperantiam. Aduertebat inter huiusmodi viros intutam fore vxoris pudicitiam, sibique coniugis pulchritudinem periculo futuram: monuit vxorem, vt sororem se diceret. Quo docetur, non magnopere quærendum decorem coniugis, qui viro necem plerumque gignere soleat. Non enim tam pulchritudo mulieris, quam virtus eius & grauitas delectat virum. Sic Ambrosius. Ergo ducturis vxorem, si quidem quietũ ac suaue coniugium cupiunt, non admodum optanda est excellens pulchritudo; vt quæ viris multiplicis curæ, solicitudinis, timoris ac periculorum sæpe causa est. Difficilis ergo prouincia est vxor formosa, venenum dulce, compedes aurei, splendida seruitus: semperque in eo vigilandum, quod, à multis cum appetatur, difficiliter custoditur. Quantorum malorum & calamitatum pulchritudo Lucretiæ ac Virginiæ causa fuerit, ex Romanis historiis notum est. Merito igitur Satyricus ille poëta castigat inepta & siniſtra parentum vota, qui eximiam liberis suis pulchritudinem, ac formæ elegantiam peroptant; quæ non raro cum aliis, tum etiam illis ipsis pernicioſa & exitialis fuit: vt multis optabilius fuerit corpore turpes, quam pulchros fuisse.

Ambrosius lib. 1. de Abram, ca. 2.

Non optanda vitis rara vxoris pulchritudo.

» *Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem*
» *Ipsa habuit: cuperet Rutilæ Virginia gibbum*
» *Accipere, atque suam Rutilæ dare.*

Iuuenal. Satyr. 10.

Verum, dicet aliquis, cur non idẽ periculum timuerit Abrã apud Chananæos atque apud Ægyptios: cum pulchritudo Saraï, æque periclitari potuerit in terra Chanaã, atque in Ægypto? Sed diuersa ratio Ægyptiorum erat atque Chananæorum: illi enim intemperantioris & profusioris erant libidinis, effreneſque magis habebãt cupiditates. Adiice, quod Chananææ mulieres erant multo candidiores & pulchriores, quam Ægyptiæ: quapropter pulchritudo Saraï magis futura erat apud Aegyptios singularis, rara & insolita, quam fuerat apud Chananæos, ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

iorisque apud illos,quam apud hos incendij amoris, & periculi causa. Ex illis autem verbis: *Interficient me,& te reseruabunt,* intelligere licet, magis horruisse Aegyptios adulterium, quam homicidium. Siquidem interfecturi erant Abram, ne eo viuo,si vxorem eius haberent,adulteri viderentur. Cum tamen homicidium sit grauius flagitium & crimen, quam adulterium: talis autem existimatio ex peruersitate iudicij,vel ex prauitate aut legum aut consuetudinum orta est. Nisi forte illud potius credere lubet, Aegyptios non tam peruersitate iudicij, quam ardore libidinis obcæcatos,fuisse peccaturos.

VERSVS 13.

Dic ergo obsecro te, quod soror mea sis: vt bene sit mihi propter te,& viuat anima mea ob gratiam tui.

NON suadet mentiri,sed ad tempus verum tacere. Verum 84
namque erat ipsam esse sororem eius,sic enim auunculus & filii fratris appellantur; etiam paulo infra Genesis 13. Lot,qui erat fratris sui filius, appellauit fratrem. Suadet igitur, vt dum inter Aegyptios erunt,non mariti,sed fratris nomine eum appellet. Hinc liquet,non fuisse id temporis licitum apud illas gentes matrimonium inter fratrem & sororem: alioqui obtentus appellationis sororis & fratris, nihil iuuisset Abram ad dissimulandum celandumque coniugium. Sed hac de re alio loco copiose disputatum à nobis est. Cæterum breuis & luculentus huius loci commentarius est apud Augustinum. Abram, inquit ille,in Aegyptum ire famis necessitate compulsus est. Vbi vxorem suam dixit sororem suam, nihil mentitus. Erat enim & hoc, quia propinqua erat sanguine: sicut etiam Lot eadem propinquitate, cum fratris eius esset filius,frater eius est dictus. Itaque vxorem tacuit,non negauit: coniugis tuendam pudicitiam committens DEO, & humanas insidias cauens vt homo: quoniam si periculum,quantum cauere poterat,non caueret; magis tentaret DEVM,quam speraret in DEO. Denique factum est,quod de DEO præsumpsit Abrã. Nam Pharao rex Aegypti,qui eam sibi vxorem acceperat,grauiter afflictus,marito suo eam reddidit. Vbi absit vt credamus alieno concubitu fuisse pollutam; quia multo est credibilius,hoc Pharaonem facere, afflictionibus magnis non fuisse permissum. Hæc Augustinus. At enim facinus illud Abrahæ,quia plusculum habet difficultatis,in quarta disputatione, quã post explanationem totius capitis huius tractaturi sumus,subtilius excutietur.

Auctor in 2. Tomo in Genesim lib. 16. Disput. 14. Num. 220. Aug. de Ciuitate Dei lib. 16. cap. 19. *Genes.* 13.

Beatus Ambrosius carptim enarrans historiam huius loci, magnis laudibus effert Saraï erga virum suum amorem, fidem, ac pietatem: ea quippe sua commoda saluti eius postposuit;nec illius periculis magno suæ vel pudicitiæ vel etiam vitæ periculo occurrere dubitauit. Ambrosium

sium audiamus: Qui suauitatem quærit coniugij,non superiorem censu ambiat vxorem,sed quam necessitates non terreant maritales;nec monilibus ornatam, sed moribus. Offendit plerumque virum,si se vxor nobiliorem nouerit. Hæc proxima superbiæ sunt. Sara non facultatibus ditior,non genere splendidior erat;ideo non virum imparem sibi putabat,sed vt parem gratiam diligebat. Quocirca non censu est retẽta,non parentibus,non propinquis;sed virum suum,quocumque pergeret, sequebatur,extrema adiit, sororem se eius asseruit, contenta, si ita esset necesse,periclitari pudore potius, quam virum salute. Vt tueretur maritum,mentita est germanitatem,ne insidiatores pudoris eius,tanquam æmulum & vindicem vxoris,necarent. Hæc Ambrosius.

Cum itaque ingressus esset Abram Aegyptum, viderunt Aegyptij mulierem quod esset pulchra nimis, & nunciauerunt Principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum: & sublata est mulier in domum Pharaonis.

VERS. 14. & 15.

85 ABRAM primus omnium gentis Hebrææ fuisse legitur in Aegypto: nec vt indigena, sed vt aduena & peregrinus. Hinc igitur palam est mentitos esse,Molonem, Possidonium,Appionem & quosdam alios veterum scriptorum; qui primam Hebræorum originem ab Aegyptiis fluxisse prodiderunt. Hos manifesti mendacii egregie conuincit Iosephus In iis libris,quos aduersus Appionem scripsit.

Hebræorũ originem & genus non fuisse ab Ægyptiis.

Iosephus.

Et laudauerunt eam apud illum. Ecce tibi,quale sit ingenium;& quale officium Aulicorum quorundam apud Principes: nempe adulari, placitura eis tantum suggerere,obsecundare libidini, lenocinari voluptatibus; quin etiam vitia eorum speciosis virtutum nominibus honestare ac decorare,& maleficia, vt egregia facinora prædicare. Sed amat sui similes Princeps: vt ex vita & moribus ministrorum eius,qualis ipse sit,non dubie æstimari queat. Verum enim illud est: *Secundum Iudicem populi,sic & ministri eius: & qualis rector est ciuitatis,tales & inhabitantes in ea.* Et illud Platonis merito dilaudatum est à Cicerone: Quales fuerint in Republica Principes,tales etiam fore eius ciues. Obseruandum præterea illud hoc loco est,non alibi magis sibi timuisse Abram,quam in Pharaonis regno;vbi scilicet minus & timoris & periculi esse oportebat. Etenim munus regis est,ne cui in regno suo aut vis afferatur,aut etiam fiat iniuria,prouidere. Principes enim,vt ait Paulus,timori sunt, non tamen boni operis,sed mali. Nimirũ non sine causa Princeps gladium portat. DEI enim minister est, vindex in iram ei qui male agit.

Corrupta ingenia & mores Aulicorũ quorũdam.

Eccles. 10.

Plato, vt est apud Ciceronem in epistola quadam ad Lẽtulum lib. 1. Familiariũ.

Ad Rom. 13.

Verum contra euenit in regno Pharaonis: nam qui à rege vt peregrinus protegendus, & ab iniurijs aliorum vindicandus erat, ab eo maxima ipse iniuria affectus est: nec vspiam iniuriosius & iniquius tractatus est, quam vbi publica iustitia maxime debuit vigere.

Impia & insuperabilis malorũ Principum libido.

86 Sed perpendenda sunt illa verba: *Et sublata est mulier in domũ Pharaonis*: hinc enim animaduertere licet, quam importuna & violenta sit atque insuperabilis regum quorundam cupiditas: quibus interdum non aliud ius & lex est, quam cupido & potentia. Hi autem tum maxime sæuiunt, cum, vt Persius inquit,

Persius.

——Dira libido
Mouerit ingenium, feruenti tincta veneno.

Homerus Iliad. 10.

tunc enim factis iuxta dictisque feroces ac minaces sunt. Talem describit Homerus Agamemnonem rapere Achilli Briseida volentem:

Ducite prehensam dextra hanc Briseida nobis,
Quam si non dederit vobis fortasse repugnans,
Actutum veniam multis cum millibus ipse.
Illud erit longe, nisi fallor, acerbius ipsi.

Similibus minis deterrito Abramo, abstractam fuisse Saraï ab Ægyptijs, non est à fide alienum. Nec Abram priuatus & peregrinus obsistere potuit potentis ac ferocis regis ardenti cupiditati. Sapienter enim monuit Hesiodus, stulti esse, contra validiorem pugnare velle: nam & victus succumbet, & præter dedecus, etiam damno afficietur.

Hesiodus.

Exempla raptarum mulierum.

87 Non prætermittam hic admonere lectorem, morem hunc rapiendarum mulierũ vetustissimum fuisse apud Ægyptios; & ab his fluxisse ad alias gentes. Ægyptij namque Isidem filiam Inachi regis Argiuorum è Græcia rapuerunt, & nauigio deduxerũt in Ægyptum: quam postea diuinis coluere honoribus. Græci Europam Agenoris regis filiam è Phœnice raptam, naui, cui Bouis insigne fuit, in Cretam detulerunt. Iaso Thessalus Colchos nauigans, Medeam regij sanguinis inde vexit in Græciam. Paris Troianorum regis Priami filius, Helenã Menelai regis coniugem, è Sparta raptam, Ilium abduxit. Nec inter huiusmodi exempla numerandos esse duco raptus fœminarum necessitatis causa, id est, propter mulierum penuriam, & vsum coniugii factos: quales olim apud Romanos & Beniamitas extitisse legimus.

Iudic. 21.

VERSV 17. *Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis & domum eius, propter Saraï vxorem Abram.*

88 HEcerat Abram quod in ipso erat, & quod eum facere optima ratio & prudẽtia suadebat, vt impẽdens sibi mortis periculum declinaret: de reliquo, pudicitiam vxoris, quam ipse tueri non poterat, DEO seruandam commendauit. Et quia DEVS non deserit sperantes in se, sed est

sed est adiutor in necessitatibus, grauiter castigando Pharaonem, fecit, ne Saraï impuro concubitu à rege pollueretur. Itaque vexatio dedit intellectum regi, vt illam alterius esse vxorem agnosceret, & vt intactam quamprimum reddere viro suo vellet. Præstitit igitur DEVS id quod promiserat Abræ: *Maledicam maledicentibus tibi.* Iam tũc in Abram completum est, quod multis post seculis cecinit Dauid: *Et pertrãsierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges. Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.*

Genes. 12.

Psal. 104.

Deus tutor & vindex coniugalis pudicitiæ.

Docet præterea hæc historia flagellati Pharaonis, coniugalis pudicitiæ & castitatis tutorem, propugnatorem ac vindicem esse DEVM, qui vxoriam pudicitiam, quam semper vir tueri aut non potest, aut negligit, ab aliena libidine defendendam vindicandamque suscipit. Audiat lector beatum Ambrosium disertis verbis hac ipsa de re disputantem. Is enim historiam hanc flagellati à DEO Pharaonis propter Saraï tractans: Magnum, inquit, præbet hic locus testimonium documentũque castitatis: vt nemo alienum affectet torum; nec latendi spe aut faciendi impunitate alienã vxorem incestet; neque ad id insciti vel stultitia prouocetur mariti, aut longiore absentia. Adest præsul coniugij DEVS, quem nihil lateat, nullus euadat, nemo irrideat: vicem absentis mariti tuetur, seruat excubias, imo sine excubiis deprehendit reum, antequam faciat quod parauerit; in mentibus singulorum, in animis vniuersorum crimen agnoscit. Et si maritum adulter fefelleris, non falles DEVM: nec si maritum euaseris, aut iudicẽ fori luseris; etiam iudicem totius mundi euadere poteris. Ille grauius vlciscitur iniuriam inopis, & contumeliam imprudentis mariti. Maior est enim iniuria in auctorem, qui custos thalami est, spretum, & non consideratum. Hæc Ambrosius.

Ambrosius lib. 1. de Abram, cap. 2.

Quæ fuerint illa Pharaonis flagella. Rabbini.

89 Sed quæ fuerunt flagella illa Pharaonis? Non vna omniũ est sententia. Hebræorum Rabbini tradunt fuisse fluxum seminis; ita vt viri aut nullo modo, aut ægerrime vxoribus suis vti possent. Et pro eo, quod nos hic legimus, *propter Saraï vxorem Abram*, Hebræi legũt, *propter verbum Saraï*. Et sic interpretantur: fuisse Saraï familiarem quendam Angelum, custodem eius pudicitiæ. Huic cum dicebat Saraï vt percuteret aliquem, à quo suæ ipsa castitati timebat, continuo ille percutiebat eum, vt ne accedere quidem ad Saraï vellet, aut etiam posset. Et hac ratione coercuisse Pharaonem à concubitu cum Saraï. Simile quid in Ecclesiasticis historiis de beata Agnete, & aliis sacris virginibus proditum memoriæ est. Verum communis est doctorum opinio, flagellationem illam non fuisse aliud, quàm conclusionem vuluæ vxorum tam Regis, quàm Aulicorum & seruorum eius, vt parere non possent. Hoc probare isti non aliter possunt, quàm coniectura quadam facta ex eo, quod infra Geneseos capite 20. scriptum est, regem Palæstinorum Abimelech, propter similem eiusdem Saraï raptum, eo modo fuisse cum omni familia sua castigatũ & afflictũ à DEO. At enim verba illa Mosis: *Flagellauit* DEVS *Pharaonem plagis maximis*, plus mali, quã est conclusio

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iosephus lib. 1. Antiquitatum. Philo in lib. de Abram.

cluſio vuluæ,& impedimentum pariendi ſignificare videntur;videlicet, peracerbum doloris ſenſum,vel ex morbo,vel ex vulnere,aut ex vulcere aliquo ſuſceptũ.Præterea Ioſephus,flagella illa Pharaonis interpretatus eſt peſtilentiam, & tumultus ſeditioneſque populares. Philo autem ſcribit fuiſſe multiplicem morbum, grauemque animi & corporis cruciatum;vſque adeo,vt dies nocteſque torqueretur, nec, vel puncto temporis,acquieſcere ac reſpirare poſſet.Sed cur non tantum Rex, cuius vnius gratia mulier fuerat rapta,verum etiam domus eius,id eſt,familia aulicorum & ſeruorum,ſimiliter atque Rex ipſe,punita eſt?Optimam eius rei cauſam affert Chryſoſtomus:Non ſolum,inquit,ſerui puniti ſunt propter iniquitatem domini,ſed etiam de propria improbitate caſtigati ſunt. Et enim illi pulchritudinem Saraï, maiorem in modum laudauerunt apud regem;& ablatam viro,ad eum deduxerunt;regemque ſatis ſponte ſua propenſum ad libidinem, vehemẽtius incẽderunt. Quid igitur mirum,eos regiæ pœnæ participes fuiſſe, qui regis in patrando flagitio ſocij & adiutores fuerant?

VERSVS 18. *Vocauitque Pharao Abram,& dixit ei,Quidnam eſt hoc quod feciſti mihi?&c.*

Ambroſ. in lib. de Abram,cap. 2.

LEVCVLENTE locum hunc tractat S. Ambroſius, hoc 90
modo ſcribens:Ipſe quoque Pharao, licet rex Aegyptiorum,quem & inſolentia regalis potentiæ ſupinaret, & Aegypti laſciuia atque luxuries à ſtudio caſtitatis abduceret,vocauit Abram,& arguit eum dicẽs, *Quid hoc feciſti mihi?&c.*Etſi natura ferus ac barbarus,tamen ſignificat,etiam exteris & barbaris moribus curam eſſe pudoris, & adulterij crimen etiam ſibi regi cauendum. Qui prætendit ignorantiam, condemnat intemperantiam.Nec mirũ,ſi barbarus ius nouit naturæ;muta animalia, licet nullis conſtringantur legibus,ſunt tamen aliqua, quæ non ſolum paribus ſuis copulæ ſeruent fidem, verum etiam coitus vnius caſtitatem cuſtodiant.Ita maior lex naturæ, quam legum præſcriptio eſt. Non mirum ergo,ſi iſte Aegyptius rex DEVM timuit,qui hominem non timebat; & adulterij pœnas ſoluit,qui nullis reus tenebatur legibus: ſtatimque vbi alienam eſſe cognouit vxorem,non ſolum marito reddidit, verum etiam proſecutores dedit,qui deducerent eum:ne quis de populo barbaro irrogaret iniuriã vel peculio viri,vel vxoris pudori.Sic Ambroſius.

Chryſoſt. hom. 32. in Geneſim.

Sed vnde Pharao cognouit Saraï eſſe vxorem Abrahæ? Chryſoſtomus ait diuina reuelatione fuiſſe ei patefactũ. Et in Chryſoſtomi quidem plerique doctores iuere ſententiam. Cui fidem non paruam adiũgit,quod infra Geneſis 20.ſcriptũ eſt de rege Abimelech; cui DEVS in conſimili caſu,Saraï eſſe vxorem Abrahæ per reuelationem indicauit.

Ioſephus li. 1. Antiquitatum.

uit. Ioſephus aliam rationem tradit: ait enim ſacerdotes conſultos à Rege de tam ſubita & graui eius flagellatione reſpondiſſe, id ei propter ablatam viro vxorem contigiſſe. Id autem DEVS per ſacerdotes illos indicari voluit,ſicut multa prædici per Balaam hariolũ, & per ſacerdotes Philiſtinotũ,quid ſuper arca Domini facto eſſet opus, vt plaga quæ Philiſtæos inuaſerat, auerteretur. Verba Ioſephi ſic habent: Pharao laudatam ſibi de pulchritudine Saraï, ad ſe iuſſit adduci, vt ea potiretur.Huic malæ libidini DEVS obſtitit, peſtilentia & ſeditione res Regis infeſtans: conſultique de remedio ſacerdotes, quove modo placandum eſſet numen;hanc mali cauſam reſponderunt,quod hoſpitis matrimonio iniuriam inferre parauiſſet. Sic Ioſephus. Fortaſſe Rex id ex Sara ipſa cognouit. Nam quia ſtatim vt Sara domum Regis ingreſſa eſt,ille grauiſſime percuſſus à DEO eſt,cœpit Rex cauſam tanti mali anxius quærere.Veriſimile igitur eſt,Saram vel vltro,vel interrogatam ab Aegyptiis veram eius calamitatis cauſam aperuiſſe.

Nunc igitur ecce coniux tua, accipe eam, & vade. VERS. 19.

91 SARAM non fuiſſe pollutam à Pharaone, ſententia eſt omnium;idque ſacra huius loci hiſtoria ſatis euidenter oſtẽdit,cum docet flagellatum fuiſſe Regem à DEO propter Sarã; & Regem ipſum quaſi expoſtulantem cum Abram, dixiſſe ei, *Quam ob cauſam dixiſti eſſe ſororem tuam, vt tollerem eam mihi in vxorem?* Voluerat igitur eam accipere in vxorem, nondum tamen acceperat. Ergo rex ille diuinis flagellis deterritus ac prohibitus eſt acceſſu ad Saram: vehemens enim corporis dolor, omnem ſenſum, etiam ardentiſſimæ libidinis ac voluptatis obruit atque reſtinguit.Recte igitur Chryſoſtomus:DEVS, inquit, acerbiſſima pœna percuſſum Regem, diſcedere fecit à nefario flagitio, coercuit ab irrationali impetu, cohibuit incontinentem mentem, alligauit concupiſcentiam indomitam, refrænauit furoris inſaniam. Sed B. Hieronymus aliam quandam rationem affert, cur non ſtatim vt rex ille Saram domi ſuæ habuit, ad eam acceſſerit. Fortaſſe, inquit, idem mos erat id temporis apud reges Aegyptiorum, atque poſtea fuit (vt docet hiſtoria Eſther) apud reges Perſarum: ad quorum congreſſum non admittebantur mulieres, niſi ante per vnum annum multiplici & exquiſito cultu ac mundo muliebri præparatæ eſſent.Hic igitur mos ſi tunc erat apud Aegyptios,nihil negotii eſt intelligere, quomodo Saraï,etiam ſi domi Pharaonis diu fuiſſet, inuiolata tamen & intacta eſſe potuerit.Verba S.Hieronymi hæc ſunt: Licet corpus ſanctarũ mulierum non vis maculet,ſed voluntas;& excuſari poſſit Saraï, quod famis tẽpore;ſola Regi in peregrinis locis,marito conniuẽte, reſiſtere nequi-

Chryſoſt. hom. 31. in Geneſim.

Eſther.2.

Hieronym. in traditionibus Hebraicis in Geneſim.

uerit : tamen potest & aliter fœda necessitas excusari. Siquidem iuxta librum Esther ; quæcumque mulier placuisset Regi apud veteres, sex mensibus vngeretur oleo myrtino, & sex mensibus in pigmentis variis erat & curationibus fœminarum, & tunc demum ingrediebatur ad Regem. Atque ita fieri potest, vt Saraï, postquam placuerat Regi, dum per annum eius ad Regem præparatur introitus, & Abrahæ Pharao multa donauerit ; & Pharao postea sit percussus à Domino, illa adhuc intacta ab eius concubitu permanente. Hactenus ex B. Hieronymo. Verum an hæc coniectura eius in Ægyptiis, aliquam habeat ex historiis, vel sacris vel profanis probabilitatem, ob idque mereatur fidem, doctus ac prudens lector perpendat & iudicet: mihi sane sequenda potius videtur ratio, quam supra exposuimus, & in qua sola B. Augustinus acquieuit.

Aug. de Ciuitate DEI lib. 16. cap. 19.

B. CRYSOSTOMVS non minori diuinæ potentiæ miraculo 92
factum esse putat, vt Saraï mulier pulcherrima manens apud Regem eius potiundæ inflammatum cupidine, conseruaretur intacta : quam quod Daniel inter famelicos leones innoxie versatus fuerit : & quod tres pueri per medias flammas incesserint prorsus illæsi. Verum si rem ipsam bene perpendamus, animaduertere licebit, flagellationē quidem illam Pharaonis propter Saraï miraculo attribui posse ; hac tamen flagellatione adhibita, non videtur fuisse miraculum, vt sic flagellatus Pharao. Saram non attigerit. Si quidem naturale est, vt dum quis grauissimis doloribus corpore & animo perfoditur ac laceratur, nullo titilletur sensu libidinis : quin etiam optatissimas sibi alio tempore, iucundissimasque voluptates plane respuat & auersetur. Si quis porro quærat, cur hoc loco scriptura non explicate docuerit, Saraï non fuisse vitiatam à Pharaone, quemadmodum infra Genes. 20. in consimili casu id expressit de rege Abimelech : audiat is Theodoretum ita sibi respondentem ; Manifestum est, cum primum Saraï rapta est à Pharaone, DEVM ægrotatione, quasi vinculo quodam eum obligasse, ne Saram violaret. Ægrotatio enim appetitionē Regis hebetauit, & venator intra retia sua captam habens feram quam maxime optabat, præda tamen frui non potuit. Sed quęrendum est, cur Saram non fuisse tactam à Rege, hoc loco scriptū nō fuerit, quemadmodū infra scriptum est, cum eadem postea à rege Abimelech accepta esset. Verū Sara per id temporis paritura erat Isaac. Ne igitur suspectū illud semē esset, ibi scriptū est seruatā fuisse eam à DEO, ne ab Abimelech pollueretur. Ex his autem duob. locis manifestum fit, etiam apud Gentiles adulteriū fuisse crimen, & supplicio dignum : id enim & Pharao & Abimelech liquido declararunt. Illud etiam diuinus sermo nos docuit, eos qui vere colunt iustitiam, ne per ignorātiam peccēt, à DEO custodiri : quod illorū duorum regum historia & exempla demonstrāt. Hoc modo Theodoretus.

Chrysost. vbi supra.

Dan. 6. & 14.

Dan. 3.

An fuerit miraculum Saram non esse pollutam à Pharaone.

Theodoretus in Catena in Genesim.

Non est hic prætereunda obseruatio Ruperti. Monet ille peregri- 93
nationem Abrahæ in Ægypto, & quæ ibi contigerunt ei, fuisse tanquam portentum quoddam, & quasi prophetiam eorum quæ aliquot post se-

post seculis ventura erant posteris eius descendentibus in Ægyptum, ibique diu cōmorantibus, ac denique mirabiliter inde in terrā Chanaā regredientibus. Lubet hic ponere Ruperti verba ; pauca enim sunt, lectuque non indigna : Non enim abs re est, ait Rupertus, quod Abram facta fame descendit in Aegyptum, & flagellatus est Pharao propter eum : eius enim progenies postmodum, itidem facta fame in terra Chanaā descensura erat in Ægyptū, & flagellandus erat Pharao plagis notissimis propter eam. Nec absque DEI consilio fuit, quod Abram dies reuersus ex Ægypto, postea contra reges accingitur, & Lot captum ab eis liberat ; ac deinde à Melchisedec sacerdote DEI altissimi benedicitur : cuius gens, scilicet Hebræa, postmodum de Ægypto in manu potenti & brachio excelso egrediens, contra reges multos & fortissimos pugnare debebat, Ducum fide & armis Carnales qui in populo erant protegentibus, totamque gentem de seruitio hostium per- *Genes. 14.*
sæpe liberantibus ; donec procederet natus de virgine Rex & sacerdos Altissimi CHRITVS Dei filius ; benedictionem, id est, peccatorum remissionem per verum corporis sui & sanguinis sacrificium, Abrahæ, & semini eius largiturus. Sic Rupertus. Ergo in Aegyptiaca peregrinatione tam ipsius Abrahæ quam Hebræorum multa fuere similia. Primo, vtriusque suscipiendæ causa fuit fames in terra Chanaan, plane insuperabilis. Tum, vexati & afflicti ab Ægyptijs tam Hebræi quàm Abram. Ad hæc, propter ipsos Pharao & Ægyptij grauissimis plagis à DEO percussi sunt. Præterea non solum dimissi sunt ab Ægyptiis, *Exod. 14.*
verum etiam discedere compulsi sunt, & bonis eorum ac diuitiis onusti, debellatis multarum gentium hostibus, magnisque potiti victoriis reuersi sunt in terram Chanaan, non amplius peregrini & aduenæ, sed possessores eius ac dominatores futuri.

Rupertus lib. 4. Commētariorum in Genesim cap. 7.

94 Finem expositioni huius capitis imponam, si vnum modo, quasi clausulam eius adiecero. B. Ambrosius, cum disertissime tractasset historiam huius capitis, moralibus documentis multifariam in sua disputatione sparsis, denique tractatum eius concludens, cohortatur lectorem grauissimis verbis, vt ante omnia pietatem erga DEVM, mentisque deuotionem, exemplo Abrahæ, toto pectore, omnique studio colat, & ad extremum vsque spiritum custodiat. Sic enim fore promittit, vt quemadmodum Abrahæ contigit, quamuis ipse magnis periculorū coarctetur angustiis, & grauissimis vndique circumualletur malis ; DEO tamen protegente, non solum ex illis saluus atque incolumis euadat, sed ea ipsa mala maius in bonum eius gloriamque proficiant. Verum aurea Ambrosii verba lectorem audire incundius ei, vt opinor, fuerit. Pulcherrimus est, inquit ille, locus hic ad incitādę studiū deuotionis ; quod is, qui DEVM sequitur, tutus semper est. Et ideo DEVM præferre debemus omnibus : nec patriæ contuitu, nec parentum aut filiarum gratia, nec vxoris contemplatione reuocari debemus ab executione præceptorum cælestium : quia DEVS nobis omnia illa largitur, & potens est seruare quæ donat. Itaque magnum exemplū est

Universidad de Deusto
Biblioteca

deuotionis Abrahæ, quod cum vxore ſpecioſa deſcendit in Ægyptum. Erat quidem iuſto viro cura coniugalis pudicitiæ, ſed maius erat ſtudium maturādæ deuotionis, ne prætuliſſe cuſtodiam thori mandatis cœleſtibus videretur. Itaque quoniam propter DEVM cōtempſit omnia, recepit à DEO multiplicata omnia. Sed primum DEVS pudicitiæ tribuit remunerationem, quam gratam ſciebat coniugi. Nam quia ſtudio obeundi cæleſtis oraculi, vxorem quoque in periculum deduxit pudoris, etiam caſtimoniam defendit. Sic Ambroſius.

Hactenus tractata, & iam ad finem perducta eſt explanatio huius capitis duodecimi. Verum ſuper hiſtoria peregrinationis Abrahæ in Aegypto reſtant etiam nunc quatuor non contemnēdæ eruditionis atque vtilitatis diſputationes. Has igitur diſputationes deinceps explicemus, ne quid omittamus in his commentariis, quod lectorem diuinæ ſcripturæ pernoſcendæ cupidum, in eius ſtudio ac doctrina inſtructiorem & copioſiorem facere poſſit.

QVARTA DISPVTATIO

In quam partem Aegypti tunc venerit Abram: & an verum ſit quod à quibuſdam antiquis Auctoribus proditum memoriæ eſt, eam terram quæ proprie vocatur Aegyptus, ante Homeri ætatem non fuiſſe.

Figura, & poſitus Ægypti.

95 VT commodius tradantur, & à lectore facilius intelligantur quæ in hac diſputatione tractanda ſunt; ante omnia breuiter prædocendum eſt, quæ ſit figura, quiue poſitus eius terræ quæ dicitur Ægyptus, quæ circumfluo Nilo rigatur ac fœcundatur. Plinius figuram poſitumque regionis Ægypti breuibus deſcribens, ſic ait: Proxima Africæ incolitur Aegyptus, introrſus ad meridiem recedens, donec à tergo prærendantur Aethiopes. Inferiorem eius partē Nilus, dextra læuaque diuiſus, amplexu ſuo determinat, Canopico oſtio ab Africa, ab Aſia Peluſiaco, centum ſeptuaginta mille paſſuum interuallo. Quam ob cauſam inter inſulas quidam Aegyptum retulere; ita ſe findente Nilo, vt triquetram terræ figuram efficiat. Ideo multi Græcæ literæ vocabulo. Δ, Delta appellauere Aegyptū. Menſura ab vnitate aluei, vnde ſe primum findit in latera, ad Canopicum oſtium, centum quadraginta ſex mille: ad Peluſiacum, ducentorum ſexaginta mille paſſuum eſt. Summa pars contermina Aethiopiæ, Thebais vocatur. Diuiditur in Præfecturas oppidorum, quas Nomos vocant. Sic Plinius. Hæc igitur inferior pars Aegypti, inter Peluſiacum & Canopicum oſtium exporrecta, quam nonnulli Delta nominauere, quæritur num recens

Plinius lib. 5. cap. 9.

recens ſit, inuectu & oblimatione Nili paulatim facta, & ante Homeri tempora nauigabilis, aut certe paluſtris.

96 Hoc certe ſapientes Ægyptiorum tradere ſolitos, ſeque ab illis accepiſſe affirmat Herodotus, atque id ſe aſſenſum eſſe illis non diſſimulat. Ponam eius verba: Præterea, inquit, docebant illi (ſapientes & ſacerdotes Ægyptiorum) primum mortalium regnaſſe Menem; ac ſub eo omnem Ægyptum, præter Thebaicam plagam, fuiſſe paluſtrem: ex eaque nihil eorum quæ extant ſupra ſtagnum Myrios tunc extitiſſe: in quod ſtagnum à mari per flumen ſeptem diebus nauigatur. Atque de regione bene mihi dicere videbantur. Manifeſtum enim eſt ei, qui ſi ante non audierit, tamen inſpexerit, dummodo ſit ſolertia præditus, Ægyptum, in quam Græci nauigant, acceſsionem eſſe terræ, ac fluminis donum: quin etiam loca ſupra ſtagnum hoc, ad trium vſque dierum nauigationem. Eſt & aliud huius rei ſignum. Qui in alto nauigant verſus Aegyptum tenentes curſum, etiam procul ab ea diurnæ nauigationis ſpatio, grauem patiuntur ſenſum cœni, etiam in aqua vndecim alta paſſus: quæ res declarat, eatenus eſſe à fluuio inuectum & aggeſtū limum. Sic Herodotus. Idem paulo infra addit hæc: Huius igitur regionis (Aegypti) pleraque pars, vt & ſacerdotes aiebant, & mihi ipſi videbatur, acquiſititia Aegyptiis eſt. Siquidem, quod inter montes ſupra Memphim poſitos medium eſt, videtur mihi ſinus maris aliquando fuiſſe. Et quibuſdam interiectis ſubdit: Itaque quæ de Aegypto à referentibus audiui, ea & ipſe ita habere exiſtimo. Quippe cum videam Aegyptum eſſe exporrectam à terra contigua, & conchylia exiſtere in montibus, ac ſalſuginem exſudare, quæ etiam pyramides corrumpat, & montem hunc, qui in Aegypto imminet Memphi, arenas ſolas habentem. Quin etiam id magnum huius terræ documentum aiebant ſacerdotes, ſub rege Myri fluuium, quoties octo cubitis affluebat, irrigaſſe Aegyptum quæ ſupra Memphim eſt: nondum autem, ab ortu Myris ad tempus quo ego hæc à ſacerdotibus audiebam, nongenti ſunt anni. At nunc, niſi ad ſexdecim, aut ad quindecim cubitos aſcendat fluuius, regionem non tranſcendit. Et paulo poſt adiungit hæc: Quod ſi velimus de Aegypto vti Ionum ſententiis, qui ſolum Delta cenſent Aegyptum, à Perſei ſpecula appellatum; cętera vero Aegypti, partim Africæ, partim Arabiæ eſſe dicunt: oſtenderemus hac ratione vrentes, nullam Aegypti primitus fuiſſe regionem. Delta enim, (vt ipſi dicunt, & mihi videtur) defluxa humus eſt, ac nuper, vt ſic dicam, extitit. Hactenus ex Herodoto. Ariſtoteles etiam lib. 1. Meteororum Summa 4. cap. 2. idem tradit, ſcribens regionem Aegypti eſſe Nili aggenerationem.

Herodotus lib. 2.

97 Plinius id ipſum apertioribus etiam verbis confirmat, ita ſcribens: Naſcuntur nouæ terræ, partim fluminum inuectu, ſicut Echinades inſulæ ab Acheloo amne congeſtæ; maiorque pars Aegypti à Nilo, in quem, à Pharo inſula, noctis & diei curſum fuiſſe, Homero credimus: partim receſſu maris, ſic, vt eidē de Circeis: quod accidiſſe in Ambraciæ portu, decem millium paſſuum interuallo, & Athenienſium quinque

Plinius li. 2.

Homerus Odyſſ. Δ

Aegyptum nõ fuisse ante Homeri ætatẽ, quorũdam opinio. Plin.lib.25. cap.2.

millium ad Piræum memoratur:& Epheſi,vbi quondam ædem Dianæ alluebat.Herodoto quidem ſi credimus,mare fuit ſupra Memphim vſque ad Aethiopum montes. Sic eo loci Plinius. Idem alio loco in eandem ſencentiam hæc ſcribit:Homerus quidem primus doctrinarum & antiquitatis parens, multus aliàs in admiratione Circes,gloriam herbarum Aegypto tribuit;cum etiam Aegyptus illa quę rigatur,tunc non eſſet,poſtea fluminis limo inuecta. Atque hæc quidem ſunt ab iſtis auctoribus de nouæ Aegypti generatione credita, & literis prodita: quæ ſi vera eſſent, talem Aegyptum non fuiſſe tempore Abrahæ, neceſſe eſſet.

Refellitur Herodoti, & Plinij opinio.

98 Sed hanc ego iſtorum opinionem falſam eſſe, & Aegyptum, de qua nunc diſputatur,fuiſſe ante Homerum non tantum habitatam cultamque,verum etiam nobilium vrbiũ atque gentium frequentia celebrem, veriſſimis diuinæ Scripturæ teſtimonijs euidenter oſtendam. Verùm antè conſtituendum eſt,quo tempore claruerit Homerus;vt ex eo appareat,quanto tẽpore hæc Aegyptus vetuſtior fuerit Homero. Quamquam de Homeri ætate,maior etiam, quàm de eius patria, lis eſt inter auctores. Percenſebo breuiter diuerſas eorum ſententias. Herodotus extremis verbis eius libri quem de vita Homeri ſcripſit, ſignificat eum claruiſſe centum ſexaginta octo annis poſt cladem Troianam:idem tamen libro ſecundo hiſtoriæ ſuæ trecentis annis eum Troiano excidio poſteriorem facit, quantum ſcilicet coniici poteſt ex iis quæ ſcribit de Homeri, & de ſua ætate: quem floruiſſe eo tempore quo Xerſes tranſiuit in Græciam,id eſt,circa Olympiadem 75. auctor eſt Diodorus Siculus. Euſebius in Chronicis refert ſecundum Apollodorum Grammaticum, & Euphorbium hiſtoricum, floruiſſe Homerum in Græcia annis centum vigintiquatuor ante Romam conditam;ſecundum autem Cornelium Nepotem,centum annis ante primam Olympiadem,quod in idem recidit;namque Roma initio ſeptimæ Olympiadis fundata eſt. Ergo ſecundũ iſtos Homerus fuiſſet trecentis circiter annis poſt bellum Troianum: ſiquidem excidium Troiæ (vt inter bonos auctores conſtat)paulo plus quadringentos annos anteceſſit primam Olympiadem. Sed enim idem Euſebius libro decimo de Præparatione Euangelica capite vltimo,ſignat Homeri ætatem poſt euerſionem Ilii,annis ſecundum Cratem octoginta;ſecundum Eratoſthenem,centum; ſecundum Ariſtarchum,centum quadraginta; ſecundum Philochorum,centum octoginta;ſecundum Apollodorum,ducentis quadraginta; ſecundum nonnullos,quadringentis;id eſt,in prima Olympiade; ſecundum alios,Homerus fuit æqualis Archilochi,qui floruit circa Olympiadem vigeſimam tertiam. Hactenus ex Euſebio. Solinus capite 42.tradit humanis rebus exceſſiſſe Homerum annis poſt captam Troiam ducentis ſeptuagintaduobus. Cyrillus libro primo contra Iulianũ centum ſexagintaquinque annis recentiorem eum facit bello Troiano. Caſſiodorus in Chronico ait, Troiam eſſe captam vigeſimoquinto anno regis Latini, qui ſocer fuit Aeneæ: deinde tempore Syluii,qui Aeneæ filius ex

Quando vixit & claruit Homerus.

Herodotus

Diodorus Siculus.

Euſebius.

Cornelius Nepos.

Euſebius.

Solinus.

Cyrillus Alexãdrinus.

Caſſiodorus

ex Lauinia vxore fuit, minus centum annis poſt euerſam Troiam,Homerum floruiſſe.Hæc igitur eſt de Homeri ætate auctorum diſſenſio.

Homerum fuiſſe circa tempora regis Salomonis.

99 Verum in tanta opinionum varietate,illa,quę pleriſque probata eſt, videtur propior vero,ac probabilior ſententia, Homerum fuiſſe,minimum, annis cẽtum poſt bellum Troianum. In id porro tempus incidit bellum Troianum,quo tempore fuit Heli Pontifex ſimul ac Iudex Hebræorum. Quod ſi centum annis poſt claruit Homerus,circa tempora regis Salomonis vixiſſe eum neceſſe fuerit. Huiuſmodi autem temporum computatio, optimis rationibus conſtituta & firmata eſt à nobis libro vndecimo noſtrorum commentariorum in Danielem Queſtione ſecunda.Ex his autem manifeſtum fit Moſem prope quingentos annos fuiſſe Homero antiquiorem, Abram vero plus nongentos. Etenim à ſeptuageſimoquinto anno Abrahæ vſque ad egreſſum Hebræorum ex Aegypto,duce Moſe,numerantur anni quadringenti triginta, vt ſupra oſtendimus in ſecunda ſuper hoc caput diſputatione: ab egreſſu autem Hebræorum ex Aegypto vſque ad quartum annum regni Salomonis, quo anno templum ædificari cœptum eſt, liber tertius Regum capite ſexto annos definit quadringentos octoginta.

100 Sed age,his breuiter prænarratis,quod ſupra probare conſtituimus, Aegyptum, de qua nunc agitur, fuiſſe multis antè Homerum ſeculis, deinceps exequamur. Principio,id ſatis liquet ex hac hiſtoria peregrinationis Abrahę in Aegypto.Abram namque,propter famem quę erat in terra Chanaan,inde profectus eſt in Aegyptum,quod ea regio tritici fertiliſſima & abundantiſſima eſſet. Aegyptus porro quæ eſt contermina terræ Chanaan, hæc ipſa eſt,de qua nunc diſputatur:videlicet ea parte, qua Nilus in mare per oſtium Peluſiacũ aquas ſuas exonerat, contingens Palæſtinam. Nec vero alia, quam hæc Aegyptus, eſt frumenti feraciſſima,quod anniuerſaria Nili exundantis irrigatione atque oblimatione mirandum in modum fœcũdetur.Deinde, Moſes Geneſis 13.deſcribens amœnitatem terræ Sodomorum, priuſquam cœleſti periret incendio,ſimilem eam facit eius partis Aegypti quę erat verſus vrbem Segor vicinam Sodomæ. Sic enim ait: *Eleuatis Lot oculis,vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuerſa irrigabatur,antequam ſubuerteret Dominus Sodomam & Gomorrhã, ſicut paradiſus Domini, & ſicut Aegyptus venientibus in Segor.* Aegyptus vero ſpectans Segor, ea eſt de qua nunc diſputatur; quam fuiſſe tempore Abrahæ, vel certe Moſis, hic locus oſtendit. Præterea Geneſis 25.ſcriptum eſt,Iſmaelẽ habitauiſſe ab Heuila vſque Sur,quæ reſpicit Aegyptum,introeuntibus Aſſyrios:talis vero Aegyptus ea ipſa eſt, de qua ad præſens agimus.Hebræos item plus ducentos annos in hac ipſa Aegypto habitaſſe dubitari non poteſt:ibi enim erat terra Geſſen, quam illi coluerunt; inibi fuerunt vrbes Phithom & Rameſſes,quas ædificauerunt Pharaoni; inde profecti venerunt ad mare Rubrum, vt indicant manſiones in eo itinere ab illis factæ, quas deſcribit liber Exodi cap. 14. &liber Numerorum capite 33. Genes.2.

Adhæc,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Adhæc,decem illæ celebres plagæ Aegypti in hac Aegypto acciderunt;quod non obscure significauit Dauid, cum in Psalmo septuagesimo septimo ita cecinit:*Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Aegypti,in campo Taneos*:Tanis autem vrbs erat iuxta Nili ostium,quod ab ea vrbe vocatum est Taniticum,& proximum erat ostio Pelusiaco versus Palæstinam.Ac Tanim quidem fuisse magnam vrbẽ testatur Strabo libro decimoseptimo;eandemque fuisse principalem ciuitatem docet Isaias capite 19.appellans principes Taneos.de antiquitate autem eius vrbis nihil attinet dicere;cum in libro Numerorum capite 13. proditum sit,eam septem tantum annis recentiorem esse quam vrbem Hebron;hanc vero fuisse ante Abram liber Geneseos ostendit.Quid plura? hanc ipsam Aegyptum, de qua in præsens agitur, paucis verbis, sed graphice descripsit Moses Deuteromii cap. 11.*Terra*, inquit, *ad quam ingredieris possidendam, non est sicut terra Aegypti, de qua existi, vbi iacto semine in hortorum morem,aquæ ducuntur irriguæ,&c.*&,quę,obsecro,terra Aegypti est,nisi hæc de qua nunc agimus,quæ aqua per canales ex Nilo deriuata latissime irrigatur? Quin etiam Iosue capite decimotertio Aegyptum nominat quæ à fluuio turbido irrigatur,id est, à Nilo, qui, quod multum limi deuehit,in sacris literis appellatur turbidus,ab Homero vero & aliis dictus est niger. Verum pergamus ad alia.

Nilus cur dictus turbidus & niger.

QVINTA DISPVTATIO

Vtrum peccauerit Abram, cum suasit vxori suæ, vt diceret se sororem eius, & non diceret vxorem.

DIFFICVLTAS huius quæstionis non in eo est, quod Abram suasetit vxori vt diceret se sororem,& taceret cõiugem:Siquidẽ more illius gentis, vere appellari poterat soror, cum esset filia fratris eius; sicut Genes. 13. Lot qui erat filius fratris Abræ, vocatur frater eius. Veritatẽ præterea in tempore atque in loco tacere,non tantum sine vitio, sed etiam cum laude licet.Illud igitur magnam habet quæstionem & perdifficilem explicatum, quomodo Abram non peccauerit, cum per illam dissimulationem,vt effugeret ipse periculum mortis,manifesto perdendæ pudicitiæ periculo vxorem obiecerit. Exponam primo quemadmodũ alii quæstionẽ hanc enodauerint;tũ quid sentiã ipse, breuiter indicabo.

Origenes non videtur bene de hoc facto Abrahæ sensisse. Nam ne id vituperare ac damnare cogeretur, negat Mosaicam narrationẽ eius rei,secundum historicum sensum,& vt verba sonant,esse accipiendam; sed allegorice interpretari oportere:alioqui videri turpe factu & fœdi exempli.Ponam Origenis verba:Ecclesia DEI,ait Origenes, sic intelligat partus, sic generationes accipiat, sic gesta Patrum, decora & honesta

Origenes hom. 2. in Genesim.

honesta interpretatione sustollat; sic verba SPIRITVS sancti non ineptis & Iudaicis fabulis decoloret; sed plena honestatis, virtutis,atque vtilitatis assignet. Alioqui quæ nobis ædificatio erit legentibus, Abram tantum Patriarcham,non solum mentitum esse regi,sed & pudicitiam coniugis prodidisse?Quid nos ædificat tanti Patriarchæ vxor, si putetur contaminationibus exposita per conniuentiam maritalem? Hæc Iudæi putent,& si qui cum eis sunt literæ amici non spiritus.Nos autem spiritalibus spiritalia comparantes,& actu & intellectu spiritales efficiamur in CHRISTO IESV Domino nostro.Sic Origenes. Nec his dissona loqui videtur S. Hieronymus, simulationem illam Saraï & Abrahæ appellans fœdam necessitatem.Licet corpus sanctarum mulierum (inquit Hieronymus) non vis maculet,sed voluntas; & excusari possit Sarai, quod famis tempore,sola, Regi, in peregrinis locis, marito conniuente, resistere nequiuerit: attamen potest & aliter fœda necessitas excusari,&c.Nec deerunt qui putent,huius etiam sententiæ assensorem & probatorem fuisse Chrysostomum in homilia 32. in Genesim,in libro.2.de Prouidentia,in epistola ad Olympiam, qui,hoc factum Abram fabulam, fictionem, & hypocrisim vocans,ait Abram consensisse in adulterium vxoris.

1.Cor.2.

S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim.

Alij contra sentiunt, factum hoc Abrahæ ab omni vitio & reprehensione vindicantes.Horum princeps meritò censeri debet Augustinus:qui pro Abram acriter propugnans,Fausto Manichæo,hoc factum Abrahæ vehementer accusanti criminantique,fortiter se opponens,his verbis calumniam eius repellit: Dicet aliquis, cur non potius ita de DEO suo præsumpsit Abram,vt fateri non timeret vxorem?Nunquid enim DEVS ab illo mortem non poterat repellere, quam timebat; eumque cum cõiuge sua ab omni pernicie in illa peregrinatione tutari, vt nec vxor eius,quamuis esset pulcherrima,appeteretur ab aliquo, nec propter illam ipse necaretur? Poterat sane id efficere DEVS: quis enim est tam amens,vt id neget? Sed si interrogatus Abram, illam fœminam indicasset vxorem suam,duas res tuendas commisisset DEO,& suam vitam,& coniugis pudicitiam. Pertinet autẽ ad sanã doctrinam, vt quãdo habet quod faciat homo,non tentet Dominũ DEVM suum. Hoc cum Augustinus Saluatoris nostri, & Apostoli Pauli documentis simul exẽplisque firmasset, deinde subdit. Proinde cum inter ignotos, propter excellentissimã pulchritudinẽ,Saraï,& eius pudicitia,& mariti vita esset in dubio;nec vtrũque tueri posset,Abram,vnum tamen horum posset id est,vitã;ne DEVM tentaret,fecit quod potuit;quod autem non potuit, illi commisit. Qui ergo se hominem esse occultare non valuit; maritum esse occultauit,ne occideretur; vxorem DEO credidit, ne polluetur.Quanquam scrupulosius disputari possit,vtrum illius mulieris pudicitia violaretur,etiam si quisquam carni eius commixtus esset,cum id in se fieri pro mariti vita,nec illo nesciente,sed iubente permitteret,nequaquam fidem deserens coniugalem, & potestatem non abnuens maritalem: sicut ille adulter non fuit,quando

Augustinus Contra Faustum lib. 22. cap. 26.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vxoris obtemperans potestati, de ancilla prolem generare consensit. Sed propter vim principiorum, qua non ita duobus viris viuis ad concumbendum fœmina subditur, sicut duæ fœminæ vni viro; multo verius & honestius illud accipimus, quod pater Abram, nec tentauit DEVM, quando vitæ suæ, quantum potuit homo, consuluit: & sperauit in DEVM, cui pudicitiam coniugis commendauit. Hactenus ex Augustino.

Rupertus lib. 5. Commentariorũ in Genesim, cap. 7.

Rupertus autem in Augustini vestigiis quasi pedem ponens, commodam soluendæ huius quæstionis viam insistit, ita scribens: Non paruipendens vxoris pudicitiã fecit eam venalẽ, vt bene sibi esset propter illam: sed periculo se exemit, ne moreretur propter illã: certissime sciẽs quod qui eduxerat eũ de Vr Chaldęorũ: potẽs esset seruare illã ab igne, id est, à libidine Ægyptiorum. Sed quare, inquies, nõ eadem fide cõfisus, quod liberare posset eum Dominus de manu Ægyptiorũ, vt nõ moreretur propter illã, secure dixit esse vxorem suam? Videlicet timebat Dominum, quia tentare nolebat DEVM suum. Is namque DEVM tentat, qui quanta potest parte periculi, se non eximit, & illic poscit miraculum DEI, vbi nonnihil proficere potest humanæ rationis ope, quæ in promptu sit. Bene igitur vir prudens, vtrinque solicitus, videlicet ne & se interficerent, & illam reseruatam suæ libidini subiugarent, quam potuit periculi partem sustulit, & cætera fideliter DEO curanda reliquit. Et iam quidem in aperto literæ apparet & extat victrix obedictis Abrahæ perseuerãtia; quippe qui facta fame in terra promissionis suę, maluit adhuc in terra Cham, quæ est Aegyptus, peregrinando aliena solatia quærere, quam ad patriam & ad cognationem suam, qua iubente DEO fuerat egressus, aliquatenus respicere. Sic Rupertus. 104

Sũma opinionis Augustini

Summa igitur tam Augustini, quam Ruperti sententiæ, hæc est: cum Abræ ingredienti in Aegyptum duplex imminetet periculum: alterum vitæ suæ, si Saraï putaretur vxor eius: alterum pudicitiæ vxoris, si soror eius crederetur: quia vtrumque periculum ille vitare non poterat, quod humano consilio & industria declinari potuit, id, per dissimulationem coniugij, & vsurpatam sororis appellationem, prudenter cauit. quoniam autem in eius potestate non erat prohibere, ne vxorem suam Aegyptij, propter singularem eius pulchritudinem, appeterent, aut etiam raperent; id periculi, quod ipse nullo modo arcere poterat, DEO, cuius singularem erga se prouidentiam sæpe alias expertus fuerat, auertendum propulsandumque permisit.

Caietanus in cap. 12. Genesis.

Caietanus porro, & acute vidit quod erat in hac quæstione difficultatis, idque satis commode paucis verbis explicauit. Explanans enim in Commentarijs suis hunc locum, ita fere disputat: Non suasit Abram vxori, vt mentiretur, quoniam eius erat soror, non tamen vterina; sed suasit vt taceret veritatẽ coniugij, erat enim & soror & coniux. *Vt bene sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiã tui.* Ecce causa taciti coniugii, ad redimendam scilicet vitam. Et hæc erat causa principalis: accede- 105

accedebat & altera vtilitas, nempe tractari bene ab Aegyptiis: ex affinitate contrahenda per coniugium Saraï cum aliquo Principe Ægyptio. Sed hic occurrit quæstio, vtrum Abram & Saraï peccauerint in huiusmodi conuentione: videntur enim peccasse: quia ea conuentio ordinabatur ad finem illicitum, ad coniugium nempe Saraï cum alio viro; vt etiã rei probauit euentus. Non enim sine consensu Saraï iniri cõiugium cum alio potuit: Saraï autem in aliud coniugium consentire sine peccato nõ licuit. Et ad tale coniugiũ videtur eã instruxisse Abrã illis verbis; *Vt bene sit mihi propter te.* Huius quæstionis solutio nõ traditur in sacris literis. Nec desunt inter Hebræos qui cõuentionẽ illã damnẽt. Sacri autem Doctores illud Abræ & Saraï factum excusant. Et verè, si aliud non interuenit, nisi quod explicate narratur, facile vterque excusatur. Nulla enim in litera mentio fit, quod Abram suaserit Saraï, vt consentiret in coniugium cum alio viro, nec quod contraxerit matrimonium cum altero, sed narratur duntaxat, eum suasisse vxori vt taceret se illius coniugem esse, & diceret se sororem esse, propter bonos effectus inde secuturos. De Saraï autem tantum dicitur, quod sublata est in domum regiam: & postea narratur Pharaonem dixisse, *Et tuli eam mihi in vxorem.* Ad illud porro dictum Pharaonis verificandum, sufficit quod Pharao eo animo iusserit ad se duci Saraï, vt sibi esset vxor, ita vt affectu maritali, & non per vim, ac modo rapinæ tulerit eam. In tali vero actione Pharaonis, non fuit necesse concurrere consensum Saraï in nouum coniugium: sed satis fuit, Saraï absque reluctatione aliqua passam esse duci se tanquam futuram coniugem Pharaonis. Et intelligamus, per modum præsuppositi existimatum fuisse ab Aegyptiis, tam Saraï quam Abram id pro magno beneficio habuisse. Nec ab re: etenim facta ipsa hoc præferebant. Excusatur autem vterque ab eiusmodi factis fere simulatis, ex fiducia quam vterque habebat in DEO: confidebant enim DEVM ante prouisurum, quam ad nouum veniretur coniugium. Si quis autem putat alia in hoc negotio & dicta & facta interuenisse; cum ea nec tradat, nec insinuet scriptura, ipse sibi ipsi parit quęstiones. Hactenus quæ retuli, verba sunt Caietani.

Auctoris sententia.

106. HÆC igitur fere sunt, quæ de præsenti quæstione ab aliis auctoribus disputata & literis prodita, in præsens commemoranda duximus. Restat vt nostram quoq; lectori sententiam indicemus. Non quod ea à superioribus diuersa sit futura, sed quod, quæ ab illis dicta sunt, paulo enucleatius & distinctius atq; vberius explicatura sit. Nostram autem sentẽtiam, subiectis & expositis quatuor Propositionibus, & breuius & expeditius trademus.

Prima Propositio. Recte fecit Abram discedens ex terra Chanaan, & proficiscens in Aegyptum. Cum enim tãta fames orta esset in omni regione Chanaã, vt ne ipsi quidẽ indiginæ, ac terræ illius possessores & domini, nedũ peregrini, vt erat Abram, vitã sustentare possent: necessario ei demigrandũ inde fuit, nisi ipse cũ omni familia sua perire vellet. Rectum autem fuit proficisci eum in regionem Aegypti; tum quod

vicina esset;tum quod præ cæteris,& tritico, aliisque ad victum necessariis abundaret.Ergo tantum abest,vt profectio Abrahæ in Aegyptum vlla ex parte culpanda sit;vt nisi ea, in tali necessitate famis,esset ab eo susceptа,iustam ille meruisset reprehensionem:scilicet quia DEVM tentasset,& se suosque in manifestum interitum obiecisset.

Secunda Propositio. Prudenter atque inculpate fecit Abram,cum, 107
quo ipse periculum vitæ declinaret,suasit vxori,vt dissimulato tacitoq; coniugio,se diceret eius sororem. Abræ enim Aegyptum intranti graue vtrinque periculum imminebat,siue diceret Sarai esse vxorem suam, siue hoc reticens,diceret esse sororem.Nam si putaretur esse vxor eius, fere certum erat fore,vt propter illius pulchritudinem Aegyptii, cum essent admodum libidinosi, atque eiusmodi voluptatum perquam intemperantes, inflammati eius amore interficerent Abram,quo facilius ac liberius ea potirentur. Quin etiam illud periculi erat, ne interfecto Abram,quasi sublato mariti respectu metuque vt scorto ea fœde abuterentur. Sin autem Sarai putaretur ab Aegyptiis esse soror Abræ, periculum erat ne ablatam ei quem fratrem eius credebant,vel Rex ipse, vel aliquis de Principibus Ægyptiorum vxorem sibi acciperet. Non videbatur autem verendum, ne forte Sarai per vim fœda libidine violaretur: id enim facere illi essent veriti, aut metu,aut certe reuerentia ipsius Abrahæ, cuius admirabilis & venerabilis erat apud omnes grauitas,sapientia,& vitæ morumque sanctimonia. Viri porro prudentis est,cum multis vrgetur ac premitur malis, ex eo genere malorum,quæ vocantur mala pœnæ,si vitare omnia non potest,id subire quod minus est,si ea ratione, quod maius est declinari queat:minus enim malum in comparatione maioris,speciem quandam & rationē induit boni.Cum igitur duo illa pericula, & perdendæ vitæ Abrahæ, & violandæ pudicitiæ Sarai,quorum inter Aegyptios alterutrum erat subeundum,ita se haberent,vt illud esset certius & maius,continens scilicet & periculum mortis Abrahæ,& pudicitiæ Sarai, vt supradiximus; esset præterea in potestate Abrahæ cauere illud per dissimulationem coniugii,& appellationem sororis: hoc autem periculum nec ita certū & magnum erat, nec erat in manu Abræ illud arcere;non enim vitare potuisset,ne Sarai, vel non appeterent Aegyptii, vel appetitam non auferrent & vxorem ducerent: cum igitur inter ista pericula coarctaretur Abram, nec vtrique posset occurrere, prudenter ac laudabiliter fecit,minus subire periculum,vt maius effugeret.

Tertia Propositio.Scriptura tantum narrat Abram suasisse vxori, vt 108
tacito coniugis nomine, diceret se sororem eius: hoc autem cum sine mendacio & vitio vllo fieri potuerit, satis apparet nullum in eo facto Abræ fuisse peccatum.Hæc propositio adeo per se manifesta est,vt probatione aliqua non egeat. Nam & Sarai soror Abræ vere dici poterat; & verum in loco ac tempore tacere,crimini vertendum non est. Quod si Abrā suasisset vxori, vt etiam interrogata ab Ægyptiis vtrum vxor eius esset,id negaret,haud dubie peccasset; ac multo quidē grauius, si suasisset,

suasisset, vt, quando aliter fieri non posset, Aegyptiorum libidini aut certe coniugio assentiretur, quo mariti vitam salutemque tueretur. Sed hoc neque scriptura significat, nec de tanto Patriarcha existimare consentaneum est.

109 Quarta Propositio,Abram ad id faciendum, honestis maxime laudandisque causis adductus est. Non enim solum nisus est prudenti rectoque consilio, quod supra exposuimus: verum etiam fiducia pudicitiæ vxoris,quam ipse insuperabilem atque impenetrabilem fore non dubitabat.Certum enim habebat, eam voluntariè nullius assensuram libidini:sin autem per vim inuita opprimeretur,id ei nec vitio, nec dedecori futurum, nec vllum ea re factum iri pudoris damnum. Sed præter cætera,id facere aggressus est Abram, singulari erga se DEI beneuolentia & cura confisus,quam non semel expertus fuerat,ex magnis à DEO periculis mirabiliter ereptus.Confidebat item promissis à DEO sibi datis, quibus pollicitus erat, se tutorem eius atque protectorem perpetuo futurum:amicum quoque futurum amicis eius, inimicis vero inimicum.Ad extremū,illud quoque admodum credibile est, quod fecit Abram, ad id faciendum DEI admonitu aut certe instinctu atque incitatu esse impulsum.Nam cum DEVS illum non modo vt obedientem ac fidelem seruum, sed vt intimum, carissimumque amicum tractaret; quis non inducat in animum credere,in rebus maxime dubiis ac periculosis,DEVM illi affuisse vt consiliarium, vt incitatorem, vt rectorem, ac demum vt custodem ac defensorem, inspirando quæ agere deberet,& ad agendum incitando, eiusque actiones & facta regendo,atque ad prosperos exitus prouehendo?

SEXTA DISPVTATIO.

Quandiu manserit Abram in Aegypto: & an eo tempore disciplinas mathematicas docuerit Aegyptios.

110 DVAS hæc Disputatio complectitur quæstiones: quarum priorem,quæ est de diuturnitate mansionis Abræ in Aegypto, priori loco tractabimus. Apud Eusebium libro nono de præparatione Euangelica capite vltimo,Artapanus scriptor perantiquus tradit, Abram per viginti annos Artapanus apud Eusebium.
mānsisse in Aegyptio, & rursus postea remigrasse in Syriam. Verum dubitari non potest, quin hoc falsum sit; cum plane aduersetur Sacræ historiæ. Namque à primo ingressu Abrahæ in regionem Chananæam, cum id temporis septuagesimumquintum annū ageret, & priusquam fame compulsus esset ire in Aegyptum, vsque ad id tempus quo ancillam suam Agar duxit vxorem, & ex ea genuit Ismaelem, multo scilicet tempore post regressum eius ex Aegypto in Chananæam,

decem

Universidad de Deusto
Biblioteca

decem tantum annos præteriisse, diuinis literis proditum ac testatum est. Sic enim legitur infra Genesis 16. *Sarai tulit Agar ancillam suum, post annos decem quam habitare cœperunt in terra Chanaan, & dedit eam viro suo vxorẽ.* Et paulo infra subditur: *Octoginta & sex annorũ erat Abram, quãdo peperit ei Agar Ismaelem.* Quinimo, ne vnum quidem annum in Aegypto moratum esse Abram, ex hac ipsa Mosis narratione non obscure perspicitur. Siquidem statim vt Abram intrauit Aegyptum, visa ab Aegyptiis pulchritudine Saraï, sublata ea est & ad Regẽ ducta: statimque Rex ob eam ipsam causam flagellatus est: alioqui si longa interuenisset mora, magnum perdendæ pudicitiæ fuisset periculum. Statim porro vt Rex calamitatis suæ causam agnouit, accersito Abræ vxorem reddidit, & ex Aegypto dimisit, ita eum affatus: *Ecce coniux tua, accipe eam & vade. Præcepitque Pharao super Abram viris: & deduxerunt eum, & vxorẽ illius, & omnia quæ habebat.* Quis ex hac narratione non intelligit, Abram perbreui tempore mansisse in Aegypto?

Docuerit ne Abram Aegyptios disciplinas mathematicas.

Alexander historicus. Eupolemus.

Altera quæstio est, vtrum Abram eo tempore quo fuit in Aegypto 111
doctrinas mathematicas tradiderit Aegyptiis, earum ante id tempus ignaris. Apud Eusebium eo loco quem proxime ante nominaui, Alexander historicus in eo volumine, quod de Iudaica historia scripsit, multa de Iudaicis rebus ab Eupolemo tradita commemorat, inter alia vero & hoc: Abram fame oppressum migrasse in Aegyptum, vbi vxorẽ eius, quam sororem & viduam esse dicebat, Rex Aegyptiorũ abduxit; sed peste domum eius ingressa, ab aruspicibus didicit id mali cõtigisse sibi, quod alienam vxorem abduxisset. Itaque viro suo intactam reddidit mulierem. Vixit autem Abram in Heliopoli cum sacerdotibus, à quo illi Astrologiam didicerunt: quam tamen ille non se inuenisse, sed ab Henoch per successionem sibi traditam esse fatebatur. Sic Eupolemus. Verũ Iosephus paulo explicatius hoc ipsum enarrans, scribit Regem Aegypti, cum intactam reddidisset Abrahæ vxorem, & ampla largitus esset munera, potestatem ei fecisse congrediẽdi cum sapientibus Aegyptiorum: ex quo factum esse ait, vt virtutis nomine in maximam apud illos existimationem veniret. Nam cum ea gens in diuersos ritus & opiniones scinderetur, & per mutuum contemptum atque insectationem infensis inter se animis ageret; collisos inter se eorum de religione sermones, & à seipsis confutatos, & vanissimos esse, nihilq; prorsus veritatis continere demonstrauit. Ob has autem disputationes magno in pretio habitus, vt qui eximiã æque intelligendi atque eloquendi dicendique facultatem præ se ferret; & numerorum & astrorum scientiam benigne eis impertiuit. Namque ante Abræ ad illos aduentum, Aegyptii earum disciplinarum plane rudes atque ignari erant: quæ à Chaldæis ad Aegyptios perlatæ, diu multumque inibi floruerunt; postea vero ab Aegyptiis transuectæ sunt ad Græcos. Sic ex Iosepho.

Iosephus lib. 1. Antiquitatum.

Abram non tradidisse Aegyptiis doctrinas Mathematicas.

Verum enimuero hanc Iosephi aliorumque sententiam siue tra- 112
ditionem manifeste coarguit diuina scriptura. Principio, cum Abram (vt paulo supra dictum est) breuissimo tempore fuerit in Aegypto, satis liquet

liquet, non potuisse eum in tanta breuitate temporis eas disciplinas Aegyptiis, vt ad discendum opus erat, explicare. Deinde Iosephus narrat Regem Aegypti, vbi reddidisset vxorem Abrahæ, fecisse ei potestatem congrediendi cum sapientibus Aegyptiorum: at enim id esse merum Iosephi commentum ostendit narratio Mosis scribentis, cum Rex vxorem Abrahæ restituisset, dixisse ei, vt ex Aegypto abiret; & ne quid ei in itinere vel molestiæ accideret, comites ei & custodes dedisse. Præterea B. Augustinus Varronem laudat auctorem, à quo proditum sit, Aegyptios primum Isidem magistram literas didicisse, paulo plus duobus annorũ millibus ante suam ætatẽ. Isis vero filia fuit Inachi regis Argiuorum, cuius regnum post mortem Abrahæ inchoat Eusebius. Postremo Iamblichus in libro de Mysteriis Aegyptiorum, primum sapientiæ ac doctrinarum apud Aegyptios auctorem facit Mercurium Trismegistum: hunc autem non solum Abramo, sed etiam Mose recentiorem fuisse affirmat Eusebius & Augustinus. Nam quo tempore natus est Moses, eo tempore claruit Athlas astrologus Promethei physici frater, & maternus auus maioris Mercurii: huius vero Mercurii nepos fuit alter Mercurius cognomine Trismegisti nobilitatus. Credibilius igitur fuerit, Aegyptios, si sapientiam perceperunt ab Hebræis, accepisse eam à Iacob Patriarcha, qui septem & decem annos in Aegypto vixit; aut potius à Ioseph viro sapienti, qui per annos octoginta summo cũ imperio, secundũ Regem præfuit Aegypto. Certe de Ioseph cecinit Dauid: *Eloquium Domini inflamauit eum: misit rex & soluit eum. Constituit eum dominum domus suæ, & Principẽ omnis possessionis suæ: vt erudiret Principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret.*

M. Varro.

August. De Ciuita. Dei lib. 18. cap. 40.

Eusebius in chronico.

Iamblichus.

Eusebius, ibidem.

August. de Ciuita. Dei lib. 18. ca. 8.

Aegyptios ab Iacob & Ioseph potius, quam ab Abram, sapientiam didicisse.

Psal. 104.

113 Cæterum quod proxime ante dictum est, Mercurium Trismegistum primum fuisse omnis sapientiæ Aegyptiorum inuentorem ac doctorẽ, falsum esse sine dubitatione dixerim. Sapientiã namque floruisse apud Aegyptios, etiam ante Mosem, qui prior Trismegisto fuit, sentire nos & fateri cogit auctoritas beati Stephani, qui Mosem eruditum omni Aegyptiorum sapientia esse dixit. Erat igitur ante Mosem apud Aegyptios sapientia non solum nota, sed honorata & celebrata. Qualis porro fuerit sapientia quam Moses didicit ab Aegyptiis, declarat Philo ad hunc modum scribens: Itaque Moses numeros, & Geometriã, vniuersamque Musicam, Rythmicam, Harmonicam, Metricam, siue contẽplatiuam, siue per instrumenta voceſque promentem se variis modis, accepit ab Aegyptiis doctoribus: & insuper occultam philosophiam descriptã literis, vt vocant Hieroglyphicis, hoc est notis & figuris animalium, quæ ipsi etiã pro numinibus venerantur. Cæteras liberales artes Græci eum docuerunt. Ex propinquis autem regionibus euocati Assyrii suas literas tradebant, Chaldæi quidem sideralem scientiam. Ita Philo.

Mercurium Trismegistũ nõ fuisse primũ sapientiæ Aegyptiorum auctorem. Locus Actorum cap. 7. explicatur. Philo de vita Mosis lib. 1. qualẽ fuisse dicat sapiẽtiã Ægyptiorum tẽpore Mosis. Refellitur Philo, & probatur tẽpore Mosis, nullas in Græcia literas, nedum doctrinas floruisse.

114 Sed enim quod Philo dixit de Græcis doctoribus Mosis, haud scio an falsum sit; cum B. Stephanus pronũtiauerit Mosem fuisse eruditum omni sapientia Aegyptiorum; nihil de sapientia Græcorum & Chaldæorum significans. Omnino Moses antiquior fuit Cadmo; quem inuentorem

uentorem fuisse literarum Græcarum, easque à Phœnicibus acceptas primum omnium tradidisse Græcis in confesso est apud omnes. Ante Mosem igitur non modo non disciplinæ liberales; verum ne literę quidem ipsæ erant apud Græcos. Quid quod ante septem illos Græciæ Sapientes, qui circa tempus Babylonicæ captiuitatis Iudæorum claruerũt, nullam fuisse apud Græcos philosophiam, nedum sapientiam, ex veterum auctorum monumentis exploratè compertum est?

Septẽ Græciæ Sapientes.

B. Iustino martyri hæc ab orthodoxis proposita est quæstio: si Moses eruditus est omni sapientia Ægyptiorum, adeo vt factis dictisque potens esset, sicut tradunt diuinæ literæ, ergo etiam didicit Astronomiam & Geometriam, aliasque cognatas disciplinas plenas vanitatis & erroris, namque has præcipue celebrant Ægyptij. Cur igitur ex talibus studiis, & talibus dictis factisque Moses celebratur? Ad hanc quæstionem ita respondet Iustinus; Celebrat Mosem diuina scriptura ob dictorum factorumque potentiã, non propter dicta & facta per se; erant enim illa per se indigna, ob quæ celebraretur Propheta. Verũ quia propter vtraque illustris erat apud Ægyptios Moses, propter orationis disciplinam & ciuilis vitæ claritatem, cui tamen vtrique pietatẽ ille prætulerat; propterea eum extollunt sacræ literæ. Astronomia vero & Astrologia, & Geometria apud Ægyptios tunc vulgares & humiles ac forenses disciplinæ habebantur. In pretio autem erant tunc apud eos disciplinæ quæ vocantur Hieroglyphicæ; quæ in adytis, non quibuslibet, sed eximiis tradebantur. Harum quidem scientiam habuit Moses, vsum vero minime, vtpote contrarium diuino Hebræorum regimini, propter quod ille, contempta omni regali Ægyptiorum potentia, maluit cum DEI populo aduersa pati. Hæc Iustinus. Cui videtur contraria scribere Clemens Alexandrinus, affirmans Mosem in tradendis compluribus legalium præceptorum & cæremoniarum mysteriis, Hieroglyphica Aegyptiorum doctrina esse vsum. Verum de quadruplici Aegyptiorum sapientia, Mathematica, Physica, Morali siue Politica, & Theologica; cuius princeps pars fuit Hieroglyphica per figuras animalium, aliarumque rerum similitudines mysteria rerum adumbrans atque insinuans, tresque continens species, Imitatiuam, Translatiuam, & Aenigmaticam: de his, inquam, omnibus copiosè & erudite disputat Clemens Alexãdrinus libro quinto Stromatum; quorum summam strictim libro secundo Bibliothecæ Sanctæ tradidit Sixtus Senensis.

115

Iustinus martyr in respõsione ad 25. quæstionẽ orthodoxorum.

Ad Hebræos cap. 11.

Clemens Alexand.

Sixtus Senensis.

SEPTI

SEPTIMA DISPVTATIO

De vocabulo Pharaonis, quo nomine primùm hoc loco in Sacris literis appellatur Rex Aegypti.

116 VOCABVLVM Pharaonis non fuisse proprium nomen alicuius personæ, sed commune regum omnium Ægypti, & concessu auctorum constat, & dupliciter ex sacris literis argumentari licet. Namque permultos reges Ægypti diuersarum ætatum ac sæculorum, eodem nomine Pharaonis appellat scriptura: & solet eadem nonnumquam vocabulo Pharaonis subiungere proprium nomen eius regis, dicens: Pharao Nechao 4. Regum 23. & Pharao Ephree, apud Ieremiam cap. 44. Dicamus igitur quid auctores de vocabuli Pharaonis origine, significatione, atque vsu prodiderint: denique lectorem nostri quoque iudicij ac sententiæ participem faciamus.

Eusebius quidem pauca hæc de nomine Pharaonis in suis Chronicis adnotauit: Aegyptiorum, inquit, reges omnes tunc Pharaones dicebantur: non hoc sane proprium habentes nomen, sed pro dignitate Regis eo nomine, tanquam regali vtebantur; sicut & apud nos Imperatores Augusti appellãtur. Habebat ergo vnusquisque Pharao proprium nomen. Hoc nos ex libris Manethonis sacerdotis Ægyptiorũ lectum, posuimus. Sic Eusebius. Horum similia, sed paulo ramen expressiora, tradit B. Hieronymus. Explanans enim illa verba Ezechielis, capitis vigesiminoni: *Pone faciem tuam contra Pharaonem regem Aegypti*: his verbis scribit: Cæterum illud vel maxime requirendum est, vtrum ipse sit Pharao, qui in Exodo, & Isaia, & Hieremia, & Ezechiele, & in Canticis canticorum nominatur; an alius atque alius. Videtur mihi nõ esse vnus, sed apud Ægyptios hoc vocabulo demonstrari regiam dignitatem; sicut apud Romanos, Cæsares & Augusti, appellantur eorum Imperatores, à primo Caio Cæsare, & à filio eius adoptiuo Octauiano, qui postea Augustus est nominatus: quemadmodũ etiam apud Syros Antiochi; apud Parthos, Arsacidæ; apud Philistiim, Abimelech; & post Alexandrum, in Ægypto reges dicebantur Ptolemæi vsque ad Cleopatram; qua victa apud Actium, Ægyptus Romana est facta prouincia. Ergo in præsentiarum aduersus vnum quem libet regem Ægypti sermo fit Domini. Hæc Hieronymus. Iii putant Pharaones dictos esse, quasi Pharones, à Pharo insulà, quæ est è regione Alexandriæ, vbi regnauit Proteus. Ab initio autem vsque ad Cambysem Cyri filium, qui eam regionem Persarum Imperio adiunxit, Reges Aegypti communi cognomine Pharaones dicebantur: Sicut post Alexandrum Magnum, à Ptolemæo Lagi filio dicti sunt Ptolemæi vsque ad Cæsarem Augustum, qui Aegyptum in prouinciæ formam redegit.

Eusebius.

Hieronym. lib. 9. Commentariorum in Ezechielem.

Ludouicus Viues in Augustinum De Ciuit. Dei lib. 10. cap. 43. & lib. 18. cap. 42.

Herodotus in Euterpe file lib. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Herodotus vnicum hoc nomine regem Aegypti appellat, vocans eum Pharaonem filium Seſoſtris regis, eumque cæcum fuiſſe dicit.

Iosephus lib. 8. Antiquitatum.

VERVM nemo explicatius atque vberius de nomine Pharaonis 117
quàm Ioſephus, diſputauit. Is enim hiſtoriam enarrans rerum Salomonis, quæ continetur ſacris literis, cum inſeruiſſet mentionem Pharaonis regis Aegypti, ad rationem eius nominis aperiendam paulum digreſſus, ita ſcribit; Quoniam video multos quærere, quî factum ſit, vt omnes Aegyptiorum reges à Minæo illo qui Memphim condidit, & multis annis nouum noſtrum Abraham præceſſit, vſque ad Salomonis tempora, per mille trecentos & amplius annos, Pharaones dicti ſint à quodam rege eo nomine deſumpto: operepretium exiſtimo eorum ignorantiæ mederi, & manifeſtam huius appellationis cauſam reddere. Pharao, Regem Aegyptijs ſonat. Opinor autẽ ipſos à pueritia nominibus aliis diſcretos, cum primum reges creati fuerant, poteſtatis eius nomen patriæ linguæ vernaculum aſſumentes, Pharaones eſſe appellatos. Nam & Alexandrini reges, aliis prius nominibus propriis vocati, poſt aſſumptum regnum dicti ſunt Ptolemæi à primo eius vrbis rege: & Romanorum Imperatores, alioqui gentilia nomina habentes, Cæſares appellantur principatus & honoris vocabulo, poſthabito illo priore, quod à parentibus hæreditarium acceperant. Et hinc eſt, ni fallor, quod Herodotus, cum trecentos triginta reges poſt Minæum Memphis conditorem deinceps ſucceſſiſſe dixiſſet, nomina eorum non recenſuerit, quia videlicet Pharaones vocati eſſent. Cum enim poſt hos mulier imperium arripuiſſet, nomine proprio eam appellat Nicaulem: nimirum ea de cauſa, quod ſoli mares huius appellationis eſſent capaces, & non etiam fœminæ; ideoque oportuit peculiare ipſius nomen haberi. Ego vero in noſtræ gentis commentariis reperi, quod poſt Salomonis ſocerum Pharaonem nemo Aegyptiorum regum amplius eo nomine ſit vocatus; & quod poſt illum venerit ad Salomonẽ iam dicta mulier, quæ tunc Aegypti ſimul atque Aethiopiæ regnum obtinebat. Hactenus ex Ioſepho.

Auctoris in Ioſephi ſententiam animadverſio.

Hæc igitur ſunt de Pharaonis nomine ab aliis tradita. Aſt ego face- 118
re non poſſum, quin diſcutiam & refellam ex iſtis nonnulla, vt parum conuenientia ſacris literis, & per ſe vel falſa, vel certe nequaquam veriſimilia. Incipiam à Ioſepho; quem in earum rerum, quæ continentur diuinis libris, hiſtoria & Chronologia eſſe lapſum, ſatis turpe videri poſſit: ſcilicet & ſacerdotem, & ſacris literis à prima ætate eruditum, quin etiam earum rerum exactam doctrinam & profitentem & ſcriptis tradentem. Quæ igitur in ſuperiori eius ſentẽtia mihi quidem digna videntur correctione, hic quaſi curſim attingam. Ait ille Minæum Aegypti regem multis annis priorem fuiſſe quam Abraham; rege autem Salomone plus trecentos & mille annos antiquiorem. At enim, ſi quis omne tẽpus quod ab ipſo diluuio Noëtico defluxit vſque ad regnum Salomonis computet, non plures annos colliget quam mille ducentos ſeptuaginta ſeptem: id eſt à Diluuio vſque ad ortum Abrahæ,

Abrahæ, ducentos nonagintaduos, Geneſ. 11. hinc vſque ad egreſſum Hebræorum ex Aegypto, quingentos quinque, Geneſ. 12. & ad Galatas 3. hinc demum vſque ad quartum annum regni Salomonis annos quadringentos octoginta, 3. Regum cap. 6. verum ex hac ſumma detrahere oportet annos, qui præterierunt à Diluuio vſque ad exordium regni Aegyptiorum: conſtat enim tam Aegyptiorum, quam aliarum gentium regna, incœpta eſſe poſt ædificationem turris Babel, diuiſionemque linguarum ac diſperſionem gentium: id autem, minimũ, centum annis poſt diluuium euenit. Nec fit ſane credibile continuo poſt id temporis, Aegyptiorum regnum ac reges extitiſſe.

Insignis lapſus Ioſephi, & is quidem multiplex.

Scribit præterea Ioſephus, ſe in commentariis ſuæ gentis annotatũ 119
reperiſſe, poſt regem Aegypti qui ſocer fuit Salomonis, neminem poſtea regum Aegypti, nomine Pharaonis eſſe appellatum. Verùm quis mirari ſatis queat, vel eorum inſcitiam qui Commentarios illos à Ioſepho nominatos ſcripſere, quippe qui clariſſima in luce ſacrarum literarum hallucinati ſint; vel ipſum Ioſephum, cæteroqui doctũ, nec ferè inaccuratum ſcriptorem, in ea re prodenda tam oſcitantem, dormitãtemque fuiſſe? Namque plurimis ſacræ hiſtoriæ locis apertiſſime traditur, multos Aegypti reges, qui longo tempore poſt ſocerũ Salomonis fuere, hoc nomine Pharaonis eſſe nominatos. Regnante enim apud Iudæos Ezechia, id eſt, trecentis poſt Salomonem circiter annis, qui tunc erat rex Aegypti, & apud Iſaiam capite 30. & in libro 4. Regum cap. 18. vocatur Pharao. Et quadringentis annis poſt Salomonem, Nechao rex Aegypti, qui Ioſiam in prælio interfecit, in 4. libro Regũ capite 23. nominatur Pharao. Quid multa? Ieremias 44. & 46. itemque Ezechiel 29. 31. & 32. qui tempore Babylonicæ captiuitatis Iudæorũ in vaticinando clari fuerunt, reges Aegypti ſuæ ætatis Pharaones appellarunt. Illud porrò eſt obſeruatum in ſacris literis, præter generale nomen Pharaonis regum Aegypti, quatuor propria eorum regum nomina commemorari: vnum Seſac lib. 3. Regum. cap. 14. alterum, Sua, 4. Regum 17. tertium Nechao, 4. Regum 23. quartum Ephree, apud Ieremiam cap. 44.

Ad hæc, quod ait Ioſephus, illos trecentos triginta reges Aegypti, 120
qui poſt Menem, ſiue vt vocat ipſe, Minæum, fuere, propterea non eſſe propriis nominibus ab Herodoto nominatos, quod communi omnes vocabulo Pharaones dicti eſſent; id profecto non admodum congruit cum hiſtoria & ſententia Herodoti. Is enim nuſquam ſignificauit fuiſſe aliquando reges Aegypti nomine Pharaonis vocatos: nec id ſane tacuiſſet ille, ſi vel ſcriptum vſpiam fuiſſet, vel ab ipſis Aegyptiis, vt alia multa, audiuiſſet. Quinimo cauſam veram, cur illos innominatos præteriiſſet, ipſe non tacuit; quòd eorum omnium, præter vnum nomine Mærim, nullum memorabile, & clarum opus extitiſſet; itaque, vt ignobiles atque obſcuros, tacitis eorum propriis nominibus, quaſi perpetua hominum obliuione ſpultos eſſe. Nec Herodotus non ſignificauit, eos reges propriis nominibus eſſe appellatos, ſcribens Sacerdotes

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aegyptiorum nominatim sibi eos reges è sacris libris recensuisse.

Postremo quod addit Iosephus de Nicaule regina Aegypti, quam Herodotus Nitocrim vocat, non vni tantum est obnoxium reprehensioni. Quatuor enim scribit Iosephus, quæ haud scio an doctis viris improbanda videbũtur. Ait reginam illam Ægypti Nicaulim, fuisse post illos trecentos triginta reges, qui post Minæum, Herodoto auctore, regnauerunt in Aegypto: at Herodotus non post illos, sed inter illos fuisse illam reginam tradit: post illos autem regnasse affirmat Sesostrim, aliosque complures, atque eos quidem omnes viros, nullius fœminæ facta mentione. Deinde tradit Iosephus reginam illam Aegypti Nicaulim fuisse tẽpore regis Salomonis. Sed enim id cum historia, & Chronologia Herodoti minime consentit. Siquidem ille fuisse illam reginam scribit inter illos trecentos triginta reges, qui post Menam regnauere in Aegypto. Post illos autem regnasse ait Sesostrem; post hunc, filium eius Pheronem, qui decẽnio cæcus fuit. Huic successit in regnum vir quidam Memphitis, qui Græcis dictus est Proteus. Quamquã Diodorus libro 2. complures alios ante Proteum recenset. Ante Proteum vero fuit Paris, cum Helenam è Sparta raptam secum ducebat Ilium; qua ex causa decennale bellum inter Græcos & Troianos extitit. Hoc bellum circa tempora Samsonis, aut Heli Pontificis contigisse, alias ostendimus. Ex his apparet, reginam illam Aegypti, plus centum annis Salomonis principatum antecessisse.

Addit præterea Iosephus, mulierem illam regnasse in Aegypto post 11
eum regem Ægypti, qui socer fuit Salomonis. Atqui sacra historia in libro 3. Regum cap. 14. post eum regem Ægypti, cuius filiam Salomon vxorem duxit, nominat regem Ægypti Sesac; qui anno quinto regis Roboam filij Salomonis venit cum exercitu in Iudæam, & vrbem Hie-
2. Paral. 12. rosolymã cepit atque diripuit. Eusebius lib. 9. de Præparatione euange-
Eusebius. lica cap. 4. regnantem in Aegypto facit tempore Salomonis eum, quem appellat ipse Vaphrem, amicum regis Dauidis; Vaphris autem & Salo-
Idem. monis literas vltro citroque missas eodẽ in loco refert Eusebius. Idem verò in Chronicis, post Salomonem, regnãtes in Aegypto inducit Smendem, Sesac, & Pseusenem: de fœmina verò quę per id tempus inibi regnauerit, nullum ab eo verbum.

Postremo reginam illam, quæ ad tentandam & periclitandam regis 12
Salomonis sapientiam venit in Iudęam, Iosephus scribit fuisse reginam Aegypti simul & Aethiopiæ. At enim vero, Sacra Scriptura nusquam appellat eam reginam Ægypti vel Æthiopiæ, sed tantum reginam Saba. Quod si fuisset regina Ægypti, hoc potius nomine, vt notiori & no-
3. Reg. 10. biliori eam insigniuisset Scriptura. Munera etiam quæ ad Salomonem attulit, plurima dico & pretiosissima aromata, quorum non Ægyptus, sed Sabæa regio ferax est, hoc ipsum quod diximus perspicue demon-
Matthæi 12. strant. Apud Matthæum quoque Saluator noster dixit, eam reginam venisse à finibus terræ more loquendi Hebraico; significans venisse eam ex tertis à Palæstina longe remotis. Hoc in Ægyptum vicinam Palæ-

Palæstinæ, neutiquam dici potest; in Sabæos autem belle quadrat; siquidem etiam Ioel capite tertio Sabæos appellauit gentem longinquam.

123 Iam vero quod nonnulli tradiderunt, vt supra diximus, Pharaones esse nominatos à Pharo insula, quæ paruo maris interuallo Alexandriæ obiecta est; mihi quidem non fit verisimile. Aiunt isti, Pharum prius esse dictam Græce Carpathon. Sed iam tempore Abrahæ vocabatur Pharus: siquidem æqualis fuit Abræ rex Aegypti, quem Scriptura vocat Pharaonem, quem à Pharo sic esse appellatum, arbitrantur isti. Non est porro credibile, ante ætatem Abræ Pharum nominatam esse vocabulo Græco Carpathon: non enim iam eo tempore Græci tale cũ Aegyptiis habuerant cõmercium, vt locis Aegypti etiam nomina suæ linguæ imposuisse credibile sit. Nec ego facile induxerim in animũ, reges Ægypti ab exigua quadam insula, per se obscura & ignobili nomen accipere voluisse, quod non solum regale, verum & cõmune omnium regum, & quasi hæreditariũ regię dignitatis insigne foret. Equidem propensior sum in Iosephi sententiam: videtur enim procliuius creditu, à primo rege Aegypti qui Pharao dictus sit; vel si primus rex non fuit, certe aut virtutis, aut sapientiæ, aut rerum gestarum gloria maxime insignis & celebris fuit; ab eo, inquã, rege id nomen ad omnes eius successores permanasse. Sic enim apud alias gentes contigisse cernimus, vt apud Romanos nomen Cæsaris & Augusti, apud Aegyptios nomen Ptolemæi.

Viues loco supra citato. An Pharaones dicti sint ab insula Pharo.

Auctoris sẽtẽtia de origine vocabuli Pharaonis.

BENE

Universidad de Deusto
Biblioteca

BENEDICTI PERERII COMMENTARIORVM IN GENESIM

CAPVT XIII.

Abram diſſociatur à Lot: accipit à Deo promiſsionem terræ Chanaan à poſteris ſuis poſsidendæ: eligit habitationem in conualle Mambre, quæ eſt in Hebron.

1 SCENDIT *ergo Abram de Aegypto, ipſe & vxor eius, & omnia*
2 *quæ habebat, & Lot cum eo, ad*
3 *auſtralem plagam. Erat autem Abram diues valde in poſſeſsione auri & argenti. Reuerſúſque eſt per iter quo venerat, à Meridie in Bethel, vſque ad locum vbi*
4 *prius fixerat tabernaculum inter Bethel & Hai: in loco altaris quod fecerat prius, & inuocauit ibi nomen Domini.*
5 *Sed & Lot qui erat cum Abram, fuerunt greges ouium, &*
6 *armenta, & tabernacula. Nec poterat eos capere terra, vt habitarent ſimul: erat quippe ſubſtantia eorum multa, &*
7 *nequibant habitare communiter. Vnde facta eſt rixa in-*
8 *ter paſtores gregum Abram & Lot. Eo autem tempore Cha-*

Chananæus & Phæreæus habitabant in terra illa. Dixit ergo Abram ad Lot, Ne quæſo ſit iurgium inter me & te, & inter paſtores meos & paſtores tuos: fratres enim ſumus.
9 *Ecce vniuerſa terra coram te eſt: recede à me, obſecro. ſi ad*
ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo: ſi tu dexteram elegeris,
10 *ego ad ſiniſtram pergam. Eleuatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuerſa irrigabatur antequam ſubuerteret Dominus Sodomam & Gomorrham, ſicut Paradiſus Domini, & ſicut Aegyptus venientibus in Segor. Elegitque ſibi Lot regionem circa Iordanem, &*
11 *receſsit ab Oriente: diuiſique ſunt alter utrũ à fratre ſuo. Abram habitauit in terra Chanaan: Lot vero mo-*
12 *ratus eſt in oppidis quæ erant circa Iordanem, & habitauit*
in Sodomis. Homines autem Sodomitæ peſsimi erant, &
13 *peccatores coram Domino nimis. Dixitque Dominus ad*
14 *Abram poſtquam diuiſus eſt ab eo Lot: Leua oculos tuos in directum, & vide à loco in quo nunc es ad aquilonem & meridiem, ad orientem & occidentem. Omnem terrã quam*
15 *conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternum.*
Faciamque ſemen tuum ſicut puluerem terræ: Si quis poteſt
16 *hominum numerare puluerem terræ, ſemẽ quoque tuum numerare poterit. Surge ergo & perambula terram in longi-*
17 *tudine, & in latitudine ſua: quia tibi daturus ſum eam.*
Mouens igitur tabernaculum ſuum Abram, venit, & ha-
18 *bitauit iuxta conuallem Mambre, quæ eſt in Hebron: ædificauitque ibi altare Domino.*

Erat

Universidad de Deusto
Biblioteca

VERSV 2.

Erat autem Abram diues valde in possessione auri & argenti.

VERVM esse in Abram cernimus,quod postea cecinit Dauid:*Timentes Dominum,non minuẽtur omni bono:*& illud quod est in Euangelio:*Quærite primum regnum* DEI *& iustitiam eius:& hæc omnia adiicientur vobis.* Triplex autem opulentia Abræ significatur hoc loco;abundantia auri & argenti, magnitudo familiæ & seruitiorum,& gregum copia.

Psal.33.

Matth. 6.

PRIMA DISPVTATIO

Aduersus immodicos amatores diuitiarum & auaros.

SED fortasse insani diuitiarum amatores & auari, exemplum hoc diuitiarum Abræ, excusandæ insatiabili suæ cupiditati atque auaritiæ insipienter atque impudenter obtendent.Dicent enim,Abræ diuitias, etiam cum laude in sacris literis commemorari: & Abram diuitem innumerabilibus voluntariè pauperibus sanctiorem fuisse,DEOque cariorem.Verum ego hæc istos in Abræ diuitiis animaduertere cuperem; quemadmodum diuitias ille consecutus sit, quales quantasque vnà cum diuitiis coniunctas animi virtutes habuerit, & qualiter diuitiis vsus sit; ac demum quam rarum sit, diuitem aliquem similem esse Abræ,quantique sit periculi diuitiis abundare. Parauit Abram diuitias, non sane fraudibus,non vsuris, non rapinis, nec turpiter adulando aut lenocinando Principibus, non denique malis artibus; sed primo quidem prudentia sua,& industria,laudabilique parsimonia:tum liberalitate & largitate regum, excellentem eius virtutem atque sapientiam, &,qua plurimũ valebat apud DEVM, gratiã admirantiũ. Sed maxime ditatus est Abrã ob benedictionẽ,quam ei DEVS impertiuerat,dicẽs, *Benedicam tibi,& eris benedictus.* Benedictio enim in diuinis literis abundantiã bonorũ significat,vt apud Paulũ: *Qui parce seminat,parce & metet;& qui seminat in benedictionibus, de benedictionib. & metet.* Ergo in Abram,quod dixit Salomõ,abũde completũ est; *Benedictio Domini diuites facit,& non sociabitur eis afflictio.*Considerent præterea isti,quib.& quantis virtutibus Abrã diuitias suas non annexas & iunctas modo, verũ & subiectas atque mancipatas habuerit. Æstiment quanta illius viri fuerit fides; quàm singularis obedientia; quàm excellens pietas erga DEVM & religio;quàm egregia humanitas,comitas,& manſuetudo; quàm

1

Genes.12.

1.Corinth. 9.

Prou.10.

quàm eximia in secundis rebus modestia,in rebus autẽ aduersis quàm inexpugnabilis patientia & constantia; quàm firma & insuperabilis, quàm in DEO fixam habebat,spes & fiducia; quàm larga & effusa in peregrinos & pauperes hospitalitatis & benignitatis gratia. Verbo dicam:nõ illi diuitiæ,sed diuitiis ille dominabatur, eisque vt administris virtutũ,& idoneis ad bene agendum instrumentis,ad seruiendũ DEO multosque hominum iuuandos pie ac benigne vtebatur.

2 At verò quales fere sint diuitum mores & studia,iis nempe quę de Abram diximus plane contraria, breuiter, sed graphice depinxit Aristoteles:Diuitias,inquit,qui mores sequantur,promptum est omnibus ad videndum.Sunt enim diuites contumelioſi & contumaces:videlicet propter diuitiarum abundantiam perinde affecti sunt, ac si bonis omnibus affluãt:siquidem diuitiæ quasi pretium quoddam æstimationis rerum aliarum sunt; quocirca venalia omnia ipsorum esse videntur.Diuites item sunt delicati & arrogantes.Delicati quidem propter delicias & beatitudinis ostentationem;arrogantes autẽ & elati, quod iis bonis excellant ipsi,quæ plerique omnes vehementer concupiscũt & admirantur:& quia se dignos esse imperio arbitrantur. Et (vt summatim dicam) quales sunt amãtium & beatorum,tales quoque videntur esse diuitum mores.Sic Aristoteles.Lepidum est eiusdem Aristotelis problema:Cur paupertas apud viros bonos potius,quam apud improbos esse soleat.At,inquit,quia, cum omnes eam oderint atque expellant,ad probos perfugit,rata apud eos se salutem, & permanẽdi locum habere posse:è contrario autem si ad prauos venerit, scit eos suo consortio & societate minime contentos fore,sed vel furta, vel latrocinia adituros:quibus rebus futurum,vt ipsa amplius apud illos manere nequeat.An quia existimat homines probos bene ipsa vsuros,idque sibi magno decori & ornamento futurum? Itaque vt nos pecuniarum deposita hominibus bonis tuto credimus:sic etiã paupertas apud homines virtute præstantes tutam se ac securam fore confidit. An libenter se ad viros bonos confert,quia fœmina est, inopsque proinde consilij ac virium;quare se illis esse commendatam magnopere cupit, vt eorum prudentia & virtute regatur ac defendatur? An denique quia paupertas malũ quoddam est:quapropter adiungit se ad bonos,vt malum eius,bona quæ in illis sunt,vel obruant,vel certe mitigent?sin autem se ad malos homines conferret,cum ipsa quoque malum quoddã sit,ex eorum profecto societate malum ipsa quodammodo irremediabile redderetur.Hæc ille. Ergo qui diuitias Abrahæ laudant & æmulari volunt,studeant antea & contendant virtutes eius imitari.

Aristot. lib. 2. Rhetoric. quales sint mores diuitum.

Aristot. in Problematib.sect. 29. Proble.3. Cur paupertas,apud viros bonos esse soleat.

3 POSTREMO cogitare istos velim,quam arduũ sit & rarũ,esse diuitem,non dicam similem Abrahæ viri in omni genere virtutum præstantissimi, sed vel bonũ esse,atque ab omni flagitio & scelere purum. *Si diues fueris*(inquit scriptura) *non eris immunis a delicto.* Nam quia pecuniæ,vt ait Salomon,obediunt omnia;eo fit, vt diuitiarum abundantia res admodum procliuis & lubrica sit ad omnia flagitia. Quocirca

Quam sit arduũ & rarũ esse virũ bonum eũ qui diues est. Ecclesiastici 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

diuitem innocentem & probum, quasi miraculum quoddam prædicat diuina scriptura: *Beatus diues qui inuentus est sine macula, & qui post aurum nō abiit, nec sperauit in pecuniæ thesauris. Quis est hic, & laudabimus eū? Qui potuit transgredi, & non est transgressus: & facere mala, & non fecit.* His consona scribit B. Paulus: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueū diaboli, & in desideria multa, & inutilia, & nociua, quæ mergūt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorū est cupiditas, quā quidā appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Ergo summæ difficultatis est, rarique exempli, diuitiis abundātem carere vitiis, & studiosum esse virtutū. Horrenda profecto atque tremēda est illa Domini sententia: *Quam difficile qui pecunias habent, in regnum* DEI *intrabunt! Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum* DEI. Mihi quidem scitum videtur illud Socratis dictum, qui diuitias talaribus tunicis cōparauit: Talares (aiebat) tunicæ corpora, immodicæ diuitiæ animos impediunt. Nam quemadmodum prolixitas talarium vestium, ad expedite & celeriter ambulādum affert impedimentum: sic diuitiarū onus ab honestis laudatisque studiis redardat. Quis diuitū paret illi Dauidis præcepto: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere?* Quis istorum opulentorum prudens illud ac salutare Pauli consilium sequitur: *Qui emunt, tamquam non possidentes: qui vtuntur hoc mundo tamquam non vtantur: præterit enim figura huius mūdi?* Quis demum amore diuitiarum flagrans, animo quieto, & ad virtutum & doctrinarum studia sedulò & nauiter tractanda, vacuo & idoneo esse potest? Fertur & laudatur in primis illa Democriti sententia: Diuitiæ si non habentur, desiderio affligunt: si habentur, cura, metuque discruciant: si amittuntur, mœrore ac dolore conficiunt.

Luc. 18.

Socratis dictum; Diuitias esse similes talaribus tunicis.

Psal. 61.

1. *Cor.* 7.

Democriti sententia.

Adiiciam & illud extremo loco. Qui immodicum amorem cupiditatemque diuitiarum cohonestare volunt exemplo Abrahæ, aliorumque patrum veteris Testamenti, qui coniunctam cum diuitiis insignē erga DEVM pietatem, & iustitiam aduersus homines habuerunt: iis reputandum est, tunc sanctis illis hominibus diuitias promisisse ac dedisse DEVM; cum spiritualium & cælestium diuitiarū præstantia, nondum per vnigenitum Filium suum promulgata lege & gratia Euangelica, manifestata & exposita esset hominibus. Namque in Nouo Testamento quid obsecro frequentius inculcatur, quid laudatur plenius, quam despicientia diuitiarum? Quid iis, qui ad perfectionem virtutum nituntur & peruenire cupiunt, vehementius cōmendatur & suadetur, quam diuitias non desiderare, si non habeant; si habeant, etiā cōtemnere ac relinquere? Illustrior erit hæc sentētia appositis Amprosij versibus: Is enim tractans illa verba huius capitis decimitertij: *Nec poterat eos capere terra vt habitarent simul: erat quippe substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter*, ita scribit: seculare vitium, vt diuites terra nō capiat. Nihil enim satis est diuitū cupiditati. Quanto ditior quis fuerit, tanto auidior ad possideneum est. Extendere agri terminos cupit, & vicinum excludere. Numquid huiusmodi Abram? Minime: quamuis

4

Ambrosius lib. 1. de Abram cap. 3.

quamuis in principio & ipse imperfectior. Vnde enim perfectio ante aduentum CHRISTI? Nondum venerat qui diceret: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes; & da pauperibus, & veni sequere me. Sic Ambrosius.

Matth. 19.

Vnde facta est rixa inter pastores gregum Abram, & inter pastores gregum Lot. Eo autem tempore Chananæus & Phærezæus habitabant in terra illa.

VERSV 7.

5 AVDIAMVS Philonem, qui hanc rixæ inter pastores Abram & Lot ortę, & dissociationis ac separationis ipsorum historiam succincta & concinna expositione enarrat. Cum Abram, inquit, auro & argento ac numerosis pecudum gregibus adeo esset diues, vt cum locupletissimo quoque indigena conferri opibus posset, & supra inquilini conditionem beatior esset; nunquam tamen accusatus est ab iis quorum vtebatur hospitio; sed quibuscum contrahebat aliquid, vel negotium habebat, ab iis perpetuam iustitiæ ac mansuetudinis laudem reportabat. Si quando autem, vt fit, per occasionem comitatus & fāmulitii, contētionis nonnihil subortum erat, continuo sopire eam conabatur: quippe qui propter morum grauitatem, & tranquillum animi statum, nihil turbulentum, seditiosum, ac litigiosum ferre posset. Nec solum erga alienos talis erat, sed etiam erga propinquos & inferiores ipso modestus erat, vltro cedens quibus iure suo præire posset. Habebat fratris filium Lot, cum quo patriam reliquerat, non satis firmum amicum, sed nutantem & suspectæ fidei: à quo interdum familiariter & blande, interdum vero contemptim & superbe tractabatur, propter eius iuuenis morum inæqualitatem. Quapropter etiam serui huius contentiosi erant ac morosi, quod castigatorem non haberent, præsertim pastores à domino suo longius semoti. Itaque prę licētia frequenter rixabantur cum Abrahæ pecorū magistris, plerumque illis cedentibus propter heri sui mansuetudinē. Sed hac sua modestia sic auxerunt insolētiam & impudentem audaciam aduersariorum, vt accensis odiis, necesse habuerint qui lædebantur, iniuriam armis repellere. Itaque graui rixa coorta, vir bonus sciens suos pręualere numero ac viribus, non est passus rem ad manus deuenire, ne fratris filium, haud dubie cladem suorum ægre laturum, contristaret: sed in medium progressus, pacificis verbis siniuit controuersiam non in præsens tātum, sed & in posterum. Dixit enim discordes ipsos fore sæpius, si cohabitare, & vna degere pergerent, nec vmquam lites ac rixas inter suos defuturas. Ad harum igitur tollendas occasiones, satius fore, vt deinceps locis disiuncti separatim habitarent. Ac summa æquitate animi & liberalitate

Philo in 1. libro de Abraham.

Universidad de Deusto
Biblioteca

optionem dedit fratris filio agri melioris; pollicitus libenter se post habitam ab ipso partem accepturum; pacem enim sibi quouis lucro esse potiorem. Et quis alius potentior infirmiori vel minimum de iure suo concessisset? quis vinci mallet quàm vincere, & suæ oblitum potentiæ infirmioris voluntati obsequi? Solus hic non in viribus aut opibus summam felicitatis collocabat, sed in tranquilla vita, & quantum in ipso erat, omnino quieta. His rebus incredibile dictu est, quantam ille apud omnes sapientiæ ac virtutis existimationem comparauerit. Hactenus ex Philone.

6 Verum non sine causa, cum opulentiam Abrahæ & Lot, commemorasset Moses, mox subdidit rixas inter eorum pastores ortas. Significare enim voluit, opulentiam plerumque dissidiorum ac seditionum esse causam. Sic enim fere vsu venit, vt paupertas conciliatrix & altrix sit pacis & concordiæ, contra vero diuitiarum abundantia, parēs & nutrix est discordiarum atque dissensionū. Audi quid B. Lucas de nascentis Ecclesiæ primordiis memoriæ prodiderit: *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Neque quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes ea, ponebant eorum pretia ante pedes Apostolorum.* Quin etiam Romani quoad pauperes fuerunt & angusta tenuique fortuna, caruerunt fere domesticis dissidiis: at vbi victarum à se gentium simul cum diuitiis adsciuere sibi etiam vitia, continuo inter ipsos exarsere intestina odia, ciuilesque dissensiones ac bella, vnde amplissimi & potentissimi illius imperij exitium extitit. Aristoteles quidem maiorū nobilitatem, & diuitiarum abundantiam, principia & quasi fontes seditionum facit; namque plurimum inde incitantur homines ad seditionem. Etenim qui se vident aliis inferiores esse, ij seditiosi sunt, & æqualitatem appetunt, nimirum vt ditioribus pares sint. Contra vero ditiores, si non cæteris antecellant, sed vel ex æquo cum aliis, vel etiam infra alios viuere cogantur; ipsi quoque seditiosi sunt, principatum omnibus in rebus dignitatis atque honorum affectantes.

Actor. 4.

Romani in paupertate concordes.

Arist. lib. 5. Polit.

7 Cęterum quærat aliquis, vnde proprie acciderit rixa illa inter pastores Abrā & Lot? Ob aquas videlicet & pascua. Cum enim haberent numerosissimos greges, & locus in quo erāt angustior esset, quam vt tantum pascuorum & aquarum vtrisque in eo suppeteret, quantum abunde illis sufficeret: inde frequenter super aquis & pascuis contentiones inter illos oriebantur. Quod enim multis necessarium est, nec abundanter tamen omnibus suppeditari potest, de eo plerumque inter eos iurgia atque rixæ contingunt. Frequētiorem autē rixandi causam præbuit aqua; quod eius maior sit inopia quam pascuorum in terra Chanaan & in vicinis regionibus, vt in desertis Arabiæ, in terra Madian, & in Mesopotamia. Sunt enim illis in locis pauca flumina, & ipsa terra est valde arida: quocirca ad potum hominum & pecorum, frequēs vsus est aquarum putealium: fodiebantur enim in agris putei, ex quibus hausta aqua

Vnde acciderit rixa inter pastores Abrę & Lor.

aqua per canales effundebatur in patentem quendam locum, vnde bibebant pecora. Et quia rara admodum in illis locis erat aqua, idcirco diligenter custodiebatur, clauso nēpe ore putei ingenti aliquo lapide, vt non cuiuis inde aquam liceret haurire; sed cōgregatis ouium pastoribus, ad quos aqua illa pertinebat, tunc amoto lapide, & hausta aqua adaquabantur pecora. Hoc autem fieri solitum esse in Mesopotamia, ex his quæ traduntur infra Genes. 29. palam est. Cum enim Iacob venisset in Mesopotamiam: *Vidit Iacob*, ait Scriptura, *puteum in agro, tres quoque greges ouium accubantes iuxta eum: nam ex illo adaquabantur pecora, & os eius grandi lapide claudebatur. Morisque erat, vt cunctis ouibus congregatis deuoluerēt lapidem, & refectis gregibus rursum super os putei ponerent.* Idem erat in more in terra Madian. Nam cum septem filiæ sacerdotis Iethro, quæ patris sui gregem pascebant, venissent ad puteum, hausissentque aquam, & per canales effudissent ad potum suorum pecorum: superuenientes pastores expellebant eas, volentes ipsi prius greges suos adaquare: at vero Moses defendens puellas, gregem earum adaquauit. Nec solum rara erat in istis locis aqua, sed etiam pauci erāt putei: non enim multifariam effossa terra fundebat aquam. Quapropter super ipsis puteis crebra incidebat inter pastores certatio: qualem fuisse, & quidem pertinacem, inter pastores Isaac & Philistinorum contentionem, infra legimus Genesis 26. Hanc igitur ob causam inter pastores Abram & Lot rixam illam esse ortam putandum est.

Exod. 2.

8 Verum enimuero non aliena hoc loco fuerit illa quęstio, Cur Moses huic historiæ de rixa pastorum, & dissociatione Abram & Lot, interposuerit illa verba: *Eo autem tempore Chananæus & Phærezæus habitabant in terra illa.* Equidem tres videor mihi, nec eas sane improbabiles, causas afferre posse cur id Moses adiecerit. Ac primo quidem voluit rationem ipse reddere eius quod paulo supra dixerat, tantam fuisse opulentiam Lot & Abram, vt eos terra illa non caperet, nec simul habitare possent: non enim id mirandum esse, cum illi non essent terræ illius possessores ac domini, sed tātum inquilini; tantumque eius terræ tenerent, quantum eis concedebatur à Chananæis & Phærezæis qui eius terræ erant domini. Deinde hoc addidit Moses, vt significaret cur tantopere Abram à contentionibus & litibus abhorruerit, vt præoptauerit separationem à Lot, etiam magno cum suo incommodo & molestia, quam contentiones habere, ac lites persequi; ne videlicet apud illas gentes infideles atque impias litigare cogeretur. Itaque iam tūc Abram id cautissime vitauit, de quo B. Paulus Corinthios vehementer accusauit: *Frater*, inquit, *cum fratre iudicio contendit; & hoc apud infideles.* Postremo cum Abram apud illas gentes propter excellentem sapientiam, & vitæ integritatem, tamquam doctor veritatis, & bene viuendi magister, clarissimumque exemplum esset, sedulo cauit, ne quod illis gentibus ex discordiis & dissidiis suis suorūque scandalum accideret. Quod autem Moses ait Chananæos & Phærezæos habitasse in terra illa, sic est intelligendum: Chananæos habitasse in illa terra partim circa

1. ad Cor. cap. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cap.11. fluenta Iordanis,partim iuxtà mare Mediterraneum : Phærezæos verò insedisse montana illius terræ:hoc enim proditum est tum in libro Numerorum capite 13.tum in libro Iosue.

VERSVS. *Dixit ergo Abram ad Lot: Ne quæso sit iurgium inter me & te,& inter pastores meos,& pastores tuos: fratres enim sumus.*

Ambrosius lib.1.de Abraham, capit.3.

MVLCEBATVR(inquit Ambrosius) Sanctus Abram nepotis præsentia, cui patrium affectum exhibebat. Incidit rixa inter seruulos nepotis & patrui. Aduertit prudentior seruulorum dissensionibus concordiam dominorum solui solere:amputauit fibram discordiæ,ne contagium serperet. Tolerabilius enim putauit vt copula sequestraretur,quàm gratia ditimeretur. Quod te facere oportet,si forte in huiusmodi aliquid incideris,vt seminarium dissensionis auferas. Neque enim tu fortior quàm Abram. Ille declinanda censuit, non despicienda seruulorum iurgia. Quod si tu fortior,cauenè alter qui infirmior est,aurem præbeat famulorum susurris. Frequèter indiuisa seruitia apud dominos ipsos discordiam serunt ; diuide potius, vt maneat amicitia. Indiuisa domus duos non sustinet. Nonne melius est emigrare cum gratia,quàm cohabitare cum discordia? Sic Ambrosius.

Singularis modestia & mansuetudo Abram. 9

Verum ex hoc prudentissimo facto Abræ duo egregia & perutilia carpere licet documenta. Hic enim eximia quædam virtus humilitatis, modestiæ,ac mansuetudinis Abræ mirabiliter eluxit. Nam cum ætate, gradu propinquitatis,sapientia,ac virtute, omnibus demum rebus superior ac præstantior esset quàm Lot;ita cum eo tamen egit,quasi cum pari,aut etiam superiori. Fuisset illi quidem summum decernendi ius,vt quod vellet, in commune statueret, & quibuscumque vellet conditionibus nepotem astringeret, ætatis videlicet & propinquitatis prærogatiua,vt qui senior esset, simulque patruus. Verumtamen maluit vir prudentissimus animo suo imperare;nec in omnibus iure suo vti voluit: non ignarus non modo liberale esse nonnunquam de iure suo decedere, verum etiam fructuosum. Itaque nepotem iuuenem senior ipse patruusque blandis compellat verbis,vt ne quod inter ipsos tanta propinquitate iunctos,dissidium intercederet. Quin etiam optionem nepoti obtulit, in quamcumque vellet terræ illius partem demigrandi; nihil pacè concordiaque ducens optabilius, nihil æstimans melius ; & satius esse putans nepotis, iucundissimo alioqui contubernio & societate carere, quàm inamœnam & rixosam cum eo vitam degere. Ergò præceptum illud Pauli: *Honore inuicem præuenientes*, & illud: *Humilitatem inuicem insinuantes, & superiores sibi inuicem arbi-*

Rom.12. Philip.2.

trantes,

trantes, sanctissimus vir Abram tanto ante perfecit. Non audierat ille quidem Dominum nostrũ præcipientem: *Discite à me,quia mitis sum, & humilis corde*:at virtutem ipsam humilitatis & mansuetudinis & habuit perfectissimam,& præclare, quotiescumque opus erat, exercuit. Audiamus Chrysostomum magna cum admiratione virtutis Abram, modestiam & humilitatem eius summis laudibus efferentem. Cogita, inquit, quemadmodum senior iuueni cesserit,& patruus nepoti; & qui tantam à DEO sortitus fuerat gratiam,ei qui nondũ vlla in re magnum aliquod virtutis specimen dederat. Nos igitur hoc exemplo eruditi & incitati, non tantum superiores & æquales, sed etiam inferiores honoremus. Nam maioribus cedere,non solum humilitatis & modestiæ, sed debiti & necessitatis est. In eo autem enitet vera humilitas,si erga eos, qui multum infra nos sunt,modesti & humiles sumus. quanquam,si recte sapimus,nullus esse nobis minores arbitrabimur;sed nos excedi ab omnibus & vinci,& sentiemus, & dicemus. Hæc profecto perfecta est humilitas,cum quis abunde in se habens vnde extollatur,se tamen ipse libenter demittit ac deprimit ; & quibus meritò præferri posset, iis se non grauate submittit. hic sane ad summum honoris fastigium euehetur:de talibus enim dixit Dominus: *Qui se humiliat exaltabitur*. Hactenus ex Chrysostomo.

Matth.11.

Chrys.hom. 33. in Genesim.

Quæ sit perfecta humilitas.

Luc.18.

10 Illud præterea in hoc facto Abræ dignum obseruatione est, quod non aliam ille causam attulit, cur à iurgiis & rixis omnino abhorrere deberent,nisi quod fratres essent;quasi perabsurdum foret,vt quos natura tam arcto necessitudinis vinculo adstrinxisset,ij propter seruorum contentiones & dissidia, animis inter se disiungerentur ac distraherentur. Atque hoc sane idem argumentum esse deberet valentissimum ad discutiendas & disipandas, quæ inter Christianos sunt, discordias & dissensiones,quod fratres inter se sunt: eundem nempe habentes patrem DEVM, eodem diuini verbi semine regenerati, idem baptisma, eandem fidem & spem, eandemque vocationem sortiti : nullos enim magis dedecet discordia quàm fratres, præsertim vero tales fratres. Quocirca B.Paulus grauissimis verbis Corinthios accusat, quod inter se litigarent coram iudicibus infidelibus: *Frater*,inquit Paulus, *cum fratre in iudicio contendit,& hoc apud Infideles? Iam quidem omnino delictum est in vobis,quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? sed vos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus.*

1.Corinth.6.

Ecce

Universidad de Deusto
Biblioteca

VERSV 9.

Ecce vniuersa terra coram te est: recede à me, obsecro, si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.

VIDE singularem æquitatem & modestiam Abrę, permittentis arbitrio minoris & inferioris electionem melioris terræ: vide quantopere à litibus & discordiis abhorruerit, omnia vel damna vel emolumenta concordiæ pacique postponens. Prædicat etiã in hoc facto Abræ excellentem prudentiam eius Ambrosius: cuiusmodi, inquit, fieri debeat inter propinquos diuisio & electio, Patriarcha edocet. Firmior diuidat, infirmior eligat ne habeat quod conqueratur: electionis enim suæ partem non poterit calumniari. Non residet occasio resiliendi, cui datur optio eligendi. Nec tamen diuisor grauatur: nam quo prudentior, eo cautior: vt nec in diuisione circumscribatur, nec in electione fraudetur. 11

Ambros. 1. lib. de Abrãham cap. 3.

Augustinus de ciuitate Dei lib. 16. cap. 20.

Sic Ambrosius. Putat B. Augustinus, hinc fluxisse cõsuetudinem illam, vt in diuisione bonorum, quæ fit inter propinquos, maior natu diuidat, minor autem eligat. Hinc fortasse, inquit, Augustinus, effecta est inter homines pacifica consuetudo, vt quando terrenorum aliquid partiendum est, maior diuidat, minor eligat. Quod dubitanter Augustinus dixit, id sine dubitatione & affirmate pronuntiat Rupertus. Huiusmodi, inquit, vsque hodie inter hæredes recte seruatur æquitas, vt ob finienda iurgia, maior diuidat, minor eligat. Fuisse olim etiam apud Ethnicos hunc partiendi morem, non obscure indicant Declamatorum leges: quarum vna est: Maior frater diuidat, eligat minor. Vide Senecam libro sexto Declamationum.

Rupertus lib. 5. in Genesim cap. 9.

Seneca.

Ex illis autem verbis: *Ecce vniuersa terra coram te est*, Apparere Caietanus existimat, terram illam quamuis possessam ab illis populis, parum tamen fuisse habitatam: quinimo nec eos quidem tantum habuisse pecoris, vt ad eius pastum vniuerso agro, cuius erant domini, opus illis esset. Nisi enim illi parati & prompti fuissent ad locandum agrum, non dixisset Abram: *Ecce vniuersa terra coram te est.* Sequitur, *Recede à me, obsecro.* Non rogat Abram vt Lot relinquat ipsi locum illum, & ipse recedat in alium locum: tum quia liberam ei obtulit electionem cuiuslibet loci; ergo si Lot voluisset illic manere, Abram ex eo loco recessisset: tum etiam quia vere Abram inde discessit, & profectus est in vrbem Hebron, vt extremis verbis huius capitis tradit Moses. Illud igitur: *Recede à me*, idem significat atque, separare à me: optabat enim Abram vt diuersa petentes loca seorsim habitarent.

Caietanus.

Pro illo: *Si tu ad dexteram ieris, ego ad sinistram ibo*, Chaldæus vertit, 12
ad Aquilonem & ad Austrum: si tu, inquit, ad Aquilonem ieris, ego ad Austrum ibo: si tu perrexeris ad Austrum, ego pergã ad Aquilonem.

Ex

Ex quo significatur, Abrã & Lot in eo situ, in quo tunc erant, habuisse ad dexteram Aquilonem, & ad sinistram Austrũ. Sed enim pro varietate situs, in quo tunc fuisse eos cogitari potest, varie item designare in illis oportet dextrum & sinistrum. Nam si cõuersi erant ad Orientem, habebant ad dexteram Austrum, Aquilonem vero ad sinistram: quod sane contra euenisset, si fuissent illi ad occasum conuersi. Quod si spectassent illi ad Austrum, habuissent ad sinistram Orientem, occasum vero ad dextram: Sin autem respexissent ad Aquilonem, contra accidisset. Cæterum illud, dextrum & sinistrum, duas res denotant, tũ diuersitatem situs, vel potius oppositionem; tum etiam vicinitatem, & facilitatem se inuicem cum opus fuerit iuuandi. Etenim manus dextra & sinistra, vt sunt inter se diuersæ, ita sunt vicinæ, & ad iuuandũ se mutuis operis promptæ. Volebat igitur Abram, vt Lot separato loco habitaret, verum non longinquo; vt facile inuicem, cum vellent visere, & si opus esset, etiam adiuuare possent; sicut factum est, vt narratur sequenti capite. Sed cur non addidit Abram, si tu antrorsum iueris, ego retrorsum ibo? poterat id sane Abram dicere; verum secutus est vulgarem loquendi consuetudinem, quæ dextrum & sinistrum vsurpat pro omnibus aliis positionum differentiis.

VERSV 10.

Eleuatis itaque Lot oculis, vidit omnẽ circa regionẽ Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur, antequã subuerteret Dominus Sodomã & Gomorrhã, sicut Paradisus Domini, & sicut Aegyptus venientibus in Segor.

INVITVS & ægre discedebat Lot à contubernio & cõuictu patrui sui Abram, vt quem loco patris habebat, & cuius consilio ac prudentia se suaque valde niti & sapienter regi sciebat: Verum ei honesta, & vtrique vtilia suadenti non potuit non morẽ gerere. Data igitur sibi facultate eligendi quamcumque vellet eis terræ partem ad habitandum, captus incredibili amœnitate eius terræ, in qua erat Pentapolis, eam potissimum elegit. Describitur autem hoc loco amœnitas eius terræ, vt intelligatur causa cur eam præ cęteris elegerit Lot: deinde vt appareat quanta fuerit commutatio eius terræ propter incolarum scelera, & DEI vindictam; quippe quæ cũ esset velut paradisus DEI, cõmutata est in terram non solum inhabitabilem, verum pestilentem, & in quandam tartareæ habitationis imaginẽ. Hoc est quod Dauid cecinit Psalmo 106. *Terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea.*

13 *Eleuatis oculis Lot, vidit omnem circa regionem Iordanis.* Erat igitur Lot in eo loco, qui & vicinus esset illi regioni Iordanis; & tali situ, vt ex eo

facile tota illa regio circumspici posset. Illud: *Omnẽ circa regionẽ Iordanis* non significat omnem regionem quæ erat circa Iordanem, sed regionem Iordanis, quæ erat circa locũ, in quo tunc Lot erat cum Abrã, id est, planitiem, siue vallem illam, in qua erat Pentapolis. Nam cũ Iordanis longissimo tractu decurrat à Libano vsque ad Mare Mortuum; nullo ex loco potuisset Lot omnem regionem adiacentem, vel circũiacentem Iordani oculis cernere.

Quæ vniuersa irragabatur. Vallis illa, siue planities in qua erat Pentapolis, à Iordane irrigabatur vsquequaque: vnde ingẽs ei terræ amœnitas & fertilitas accidebat: hęc enim duo bona ex abundãti & cõmoda irrigatione fluminum terris contingunt; & quidem certiora quàm ex imbribus. Maxime vero id præstabat Iordanis, fluuius nempe miræ amœnitatis, & quascumque terras perluit fœcundantis. Testis est Plinius: Iordanis, inquit, oritur à fonte Paneade, qui cognomen dedit Cæsareæ: amnis amœnus, & quatenus locorum situs patitur, ambitiosus, accolisque se præbens: velut inuitus Asphaltiten lacum dirum natura petit, à quo postremo ebibitur, aquasque laudatas perdit pestilentibus mixtus. Testis etiam est Solinus similia scribens, scilicet, vt fere solet, ex Plinio mutuatus; Iordanis, inquit, amnis eximiæ suauitatis, Paneade fonte demissus, regiones præterfluit amœnissimas; mox in Asphaltiten lacum mersus, stagno corrumpitur.

Plinius lib. 5. cap. 15.

Solinus cap. 38.

Antequam subuerteret Dominus Sodomam & Gomorrham. Hoc addidit Moses, quia quo tẽpore hunc ille librum scripsit, longe diuersa, immo plane contraria erat facies & natura illius regionis; scilicet omnis illa amœnitas & fertilitas in maiorem multo sterilitatem atque inamœnitatem commutata fuerat. Itaque factus est hic locus ob pestilentẽ eius vim prorsus inhabitabilis, longeque fugiendus: tam atroci supplicio scelesta illa gens diuinitus punita est. Moses igitur his verbis significat terram illam non fuisse talem ab initio, qualis suo tẽpore cernebatur. Ab eo tempore quo Lot habitare cœpit in terra Sodomorum, vsque ad euersionem eius regionis, præteriere anni circiter viginti. Namque vindicta illius regionis facta est vno fere anno ante ortum Isaac, id est, anno ætatis Abram nonagesimo nono, vt patet ex historia Mosis Genes. 18. & 19. Hæc autem electio Lot facta est quatuor circiter annis post aduentum eius cum Abram in terram Chanaan; quo tẽpore fuisse Abram septuaginta quinque annorum, supra capite. 12. proditũ est. Verum quærat aliquis, cur Moses nominet tantùm subuersionem Sodomæ & Gomorrhæ, cum etiam aliæ duæ ciuitates, Adama & Seboim similiter subuersæ fuerint? An quia duæ illæ ciuitates maiores, opulentiores, & celebriores erant, & illius regionis principes? An potius quod flagitiis insigniores essent, & ob eas præcipuæ illius regionis excidiũ contigerit? Certe etiam infra cap. 18. & 19. hæ tantum duæ ciuitates memorantur, cum & peccatum illarum gentiũ, & regionis illius excidium describitur. Solinus quoque cap. 38. Sodomę tantum & Gomorrhæ meminit, ita scribens: Longo ab Ierosolymis recessu tristis sinus

14

Solinus.

panditur

panditur, quem de cœlo tactum testatur humus nigra, & in cinerẽ soluta. Duo ibi oppida, Sodomum nominatum alterum, Alterũ Gomorrhum. Sic ille. Quanquam existimare licet, in illa Pentapoli principatũ & potentiæ & improbitatis tenuisse gentem Sodomorum, quòd eius duntaxat solius nonnunquam mentionem faciat scriptura, cũ de peccato illius regionis cõmuni meminit, vt Matthæi 10. & Ezechielis 16. & ab ea sola gente nomen Sodomiticum nefando vitio inditum est.

15 *Sicut paradisus Domini.* Vocabulum Paradisi hoc loco potest accipi duobus modis. Primo enim potest significari à Mose præcipue ac proprie paradisus ille in Exordio Mundi conditus à DEO; in quo Adam collocatus est, verum ex eo propter inobedientiam breui eiectus. Et quamuis hunc paradisum, nec Hebræi, quibus hunc librũ scripsit Moses, nec vllus mortalium viderit præter Adam & Euam; ex his tamen quæ supra Moses de eo scripserat, aliquam eius notitiam habere poterant Hebræi, & ex illo intelligere quanta esset illius regionis Sodomorum quæ à Iordane irrigabatur, amœnitas, vt quæ cum paradiso illo comparari posset. Comparatio autẽ in eo est, quod vterque erat locus pereximiæ voluptatis, & irrigabatur flumine; alter quidem quadrigemino fluuio, alter verò à Iordane. Atque hoc quidem modo S. Augustinus intellexit quod hic de Paradiso dicitur. Quin etiam ex hoc loco argumentatur ipse, Paradisum in quo fuit Adam, locum fuisse corporatum & terrestrem: nam si aliter fuisset, non recte Moses terram Sodomorum cum eo comparasset. Augustini verba sic habẽt: Quod terra Sodomorũ comparatur Paradiso DEI, satis, vt opinor, ostenditur quomodo intelligi debeat ille Paradisus, quẽ plantauit DEVS, & vbi constituit Adam. Quis enim alius intelligatur Paradisus DEI, non video. Et vtique si arbores fructiferæ in Paradiso, virtutes animi accipiendæ essent, sicut nonnulli existimãt, nullo corporali in terra Paradiso veris lignorum generibus instituto; non vere diceretur de ista terra, *Sicut Paradisus* DEI. Sic Augustinus. Vocatur autem Paradisus Domini, quod non ab homine neç ab alio vllo, nisi à solo DEO in mundi exordio conditus fuerit. Altero modo potest hic accipi nomen Paradisi vniuersę, vt significet quemlibet hortum amœnissimum & delicatissimum, plenumque voluptatis ad oblectandum hominem. Sic accipitur id nomen in libro Ecclesiastæ cap. 2. vbi dicitur; *Feci mihi hortos & pomaria*; nam pro illa voce, *pomaria*, septuaginta interpretes verterũt Paradisos. Verum de vocabulo Paradisi, si plura scire auet Lector, videat quæ nos scripsimus in primo Tomo Commentariorum nostrorum in Genesim in exordio tertij libri. Vocatur autem Paradisus, locus non mediocris cuiusdam amœnitatis, sed singularis, eximiæ, ac raræ.

Vocabulum Paradisi.

Genes. 2.

Augustinus. 27. quæst. hone in Genesim.

16 *Et sicut Aegyptus venientibus in Segor.* Dupliciter hæc verba distingui & ordinari possunt: vnde duplex quoque eorum verborum existit interpretatio. Primo enim legi possunt hæc verba & intelligi ita vt posita sunt, & vt reddant hunc sensum; regionem illam Iordanis fuisse tali amœnitate ac fertilitate propter irrigationẽ Iordanis, qualis erat

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aegyptus ex ea parte,qua ibatur ex Aegypto in vrbem Segor: & hanc lectionem atque interpretationem plerique sequuntur. Verum illud obstat, quod cum inter Aegyptum & vrbem Segor multæ aliæ vrbes & loca Palæstinæ interiecta essent,non recte diceretur, *Sicut Aegyptus venientibus in Segor*,sed potius in ea loca viciniora Aegypto. Nec facile ostendi posset,Aegiptum,qua spectabat vrbẽ Segor, fuisse magis irriguam & amœnam,quã qua respiciebat vrbẽ Bersabee, vel aliã quampiam Palæstinæ vrbem, ex his quæ viciniores erant Aegypto. Altero modo verba illa,*Sicut Aegyptus venientibus in Segor*,sic distingui debẽt, vt illud,*Venientibus in Segor*,non iungatur cum illo,*sicut Aegyptus*, sed cum illo,*quæ vniuersa irrigabatur*:vt recta distinctio & ordinatio totius sententiæ ac verborum Mosis hæc sit: Vidit Lot omnem circa regionem Iordanis, quæ venientibus in Segor vniuersa irrigabatur ex Iordane,sicut Paradisus Domini,& sicut Aegyptus irrigatur & fœcundatur.Sensus igitur est:vniuersam regionem illam, in qua erat Pentapolis,maxime vero eam partem ipsius,quæ erat inter locum vbi tũc erãt Abram & Lot, & inter vrbem Segor;sic fuisse irriguã aquis Iordanis, vt est Aegyptus aquis Nili.Itaque cogitandum est, terram illam inter locum Abram & Lot,& inter vrbem Segor interiectam,habuisse vberiorem & commodiorem irrigationem ex Iordane:videlicet multifariam,hominum arte & industria,factis alueolis & canalibus, per quos aqua ex Iordane abundanter & ad quemlibet hortorum vsum accõmodate deriuaretur.Hæc lectio admodum probabilis est, nihil scilicet habens difficultatis vel ad intelligendum,vel ad credendum quod in ea continetur.Hanc lectionem secutus est B. Augustinus; eamque solã probat Caietanus,tacita prorsus altera lectione:sic enim ille scribit explanans hæc ipsa verba Mosis:Ordo,inquit, literæ est: quæ vniuersa irrigabatur venientibus in Segor, sicut paradisus Domini, & sicut Aegyptus, antequam DEVS subuerteret Sodomam & Gomorrham. Describitur enim regionis illius irrigatio tripliciter:tum à tempore,ante subuersionem Sodomæ;tum à situ, veniendo in Segor;tum à similitudine paradisi terrestris quem supra dixerat Moses fuisse irrigatum fluuio:tum Aegypti,quam Hebræi,quibus hunc librum scripsit Moses dum essent in seruitute Aegyptiaca,irrigari à Nilo viderant.

Augustinus quæst. 27. in Genesim.

Caietanus in cap. 13. Genesis.

SECVNDA DISPVTATIO

De Iordane fluuio in sacris literis celebratissimo.

Cõmendatio Iordanis fluuij.

17 IORDANIS fluuius,non Palæstinæ solum, sed cunctorũ etiam terræ fluminum præstantissimus haberi debet.Nam etsi compluribus aliis aquarum copia, & cursus longitudine concedit; omnibus tamen propter multa in eo confecta & patrata diuinæ virtutis mysteria & miracula, dignitate

gnitate ac veneratione præferẽdus est.Hunc enim siccis vestigiis Hebræi transierunt, vtrinque mirabiliter diuisis atque consistentibus aquis.Per hunc aquis pallio percussis Helias & Heliseus pedestre sibi iter aperuerunt.In hoc Nahaman Syrus septies lotus, à lepra purgatus est.Et præcursor Domini Ioannes confluentes ad se Iudæos, suaque peccata confitentes,baptismo pœnitentiæ in fide eius qui venturus erat,baptizauit.Verum,quod super omnia Iordanem decorauit ac nobilitauit, IESVS CHRISTVS DEI filius & Saluator mundi à Ioanne in eo flumine baptizatus, fluenta eius contactu mundissimæ carnis suæ sanctificauit,atque omnibus aquis vim regenerandi hominem spiritualiter per Baptismi sacramentum impertiuit. Quoniã igitur hoc primum loco diuina scriptura non modo Iordanem nominat, verum ita laudat,vt terris quas irrigabat,similem paradiso DEI amœnitatem tribuisse dicat:consentaneum instituto nostro, gratũque Lectori fore duximus,si pauca de eo in præsentia dicamus,quæ huic loco atque aliis permultis, vbi de eo scriptura meminit,lucem aliquam afferre possint.Dicemus igitur breuiter primo de eius fluminis ortu; tũ de processu & cursu,nominatis etiam insignioribus locis atque vrbibus,quas ille præterlabens mire ornat & fœcundat;postremò de eius occasu ac fine.

Iosue 4.
4. Reg. 2.
Infra ca. 5.
Matth. 3.
Act. 13.
Matth. 3.

18 IORDANIS fluuius in Libani radicibus oriri videtur; & quidem fonte gemino,dextro Dan,sinistro Ior. Atque ita ex iunctis istorũ nominibus,sicut ex confluentibus duorum illorum fontiũ aquis, fit Iordanis.Quanquam Talmudici vocabulum Iordanis ita exponunt,quasi dicas,Descendens ex Dan.Nam oppidum Dan, quod antiquitus Lais & Lesem dicebatur,apud Panium extabat,hoc est, præcipuum Iordanis fontem,à quo scilicet primam Iordanis originem arcessunt Plinius & Solinus.At enim Iosephus ex ipsa Trachonitide primum Iordanis ortum repetit è lacu quodam rotundo,quem Phialam vocant à figura: inde enim terra conditas aquas ad Panium antrũ prope Dan, hoc est, Philippi Cæsaream ferri ait,atque illic demum per scatebras erumpere in lucem.Cui rei fidem facit ipsa etiã eius lacus appellatio:aiunt enim vulgo vocari,Maiedan; hoc autem est,ac si dicas, aquas Dan. Verum ad huius sententiæ confirmationem, & illustrationẽ ipsa Iosephi verba hic ponere conuenit.Sic autem ille scribit:Iordanis fons, Panium esse videtur:sed reuera huc ille terra conditus fertur ex ea quæ vocatur Phiale.Hæc autem est qua in Trachonitidem ascenditur ad centesimũ vigesimum stadium à Cæsarea,ad dexteram non longe à via. Et proprie quidem ex rotunditate Phiala dicitur lacus rotæ speciem præferens: semper autem intra eius labra cohibetur vnda, nunquam deficiens,vel exuberans. Cumque diu ignoratum fuisset hoc esse Iordanis principium, à Tetrarcha quondam Trachonitidis Philippo deprehẽsum est.Is namque missis in Phialam paleis,inuenit eas apud Panium redditas, vnde antea fluuius nasci credebatur. Sic Iosephus. Atque pauca hæc dixisse de Iordanis origine,satis instituto nostro fuerit.

Origo Iordanis.

Plin. l. 5 c. 15.
Solin. ca. 38.

Iosephus li. 3. de Bello Iudaico ca. 18.

Phiala Lacus.

Progressus & cursus Iordanis.

Iosephus eodē loco.

19 DEINCEPS de spatio quod Iordanis cōficit ab exortu suo vsque ad Occasum, simili breuitate dicendū est. Iosephus paucis verbis id perstrinxit. Nam post ea verba quę modo ex ipso produxi, subdit hęc: Manifestū iam flumē Iordanis ex illo antro, quod Paniū diximus, incipiens, Semechonitis lacus paludes secat cœnosas: centū autē & viginti aliis pręteritis stadiis, post oppidū Iuliadę Genesar lacū mediū transmensus, deinde multā per solitudinē in Asphaltiten lacum exit. Hęc de spatio cursus Iordanis, nimis generatim & cōcise Iosephus. Nec in eo copiosor est Hieronymus, quippe qui hæc solū tradit: Iordanis fluuius diuidit Iudæā, Arabiam & Aulonē, de quo supra diximus: qui vsque ad mare mortuum fluens, post multos circuitus, iuxta Hiericho, Mortuo cōmixtus mari nomen amittit. Verum, quia quæ paulo supra idē Hieronymus prodiderat de Aulone, ea non parū faciunt ad expressiorem huius rei notitiā, hic ea referre cōuenit.

Hieron. de locis Hebraicis.

Aulō Vallis longissima, quā perfluit Iordanis.

Aulon, inquit B. Hieronymus, non Græcum, vt quidam putant, sed Hebræum vocabulum est. Apellatur enim eo nomine Vallis grandis atque cāpestris in immensam porrecta longitudinē: quæ circumdatur ex vtraque parte montibus sibi iuuicē succedentibus & cohærentibus, qui incipientes à Libano & vltra, vsque ad desertum Pharan perueniunt. Suntque in ipso Aulone, id est, in illa valle campestri, vrbes nobiles, Scythopolis, Tyberias, stagnūque propter eam: sed & Hiericho, & mare Mortuū, & regiones in circuitu: per quæ loca medius fluit Iordanis oriens de fontibus Paneadis, & in Mare mortuum introiens. Hactenus ex Hieronymo.

20 At enimuero vtilius fuerit & gratius Lectori, si de meatu cursuque Iordanis, locisque nobilioribus arq; vrbibus quas ille præterfluit, paulo subtilius & enucleatius ac distinctius differamus. Iordanis igitur, vbi ex Paneade ad millia passuū circiter quindecim profluxit ad Austrum versus, diffunditur in locum palustrem, quē Samechonitin Iosephus appellauit. Illic autē ita restagnat, præsertim quo tempore niues in vicinis montibus soluuntur, vt instar paludis esse videatur. Sed hoc stagnum, crescente æstatis calore, prope vniuersum siccatur; & densa fruticum materie obsitum, feras nutrit atque occultat. Hūc locum palustrem quidā putant esse locum illum quē scriptura nominat, Aquas Merō: de quo scilicet in libro Iosue capite 11. mentio fit illis verbis:

Samechonitis Lacus.

Locus Iosuē cap. 11.

Venit Iosue & omnis exercitus eius cum eo aduersus illos ad aquas Merō subito: & irruerunt super eos, tradiditque eos Dominus in manus Israel. Qui percusserunt eos, & persecuti sunt vsque ad Sidonem magnā, & aquas Maserephoth, campumque Masphe, qui est ad Orientalem illius plagam.

Vbi nā loci fuerint Aquę Merom.

21 QVANQVAM quidnam fuerint istæ aquæ Merom, & vbi nā loci in regione illa fuerint, nō satis cōuenire inter auctores video. Iosephus Merothū (sic enim legi debet; non autem Berothum, vt in quibusdam codicibus Latinis mendose legitur) vbi exercitus Iosue coitio facta est, superioris Galilææ oppidum facit, significans nempe, Aquas Merom vrbē esse, non lacū. At B. Hieronymus, vel potius Eusebius interprete Hieronymo, in libello de locis Hebraicis existimat, Aquas Meró non procul

Eusebius & Hieronymus.

procul à Dothaim abfuisse, hoc est, millibus passuum duodecim à Samaria ad Aquilonem versus: quod illic etiā sua ætate vicus extaret nomine Merus. Hoc etiam fortasse secutus Ziglerus, paludem Merū vicinam locat vrbi Bethsam, non vltra tria passuum millia abesse ab ea significans. Andræas Masius ex eorum locorū consideratione, ad quæ refugientes hostes, Hebræi duce Iosue insecuti sunt, ad opinandū adducitur, aquas Merom aut in ipsa superiori Galilæa fuisse, aut certe ei regioni proximas.

Ziglerus. Andræas Masius in cap. 11. Iosue versu 8. & 9.

22 Ego libenter assentior iis qui aquas Merom arbitrantur esse lacum Samochoniten, de quo proxime dictum est, medium inter Panium & mare Tyberiadis, stagnantis Iordanis, & niualium aquarum concursu factum. Atque id quidem (vt alios taceam) Borchardus prodidit; vir sane ob decennalem peregrinationem in perlustranda & cognoscenda Terra Sancta consumptā, dignus vt ei de locis illis prodenti credatur. Sic autem ille, & qui eum sequuntur Aquas Merom describunt: Lacum esse triginta stadiis latum, & sexaginta longum: hunc inter Cæsaream Philippi & mare Galilææ interiectum esse, quē Iordanis fluuius medium perfluit. Hic niuium in Libano monte resolutarum defluxu, maiorem in modum augescit ac dilatatur: contra vero, æstiuo tempore maxima ex parte siccatur. Ex quo fit, vt eo tēpore diuersi generis herbis, arbustis, & arboribus enascentibus, & in densæ modum siluæ crescentibus; leonibus, vrsis, pardis, aliisque feris locus ille abundet, & iucundam regibus ac principibus venationem exhibeat.

Auctoris sētentia.

Borchardus de terra sancta 1 par. ca. 3. Numer. 5.

23 Iordanis porro, lacum quem diximus transgressus, & oppido Aroseth gentium à dextris relicto, cursumque suū ad Orientē deflectens, & aquis in eum defluentibus obiter auctus, centum viginti aliis præteritis stadiis, inter Capharnaum & Corozain nobiles Galilææ ciuitates, quas aquis suis alluit & ditat, in mare Galilææ, seu lacum Genezareth, latum quadraginta stadiis auctore Iosepho, longum vero centū, seipsum late diffundit. Hoc mare medium cur permeauit, & ab Occidente, torrentis Cisson, ab Oriente autem fluuii Iacob, historia Iacob nobilis, vberrimis auctus aquis, exinde Iordanis maior vulgo appellatur. tum Percæam à Samaria, & Moabitidem à Iudæa disterminans, conuallem illustrem à lacu Genezareth ad Asphaltiten vsque ducentis triginta stadiis porrectam longitudine, vt Iosephus significat, secat mediam. Varias quoque in transcursu tum vrbes, tum pagos, & à Solis ortu campestria Moab, ab occasu autem palmiferos Hierichuntis agros suis fluentis irrigando fœcundat. Denique, præter minores aliquot fontes Dibon, Iezrael, Taphne, Carith & Elizæi fontium atque torrentium, nec non & Iazer, & Arnon fluminum receptis aquis, post multos circuitus ac sinuosos flexus, iuxta Arnonis ostium, in Asphaltiten lacum, seu Mare mortuum natura dirum ac pestilentem, velut inuitus delabitur, cui mixtus, & dulcedinem aquarum, & cursum, & nomen suum amittit. Et si forte pisces, quibus abundat Iordanis, illuc aquarum impetu delati fuerint, vt gustauere pestilentem aquam, statim

Iosephus libro 3. de Bello Iudaico cap. 18.

Ioseph. li. 5. de Bello Iudaico. ca. 4.

aut

Hieron. in ca. 47. Ezechielis.

aut renatant, aut inibi moriuntur, vt à B. Hieronymo aliisque proditum est. Omne autem spatium cursus Iordanis à Libano vsque ad Asphaltiten, centum circiter passuum millibus definitur: & in toto eo decursu vtrinque latis, amœnis, & fertilibus cãpis, qui altissimis vtrinque montibus sibi inuicem succedentibus atque cohærentibus circumdati sunt, vt supra diximus, vndique cingitur. Verum de spatio terrarum quod Iordanis conficit, plura nunc persequi pro ratione instituti nostri, superuacaneum fuerit.

Iordanis occasus, & finis.

RESTAT vt nonnihil etiam de Iordanis exitu ac fine attingamus. 24
Miror fuisse aliquos vel tanta inscitia, vel tam impudenti audacia, vt scripto prodere non erubuerint, Iordanẽ laudatissimas suas aquas cum fœtidissimis aquis lacus Asphaltitis nequaquam commiscere: sed ante sub terram se condere, quasi tam diram coniunctionem confusionemque auersatum. Atqui omnes historici, Iudæi, Christiani, Ethnici, quotquot scilicet de Iordane & Asphaltite lacu scripserunt, summo consensu, maximaque asseueratione tradunt Iordanem intrare Asphaltiten, ibique & suauitatem aquarum suarum, & cursum, & nomen perdere. Sed quid ego aduersus istos humanis vtor testimoniis, cum diuina scriptura istis manifeste contradicat? Namque in libro Iosue capite tertio narrans quemadmodum Iordanem, aquis eius vtrinque diuisis, Hebræi siccis vestigiis transierint, ait; superiores Iordanis aquas intumescentes instar montis steterisse; inferiores vero defluxisse in Mare mortuum (quo nempe antea naturali cursu ferebantur) donec omnino deficerent. Hæc sunt verba scripturæ: *Ingressis sacerdotibus Iordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis, steterunt aquæ descendentes in loco vno, & ad instar montis intumescentes apparebant: quæ autem inferiores erant, in Mare solitudinis (quod nunc vocatur Mortuum) descenderunt, vsquequo omnino deficerent.* Ergo rem omnium scriptorum testimonio comprobatam, & diuinæ scripturæ firmatam auctoritate, multorumque oculis spectatam, & liquido perspectam, vel negare, vel in dubium vocare, non tam imperiti hominis esse videtur, quam desipientis & insani.

An Iordanis cõdat se sub terrã, prius quã attingat Mare mortuum.

An vero Iordanis ex Mari mortuo emergat, & aliquanto post spatio 25
in terrã abditus, subterraneo meatu in Elaniticum Rubri maris sinum penetret; non æque atque illud superius, perspicuũ & certum est. Namque, vt quibusdam visum est, Iordanis Asphaltiten lacum longitudine quingentorum & octoginta stadiorum, latitudine autẽ centum quinquaginta patentem, vt tradit Iosephus, præterlapsus, breuique spatio egressus, in horrenda quadam terræ voragine atque abysso absorbetur. Certe Iordanem non manifesto cursu ex Asphaltite lacu pertendere vsque in Mare rubrum, illud argumento esse potest, quod eum Hebræi cum ex Cades versus torrentem Iared contendentes, inter Elaniticum Sinum & Asphaltiten iter facerent, nusquam transiuisse memorantur. Quod autem Iordanis ex Asphaltite non egrediatur, & aliquanto post spatio condatur sub terram, sed in ipso illo lacu prorsus fluere desinat, & occidat; tradunt, præter Plinium, Solinum, aliosque quamplurimos,

An Iordanis transmeet Mare mortuum, & ex eo, aperto meatu effluat.

Iosephus lib. 5. de Bello Iudaico cap. 5.

Iosephus,

Iosephus, Eusebius, Sanctus Hieronymus, Borchardus, & complures alii, non solum graues eius rei scriptores, sed etiam in re præsenti curiosi spectatores atque contemplatores. Omnino, cum lacus ille, vndique ripis suis circumscriptus & determinatus sit, nulla eius ex parte manifestus aliquis Iordanis effluxus apparet.

26 Cæterum ante subuersionem Sodomę & Gomorrhæ, quo tempore nullus illic loci erat lacus; sed erat vallis amœnissima quam Iordanis irrigabat, vt narrat hoc loco Moses: necesse fuit Iordanem, id temporis, vel aperto tendentem supra terram cursu, vel in terrã abditum, occulto meatu in mare deferri. Postquam autem planities illa, vbi erat Pentapolis; conuersa est in Mare mortuum; cum Iordanis in illud mare influat, nec ex eo manifesto aliquo exitu effluat; fieri non potest, quin intra ipsum mare aliqua ex parte clandestinum habeat effluxum: quippe cum lacus ille receptis perpetuo Iordanis aquis, nihilo magis exuberet ac supereffluat. Itaque fit admodum credibile, in illius regionis deflagratione atque excidio, terram ingenti aliquo hiatu desedisse: atque illic absorptum Iordanem, inuento sibi subterraneo itinere, cursum ad Mare vel Rubrum, vel Mediterraneum direxisse.

Elegitque sibi Lot regionem circa Iordanem, & recessit ab Oriente: diuisique sunt alterutrum. Abram habitauit in terra Chanaan: Lot vero moratus est in oppidis, quæ erant circa Iordanem, & habitauit in Sodomis.

VERSVII. & 12.

27 QVID in electione illius terræ Lot spectauerit ac secutus fuerit, minime obscurum est: amœnitate nimirum & fertilitate illius regionis allectatus & captus est. Sed fefellit eum opinio & spes eius, vehemẽterque deceptus est. Nam vnde omnia sibi prospera ac læta fore sperauerat, inde multa ipsi aduersa & acerba contigerunt. Omnino, si prudenter rem ipsam perpendisset, timere debuisset vastitatem & excidium illius regionis, tum à regibus externis, aduersus quos reges illius Pentapoleos rebellauerant: tum ab ipso DEO iustissimo scelerum vindice, tam enormem illius gentis improbitatem minime impunitam relicturo: talia enim & tanta eius gentis erant flagitia, vt diuina eorum vindicta nequaquam diutius posse differri videretur. Itaque Lot grauissimas improuidæ electionis suæ pœnas persoluit. Etenim debellatis illius terræ regibus, in captiuitatem ipse ductus est; eaque per Abram liberatus habitauit apud eos, qui, vt scribit B. Petrus, de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. Denique ruina illius gentis etiam ipse fuisset oppressus; nisi eum DEVS, etiam cunctantem, ac restitantem, ex ipso incendio quasi manu extraxisset. Illud, *recessit ab Oriente*, nonnihil habet du-

Gen. 19.
2. Petri capit. 2.

bitationis: quomodo enim Lot proficiscens in terram Sodomorum, vere dicitur recessisse ab Oriente, cum potius iuisse ad Orientem dicendus fuisse videatur? Siquidem terra Sodomorum, vbi postea fuit Mare mortuum, ad Orientem terræ Promissionis sita fuit, & terminus orientalis eius terræ in sacris literis statuitur. Verũ hoc facile soluitur. Namque oportet intelligere, etsi terra Sodomorum fuerit Orientalis respectu Palæstinæ, fuisse tamen magis orientalem, quàm illa terra erat, eum locum in quo proxime ante fuerant Lot & Abram, & ex quo discessit Lot à patruo suo Abram dissociatus atque disiunctus.

28 *Diuisique sunt alteratrum à fratre suo.* Hæc verba sic interpretanda sunt alter ab altero diuisus & separatus est: & quia ambo erant inter se fratres, vt supra exposuimus, ex tali diuisione factum est vt frater diuideretur à fratre, id est, Abram separatus est à Lot fratre suo, & item Lot disiunctus est à fratre suo Abram. Quod autẽ additur, *Abram habitauit in terra Chanaan*, putat Caietanus posse intelligi de vniuersa terra Chanaan, quæ à filiis Chanaan filii Cham possessa est, & deinde semini Abram à DEO promissa. Videtur enim Moses, cum supra capite decimo dixit terminum habitationis filiorum Chanaan fuisse terram in qua erat Pentapolis, videtur, inquam, ponere terram illam extra habitationem filiorũ Chanaan. Sed falsus profecto est Caietanus. Clarissimum enim est in sacris literis, terram illam Pentapolitanam fuisse partem orientalem terræ Chanaan, prout ea comprehendit vniuersam terram Promissionis: & vt pertinens ad promissionem terrę Hebręis promissæ ab ipsis oppugnata & capta est. Ergo Pentapolis statuitur à Mose supra cap. 10. terminus habitationis filiorum Chanaan, non quidem terminus externus, & extra illam habitationem positus, sed terminus internus, & ad ipsam illam habitationem pertinens. Terra igitur Chanaan, in qua post digressum Lot habitasse dicitur Abram, fuit pars quædam terræ Promissionis, tum iuxta mare Mediterraneum, tum circa fluenta Iordanis posita; in qua gẽs Chananæorum habitabat, vna de septem gentibus à quibus vniuersa illa regio tenebatur. Verum quia de istis Chananæis etiam supra dictum est, non attinet hic plura dicere. Quoniam autem paulo infra dicitur, Abram, post discessum Lot, iuisse in conuallem Mambre iuxta Hebron, apparet id non esse factum statim post abscessum Lot, cum hic dicatur Abram iam digresso Lot habitasse in terra Chanaan: nam Hebron non à gente illa Chananæorum, sed ab Hethæorum gente tenebatur, vt significatur infra Genes. 23. quo quidem loco dicitur Hebron fuisse in terra Chanaan, sed ibi vocabulum Chanaan non proprie pro vna illa gente Chananæorum ponitur, sed vniuerse pro tota terra Chanaan. Nisi quis forte dicat, Hebron pertinuisse ad possessionem gentis Chananæorum, quæ habitabat iuxta mare Mediterraneum: nam vt proxime dictum est, & traditur Numerorum 13. Chananæa gens partim iuxta mare Mediterraneum, partim circa fluenta Iordanis habitabat.

Caietanus.

Illa porro disiunctio Abram & Lot, non ex aliqua simultate, vel animorum

morum alienatione profecta est; sed ex amore pacis & cõcordiæ, atque odio contentionum & dissensionum: quo scilicet iam nascenti inter eorum seruos iurgiorum & rixarum malo quamprimum occurreretur. Lot, inquit Augustinus, à patruo suo Abram in terram Sodomorũ, salua caritate, discessit: digressique sunt inuicem, & separatim habitarũt, necessitate sustentandæ familiæ, non fœditate discordię. Etenim cum causa vel occasio rixarum fere oriretur ex aquarũ & pascuorum penuria, quod numerosissimis vtriusque gregibus nõ satis vno in loco illa suppeterent: facta eorum discessione, distantibus in locis habitantes, vberiorem eatum rerum expeditioremque copiam habere potuerunt.

Augustinus de Ciuitat. Dei lib. 16. cap. 20. & 21.

29 DEVS porro, qui seruorum suorum mentes, consilia, actionesque ad eas sæpe res perficiendas refert ac dirigit, quæ tunc illis nec prouisæ nec cogitatæ sunt, nedum propositæ ac quæsitæ: illam dissociationem & separationem Lot & Abram, ob quinque causas, quas tunc illi non spectabant, fieri voluit. Prima causa: vt & Chananęi veritatis doctorem, & virtutis magistrum haberent Abram, Sodomitæ vero ipsum Lot: qui eas gentes tum à multiplici impietate, tum à fœdissimis flagitiis, docendo, arguẽdo, diuinæ iustitiæ vltricem scelerum vim denuntiando reuocarent. Altera causa: vt Lot re ipsa probaret, quanti referat cũ bonis ne hominibus verseris, an cum malis; & ad vitam tranquille & feliciter degendam, non tam conferre amœnitatem, & fertilitatem terræ quam velis incolere, quàm hominum quibuscum vna sis habitaturus, probitatem atque pietatem. Non enim solum bonis omnibus, propter sceleratos Sodomitarum mores, Lot orbatus est; verum etiam in extremum capitis ac vitæ discrimen adductus, vt sequens Mosis declarat historia. Tertia causa: vt per illam separatam habitationem Abram & Lot pręsignificaretur, posteros quoque Lot separatum iri à posteris Abram, & illorum habitationem à terra quæ his promissa fuerat, disiunctam fore: siquidem hi terram Chanaan tenuerunt; illi vero Moabitidem & Ammonitidem regiones, à duobus filiis Lot Moab & Ammon appellatas. Quocirca post digressum Lot statim DEVS promisit Abræ & semini eius possessionem terræ Chanaan; quasi ea re significãs, possessionem eius terræ nulla ex parte ad posteros Lot pertinere. Quarta causa: vt ex hac discessione Abram & Lot, præclara quædam existeret occasio & idonea materies præberetur Abræ magnitudinis & cõstantiæ animi, & fortitudinis bellicæ declarandæ. Hæc enim in eo virtus mire tunc eluxit, cum liberaturus fratrem suum Lot, qui vna cum Sodomitis in captiuitatem abstractus fuerat, perexiguis copiis quatuor regum victorem exercitum fortiter adortus, felicissime debellauit; non solum potitus victoria, sed etiam discussa suorum captiuitate, & rapta ab hostibus præda omni recuperata.

Quinq; causæ ob quas Deus distinctionem Abrahæ, & Lot fieri voluit.

30 Quinta causa eiusdem rei est: vt exẽplo & argumẽto huius dissociationis Abrã & Lot, intelligeretur & crederetur, nonnunquã, etiã inter bonos & Sanctos viros, disiunctionẽ societatis, & cõtubernij atq; conuictus separationẽ; non modo sine culpa eorũ, sed etiã magna cũ pru-

Interdum etiam inter sãctissimos viros societatis diremp-

ptionē fieri, salua inter eos caritate.

dentiæ & caritatis laude posse fieri. Id vero duobus modis potest contingere; vel ipsis,qui dissociantur, de ea dissociatione pariter inter se consentientibus,& bene atque vtiliter eam fieri censentibus;talis nempe fuit dissociatio Abram & Lot:vel cum ea disiunctio fit inter aliquos, discordantibus ipsis inter se atque dissentientibus: salua quidem inter illos caritate atque animorum pace & concordia, sed discrepantibus tamen eorum studiis atque sententiis.Hoc genus discessionis ac dissensionis fuisse inter duos CHRISTI Apostolos Paulum & Barnabam, scriptis suis prodidit B.Lucas, nec id publicæ notitiæ hominum exponere, nec immortalē eius rei memoriam apud posteros facere erubuit.

Locus Actorum ca. 15.

Nam cum Barnabas socium vellet assumere Ioannem Marcum, id autem renueret ac recusaret B.Paulus, subdit Lucas:*Facta est dissensio inter illos,ita vt discederent ab inuicē:& Barnabas quidē assumpto Marco nauigaret Cyprum; Paulus autem electo Syla profectus est.* Non igitur omnis quæ fit inter bonos viros dissensio & disiunctio,vitio & crimini vertenda est.

31 *Lot vero moratus est in oppidis quæ erant circa Iordanem, & habitauit in Sodomis.*Illud de commoratione in oppidis circa Iordanem,intelligendum est quantum ad familiam & greges Lot:nam cum haberet amplam familiam pastorum,& seruorum,& item numerosos greges;ea in locis Iordani vicinis,propter aquarum & pascuorum abundantiam disposuerat;domiciliū tamen eius & habitatio erat in ipsa vrbe Sodoma.

Hebræi,vt refert hoc loco Lyranus.

Sed hanc habitationem Lot inter Sodomitas, vt bono viro dedecoram atque probrosā vehemēter Hebræi accusant atque criminantur. Aiunt enim non fuisse probi hominis consociari velle cum flagitiosissimis, Deoque exosis hominibus: sed eius fuisse qui talium hominum moribus & vitiis delectaretur. Quin etiam putant illi Sodomitarum institutis ac consuetudine Lot fuisse contaminatum ac deprauatum.Verum falsam & iniustam esse istam Hebræorum accusationem & criminationem,aperte demonstrat sacra scriptura; docet enim habitationem Lot inter Sodomitas fuisse inculpatam atque ab omni sceleris contagione puram;appellans eum aspectu & auditu iustum, quique multum ab illis vexatus & cruciatus fuerit; non ob aliam sanè causam, nisi quod à flagitiis eorum abhorreret, eorumque flagitiorū odium & detestationem non obscure ferret. Immò verò B. Gregorius conuersationem Lot cum Sodomitis vel eo nomine prædicat maxime,quod inter sceleratissimos homines habitans,innocentiam tamen ipse mentis, & corporis munditiam sancte coluerit atque custodierit. Non enim valde laudabile est,inquit Gregorius,bonum esse cum bonis;sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris culpæ est inter bonos non fuisse bonum: ita est immensi præconii etiam inter malos bonum extitisse. Quamobrem Petrus magis Lot laudibus extulit,quia bonum inter reprobos inuenit,dicens:*Et iustum Lot oppressum à nefandorū iniusta conuersatione,eripuit. Aspectu enim & auditu iustus erat: habitans apud eos qui de die in diem animā iusti iniquis operibus cruciabāt.*Qui nimirū cruciari non potuisset,nisi praua eorū hominū opera & audisset,& vidisset,& tamen

2.*Petr.*2.

B. Gregorius in Præfatione Cōmentariorum in Iob.

Locus 2.Petri cap.2.

aspectu

aspectu & auditu iustus dicitur, quia iniquorum vita, non delectando iusti aures atque oculos,sed feriendo tangebat.

Homines autem Sodomitæ pessimi erant,& peccatores coram Domino nimis. VERSVS 13.

32 PARAPHRASTES Chaldæus huius loci sententiam his verbis expressit: *Homines Sodomæ mali erant in diuitiis suis,& peccabant corporibus suis coram Domino valde.* Quorum verborum germana hæc est interpretatio:Sodomitæ affluebant diuitiis:nec tamē vel minimam eorū partem ad subleuandam pauperū egestatē conferebant;sed illis adfastum, superbiam,vitæque luxum,atque exsaturādas libidines suas abutebantur.Quin etiā nefandissimo masculæ veneris vsu corpora sua fœdabāt; ob eamque causam DEVM sibi offensissimū & iratissimum habebāt. Sed verba Mosis,si perpendantur,maiorem in modum illius gētis improbitatem exaggerant.Non enim dixit, aut quosdam, aut multos de Sodomitis fuisse flagitiosos:sed simpliciter & præcise dixit, homines Sodomitas fuisse pessimos;significans peccatum illud non fuisse paucorum,sed fuisse totius gentis commune.Et illud superlatiuum,*pessimi*, denotat magnitudinem sceleris,quod non erat mediocre,sed summum & enorme.Ac licet Hebræi careāt superlatiuis, locutio tamen Hebraica hoc loco vim & energiam habet nostri superlatiui.

33 Illud autem, *peccatores*, dupliciter accipi potest. Nam sicut nomen peccati plerūque sumitur pro ipsa culpa,interdum vero etiam pro pœna & supplicio peccati:ita nomen peccatoris plurimum ponitur in eo qui labem & maculam peccati habet; nonnunquam vero eum significat qui propter peccatum obnoxius est supplicio; prioris significationis exempla passim occurrunt in sacris literis; posterioris autem luculentum est quod in historia Regum legitur. Sunt autē verba illa Bethsabee dicta Dauidi: *Eritque cum dormierit dominus meus rex cum patribus suis,erimus ego & filius meus Salomon peccatores,*id est,tanquam rei peccati,mortis supplicio plectemur.Hoc igitur loco nomen peccatoris vtrauis significatione, aut etiam vtraque commode accipitur; vt significetur Sodomitas fuisse vitiosissimos, & ob id supplicio dignissimos coram DEO.

Peccatū & peccator significat in scriptura & culpā & pœnam.

Locus 3.Regum cap.1.

34 Magnam porro vim habet ad augendum eorum scelus, illud,*coram Domino.*Verum quia non omnibus ea phrasis nota est, & varie admodum exponitur à scriptoribus; quæ sit propria eius vis in sacris literis, breuiter indicemus.Caietanus exponens hæc ipsa verba: *Sodomitæ erāt pessimi,& peccatores coram Domino nimis:*sic ait: Carent Hebræi superlatiuis nominibus; & propterea ad significandum superlatiua, adiiciunt aduerbium valde vel nimis.Pro illo;*coram Domino,*Hebraice est nomen

Quid sit, aliquid esse tale vel tale corā DEO. Caietanus.

DEI Iehouah. Ex eo autē quod relatiue ad DEVM sub nomine Tetragrammaton dicuntur valdē mali & peccatores, significatur eos contra ius naturæ valde peccasse. Erant enim mali hominibus, & declinabant à recto naturali: vt eorum venerea contra naturam testantur. Tosthatus illud *coram Domino* dupliciter interpretatur. Potest enim significare idem atque palam & publice, sine vllo pudore, nulloque DEI hominumque respectu. Namque infra Genes. 19. narrat Moses, cum Angeli specie hominum, hospitio accepti essent à Lot, vniuersum Sodomæ vrbis populum ad eius ædes conecurrisse, sibique ab eo iuuenes illos ad nefandæ libidinis abusum exhiberi flagitasse. Atque hanc ob causam Isaias sui temporis Iudæos nimis licenter & inuerecunde peccantes, suaque flagitia publicantes assimilat Sodomitis: *Quasi Sodoma*, inquit, *peccatum suum prædicauerunt, nec absconderunt*. Vel dicuntur fuisse peccatores coram Domino, quia peccatum Sodomiticum est vnū de tribus, quæ dicuntur in sacris literis clamare ad DEVM. Vnum namque eorum est, effusio sanguinis innocentium: de Abel enim dixit DEVS Cain: *Vox sanguinis Abel fratris tui clamat ad me de terra*. Alterum est, defraudatio mercedis operariorum, de quo Iacobus Apostolus: *Ecce merces operariorum vestrorum, quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit*. Tertium est, peccatum Sodomiticum, de quo scriptum est infra: *Clamor Sodomorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis*. Quidam illud, *coram Domino*, sic exponunt: contra suam ipsorum conscientiam peccabant Sodomitæ; id est, conscientia eos de illo peccato grauiter mordebat, accusabat, condemnabat; & nihilominus illi in peccato perseuerabant. Nam quia solus humanæ conscientiæ spectator & iudex DEVS est; *homo enim videt quæ apparent, Dominus autem intuetur cor*: idcirco qui contra conscientiam suam peccat, coram DEO peccare dicitur. Vel aliter: Sodomitas illos probi & pij homines, præsertim vero Lot, DEI nomine grauissimis verbis increpabant, & terrebant, denuntiantes DEVM eorum, sceleribus vehementer offensum atque iratum, vindictā eorum, nisi resipiscerent, diutius minime dilaturum. At illi salutaria eorum monita & comminationes contemptui atque ludibrio habebant; nec reuerebantur DEI maiestatem, à quo illi ad ipsos commonendos, arguendos, & à tanto flagitio deterrendos missi fuerant.

Tosthatus.

Locus Isaiæ 3.

Triapeccata clamant ad Deum.

Genes. 4.

Iacob. 5.

Genes. 18.

1. Reg. 16.

Auctoris sententia.

Ego quoque illud, *coram Domino*, quid proprie significet hoc loco, & vbicumque legitur alibi in sacris literis, paucis, vt mea fert sententia, declarabo. Quemadmodū Hebræi solent nominibus substantiuis adiungere genitiuum nominis DEI, ad significandam excellentiā quandam eius rei, quæ declaratur nominibus illis substantiuis; dicunt enim Cedros DEI, & montes DEI, id est, altissimos: & item bellum DEI, & exercitum DEI, id est, maximum & validissimum; ita quoque nominibus quibusdam adiectiuis addunt datiuum nominis DEI, ad indicandam veritatem, perfectionem & præstantiam eius rei quæ denotatur nominibus adiectiuis: dicunt enim aliquem esse iustum DEO,

Notabilis locutio Hebraica.

DEO, robustum DEO, magnum, sanctum, mundum, perfectum DEO; significare volentes, vere, simpliciter, maxime, iustum, robustū, & sanctum. Quanquam illum datiuum, DEO, Græci & Latini, in suis ex Hebræo sacrorum Bibliorum trāslationibus, ita reddūt, *coram* DEO, *apud* DEVM, *in conspectu* DEI, *in oculis* DEI. Nam cum DEVS perfectissime cognoscat res omnes, & vt ipsæ sunt, ita de ipsis sentiat & iudicet: idcirco cum aliquid dicitur esse tale coram DEO, significatur esse id vere & simpliciter & maxime tale. Supra, Genes. 10. dictus est Nemrod robustus venator coram Domino: apud Ioñam capite primo Hebraice Niniue dicitur fuisse ciuitas magna DEO, siue coram DEO: Lucas scribit Zachariam & Elisabeth fuisse iustos ante DEVM, & Ioannem fore magnum coram Domino. Ergo cum hic dicitur Hebraice Sodomitas fuisse peccatores DEO, id est, vt verterunt 70. Interpretes, in conspectu DEI, vel vt habet Latina translatio, coram Domino; non aliud significatur, nisi eos fuisse vere ac simpliciter maximos peccatores. Nam licet DEVS omnia peccata oderit ac detestetur, hoc tamen genus flagitij quàm auersetur & execretur, atrox eius vindicta in Sodomitis, & in Gabaonitis, atque Beniamitis aperte demonstrat.

Luc. 1.

Genes. 19.

Iudic. 20.

36 CVM igitur Hebraice sit hoc loco, Sodomitas fuisse peccatores DEO, vt exposuimus: non possum equidem non valde mirari, cur B. Hieronymus reprehenderit LXX. Interpretes, quod hunc locum ita verterint: *Erant peccatores in conspectu* DEI *vehemēter*. Superfluc, inquit Hieronymus, à 70. Interpretibus additum est illud *in conspectu* DEI. Siquidem Sodomorum coloni etiam apud homines mali & peccatores erant: Ille autem dicitur in conspectu DEI peccator, qui potest apud homines iustus videri: vnde in præconio Zachariæ & Elisabeth ponitur quod fuerint iusti ambo in conspectu DEI. Et in psalmo 142. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*. Sic Hieronymus. Verum aliquis pro 70. Interpretibus propugnans, facile telum huius obiectionis Hieronymi repelleret. Diceret enim, non debere superfluum videri in Translatione 70. Interpretum, quod est in ipsa etiam scriptura Hebraica, quę habet hoc loco: Sodomitas fuisse peccatores DEO, id est, coram DEO, vel in conspectu DEI. Quod si Latina translatio veteris Testamēti est (vti creditur) Hieronymi, ipse quoque hic vertit (coram Domino.) Nam quod addit Hieronymus, superflue dici peccatores fuisse malos corā DEO, cum etiam mali fuerint apud homines: id si quid valeret aduersus 70. Interpretes: idem profecto valeret cōtra scripturā Hebraicā, quæ illud ipsum habet. Nec credibile non est, Sodomitas propter illud flagitiū, à vicinis gētibus, quę eo ipso scelere vel infectæ vel afflatæ fuerāt, nō fuisse existimatos malos, aut certè nō tam malos, vt re vera erant, & vt iudicio & sententia DEI æstimabantur.

Excutitur animaduersio B. Hieronymi in Translationem 70. Interpretū huius loci. B. Hieron. in Traditio. Hebra. in Genesim super cap. 13.

37 Cur enim hoc de gentibus illis non credatur, cum ex veteribus Ethnicorum hist oriis manifestum sit, hoc genus flagitii apud Græcos & Romanos fuisse vulgatum & publicum, & à multis leui in crimine habitum? Apud Ciceronem Cotta Romæ Senator & orator; concedentibus,

Cæcitas & reprobus sensus Græcorū & Romanorū circa peccatū nefandum.

dentibus,inquit, antiquis philosophis, adolescentibus delectamur. O flagitium,ô scelus philosophorũ, cui vix vllum plectendo supplicium satis videri possit. Dolet quodam loco Cicero, emanasse hoc genus flgitii è gymnasiis Græcorum, in quibus istiusmodi liberi & concessi sunt amores:idemque queritur magistros virtutis philosophos,& horum Principem Platonem, magnam huic turpitudini auctoritatem tribuisse.Reputet cum animo suo lector, quæ de Græcis, & Romanis sapientiæ studio & fama claris,sed hoc scelere contaminatis, grauissima oratione disputat Paulus in ea epistola quam scripsit ad Romanos: *Propterea*, inquit,*tradidit illos* DEVS *in passiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum, in eum vsum qui est contra naturam. Similiter autem & masculi relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt in desiderijs suis inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit,erroris sui in semetipsis recipientes.* Cum igitur hoc flagitium apud multas gentes, easque cæco illo æuo prudentia & sapientia celebres, non impunitum modo, sed etiam peruulgatum, minimeque pudendum fuerit;cur non sit credibile,Sodomitas nequaquam ab aliis gentibus improbos & sceleratos fuisse existimatos? vt non sine causa scriptura dixerit, eos fuisse pessimos, & peccatores coram Domino nimis.

Cic. lib. 1. De Natura Deorum.

4. Tusculana.

Locus Pauli ad Ro.1.

Quę fuerint peccata Sodomitarum.

38 SED indicandum est quænam præcipue ac proprie fuerint eorum peccata. Iosephus hæc illorum peccata commemorat: Sodomitæ, inquit,abundantia pecuniarum elati,tam in homines contumelioſi erant quam erga DEVM impii: quippe qui neque beneficiorum eius meminerant,& hospites auersabantur:denique mutuis etiam libidinibus sese incestabant.Sic ille. DEVS autem apud Ezechielem distincte ac breuiter eius gentis peccata exponit. *Ecce*,inquit,*hæc fuit iniquitas Sodomæ,superbia,saturitas panis,& abundantia,& otium ipsius & filiarum eius:& manum egeno & pauperi non porrigebant. Et eleuatæ sunt,& fecerunt abominationes coram me;& abstuli eas,sicut vidisti.* Pro illo,*otium eius & filiarum eius* septuaginta reddiderunt, *delicijs affluebat ipsa & filiæ eius, & gloriabantur magnificè.* Hæc verba explanans B. Hieronymus:DEVS, inquit, describens Sodomæ scelera,primum superbiam posuit,proprium Diaboli primumque peccatum,propter quod de cœlo corruit.Vnde Paulus:Ne inflatus, ait, superbia, in iudicium incidat Diaboli. Superbiæ autem seminarium est saturitas panis,& rerum omnium abundantia & otium,siue vt septuaginta transtulerunt,deliciarũ luxuriæque opulentia.Diues ille in Euãgelio purpuratus nihil aliud refertur habuisse criminis,nisi quod diuitiis affluens in tãtam erupérat superbiam, vt manum egeno Lazaro non porrigeret;adeo suæ conditionis oblitus,vt ne hoc quidẽ misero daret,quod proiiciendũ erat. Nimirũ abundantiam, & delicias,& otiũ sequitur DEI obliuio,quę pręsentia bona putat esse perpetua, & nunquã sibi necessariis indigendũ. Quocirca Moses exprobrãs Hebręis ait:*Incrassatus est dilectus,& recalcitrauit:incrassatus,impinguatus,dilatatus dereliquit* DEVM *factorẽ suũ,& recessit à* DEO *salutari suo.*

Hieronymus. 1. *ad Timoth.*3.

*Deut.*32.

Quapropter Salomon supplicabat DEO dicens: *Diuitias ne dederis mihi:tribue tantum victui meo necessaria:ne forte satiatus illiciar ad negãdum, & dicam,Quis est Dominus?* Sic Hieronymus. Grauissimum tamen omnium,scelus Sodomitarum fuit,quod ex ipsis nomen trahẽs, id omnibus deinde seculis retinuit.Cum quo etiam coniunctum fuisse crimen Idololatriæ ac multiplicis impietatis, minime dubitandum est:cum B. Paulus disputet, peccatum nefandum non tantum esse peccatum, sed etiam Idololatriæ peccati pœnam. Verum de grauitate ac fœditate peccati Sodomorum, disputabitur infra Genes. 18. cum tractabimus illa verba:*Clamor Sodomorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis.*

*Rom.*1.

39 Illud etiam apparet ex hoc loco,vanam fuisse credulitatem, falsamque opinionem eorum auctorum, qui primam nefandi flagitij originem indagantes, eam se reperisse existimarunt:alij quidem primũ eius auctorem doctoremque facientes Orpheum poëtam vetustissimum; alij Thalonem Cretensem;nonnulli Laium;quidam Minoem Cretensium regem;aliqui Iouem ipsum, cuius in hoc genere turpitudinis intemperantiam, celebratus à poëtis Ganymedis raptus infamauit. At enim vero longe antiquiorem esse huius flagitij abusum, cõuincit hæc Mosis historia:cum doceat,ætate Abram(qui multis seculis eos,qui putantur huius sceleris auctores,anteceſſit)in vniuersa illa Pentapolitana regione flagitium hoc populare ac publicũ fuisse. Immo vero non desunt auctores minime contemnendi,à quibus proditum sit,etiam ante diluuium præposteræ libidinis vsum fuisse non solum in hominibus, sed etiam in animalibus:atque ob eam maxime causam à DEO vehementer offenso & irato missum esse diluuium. Hæc autem istorum opinio vera sit nec ne,disputatum est à nobis in secundo Tomo nostrorum Commentariorum in Genesim, libro 8. Numero 3. & libro 9. Numero 42.& 46.

De prima peccati nefandi origine.

*Genes.*8.

Dixitque Dominus ad Abram, postquam diuisus est ab eo Lot, leua oculos tuos, & vide à loco in quo nunc es ad Aquilonem & Meridiem, ad Orientem & Occidentem. Omnem terram quam conspicis,tibi dabo,& semini tuo vsque in sempiternum.

VERSV 14. & 15.

VNC DEVS exhibuit præsentiam suam & sermonem Abrahæ,cum amputata omni dissensionis causa, post digressum Lot, pacem ille & tranquillitatem mẽtis habuit. Odit enim DEVS dissensiones & discordias;vera autem pace & concordia, & animis quietis tranquillisque mentibus delectatur. Vnde Paulus appellat eum DEVM pacis, & negat

1.Cor.14.

esse DEVM dissensionis. Profecit etiam plurimum hæc visitatio DEI ad recreandum & consolandum Abram; cui nimirum non potuit non graue & acerbum esse priuari societate & familiaritate Lot, quicum tamdiu coniunctissimè & suauissimè vixerat; præsertim cum inter extraneas gentes, & suo ingenio ac moribus, religioniquo dissimillimas versaretur. *Omnem terram quam conspicis, tibi dabo.* Verisimile sit Tostho Tosthatum fuisse tunc Abram in vertice montis Hebal siue Garizim, & inde iussum esse à DEO terram Chanaan longe lateque, ac vndequaque prospicere.

TERTIA DISPVTATIO.

Quomodo Abram potuerit ex vno loco omnem terram Chanaan conspicere.

SED illa verba: *Omnem terram quam conspicis, dabo tibi,* 40
quęstionem habent nec leuem, nec hoc loco dissimulandam. Si enim DEVS loquitur de omni terra Chanaan, cuius possessionem assignauit posteris Abrahæ; eam profecto vniuersam non potuit oculis suis Abram comprehendere: neque enim ad tantum terræ spatium virtus humani visus extendi potest: præsertim vero cum terra illa non sit vsquequaque plana & æquabilis, sed multifariam partim montibus elata, partim depressa vallibus. Itaque non potuit Abram ex vno loco quæ vltra montes, & quæ in vallibus erant intueri. Si autem DEVS loquitur de ea tantum terra, quam ex eo loco cernere poterat Abram, cum perexigua illa fuerit, nimis certe ieiunum & exile fuisset hoc DEI promissum; multumque dissimile eius quod postea ei dedit, dicens: *Semini tuo dabo terram* Genes. 15.
hanc à fluuio Aegypti vsque ad fluuium magnum Euphratem. Et vero Hebræi terram à DEO promissam Abrahæ & semini eius, possederunt à Dan vsque Bersabee. Hanc igitur verba huius loci ferunt quæstionem: eandemque habet quæstionem, quod in extremo Deuteronomio de Locus Deuterono. 34.
Mose proditum est: vbi legimus Mosem iussu DEI ascendisse Phasga verticem montis Nebo, & inde monstrante DEO, vidisse oculis suis omnem terram promissionis; nec in vniuersum modo, verum etiam distincte & particulatim eam vidisse.

Augustinus 28. quæstione super Genesim.
B. Augustinus priorem quæstionem & ponit, simulque dissoluit, ad 41
hunc modum scribens: Quæritur hic, quo modo intelligatur, tantum terræ promissum esse Abrahę & semini eius, quantum ille poterat oculis suis circumspicere per quatuor cardines mundi. Quantum est enim quod ad terram conspiciendam acies corporalis visus possit attingere? Sed nulla est quæstio, si aduertamus non hoc solum esse promissum. Non enim dictum est, tantum terræ dabo tibi, quantum vides; sed tibi dabo

dabo terram quam vides. Cum enim & vlterior vndique dabatur, profecto hæc præcipue dabatur, quæ videbatur. Deinde attendendum est quod sequitur. Nam ne putaret etiam Abram, hoc tantum sibi terrarum promitti, quod ipse oculis aspicere vel circumspicere posset; dixit ei DEVS: *Surge & perambula terram in longitudine eius & latitudine, quia tibi dabo eam,* vt perambulando perueniret ad eam, quam vno loco stans oculis suis videre non poterat. Significatur autem ea terra quam populus accepit Israel, semen Abrahæ secundum carnem; non autem illud latius semen secundum fidem, quod ne taceretur, mox adiunxit, futurum semen eius sicut arenam maris, vel sicut puluerem terræ: secundum hyperbolem quidem, sed tamen tantum, quod numerare nullus posset. Hæc Augustinus. Cuius solutio quæstionis in eo est posita, quod putat DEVM promisisse Abrahæ omnem terram quam ex eo loco cernebat; non tamen eam tantũ promisisse. Sed ad recreandum & consolandum Abram, omnem illam terram quam ipse videre poterat, præcipue ac proprie voluit ei promittere: nam fortius irritant animos quæ sunt oculis subiecta fidelibus, quàm quæ sunt demissa per aures.

42 EGO tres alios modos hanc ipsam enodandi quæstionem breuiter exponam. Primus modus: Abram non vidisse distincte omnem terram Chanaan quam possessuri erant eius posteri, singulas partes eius proprie spectando: sed in vniuersum duntaxat vidisse terram illam, & situm quatuor partium eius, secundum quatuor positiones cæli, id est, partem eius Australem quæ erat versus Aegyptum; Aquilonarem versus Syriam & Euphratem; Orientalem versus montem Nebo, & terram quam postea Moabitæ & Madianitæ tenuerunt; partem demum Occidentalem versus mare Mediterraneum. Atque hæc interpretatio mirifice congruit cum illis verbis DEI dicentis Abrahæ: *Leua oculos tuos & vide à loco in quo nunc es ad Aquilonẽ & Meridiem, ad Orientem & Occidentem.* Hæc tamen interpretatio non videtur commode aptari posse visioni eiusdem terræ, quam habuit Moses in vertice mõtis Nebo: quippe cum vidisse dicatur distincte principales eius terræ partes: *Ostendit ei* DEVS, Deut. 34.
ait scriptura, *omnem terram Galaad vsque Dan, & vniuersum Nephthalim, terramque Ephraim & Manasse, & omnem terrã Iuda vsque ad mare nouissimum, & Australem partem, & latitudinem campi Hiericho ciuitatis palmarum vsque Segor.* Alter modus est: Illam DEI colloquutionem cum Abram, & visionem terræ Promissionis esse factam in somno & per visionem imaginariam dormientis Abræ, DEVS enim in phantasia & facultate imaginatrice dormientis Abræ finxit species & imagines repræsentantes Abræ DEVM loquentem cum ipso, & demonstrantem ei terram Promissionis, & quicquid in ea insigne admodum erat ac notabile. Verum hic modus licet non sit incongruus huic visioni Abræ, non tamen satis quadrat ad visionem illam Mosis; quam non obscure indicat scriptura fuisse corpoream & sensibilem, & vigilantis Mosis, atque sensuum exteriorum functionibus vtentis. Ait enim scriptura Mosem ascendisse verticem montis Nebo,

Tres alij modi enodandi propositã quæstionem.

& inde ostendente DEO, vidisse oculis suis terram Promissionis.

43 Tertius modus: Abram & vigilantem, & suis vtentem sensibus vidisse omnem terram Chanaan; quoniam DEVS in conspectu eius posuit imaginem quandam repræsentantem illam terram & singulas eius partes, & oculis Abræ spectandam exposuit, per diuinam potentiam siue ministerio Angelorum tam graphice ac perfecte expressam, vt in eam intuens Abram, omnia quæ in terra illa spectatu digna erant, proprie, distincte, ac liquido cerneret. Hac ego ratione crediderim eandem terram esse visam à Mose, ob idque Scripturam dicere DEVM ostendisse Mosi terram Promissionis. Nec aliter factum esse, aut intelligi debere puto quod Euãgelistæ narrant, Diabolum ostendisse CHRISTO domino nostro omnia regna mundi, & omnem gloriam eorum in momento temporis. Talem etiam fuisse reor visionem illam, qua B. Benedictus totum mundum, quasi sub vno Solis radio collectum vidisse dicitur. Eam namque visionem fuisse corporalem & sensibilem, satis indicat Sanctus Gregorius, qui eam in Dialogis enarrans, ita scribit: Cum vir DEI Benedictus quiescentibus adhuc Fratribus instans vigiliis, nocturnæ orationis tempora præuenisset, ad fenestram stans, & DEVM deprecans, subito intempesta noctis hora respiciens vidit fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse, tãtoque splendore clarescere, vt diem vinceret lux illa quæ in tenebris radiasset: quin omnis etiam mundus, velut sub vno Solis radio collectus, tunc ante oculos eius adductus est. Qui dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani Episcopi animã in sphæra ignea ab Angelis in cælum ferri. Sic ibi Gregorius. Sed cum Petro, quem in illis Dialogis secum loquentem inducit, permira res ac vehementer stupenda videretur, totum mundum, quasi sub vno Solis radio collectum, sub aspectum Benedicti potuisse subiici; quo planius eum doceret Gregorius, quemadmodum id fieri potuerit, aut etiam factum fuerit, subiungit hæc: Vir DEI Benedictus, qui in turri globũ igneum, & Angelos ad cælum redeuntes videbat, hæc procul dubio cernere non nisi in DEI lumine poterat. Quid itaque mirum, si mundum ante se collectum vidit, qui subleuatus in mentis lumine extra mundum fuit? Quod autem collectus mundus ante eius oculos dicitur, non cælum & terra contracta sunt, sed videntis animus est dilatatus; qui in DEO raptus, videre sine difficultate potuit omne quod infra DEVM est. In illa ergo luce quæ exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente fuit, quæ videntis animum cum ad superiora rapuit, ei quam angusta essent omnia inferiora monstrauit. Hactenus Gregorius.

Matth. 4. Luc. 4.

S. Gregor. li. 2. Dialog. cap. 35.

Omnem

Omnem terram quam conspicis, tibi dabo & semini tuo vsque in sempiternum: faciamque semen tuum sicut puluerem terræ. Si quis potest hominum numerare puluerem terræ, semen quoque tuum numerare poterit. Surge ergo & perambula terram in longitudine & latitudine sua: quia tibi daturus sum eam.

VERSV 15. 16. 17.

44 HÆC verba tres secum ferunt dubitationes. Prima dubitatio est; quomodo vera fuit illa DEI promissio dicentis Abrahæ: *Omnem terram quam conspicis, dabo tibi*: cum ille ne passum quidem terræ illius possederit, vt testatur Beatus Stephanus. Immo vero posteri Abrahę, id est, Hebręi, non nisi trecentis septuaginta annis post mortem Abrahæ, eam possidere cœperunt. Siquidem à morte Abrahæ numerantur anni trecenti triginta vsque ad exitum Hebræorum ex Aegypto; quibus addendi sunt quadraginta annũ peregrinationis eorũ in deserto. His porrò annis exactis, ingressi sunt terram Promissionis, eamque, paulatim debellando antiquos eius terræ habitatores, obtinere ac possidere cœperũt. Hanc dubitationẽ ita explicat Caietanus: Non est, inquit, sensus, quod ipse Abram in propria persona esset possessurus terram illam: quia nec passum pedis dedit illi DEVS ibidem; sed est sensus; quod ratione vel respectu tui, dabo semini tuo terram hanc. Ergo quia merito Abræ data est illa terra semini eius, ita vt quantum ad intentionem dantis, potius data fuerit Abræ, quàm posteris eius, idcirco verè dictum est, dabo tibi terram hanc & semini tuo.

1. Dubitat.

Actor. 7. Cur Abrahę promittitur possessio terræ quã ipse nunquã possedit.

Caietanus.

45 SED hoc loco monendus est lector, vsitatum esse in sacris literis, quædam promitti aliquibus, quæ non præstẽtur eis, sed in posteris eorum impleantur; promittuntur autem illis, quoniam sunt ipsi quasi caput & principium eius posteritatis, & tum ad consolationem eorum, tum ad remunerationem egregiorum meritorum. Hac ratione dictum est Abræ Genes. 12. *In te benedicẽtur vniuersæ cognationes terræ*: quod non in ipso, sed in semine eius, id est, CHRISTO perfectũ est. Et Isaac benedicẽs filio suo Iacob Genes. 27. dixit: *Incuruentur ante te filij matris tuæ*: quod tamẽn non in ipso Iacob impletũ est, cum potius ipse incuruatus sit ante fratrem suũ Esau, & pronus eum septies adorauerit, vt legitur Genes. 33. sed cõpletum est hoc in posteris Iacob & Esau, nam Idumæi qui fuerunt posteri Esau, serui erant Hebræis, qui fuerũt posteri Iacob, Iacob itẽ Genes. 49. multa prædixit, quasi filiis suis euentura, quæ tamẽ nõ ipsis, sed posteris eorũ contigerunt. Hãc diuinæ Scripturæ consuetudinẽ indicauit nobis B. Chrysostomus: nã tractãs illa verba Oseæ, quæ citat Matthæus cap. 2. *Ex Aegypto vocaui filium meũ*, ad hunc mo-

Cõsuetudo sacræ Scripturę in promissionib.

Chrysost. homil. 8. in Matthæum. Oseæ 11.

dum scribit: Si de hac prophetia Oseæ Iudæi ambigant, dicentes eam de se potius, quàm de CHRISTO fuisse pronuntiatam: respondebimus, hunc esse prophetiæ morem, vt multa sæpe in aliis dicantur quidem, in aliis vero impleantur: vt illud de Simeone & Leui prædictum Genes. 49. *Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel*, non in ipsis factum est, sed in iis qui de eorũ stirpe procreati sunt: & quod de Chanaan dictum est Genes. 9. *Erit seruus fratrum suorum*, non in illo, sed in Gabaonitis, qui eius fuere posteri, impletum est. De Iacob quoque similiter intelligendum est, quod ei dixit pater eius Genes. 27. *Esto dominus fratrum tuorum, & adorent te filij matris tuæ*: cum tamen si personam Iacob spectemus, contra potius euenerit: namque fratrem suum Esau vehementer timuit, eumque millies adorauit. Non igitur in Iacob, sed in eius posteris benedictio illa effectum habuit. Hæc Chrysostomus. Ergo consimili ratione intelligi debet quod hoc loco dictum est: *Omnem terram quam conspicis, dabo tibi.*

2. Dubitatio. Quomodo verum sit, semen Abræ multiplicatũ iri instar pulueris.

ALTERA dubitatio est: quomodo verũ sit quod promisit DEVS 46
Abrahæ, semen eius instar pulueris terræ multiplicatum iri: cum multitudo pulueris tetræ non solum multitudinem Hebræorũ, sed etiam omnium hominum, quotquot ab initio mundi vsque ad finẽ eius fuerunt futurique sunt, incomparabiliter excedat. Hanc dubitationẽ explicat B. Augustinus, scribens huiusmodi locutionẽ non esse propriam sed figuratam, & vocari Hyperbolem; qua figura qui vtitur, plus dicit, quàm quod ipse significare aut intelligi ab aliis velit. Hyperbolicæ autem locutionis vsus, non infrequens est in sacris literis. Hyperbolice igitur dictum est hoc loco, semen Abrahæ futurum tamquam pulueren terræ; nempe ad significandam maximam eius posteritatis multiplicationem: alioqui si proprie loquamur, quis non videt multitudinem non solum seminis Abræ tam carnalis quàm spiritualis, sed etiam omnium hominũ sine vlla comparatione, numero pulueris terræ vel arenæ maris esse minorem? Quod autem dicitur semen Abræ futurum innumerabile, intelligendum est, inquit Augustinus, homini, non autem DEO; cui nimirum etiam ipse puluis terræ & arena maris numerata sunt. Quemadmodũ & quod scriptum est in principio libri Ecclesiastici: *Arenã maris & pluuiæ guttas, & dies seculi quis dinumerauit? altitudinem cæli, latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est?* Hoc, inquam, significat ista omnia nulli, præter DEVM & DEI Sapientiam, esse numerata ac dimensa. Similiter quoque stellæ cæli dicuntur innumerabiles, homini certè, non autem DEO; de quo cecinit Dauid: *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Quapropter Dæmon, qui sub nomine Apollinis Pythii fallacibus edendis miraculis, mortalium animos pestiferis implebat erroribus; cum se tanquam DEVM credi & coli vellet, scientiam numeri arenarum, quasi proprium quiddã DEI, sibi arrogabat. Ingressis enim templum eius Lydis, quos Crœsus miserat, Pythia verbis Appollinis in hanc sententiam locuta fertur.

Aug. lib. 16. de Ciuitate Dei. cap. 21.

Psal. 146.

Apollinis Pythij, idest Dæmonis fallax Diuinitatis ostẽtatio.

Noui

Noui ego arenarum numerum, & spatium que profundi.

47 Illud præterea addit B. Augustinus, quod hic dictum est de innumerabili multitudine seminis Abrahæ, vtrum de semine carnali intelligendum sit, an de spirituali, non plane certum & euidens esse: namque id vere de vtrouis semine intelligi potest. De semine quidem carnali hoc ipsum dixit Balaam: *Quis*, inquit, *dinumerare possit puluerem Iacob, & nosse numerum stirpis Israel?* Ad multiplicationem autem spiritualis seminis Abræ spectat illud Oseæ vaticinium: *Erit numerus filiorum Israel quasi arena maris, quæ sine mensura est, & non numerabitur.* Sed enim Rupertus censet hoc esse dictum de semine carnali, vel potius de reprobis, qui hoc ipso quod reiecti à DEO sunt, dicuntur nõ esse numerati apud DEVM: nã si de numeratione corporali posteritatis Abrahæ loquamur, tantũ abest, vt illa dicenda sit innumerabilis instar pulueris terræ, vt Moses Hebræos dixerit pauciores cunctis populis. Non igitur, inquit Rupertus, ad comparationem cæterarum gentium, sed ad multitudinem electorum qui ex ea gente futuri erant, hoc est referendum. Nam cum soli electi pertineant ad numerum, gens autem illa maxima ex parte reprobata vacuum nobis fecerit locum; bene profecto puluери terræ comparata est, quem dinumerare, nobis quidem impossibile, DEO autem iudicetur superfluum, apud quẽ soli electi noti sunt. Sic Rupertus. Rabbi etiã Salomon putat hoc esse dictum de Hebræis reprobis: ait enim Hebræos comparari tum stellis, tum puluери, sed diuersa ratione: cum enim fuerunt boni, erant sicut stellæ fulgentes bonis omnibus, nec eos quisquam lædere poterat, sicut nec stellæ à quoquam lædi possunt: cum autem fuerunt mali, erant tanquã puluis, qui pedibus conculcatur, & vento dissipatur.

Num. 23.

Oseæ 1.

Rupertus lib. 5. Commentar. in Genesim ca. 10.

Deuter. 7.

Rabbi Salomon.

48 VERVM quod Rupertus obiter dixit, reprobos non esse numeratos apud DEVM, sed solos electos; id præclare declarat B. Thomas, docens numerum Prædestinatorum dici certum DEO, non solum ratione cognitionis, quia scit DEVS quotquot sunt saluandi; sic enim DEO certus est etiam numerus guttarum pluuiæ & arenæ maris: sed ratione electionis & principalis cuiusdam ordinationis. Omne enim agens intendit effectum aliquem finitum: & idcirco determinat sibi certum numerum partium eius essentialium, & eorum quæ per se ad perfectionem eius requiruntur: eorum autem quæ principaliter non requiruntur, non eligit per se certum aliquem numerum, sed in tanto numero ea sumit, in quantum sunt necessaria propter aliud. Quemadmodum ædificator designat animo certã magnitudinẽ domus, & certum numerum mansionum eius, certasque mensuras parietũ & tecti: non autem eligit certum aliquem numerum lapidũ, sed ex his tot sumit, quot sufficiunt ad explendam designatam ædificij mensuram. Sic etiam DEVS præordinauit qua mensura deberet esse totum vniuersum, & quis numerus esset conueniens principalium eius partium, quæ scilicet spectant ad perpetuitatem eius; vt quot futuræ essent sphæræ, quot stellæ, quot elementa, quot species rerũ. Individua vero

S. Thomas 1. par. q. 23. art. 7. Quomodo intelligendum sit electos esse numeratos apud Deum, non autem reprobos.

corru-

corruptibilia, quoniam principaliter non ordinantur ad bonum vniuersi, sed quasi secundario, pro vt in eis conseruatur bonũ speciei: ideo, licet DEVS sciat numerum omnium indiuiduorum; non tamen numerus vel boum, vel culicum, & id genus aliorum est per se præordinatus à DEO; sed tot ex huiusmodi diuina prouidentia produxit, quot sufficiunt ad specierum conseruationẽ. Inter omnes porrò creaturas, quæ rationales sunt, atque ob id etiam incorruptibiles, principalius ordinantur ad bonum vniuersi, præsertim autem illæ quæ supremã beatitudinem adeptæ, immediatius attingunt vltimũ finem. Quapropter certus est DEO numerus Prædestinatorum, non solum per modũ cognitionis; sed etiam per modum principalis cuiusdam præfinitionis.

Rom.8. Non sic omnino se habet numerus reproborum; quippe qui videntur esse præordinati à DEO in bonum electorum, quibus omnia cooperantur in bonum. Hactenus ex B. Thoma. Ad extremum, illud etiam obiter monendus lector est, huiusmodi locutionẽ hyperbolicam, qua vtitur scriptura comparans pulueri & stellis eas res, quarũ maximam & ferme incomprehensibilem homini multitudinem significare vult; etiam in vsu esse apud externos & Ethnicos scriptores, maxime vero poetas; vt videre est in illis Ouidij versibus:

Ouid. lib. 1. de Tristib. Elegia 4.

Tot mala sum passus, quot in æthere sidera lucent,
Paruaque quod siccus corpora puluis habet.

3. Dubitatio. TERTIA Dubitatio est circa illa verba: *Surge, & perambula terram in longitudine & latitudine sua.* Videtur his verbis iussisse DEVS Abram peregrare terram illam; videlicet vt eius amplitudinem, fertilitatẽ atque amœnitatem oculis suis spectaret, eoque clariùs excellentiam diuini promissi agnoscens, maximam animo caperet voluptatẽ. Sed huic DEI præcepto non videtur paruisse Abram; non enim obiuit terram illam, sed post hanc DEI visionem profectus est ad conuallem Mambre & vrbẽ Hebron, ibique perdiu vixit. Caietanus in dubio relinquit, vtrum DEVS verba illa dixerit imperando, an tantum prædicendo id quod futurum erat: futurum enim erat vt semen Abrahæ totam illam terram vsquequaque perambularet, tanquam eius possessor & dominus. Sic autẽ ait Caietanus: An imperando, an prædicendo futuram perambulationem eius terræ per semen Abrahæ hæc verba dicta sint, perspicuum non est. Si tamen imperatiuè dicta intelliguntur, perambulare duntaxat reliquum terræ iubetur Abram: iam enim nõ paruam eius partem lustrauerat. Hæc Caietanus. Verùm nec ad lustrandam reliquam terræ partem, post hoc DEI mandatum, profectus est Abram; sed contulit se ad conuallem Mambre; atque inibi diutina eius fuit mansio: nec vsquam legitur adiisse Abram maritimã eius terræ oram, eam dico, quæ adiacet mari Mediterraneo, & fuit illius regionis nobilissima atque opulentissima.

Caietanus.

Tosthatus. Placet igitur mihi expositio Tosthati, qui tractans hunc locum: Dicitur, inquit, Abrahę vt perambulet terram illam in longitudine, id est, ab Oriente in Occidẽtem; & in latitudine, id est, ab Austro ad Aquilonem. Sed non est intelligendum, hoc fuisse præceptum & imperium DEI: quia non hoc egit Abram, sed post hæc verba tantum mouit tabernaculum suum, & venit circa Hebron. Sed intelligi debet illud DEI dictum, tanquam motiuum quoddam Abræ ad gaudium: quasi diceret DEVS: Ego promitto tibi omnem terram hanc; quod tu pro magno bono æstimare debes: idcirco, si vis multum gaudere, surge, & perambula terram istam; vt videns oculis tuis eius magnitudinem, situm, amœnitatem, & fœcunditatem, maximam ex ea re percipias lætitiæ voluptatem. Hanc interpretationem Tosthati adiuuat Chrysostomi in eandem sententiam interpretatio. Is enim hæc ipsa DEI verba explanans: Vide, inquit, quemadmodum omnibus in rebus Iusto illi summam certitudinem inserit DEVS. Dicit enim ei, surge, & circumi terram istam, & cognosce latitudinem & longitudinem eius; vt scire possis & magnitudinem terræ, qua fruiturus es, & antequam fruaris, spe pastus, magnam inde voluptatem haurias. Nam quantumcumque terræ circumieris, tibi dabo: vt scias quod non tantum dimiseris, quantum accepturus es. Ne putes igitur quod minorem terram tu sortitus sis, quia Lot elegit terram, quæ prima sibi & optima visa est. Etenim non multo post re ipsa cognosces, quàm nihil ei profuerit electio melioris terræ: & ipsemet sentiet, quantum malum sit amare primatum. Tu autem nunc accipe modestiæ & clementiæ, quam erga fratris tui filium declarasti, mercedem: & iam cognosce terram omnem, cuius dominus es constitutus, & quam semẽ tuum non multo post possidebit in æternum. Hactenus ex Chrysostomo.

Chrysostomus homil. 34. in Genesim.

QVARTA DISPVTATIO.

Quomodo intelligenda sit illa DEI *promissio:* Omnem terram hanc dabo semini tuo, vsque in sempiternum. *Et quid significet vox* (æternum) *tum in hac promissione, tum in alijs permultis, quas à* DEO *Hebræis datas esse legimus.*

50 PROMISIT DEVS hoc loco posteris Abræ æternam illius terræ Chanaan possessionem. At huic DEI promisso effectus ipse atque euentus nequaquam respondisse videtur. Namque non amplius mille sexcẽtos quadraginta annos eam terram Hebræi possederunt. Et iam eius terræ, per annos mille ac circiter quingentos, extorres sunt, nulla spe possessionem eius terræ aliquando tandem recuperandi. Cœperunt

Quandiu Hebræi possederint terrã Chanaã.

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem Hebræi possidere eam terram post quadraginta annos egressus eorum ex Aegypto: possessionem autem eius omnino amiserunt principatu Adriani Romanorum Imperatoris, cum rebellantes aduersus Romanos, incredibili clade ab illis affecti, ex Palæstina penitus exterminati sunt. Hoc autem contigit, vt in Chronicis Eusebius annotauit, Olympiade ducentesima vigesima octaua. Quomodo igitur verum fuit Hebræos terram illam in æternum possessuros, cum eam per annos dumtaxat mille sexcentos quadraginta possederint, etiam in hoc ipsum tempus, septuaginta annos Babylonicæ captiuitatis includendo?

B. Hieron. in 1. capit. Epistol. ad Galatas.

Auget præterea huius quæstionis difficultatem quod in Commentariis suis annotatum reliquit Hieronymus. Tradit enim vocem Hebræam (holam) quæ latine significat æternum vel seculum; si cum litera (vau) scribatur, significare æternum; sin autem absque ea litera scripta fuerit, significare Iobileum, id est, tempus quinquaginta annorum. Et Hieronymi quidem verba sic habent: Quærendum quid intersit inter seculum, & seculum seculi, siue secula seculorũ: & vbi pro breui temporis spatio, vbi pro æternitate ponatur: quia in Hebræo seculum, id est, holam, vbi (vau) literam positam habuerit, æternitatem significat: vbi vero sine (vau) scribitur, significat annum quinquagesimum, quem illi Iobileum vocant. Ob hanc causam & ille Hebræus, qui propter vxorem & liberos amans dominum suum, aure pertusa seruitio subiugatur, seruire iubetur in seculũ hebraice est (holã) sine litera (vau) id est, vsque ad annum quinquagesimum Iobilei: & Moabitæ atque Ammonitæ non ingrediuntur Ecclesiam domini vsque ad decimam generationem in æternum, quia omnis dura conditio Iobilei soluebatur aduentu. Hæc Hieronymus.

Expenditur documẽtum S. Hieronymi circa vocem (Holã) quę significat æternũ.

Exod. 21.

Deut. 23.

Cum igitur in hac DEI promissione: *Dabo terram hanc semini tuo in æternum*, pro illa voce (æternum) hebraice sit (holam) cum litera (vau) deberet profecto, ex sententia B. Hieronymi, significare æternitatem: cum tamen ei significationi plane repugnet veritas, quæ docet perspicue non in æternum eam terram Hebræos possedisse. Quamquam obseruatio illa B. Hieronymi non videtur perpetuo vera: si quidem vox (holam) habet alicubi literam (vau) etiam cum non æternitatem significat, sed tempus Iobilei, vt facile est animaduertere in Deuteronomij capite 15. vbi de seruo qui vsque ad annum Iobilei seruiturus erat, dicitur: *Et seruiet tibi vsque in æternum.* Vbi pro (æternum) hebraice est, holam, cum litera vau; cum Exodi 21. eadem vox, & in eadem re narranda ponatur absque litera vau. Itaque licet ex eo intelligere, additionem vel detractionem literæ, vau, in voce (holam) nihil facere ad variandam eius vocis significationem.

Vt igitur lucem aliquam afferamus non solum huic loco, sed compluribus aliis scripturæ locis, in quibus promissiones bonorum temporalium Hebræis datæ vocantur æternæ; quin etiam obseruatio circumcisionis, aliorumque legalium futura præcipitur æterna: age, primum

mum exponamus quid de hac quæstione disputauerint & literis prodiderint docti & probati auctores: tum etiam lectorem sententiæ nostræ participem facianus. B. Augustinus quæstionem hanc quatuor in locis attigit, eiusque triplicem ostendit solutionem. Primus locus est in libro 16. de Ciuitate DEI. cap. 21. vbi hæc scribit Augustinus: Sed quod dictum est: *Tibi dabo terram hanc, & semini tuo vsque in seculum*, potest mouere nonnullos, si vsque in seculum intelligant in æternum. Si autem seculum hoc loco sic accipiant, quemadmodum fideliter tenemus, initium futuri seculi à fine præsentis incipere; nihil eos mouebit: quia etsi expulsi sunt Hebræi de Hierosolymis, manent tamen in aliis ciuitatibus terræ Chanaan, & vsque in finem manebunt: & vniuersa terra illa cum à Christianis habitatur, etiam ipsum semen est Abrahæ. Alter locus est in vigesimo septimo capite eiusdem libri: Si quem mouet, inquit, quod dictum est: *Omnem terram hanc dabo semini tuo in possessionem æternam*, quomodo accipiatur impletum, siue adhuc expectetur implẽdum; cum possessio quęcumque terrena, nulli genti æterna esse possit: sciat æternum à nostris interpretari, quod Græci appellant αἰώνιον, quod à seculo deriuatum est: αἰὼν quippe Græce seculum nuncupatur: sed non sunt ausi Latini hoc dicere seculare, ne longe in alium mitterent sensum. Secularia namque dicuntur multa quæ in hoc seculo sic aguntur, vt breui etiam tẽpore transeant. Αἰώνιον vero quod dicitur, aut non habet finem, aut in huius seculi tenditur finem.

S. Augustin.

Tertius locus in quo enucleatius atque distinctius eadem de re disserit Augustinus, est in libro Quæstionum in Genesim, quæstione 31. Quæstio est, ait Augustinus, quo modo DEVS possessionẽ terræ Chanaan semini Abræ futuram dixerit æternam. Vtrum secundum hoc seculum dicta est æterna? Vt ab eo quod est αἰὼν Græcè, quod seculum significat, dictum sit αἰώνιον, tamquam si Latine dici posset seculare. An ex hoc aliquid secundum spiritalem promissionem hic intelligere cogamur, vt æternum ideo dictum sit, quia æternum aliquid significat? An potius locutionis est scripturarum, vt æternum appellent, cuius rei finis non constituitur: aut non ita fit, vt deinceps non sit faciendũ, quantum pertinet ad curam vel potestatem facientis, sicut ait Horatius:

> *Seruiat æternum qui paruo nescict vti.*

Horatius.

Non enim potest in æternũ seruire, cuius ipsa vita qua seruit, æterna esse non potest. Quod testimonium non adhiberẽ, nisi locutionis esset. Verborum quippe illi sunt nobis auctores, non rerũ vel sententiarum. Sed si defenduntur Scripturæ secundum locutiones proprias, quæ idiomata vocantur, quanto magis secundum eas, quas cum aliis linguis communes habent?

Quartus locus est apud eundem Augustinum in libro quem contra Priscillianistas & Origenistas scripsit ad Orosium, capite 5. vbi sic ait: Licet Latine seculum cum aliquo fine intelligatur, æternum vero, nisi id quod fine fine est, non soleat appellari: αἰὼν autem Græcè aliquando

Universidad de Deusto Biblioteca

æternum,aliquando seculum significare intelligatur: attamen quod ex hoc nomine deriuatur & appellatur αἰώνιον, non ipsi Græci,quantum existimo, solent intelligere: nisi id quod non habet finem. Nos autem tam αἰώνα, quàm αἰώνιον Latinè dicimus æternũ:sed αἰῶνα dicimus etiam seculum, αἰώνιον autem non nisi æternum. Et si quidam æternale ausi sunt dicere, ne Latinæ linguæ deesse videatur ab eodem nomine deriuatio.Et fortasse secundum morem Scripturarum inueniant isti aliquid dici αἰώνιον,quod sine fine nõ sit;sicut DEVS de sacramẽtis & cęremoniis antiquę legis sæpe dixit:Hoc vobis erit legitimũ æternũ,quę finem tamen erant habitura.Quamquam si diligentius dicta intelligantur,ea fortasse quę illis sacramentis significabantur,finem non erant habitura. Ita enim, ne longius abeam, dicimus æternum DEVM:non vtique istas duas breuissimas syllabas, sed quod eis significatur.Dixit item Apostolus æterna tempora, priora & antiqua:*Spem*, inquit, *vitæ æternæ, quam promisit non mendax* DEVS *ante tempora æterna.* Cum autẽ retrorsum tempora à constitutione mundi habere videantur initium: quo modo sunt æterna,nisi quia æterna dixit,quę ante se non habent vllum tempus?Hactenus ex Augustino.

Ad Titum 1.

Tres solutiones eliciũtur ex supradictis Augustini verbis propositę quæstionis.

Ex supradictis autem quatuor Augustini locis, tres elici possunt 52
propositæ quęstionis solutiones.Prima solutio:Semen Abrahæ possessurum dicitur terram Chanaan in æternum, vel vt legit Augustinus,in seculum,id est,vsque ad finem huius seculi & mundi. Nam licet Iudæi expulsi fuerunt vrbe Hierosolyma, habitant tamen in terra Chanaan atque inibi vsque ad finem seculi habitaturi sunt: & licet non habitarent ipsi,tamen quia eam terram inhabitant Christiani, qui sunt verum semen Abrahæ,in his effectum habuit DEI promissio. Verum tribus de causis hæc solutio non tollit difficultatem. Primo, quia multis iam seculis terra illa nec à Iudæis nec à Christianis,sed à Saracenis maxima ex parte habitatur. Deinde,quia manifeste loquitur DEVS de semine carnali Abræ,non autem de spirituali:non enim huic,sed illi & promisit & dedit possessionem eius terræ.Adiice,quod DEVS non loquitur tantum de habitatione eius terræ, verum etiam de eius possessione & dominio: Iudæi vero post vltimam eorum cladem à Romanis acceptam,nũquam illius terræ possessores ac domini fuerũt. Altera solutio Augustini est:possessio terræ Chanaan dicitur fore Iudæis æterna,non proprie, sed figurate: quia nimirum possessio illius terræ significabat possessionẽ cęlestis patriæ quę vocatur terra viuentium,qua spirituales Iudæi post hanc vitam potituri sunt in omnem æternitatẽ. Sed palam est,huiusmodi expositionem illorum verborum DEI, non esse literalem,sed mysticam. Etenim cum Mosaica narratio illius promissionis DEI,sit historica: quis non videt verba eius non figurate, sed proprie accipi oportere?Loquitur igitur DEVS de veris Iudæis, de vera terrâ Chanaan,& de corporali eius habitatione atque possessione.Tertia solutio: æternum hoc loco dici,non quod fine careat, sed cui certus aliquis finis non præstituitur,nec certa aliqua temporis mensura determinatur,

natur, id est,pro tempore longissimo. Hæc solutio duabus prioribus multo est probabilior, vt manifestum erit ex iis quæ infra dicentur. Verum pergamus aliorum quoque auctorum referre sententias.

53 Tosthatus dupliciter hanc controuersiam dirimit.Aut enim,inquit, hæc promissio fuit conditionalis, id est, non implenda nisi seruata conditione sub qua dabatur. Ea vero conditio fuit, vt semen Abrahæ coleret DEVM,& mandata eius custodiret, sicut fecerat Abram:quod quia non præstitit semen Abrahæ, idcirco effectu illius promissionis diuinæ potiri non potuit. Nec solum hæc promissio, sed etiam pleræque omnes aliæ bonorum temporalium Hebræis datæ,itidem conditionaliter intelligendę sunt,vt aperte traditur Leuitici 26.& Deuteronomij 29.& 30. Aut sic etiam dici potest, cum possessio terræ Chanaan, futura dicitur Hebręis æterna,vox(æternum)nõ significat hic durationem interminabilem; sed longum aliquod tempus:sicut infra Genesis 17. dicitur Circumcisio duratura in æternum; quæ tamen per legem euangelicam abrogata & sublata est;& Exodi 21.Seruus dicitur domino suo seruiturus in æternum; qui tamen vltra quinquagesimum annum, id est, tempus Iobilei seruire non poterat.Sic Tosthatus. Cuius vtraque soluendæ quæstionis ratio, & per se vera rectaque est,& vt conueniens admodum huic loco,valde probanda.Nec absimilis est via enodandæ huius difficultatis,quam instituit Caietanus.Ait enim,dum semen Abrahæ fuit verum semen eius,semper terram illam possedisse; nec ex eius terræ possessione prius fuisse deturbatum,quàm verum Abrahæ semen esse desiit.Verba Caietani sic habent:Quod autem dicit: *Semini tuo dabo terram hanc vsque in sempiternum*, non significat veram sempiternitatem, sed coæuitatem respectu seminis eius. Et est sensus: Quandiu erit semen tuum,dabo ei terram hanc. Vnde quando semen Abrahæ,desiit esse semen Abrahę,perdidit terram illam:primo quidem magna ex parte,cum inde translatæ sunt decem tribus:deinde ex toto, cum destructa est Hierusalem à Nabuchodonosor:denique occiso Messia eam terram perdiderunt sine vlla spe recuperationis, quia penitus esse desierunt semen Abrahę:sed effecti sunt semen Diaboli; hoc enim eis,gloriose iactantibus patrem se habere Abram, exprobrauit Dominus dicens;*Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite: vos ex patre diabolo estis.* Sic Caietanus. *Ioan.8.*

*Thomas Anglicus.

54 FVIT ante annos ferme ducentos quidam nomine Thomas Anglicus Ordinis Prædicatorum, professor Theologiæ Scholasticæ, qui etiam nõ pauca in sacros libros Methodo & dictione Scholastica commentatus esse dicitur.Huius enim creduntur esse Commentaria in Genesim.In Epistolas catholicas.In Apocalypsim.In Boetium De TRINITATE,& quædam alia. Quæ quidem Commentaria vulgo adscripta ferũtur B. Thomæ Aquinati; videlicet ex similitudine nominum Thomæ Anglici,& Thomæ Doctoris Angelici, data erroris occasione. Hic igitur auctor in breuibus quibusdam Commentariis suis quos in Genesim scripsit, hæc ipsa verba explanans, de quibus ad præsens di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sputamus: *Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo & semini tuo vsque in sempiternum.* Sic ait. Ponam enim propria eius verba, non admodum quidem elegantia & ornata, sed satis tamē quod ille sensit, more Scholastico, breuiter ac distincte significantia. (Pro illo *vsque in sempiternum* septuaginta interpretes habent *vsque in seculum:* quod secūdum Augustinum, aliquando significat in æternum, aliquando vero tempus præsentis seculi. Sed notandum, cum in veteri Testamento, tēporalia promissa vel pacta vel præcepta dicuntur in æternum mansura, quæ tamen in æternum duratura non erant; quod talis locutio quadrupliciter verificatur. Primum, vt sumatur æternum pro aliquo longo tempore: iuxta quod de homine nimis diu viuente dicimus: Iste semper viuet, & nunquam morietur. Secundo vt illud dicatur æternum, quod respectu humanæ potestatis, & respectu inferiorum est quasi æternum, licet tale non sit respectu DEI: & secundum hoc tota lex Cærimonialium Mosis æterna dicitur, quia non potuit ab homine humana auctoritate mutari, sed à solo DEO. Et hoc modo dicitur in æternum esse illud, cuius terminus non est præfixus apud illum, respectu cuius dicitur: Sic seruus esse in æternum dicitur ille, qui semper quandiu viuet seruire tenetur, nisi à domino suo tali seruitute soluatur. Tertio illud etiam vocatur æternun, quod non in se, sed ratione eius quod figurat & significat, dicitur æternum. Ponitur enim sæpe signum pro re signata & significata: & sepe attribuitur signo id quod est proprium rei signatæ & figuratæ. Hac ratione possessio terræ Promissionis futura semini Abrahæ dicitur in æternum; quoniam illa significabat statum gratiæ & gloriæ dandum spiritali semini Abrahæ in æternū. Similiter etiā omnes figuræ veteris legis possunt ea ratione dici in æternū mansuræ. Quarto demum vocatur aliquid æternum, vel in æternum mansurum, non quidem per se, sed vel dispositiue tātum; vel causaliter; hoc est, quia vel disponit & præparat ad id quod est æternū; vel etiam quodāmodo causat id quod est æternū. Et hac ratione lex Mosis dici poterat æterna, quia dispositione & præparatione ducebat ad gratiā & gloriā CHRISTI æternā. Opus quoque bonū ex gratia factū, dicetur æternū, quia æternam gloriā promeretur: sicut Paulus dixit: *Quod est momētaneum & leue tribulationis nostræ, supra modū in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Sic ille auctor-

2. ad Corinth. ca. 4.

Hactenus exposuimus, quemadmodum alij auctores propositam initio quæstionem variis modis explicauerint. Sequitur vt etiam nos quæ veram & perfectam eius quæstionis explanationem continere videntur, ea distincte ac breuiter lectori tradamus. Et quia pro voce illa (æternum) qua vsus est & hic & alibi sæpe Latinus interpres, vbique est in hebræo vox (holam) de multiplici eius vocis significatione & vsu primo loco dicendum est. Tum, quia pro Hebræa voce (holam) septuaginta interpretes in sua trāslatione ponere solent αἰὼν vel αἰώνιον, variam quoque earum vocum vim & notionem exponemus: simul etiam indicantes quàm varie diuersis locis Latinus interpres tam vocem (holam) quàm (αἰὼν) latine conuerterit.

QVA

55 QVADRVPLICEM in sacris literis reperio vocis, Holā, significationem & vsum. Etenim sæpenumero significat ea vox verā æternitatem, id est durationem quādam fine atque initio carentem: vt cum hæc vox tribuitur DEI existentiæ, regno, sapientiæ, misericordiæ, veritati, aliisue attributis diuinis; quin etiam electioni & prædestinationi sanctorum. Hoc aliquot exemplorū appositione illustrius fiet. Psal. 89. *A seculo & vsque in seculū tu es* DEVS. pro, seculo, hebraice est (Holam:) significat autem ante omne tempus, & ab æterno; nam præmisit: *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis.* In libro Sapientiæ cap. 8. sic loquitur diuina sapientia: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.* psalmo 99. *Laudate nomen eius, quoniam suauis est Dominus, in æternum misericordia eius.* Idemque valet illud psal. 117. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.* psal. 116. *Veritas Domini manet in æternum.* in psal. 44. de Messia dictū est: *Diffusa est gratia in labiis tuis; propterea benedixit te* DEVS *in æternum.* Et paulo infra *Sedes tua,* DEVS (*siue Thronus tuus*) *in seculum seculi.* In omnibus porro supradictis scripturæ locis, pro latinis vocibus (æternum) & (seculum) hebraice est (Holam.)

Quatuor significationes vocis Holam, quā Latinus interpres vertit æternum vel seculum

56 Altera est significatio vocis (Holam) & ea quidem in scriptura satis frequens, cum ea voce significatur non vera quidem æternitas, sed longissimum tamen aliquod tempus tam in præteritū quàm in futurum: & cum est præteritum, solet interpres latinus appellare dies antiquos vel à seculo. Sic intelligere oportet illud Genes. 6. *Isti sunt potentes à seculo, viri famosi:* Et Hieremia 2. *A seculo confregisti iugum meum.* Vtrobique est (Holam. (Deuteronomio 32. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas.* Et psalmo 76. *Cogitaui dies antiquos & annos æternos in mente habui.* Et psal. 132. *Memor fui dierum antiquorum, meditabor in omnibus operibus tuis.*

Tertia significatio eiusdem vocis (Holam) est, cum ea voce denotat scriptura tempus vniuersæ vitæ hominis: vt psalmo 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo,* quod in psalmo 33. dixit. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* loquitur enim de cantu & laude DEI, qua in præsenti vita ab hominibus celebratur. Vnde in psalmo 145. expresse dixit: *Laudabo Dominum in vita mea, psallam* DEO *meo quamdiu fuero.* Et de hoc genere laudis quod in hac vita tribuitur DEO, intelligi debet quod est in psalmo 6. *Non est in morte qui memor sit tui: In inferno autē quis confitebitur tibi?* Et psalmo 113. *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum: sed nos qui viuimus bene dicimus Domino ex hoc nūc & vsque in seculum.* hebraice (Holam) id est, & in præsens laudamus DEVM, & vsque ad extremum vitæ atque vltimum spiritum eundem laudabimus.

Quarta significatio eius vocis est cū adhibetur ea vox ad declarandum tempus Iobilei, quod erat quinquaginta annorum: Iobileus enim apud Hebræos quinquagesimo quoque anno, maxima eius gentis celebritate, agebatur. Hac significatione dictum est Exodi 21. & Deuteron.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ron.15.seruum,qui auricula perforata perpetuæ addicebatur seruituti, seruiturum in æternum,siue in seculum,Hebraice Holam,id est,vsque ad tempus Iobilei;namque eo tempore iubebat lex Mosaica omnibus seruis donari libertatem.Hę sunt igitur quatuor vocis(Holam)significationes.Radix autem vocis(Holam)est verbum,alam, significans,abscõdere,latere,occultare.Ex quo intelligere licet vocem(Holã) significare tẽpus,quod ob nimiam longitudinẽ siue in præteritũ,siue in futurũ absconditũ est homini quantũ ad eius initium vel finẽ. Quocirca prima & secunda significatio vocis (Holã) conuenientior & aptior est eius vocis origini & radici ; quàm secunda & tertia significatio.

57 ILLVD præterea lectorem ignorare nolumus,quoniã vox(holam) non semper significat veram æternitatem,quæ principio & fine caret, vt dudum ostendimus , propterea nonnunquam in scriptura post vocem(holam)apponi solere dictionem hanc(vltra) vt vera & vsquequaque perfecta denotetur æternitas:vt videre est in illo versu Cãtici Mosis:*Dominus regnabit in æternum & vltra.* quod ita verterunt Septuaginta.*Dominus regnabit in seculum & seculum,& adhuc.* Chaldæus hoc modo:*Dominus regnabit in seculum & in secula seculorum :* alij ex hebræo sic: *Dominus regnabit in seculum,& vsque in perpetuum.*B.Thomas disputans de Æternitate, cum docuisset eam vtrinque esse interminabilem, obiecit sibi hunc locũ Exodi:*Dominus regnabit in æternum, & vltra:*verum diluit obiectionẽ,duplici eius loci adhibita expositione , sic enim scribit:Quod autem dicitur in Exodo:*Dominus regnabit in æternum & vltra:* sciendum,quod æternum accipitur ibi pro seculo,vt habet alia translatio.Dicitur igitur regnaturus vltra æternum,quia regnum eius durabit vltra quodcumque seculum,id est,vltra quamcunque propositã durationem:nihil est enim aliud seculũ,quam periodus durationis cuiuslibet rei,vt tradit Aristoteles primo libro de cælo textu centesimo. Vel aliter intelligi potest regnare DEVS vltra æternum,quia etiam si aliquid prẽter DEVM esset æternum,vt quidã Philosophi putarunt motum cæli æternum esse:DEVS tamen vere dici posset regnare vltra æternum,quod regnum eius non modo est interminabile, sed etiam totum simul;hoc autẽ in motũ cæli,quamuis æternus esset , neutiquam dici posset. Hæc S.Thomas.Ianseníus sic exponit locum illum Exodi, quod hic vertit Interpres (vltra)alibi vertere solet (in seculũ seculi) vt cum psalmo 9.similiter atque hic dicitur:*Dominus regnabit in æternũ,& in seculum seculi:* vbi tamen eædam ponũtur dictiones atque hic. Et pro eo quidem quod vertitur,in æternum,dictio hebręa proprie significat, in seculum,quo significatur duratio præsentis seculi.Pro eo autẽ quod vertitur(in seculum seculi)dictio hebraica æternitatem significare dicitur.Sic Ianseníus.Ergo quia vox(holam)siue (æternum) non semper significat durationem infinitam,aut certe non talem , qualis est DEI, hoc est,totam simul atque inde pendentem;ob eã causam,quo expressius declaretur incomprehensibilis DEI duratio , dicitur DEVS esse, vel regnare vltra æternum.

Locus Exodi cap.15.

S. Thomas 1.p.q.10.art. 2.ad 1.

Aristoteles

Ianseníus in expositione in cantucũ Moysi.

Dixi

58 Diximus de voce hebræa,holam ; nonnihil etiã de græca voce αἰὼν, quam pro illa septuaginta interpretes ponere solent,hoc loco attingendum est.Principio,illud in vniuersum dici potest,supradictas illas quatuor significationes vocis (holam) habere itidem vocem αἰὼν, vel αἰώνιον:siquidem vbicumque in scriptura hebraice est,holam,inibi græce est αἰὼν,vel αἰώνιον. Aristoteles quidem certe primo libro de cælo textu centesimo duas exponit significationes vocis αἰὼν, vnam pro periodo durationis cuiuslibet rei ; hoc Latini appellãt ætatem,siue æuum,vnde fluxerunt illa : æquęuus,longæuus, grandæuus, alteram pro durationę totius mũdi & cęli,quam ille quia fecit infinitam,idcirco ait αἰὼν significare æternitatem:quin etiam hanc cẽsęt eius vocis propriam esse vim atque notionen: dictum enim est αἰὼν quasi ἀεὶ ὤν , id est semper existens.Aristotelis verba sic habẽt:Etenim hoc nomen αἰὼν diuine enunciatum est ab Antiquis. Finis enim qui continet vitæ vniuscuiusque tempus,cuius nihil est extra, secundum naturam,æuum vniuscuiusque vocatum est.Secundum eandem autem rationem & totius cæli finis,& finis omne tempus atque infinitatem continens,æuum est,ab eo quod semper sit,sumpta denominatione,immortale & diuinum:vnde & aliis pendet esse ac viuere,his quidem exactius,aliis vero obscurius.Hæc Aristoteles. Damascenus initio libri secũdi de Fide,& has ipsas significationes vocis αἰὼν,præterque,plures alias commemorat,ita scribens:seculi nomen(græcè αἰὼν)varia designat. Nam seculum dicitur vnicuiusque hominum vita. Dicitur etiam seculum tempus mille annorum:& vniuersa præsens vita, & præsens mundi status : & futura post resurrectionem vita nullo fine claudenda. Dicitur præterea seculum,non tempus,nec temporis pars,solis cursu mensurata,& dierum atque noctium distinctione constituta,sed quod coextenditur sempiternis,instar cuiusdam temporalis motus & spatij.Quod enim temporalibus est tempus, illis sempiternis est seculum. Dicuntur quoque septem secula mundi huius à creatione mundi vsque ad eius consummationem pertinentia. Octauum vero seculum est quod deinde futurũ est. vnum porro seculum est,prout scilicet id nomen attribuitur DEO qui solus habet æternitatem.Dicuntur item secula seculorum,quia, vt diximus,septem sunt mundi secula,& vita cuiusque hominis seculum vocatur. Estque seculum vnum omnium seculorum contentiuum , vocatur seculum seculi, & præsens & futurum:futurum dico seculum,tam æternam bonorum vitam, quam æternum supplicium improborum. Hactenus ex Damasceno. In cuius verbis sciat lector pro Latina voce , seculum , græce semper esse vocem αἰὼν.

De varia significatione Græcæ vocis αἰὼν siue αἰώνιον. Aristoteles.

Damascenus.

59 Illud prẽterea obseruandum est,vocem αἰὼν,quam Latinus interpres vertit seculum , interdum significare initium mundi , vt apud Lucam cap. 1. *Sicut locutus est per os Sanctorum qui à seculo sunt prophetarum eius.* Et Ioan. 9. *A seculo non est auditum , quia quis aperuit oculos cæci nati.* Ad Titum 1. *In spem vitæ æternæ , quam promisit* DEVS *ante tempora secularia* græcè πρὸ χρόνων αἰωνίων , id est , ab initio mundi. Et in extremo

Quid sit illud, A seculo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Epistolæ ad Romanos: *Secundum reuelationem mysterij temporibus æternis taciti: quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum secundum præceptum æterni* DEI. in quibus verbis pro illo *temporibus æternis*, & pro illo *æterni* DEI, vtrobique græcè est vox αἰώνιον: sed priori loco significat durationem vsque ab exordio mundi: posteriori autem loco significat durationem infinitam, & veram æternitatem. Solent etiam 70. Interpretes, quo veram æternitatem denotent, geminare vocem illam αἰὼν: eaque geminatio fit vel in nominatiuo, vel in genitiuo, tam numero plurali quam singulari. Solent enim dicere, (In seculum & seculū) græce εἰ αἰῶνα καὶ αἰῶνα: & in seculum seculi; & in secula seculorum. Quamquam hæc obseruatio non videtur esse perpetua: namque in psalmo 36. sic est: *Iusti hæreditabunt terram, & inhabitabunt in seculum seculi super eam*: vbi illud, *in seculum seculi*, non significat veram æternitatē, sed tempus omne præsentis vitæ: siquidem eo loco Dauid loquitur de corporali habitatione iustorum in terra, dum scilicet ipsi viuunt in terris, vt manifestum est textum verborum & sententiarum eius psalmi consideranti.

60 Latinus porro interpres tam vocem hebræam (holam) quā græcam αἰὼν tribus Latinis vocibus exprimere solet, id est, vel voce æternum, vel seculum, vel antiquum, dicens, dies antiquos, hebraice dies holam, vt cum dicit: *Memento dierum antiquorum*, &, *Cogitaui dies antiquos*, & item: *Memor fui dierum antiquorum*; & *Placebit* DEO *sacrificium Iuda & Hierusalem, sicut in diebus sæculi: & annis æternis*. Nonnunquam etiam illud *ab initio* ponit pro eo quod est *ab æterno*. Quippe Prouerbiorum 8. dicitur Sapientia diuina fuisse ab initio & antequam quicquam fieret, & ab æterno: quasi tria illa idem plane significent. Clarius id perspicitur ex 24. capite Ecclesiastici: *Ab æterno*, inquit, *& ante secula creata sum, & vsque ad futurum seculum non desinam*. Eandem quoque vim habet illud apud Michæā. 5. *Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis*. Illud etiam quod est in exordio primæ Epistolæ B. Ioannis, *Quod fuit ab initio, quod vidimus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, &c.* Verum de varia significatione illarum vocum (holam) & (αἰὼν) & quemadmodum eas voces Latinus interpres varie diuersis locis reddere soleat, satis superque disputatum fuerit.

Deut. 32. *Psal.* 142. *Malach.* 3. Nonnumquam ponitur Ab initio pro, Ab æterno.

Auctoris ad propositam quęstionem triplex responsum.

61 ABSOLVTIS igitur duabus huius Disputationis partibus, in quarum prima variæ Auctorum de propositæ quęstionis explicatione sententiæ sunt expositæ; in altera vero de multiplici significatione vocis (holam) & (αἰὼν) ac de Latinis vocibus quæ iis respondent, fuse dictum est: restat eiusdem disputationis pars tertia, in qua directo ac distincte dicere oportet, quemadmodum proposita quæstio enodanda sit. Nos igitur, cum quæritur quomodo veram sententiā habeat illa DEI promissio de possessione terræ Chanaan futura semini Abrahæ in æternum; triplex ad eā quæstionem responsum dare pussumus. Placet enim nobis, ac vehementer placet, illa B. Augustini sententia: Optime solui quæstiones, cum plures, omnesque probabiles earū exitus ostenduntur

Aug. quæstione 25. in Genesim.

tur. Hoc igitur sit primum responsū: Cum dicitur semen Abrahæ possessurum terram Chanaan in æternum, illud (in æternum) non significat interminatam durationem, sed longissimum quoddam tempus: cuius temporis quia certus aliquis terminus non præsignatur, idcirco ratione eius cui præstituitur, est quasi æternum, quod eius temporis finis ab eo nesciatur. Quoniam igitur possessio terræ Chanaan sine vlla determinatione temporis promissa Hebræis est, eamque illi amplius sexcentos & mille annos obtinuerunt; ob eam causam possessio illius terræ futura dicitur æterna: sumēdo nempe vocem, æternum, Hebraice (holam) non in prima, sed in secunda significatione earum quatuor, quas de voce (holam) paulo supra explicuimus. Hac etiam ratione Circucisionis obseruatio, Hebręis futura erat æterna: duratura videlicet longissimo tempore, id est, à nonagesimo nono ætatis Abrahę anno, quo anno instituta est, Geneseos cap. 17. vsque ad tempus mortis Saluatoris nostri; quod quidem tempus, annos continet mille nongentos septuaginta octo. Ergo quia Circumcisionis obseruatio erat longissimo mansura tempore; eaque sine vllius definitione temporis imposita Hebræis est, nec ab illis vllo tempore pro ipsorū arbitrio antiquari & omitti poterat; propterea secundum loquendi consuetudinem sacræ scripturæ, vere dicta est æterna.

Primum responsum.

Quamdiu steterit lex Circumcisionis.

Quomodo Circumcisionis obseruatio futura dicatur æterna.

62 Secundum responsum: Locutio illa, *Semen Abrahæ possidebit terram Chanaan in æternum*, accipienda est non vt propria, sed vt figurata. Nam per semen Abrahæ significantur omnes fidei & virtutum Abrahæ sectatores atque imitatores, siue carnales posteri Abrahæ fuerint, siue non fuerint: terra autem Chanaan à DEO promissa & lacte ac melle fluens, præsignificabat ecclesiā CHRISTI omnium copia bonorum spiritalium affluentem, vel ipsam cælestem patriam, & terram illam viuentium, inenarrabili felicitate ac iucunditate præditam. Et iusti quidem habitabunt in Ecclesia CHRISTI vsque in æternum, hoc est, vsque ad consummationem seculi; tamdiu enim CHRISTI Ecclesia, quæ versatur in terris, permansura est. In cælesti vero patria & terra viuentium habitabunt Sancti in æternum, id est, sine vllo fine, ac sempiterno æuo cælesti beatitudine perfruentes. Possessio igitur terræ Chanaan, futura prædicitur æterna, non in se, sed prout adumbrabat & figurabat vel Ecclesiam CHRISTI, vel cælestem terram viuentium.

Secundum responsum.

VERVM ne quis forte hoc me putet ex meo ingenio sensuque finxisse, id ego cum diuinæ scripturæ luculentis testimoniis, tum grauium Doctorum auctoritate comprobabo. Multa leguntur in sacris literis DEI promissa Hebręis data fore æterna, quæ si proprie, & vt verba sonant, accipiantur, non modo non habuerunt æternum effectum, sed nec valde longum, quin etiam quædam plane nullum. Promittitur per Hieremiam fore regnum Dauidis, etiam post reditum ex captiuitate Babylonica, penes eius posteros vsque in æternum: & ministerium Leuitarum atque sacerdotum numquam in posterum in conspectu DEI defuturum. Quod contra euenit, si hæc non figurate, sed secundum

Promissa bonorū temporaliū Hebręis data, quomodo dicātur fore æterna. Locus Hieremiæ 33.

Universidad de Deusto
Biblioteca

historicum sensum accipiantur. Etenim post reditum Iudæorum ex captiuitate Babylonica,nõ posteri Dauidis,sed Pontifices ex tribu Leui Iudaicum regnum tenuerunt; Et ministerium Leuitarum ac sacerdotum in templo Hierosolymitano,à nouissimo Iudæorum excidio à Romanis facto,ad hanc vsque diem omnino cessauit. Libet Hieremiæ verba hic ascribere: *Non interibit de Dauid vir qui sedeat super thronum domus Israel, & de sacerdotibus ac Leuitis non interibit vir à facie mea, qui offerat holocaustomata,& incẽdat sacrificium, & cædat victimas omnibus diebus.Si irritum potest fieri pactum meũ cum die & nocte,vt non sit dies & nox in tempore suo:& pactum meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo, vt non sit ex eo filius qui regnet in throno eius, & Leuitæ ac sacerdotes ministri mei.* Hoc DEI promissum si de temporali regno Dauidis & de carnali ministerio Leuitarum & sacerdotum intelligatur, nequaquã completum fuit: sin autem intelligatur, vt verè intelligendum est, de regno CHRISTI,qui secundum carnem filius fuit Dauidis, & cuius perillustrem Dauid figurã gessit,verissimum,& plenissimum habuit effectum.Similis alia DEI promissio legitur apud Ezechielẽ, & similiter ea interpretãda atque intelligenda est: *Ecce ego, dicit Dominus, assumam filios Israel de medio nationum ad quas abierunt;& congregabo eas vndique, & adducam eas ad terram suam,& faciam eas in gentẽ vnã,& Rex erit vnus omnibus imperans:& non erunt vltra duæ gentes, nec dividentur amplius in duo regna. Et seruus meus Dauid Rex super eos,& pastor vnus erit omniũ eorum:in iudiciis meis ambulabũt,& mandata mea custodient,& facient ea. Et habitabunt super terram quam dedi seruo meo Iacob, & ipsi & filij eorum, & filij filiorum eorum vsque in sempiternum.Et Dauid seruus meus Princeps eorum in perpetuum.Et percutiam illis fœdus pacis,pactum sempiternũ erit eis: & fundabo eos, & multiplicabo,& dabo sanctificationẽ meam in medio eorum in perpetuum.Et erit tabernaculum meũ in eis:& ero eis* DEVS, *& ipsi erunt mihi populus.* Amplissimum hoc atque magnificentissimum DEI promissum, quis non videt nõ illo carnali populo Iudaico qui ex captiuitate Babylonica rediit,sed in Christiano populo partim ex Iudęis,partim ex Gentibus congregato esse impletum?Iam vero nomen Dauidis, cum dicitur Dauid recturus deinceps eum populum,nemo est qui non intelligat non proprie sumi, sed figuratæ;nõ enim Dauid ex morte reuocatus ad vitam, iterum regnaturus erat apud Iudæos. Sed nomine Dauidis significatur CHRISTVS Dominus,cuius nẽpe Dauid multifariam multisque modis perinsignem prætulit imaginem.Hoc enim non obscure Saluator noster ostendit per B. Ioannẽ Euangelistam illis verbis: *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere,& vocem meam audient,& fiet vnum ouile,& vnus Pastor.*

Locus Ezechielis capit.37.

Nomine Dauidis sæpe in scriptura, non ipse Dauid, sed Christus Dominus intelligi debet.

Ioan.c.10.

S.Hieronymus.

Hac etiam ratione intelligi debere huiusmodi promissiones DEI, locupletissimus auctor est B. Hieronymus; qui explanans illa verba Ezechielis 32.*Ecce cõgregabo eos de vniuersis terris ad quas eieci eos,& reducam eas ad locum istum, & habitare eos faciam confidenter,&c.* ad hunc modum scribit: Multi hoc putant tempore Zorobabel & Iesu sacerdotis magni,quando Aggæus & Zacharias prophetauerunt sub Esdra sacerdote completum;quando ædificatum est templum, & sub Neemia extructi muri sunt per circuitũ.Sed quomodo hoc possit illi tempori coaptari,quod hic à DEO promittitur illi populo; *Habitare faciam eos confidenter, & feriam eis pactum sempiternum*, penitus non potest approbari.Quippe cum sacra narret historia, Iudæos post id temporis non solum à vicinis Gentibus,sed à Persis quoque & Macedonibus,& Aegyptiis,Romanisque sæpe captos esse, & hucusque seruire. Omnia igitur ad aduentũ referenda sunt Saluatoris: quæ nostro & Fidei tempore videmus expleta;& electio, iuxta Apostolum, reliquiarum salua facta est.Et qui in CHRISTO habitant confidenter, datum illis est cor vnum;sicut scriptum est: *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.*Quod si hæc Iudæis minime cõpetunt, ea profecto de nostro populo accipienda sunt,cui bene fuit & est & semper erit; nõ solum ipsis,sed & filiis eorum post eos. Nobiscum enim pactum DEVS pepigit sempiternum: nec desinet nobis vltra benefacere. Hæc B. Hieronymus.

Ad Ro.11

Act.4.

Audiat etiam lector nemini contemnendum, mihi quidem certe valde probatum sacratum literarum explanatorem Lyranum, similia Hieronymo,sed pressius & more scholastico scribentem.Considerãdum est,inquit(quod etiam à nobis annotatum est super caput 15.Geneseos) vbicumque in sacra Scriptura pro operibus virtutũ promittuntur bona temporalia, non esse illa à promittente principaliter intellecta. Siquidem finis semper esse debet melior iis quæ sunt ad finẽ:præmium autem est finis operis,quod in illud ordinatur. Quocirca sub illis bonis temporalibus promissis, quæ sunt minora bona quam opera virtutum,intelligũtur aliqua bona spiritualia principaliter intẽta.Quemadmodum sub promissione terræ Chanaan, intelligitur terra viuentium, id est Ciuitas cælestis promissa: & sub promissione templi materialis, intelligitur principaliter promissa domus siue templũ cæleste,vbi DEVS colitur non per speculum & in ænigmate,sed per iugem laudem,& in aperta visione ipsius DEI,sicut Dauid cecinit:Psalmo 83.*Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.*Atque hoc etiam dicit in præsenti loco Rabbi Salomon, eiusque dictum consonat fidei nostræ.Sic Lyranus.

Lyranus in caput 15. Exodi.

Rabbi Salomon.

64 TERTIVM & vltimum responsum, ad propositam quæstionem enodandam perquam aptum & validum, huiusmodi est. Cum promisit DEVS Abrahæ,semen eius possessurum tarram Chanaan vsque in æternum,illa vox,æternum,significat durationem vsque in finẽ mundi.Verum ea promissio non tanquam simpliciter & absolute data, sed vt conditionalis,est intelligenda:hac nẽpe conditione,si posteri Abrahæ pietatem & iustitiam colerent, & DEI iussis ac præceptis obtemperarent. Hæc igitur conditio, quia non est ab Hebræis obseruata, nec illi pietatem quam debebant, & diuinorum mandatorum obseruantiã præstiterunt; propterea nec illa DEI promissio de sempiterna

Tertiũ Responsum.

Promissionem terræ Chanaan in æternũ possidẽdæ fuisse conditionalem.

terræ Chanaã possessione, ad exitũ atque effectũ perducta est. Et vero tales fuisse omnes ferme promissiones bonorũ tẽporalium Hebræis datas à DEO, dubium nemini esse potest, si modo is legat vigesimum sextũ caput Leuitici, & Deuteronomij vigesimũ octauũ: istis enim locis plurima & amplissima bona promittũtur custodientib. legẽ DEI, cõtra vero, eam violantibus, grauissima mala & atrocissimæ calamitates denũtiantur. In hoc porro genere cõditionalium promissionũ numerandã esse eam promissionem terræ Chanaã, de qua nunc disputamus, ex quinq; scripturæ locis certũ & manifestũ cuilibet esse potest. Primus locus est Leuitici 26. vbi inter mala quæ ibi numerãtur euentura transgredientib. legem DEI, cõmemoratur exterminatio eorum ex terra quam promiserat DEVS Abrahæ & semini eius: *Abominabitur vos anima*, ait Dominus, *in tantum, vt vrbes vestas in solitudinẽ, & deserta faciam sanctuaria vestra. Dissperdamque terrã vestram, & stupebunt super ea inimici vestri, cum habitatores illius fuerint. Vos autem dispergam in Gentes, & euaginabo post vos gladium, eritque terra vestra deserta, & ciuitates vestræ dirutæ.* Vide quemadmodũ DEVS intelligi velit promissionem suam de possessione terræ Chanaan: videlicet si Hebræi probe ac pie viuerent, legemque DEI sancte custodirent. Alter locus est in capite 11. Deuteronomij, vbi hæc sunt verba: *Ponite hæc verba mea in cordibus & in animis vestris: docete filios vestros vt illa meditentur; quando sederis in domo tua, & ambulaueris in via, & accubueris atque surrexeris, vt multiplicentur dies tui, & filiorum tuorum in terra quam iurauit Dominus patribus tuis, vt daret eis, quamdiu cælum imminet terræ. Si enim custodieritis mandata quæ ego præcipio vobis; dissperdet Dominus omnes gentes istas ante faciem vestram, & possidebitis eas quæ maiores & fortiores vobis sunt. Omnis locus quem calcauerit pes vester, vester erit.* In his verbis animaduertat lector promissionem terræ Chanaan fuisse quidem conditionalem, sed eiusmodi tamen, vt si ea conditio ab Hebræis seruata esset, possessuri eam terram illi fuerint, quandiu ea gens in terris fuisset: id enim significat illud: *quandiu cælum imminet terræ.*

Tertius locus est in 19. capite eiusdem libri Deuteronomij: *Cum dilatauerit Dominus* DEVS *tuus terminos tuos*, ait Moses, *sicut iurauit patribus tuis, & dederit tibi cunctam terram, quam eis pollicitus est (si tamen custodieris mandata eius, & feceris quæ hodie præcipio tibi, vt diligas Dominum* DEVM *tuum, & ambules in vijs eius omni tempore &c.* Nota illud: *Si tamen custodieris mandata eius.* Continet enim expressam conditionem, sine qua promissum DEI non erat præstandum. Quartus locus in eodem est Deuteronomij libro capite 30. *Considera*, inquit Moses, *quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum; vt diligas Dominum* DEVM *tuum, & ambules in vijs eius: & viuas, & multiplicet te* DEVS, *& benedicat tibi in terra ad quam ingredieris possidendã. Si autẽ auersũ fuerit cor tuũ, & audire nolueris, atq; errore deceptus adoraueris deos alienos, & seruieris eis; prædico tibi hodie quod pereas, & paruo tempore moreris in terra ad quam Iordane transmisso ingredieris*

dieris possidendam. Quintus demum atque vltimus locus est in eiusdẽm Deutoronomij capite 32. alloquitur autem populum Hebræum Moses his verbis: *Ponite corda vestra in omnia verba quæ testificor vobis hodie: vt mandetis ea filiis vestris custodire & facere, quia non in cassum præcepta sunt vobis, sed vt singuli in eis viuerent: quæ facientes, longo perseueritis tempore in terra, ad quam Iordane transmisso ingrediemini possidendam.*

Sed finis tandem sit huius Disputationis; Pergamus ad alia.

Mouens igitur tabernaculum suum Abram, venit & habitauit iuxta conuallẽ Mambre, quæ est in Hebron, ædificauitque ibi altare Domino. VERSV 18.

65 NON est perspicuum (ait hoc loco Caietanus) vtrũ Abram manserit in territorio Chananææ gentis aliquanto tempore post separationẽ à Lot, an statim post separationem ab illo habuerit proxime dictam visionem, & migrauerit ad conuallem Mambre. Et rationem quidem ambigendi affert id quod paulo supra, hoc ipso capite narrauit Moses; post separationem Lot & Abrahæ, illum quidem moratum esse in oppidis iuxta Sodomam; hunc vero habitasse in terra Chanaan. Nam si per terram Chanaan intelligitur certa quædam pars terræ Promissionis, quam tenebant Chananæi, vna de septẽ Gentibus à quibus tota illa terra possidebatur: consequens est, vt aliquanto tempore ante superiorem visionem, terram illam incoluerit Abram. Sin autem terra Chanaan communi nomine significatur, comprehendit etiam territorium Amorrhææ gentis, penes quam erat conuallis Mambre & vrbs Hebron. Et idcirco cum supra dictum est, Abram habitasse in terra Chanaan, non alia terra intelligitur quàm hęc ipsa vbi erat conuallis Mambre & Hebron; sed aliter tamen, quia prius nomine generico Chanaan, posterius autem sub nomine specifico conuallis Mambre. Hæc Caietanus. Sed quia scriptum est infra Genesis 23. & 49. tam conuallẽ Mambre, quàm vrbem Hebron esse in terra Chanaan, similius vero fit, cum supra dictum est habitasse Abrã in terra Chanaã, de habitatione eius in Mambre & Hebron intelligi debere. Præsertim autem cum Abram, eo domicilio ita fuerit delectatus, vt & viuens longissimo tempore ibi manserit, ibique mortuus & sepultus fuerit. Quam etiam ob causam filius eius Isaac, & nepos Iacob eum ipsum locum vehementer adamarunt atque coluerunt. Caietanus.

Verum expendamus singillatim verba huius sententiæ. Pro illa voce (Conuallem) hebraice est (elon) significans quercus, & ita verterunt etiam septuaginta. Sed per Synecdochen dictum est (quercus) pro loco frequentibus & densis quercubus consito, quẽ Latini quercetum appellant. Chaldæus vertit (planitiem) Latinus interpres respexisse videtur. Conuallis Mambre.

videtur ad ſitum loci: nam conuallem vocamus planitiem circumquaque montibus vel collibus concluſam. Talis igitur fuiſſe videtur planicies illa Mambre & inſuper frequẽtia quercuum nemoroſa. Vox Mambre nomen eſt proprium viri Amorrhæi, qui eius querceti vel ſator, vel certe poſſeſſor ac dominus fuit. Hunc habuiſſe duos alios fratres, Eſchol & Aner, & hos tres viros fœdus cum Abram pepigiſſe, proxime ſequenti Capite tradit Moſes.

QVINTA DISPVTATIO

de Vrbe Hebron.

DE Vrbe Hebron (hebraice Chebron) cuius hic primum fit mentio, & fiet deinceps frequenter, aliquid nunc dicendum eſt; quod ſemel dictum, ad aliorum quoque intelligentiam locorum valeat. Quæ igitur obſeruatione videntur digna, cum ab aliis prodita, tum à nobis etiam animaduerſa, hic ſtrictim exponemus. Ioſephus libro quinto de Bello Iudaico capite ſpetimo, de Hebron ſiue Chebron ita ſcribit: Chebron indigenæ ferunt, non eius terræ tantum ciuitatibus, verum etiam Aegypti Memphi antiquiorem eſſe: denique duo millia & trecenti eius commemorantur anni. Hoc autẽ narrant Abrahæ quoque parenti Iudæorum fuiſſe domicilium, poſteaquam Meſepotamiæ ſedes reliquit: eiuſque poſteros hinc ad Ægyptum eſſe profectos; quorum etiam nunc monumenta extant in eadem vrbe, optimo marmore magnifice fabricata: cernitur autẽ ſexto ab ea vrbe ſtadio, arbor maxima Terebinthus; eamque memorant ab initio vſque mundi creati vſque nunc durare. Sic Ioſephus. 66

Ioſephus. Antiquitas Hebron.

In Ioſephi autem verbis duo animaduertenda ſunt. Ait enim exiſtimari Hebron per duo millia & trecentos annos ante ſuam ætatem extitiſſe. Hoc ſi verum eſſet, conſequens foret Hebron nonaginta circiter annos poſt diluuium, & ducentis ante Abrę ortum annis eſſe conditam. Id vero ſatis congruit cum opinione Rabbi Salomonis, à quo eſt proditum, Hebronis ædificatorem atque conditorem fuiſſe Cham filium Noe. Immo vero Ioannes Annius in Commentario libri Xenophontis de Æquiuocis, quaſi rem ſibi compertam, explorateque perceptam tradit, Hebrõ fuiſſe primam omnium vrbem à primo homine, & humani generis parente Adamo fabricatam, & in ea natum eſſe Noe. Sed nimirum iſte auctor multa in eo Commentario, aliiſque id genus ſcriptis ſuis nugatur ac fabulatur. Quod autẽ dixi, fore vt origo vrbis Hebron præceſſerit ducentis annis ortum Abrahæ, ſi quidem ea vrbs (vt ait Ioſephus) trecentis & bis mille annis ante ſuam ætatem ſtetiſſet: manifeſtum erit, ſi quis ab eo tempore, quo Ioſephus libros illos de bello Iudaico

Rabbi Salomõ facit Cham filiũ Noe conditorem Hebronis.

Ioãnes Annius.

Iudaico ſcripſit, retro acta repetens tempora duo millia & trecentos annos colligat. Videtur autem Ioſephus ſcripſiſſe eos libros circa Olympiadem ducenteſimam decimam tertiam vel decimam quartam: ſcripſit enim confecto iam bello Iudaico, quod Olympiade ducenteſima duodecima finitum eſt: eoſque libros ipſemet obtulit Veſpaſiano & Tito Imperatoribus, ſicut teſtatur ipſe in eo libello quem de ſe, vitaque ſua & reb. geſtis edidit. Exceſſit porrò Veſpaſianus pater Olympiade ducenteſima decima quarta. Eorũ autẽ quæ hic commemorata ſunt, temporũ cõputatio, ex Chronicis Euſebij nota cuiuis eſſe poteſt.

Quo tẽpore Ioſephus ſcripſerit libros de bello Iudaico.

68 ALTERVM porro, quod in ſupradictis Ioſephi verbis à lectore animaduerti volumus, illud eſt, Ioſephum dicere Hebron fuiſſe antiquiorem Aegyptia Memphi. At enim in libro Numerorũ cap. 13. ſcriptum eſt, Hebron ſeptem annis antiquiorem eſſe, quàm Tanim Aegypti: idque Ioſephus ipſe tradit primo libro Antiquiatum, vbi enarrat hiſtoriam huius capite 13. Geneſis. Diuerſis autem vocabulis hebraice appellantur Tanis & Memphis; nam illa dicitur Zohan, hæc autẽ vocatur Noph, vt videre eſt apud Iſaiã cap. 19. & Zohan quidem tam 70. Interpretes, quam B. Hieronymus vbique reddunt Tanim. Nec omittendum hoc loco quod à Rabbi Salomone traditum literis refert Eugubinus: Credo, inquit Eugubinus, ſeptuaginta Interpretes cum in Aegypto verſati ſunt, cognouiſſe quæ vrbs hebraice vocetur Zohan, eſſe eam ipſam vrbem Aegypti quæ vocatur Tanis. Huic rei fidẽ facit, quod & Chaldaica editio eam quoque nominat Tanim. De hac vrbe Rabbi Salomon ita ſcribit: Zohan præclara vrbs Aegypti eſt, vbi Regum erat Sedes. Quocirca plagas Aegypti in campo Taneos factas eſſe legimus: quia ibi primum apparebat plaga, & inde per vniuerſam Aegyptũ diffundebatur, vt caput prius feriretur, dein reliqua membra. Si aqua corrumpebatur, prima ea vrbs talem calamitatẽ ſentiebat: ſi ranæ producebantur, ibi primo tale oſtentum cernebatur. Quia & ſcelerum colluuies ibi potiſſimũ vigebat: vbi enim Regiæ ſunt, maiora ibi & crebriora flagitia admittuntur, ſiue propter multiplicis hominũ generis frequentiam, ſiue quod id genus hominum curias potiſſimum & regales aulas frequentare ſoleat. Hæc ille.

Tanis, & Memphis antiquiſſimæ vrbes Aegypti.

Eugubinus in c. 13. Numerorum.

Rabbi Salomon.

Cur decem Plagæ Aegypti dicũtur factæ in campo Taneo.

Pſal. 77.

69 Borchardus in deſcribendis Terræ Sanctæ locis, quàm qui maxime, diligens & accuratus, de Mambre & Hebron hæc tradit: Ilex Mambre iuxta viam regiam quæ ducit Hebron ſita, apud quam longo tempore habitaſſe patriarcham Abram, hiſtoria libri Geneſis oſtendit; etiã hodie demonſtratur ante oſtium tabernaculi Abrahæ. Sciendum tamen antiquam illam Ilicem exſiccatã fuiſſe: ſed ex eius radice pullulauit altera, de cuius ligno & fructu mecum tuli. Folia eius paulo maiora, quam lentiſci; ſed fructum prorſus habet illa, vt quercus. Ab Ilice Mambre per dimidiam leucam, ad dexteram iuxta viam, eſt vetus illa Hebron, in monte ſita ſublimi & tuto, ſed nunc penitus diruta: cuius tamen tales cernuntur ruinæ, vt ex his, quam illa quondam ampla & magnifica fuerit, facile ſit intelligere. Ab Hebron antiqua ad

Borchardus.

Ilex Mãbre.

trium arcuum iactum versus austrum, paulum tamen ad Orientẽ declinando, noua existit Hebron eo loco fabricata, vbi duplex fuit spelunca, quam emit Abram in sepulturam vxoris Saræ. Saraceni contra spelũcam duplicem, quæ in Ecclesia cathedrali continebatur, ædificarunt munitionem. A spelunca duplici, ad iactum vnius arcus contra Occidentem, est celebris ager Damascenus, habens terram rubrã, flexibilem & tractabilem, instar ceræ; quam Saraceni deuehunt in Aegyptum, Aethiopiam, & Indiam, vt rem valde pretiosam caro vendentes. Fama est vetusque traditio, in eo agro & ex illa terra rubra formatum esse corpus primi hominis: nomen certe Adam terram rubram significare dicitur. Hinc iactu fere duorum arcuum contra Occidentem, est quædam spelunca sub rupe, in qua fertur Adam & Euam filium suum Abel interfectum centum annis luxisse. Ostenduntur inibi eorum lecti saxei, & scaturiens inde fons, ex quo bibisse eos creditur. Habet locus in longitudinem triginta ferme pedes. Hæc Borchardus.

Gene. 23.

Ager Damascenus vbi formatus creditur Adam.

Genes. 2.

Genes. 4.

S. Hieronymus.

In libro de locis hebraicis, cuius auctor Eusebius fuit, B. autem Hieronymus interpres & corrector, hæc de vrbe Hebron prodita sunt. Dicebatur olim ciuitas Arbe, id est, Quatuor (id enim significat hebraice vox Arba) Propterea vero dicta est ciuitas quatuor, quod ibi quatuor Patriarchæ, Abram, Isaac, Iacob sepulti sunt, & Adã magnus, vt Iosue libro scriptum est: licet quidam eum conditum in loco Caluariæ suspicentur. Hæc autẽ eadẽ vrbs dicta est Hebron, olim Metropolis Philistinorum, & habitatio Gigantum, regnumque postea Dauidis in tribu Iuda, ciuitas item Sacerdotalis & fugitiuorum. Distat ad meridianam plagam ab Aelia siue Hierusalem millibus circiter viginti duobus. Quercus porro Abraham, quæ & Mambre, vsque ad Constantij regis imperium monstrabatur: & Mausoleum eius vsque in præsentiarum cernitur. Cumque iam à nobis ibidem Ecclesia sit ædificata, à cunctis in circuitu gentibus terebinthus superstitiose colitur, eo quod sub ea Angelos Abram quondã hospitio susceperat. Hæc ergo vrbs primum Arbe dicta est, postea, à Chebron vno filiorum Caleb, sortita est vocabulum. Lege verba dierum. Hæc in eo libro de vrbe Chebron prodita sunt.

Iosue 14.

Gen. 18.

1. Paralipomenon 20.

71 VERVM in his quædam paulo enucleatius & subtilius expendenda sunt. Principio, dicitur vocatam esse ciuitatẽ Arbe, id est, Quatuor, propter quatuor Patriarchas eo loco sepultos. Hoc explicatius dicitur in antiquis Hebræorum Commentariis, quæ illi nominant Bereschit Rabba: scriptum enim est ideo appellatam esse vrbem, Quatuor, quod priscis seculis quatuor illic viri pij habitauerint, Aner, Eschol, Mambre, & Abram, iidemque illic sint circumcisi. Quatuor item celebres matronę inibi sepultę sunt, Eua, Sara, Rebecca & Lia: & quatuor etiam Patriarchæ, Adam, Abram, Isaac, Iacob. Ad hæc, quia Abram inde quatuor reges insecutus percusserit. Sed Ioannes Annius in Commentario libri Xenophontis de Æquiuocis ait; Hebron dictam esse vrbem Quatuor, quod quatuor constaret partibus, quarũ quæque instar

Hebræi.

Genes. 14.

Io. Annius.

iustar vnius vrbis erat; cuiusmodi vrbs Græce dicitur Tetrapolis, latine dici posset Quadriurbs. Et Xenophon in quodam fragmento: Antiquitus, inquit, vrbs Monopolis, rustica erat; Dipolis, opulenta; Tripolis, quę prouinciæ caput esset; Tetrapolis autem, erat Regia, & totius regni atque imperij caput. Tetrapolim fuisse Syracusas Siciliæ ciuitatẽ, auctor est Cicero in sexta Verrina, scribens eam maximam fuisse Græcarum vrbium, pulcherrimamque; quæ ex quatuor quasi vrbibus maximis constare videbatur, quarum vna, Insula nominabatur; altera, Acradina; tertia, Tychen, à nobili Fortunæ templo in ea extructo; quarta, Neopalis. Sed vnde Annius cognouerit Hebron fuisse Tetrapolim, nec ipse indicat, nec ego diuinare possum.

Xenophon.

Cicero.

72 OMNINO, ambigendum non est, Arbam, ex quo antiquitus vocata est Hebron Cariath Arbe, id est, ciuitas Arbæ, esse nomen proprium viri inter Enacinos gigantea corporis mole præditos omnium clarissimi. Id enim perspicuis verbis docet liber Iosue cap. 14. in cuius extremo latina translatio sic habet; *Nomen Hebron antevocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacinos situs est:* quibus verbis significatur propterea Hebronem olim dictam esse vrbem Arbæ, quod Arba homo maximus inter Enacinos, florentissimum ibi dominatum tenuerit. Expressius hoc significant verba hebræa, que si latine cõuertas, hanc reddunt sententiam: nomen Hebronis olim fuerat Cariath Arbæ; is fuerat homo inter Enacinos maximus. Ad hæc in eodem libro Iosue cap. 15. traditur, Arbã fuisse patrem Enac; huius vero tres filios, Sesai, & Ahiman, & Tholmai deletos esse à Caleb. Cum autem Arba dicitur pater Enac, & tres illi dicuntur filij Enac, nec vocabulum patris nec filij proprie accipienda sunt: sed Arba dicitur pater Enac, id est, vel princeps & regnator Enacinæ gentis, vel prima nobilissimaue eius gentis origo. Tres autẽ illi dicuntur filij Enac, id est, ex eius semine, genere, ac stirpe generati. Sane tres illos gigantes fuisse tempore Iosue, cũ liber Numerorum capite 13. tũ liber Iosue cap. 15. nos dubitare non sinit. At enim multo tempore ante Iosue ætatem, floruisse Arbã, non leue argumentum est, quod tam libro Iosue cap. 14. quàm in libro Iudicũ capite primo, scriptum est, vrbem Hebron antiquitus esse dictam Vrbem Arbe. Quanquam hoc non valde vrget: dici enim potest tria illa nomina Sesai, Ahiman & Tholmai in libro Numerorum & Iosue non significare tres illos gigantes, qui fuerunt filij Enac, sed trium illorum gigantũm posteritatem; quemadmodum nomina Israel, Iacob, Iuda, Leui, sæpe in scriptura non significant eos viros, quorum illa propria fuere nomina, sed eorum posteros.

Quis fuerit Arba ex quo Hebron dicta est ciuitas Arbæ

73 Cur porro ex illo viro Arba nomen vrbi sit inditũ, an quia eius fuerit ille conditor; an quia renouator, reparator, vel amplicator; an potius quia inibi diutissime ac florentissime regnauerit, incertum est. Sicut nec illud satis firmum & certum est, nomen Hebronis ductum esse ex filio Caleb: licet B. Hieronymus id argumentetur ex eo, quod in primo libro Paralipomenon capite secundo proditum est, quendam

An vrbs Hebron sic appellata sit ex quodam filio Caleb. P. Hieronymus.

filium Caleb, patrem fuisse Hebronis. Sed hoc non magno ei rei argumento est. Namque Machir quoque eodem in capite appellatur pater Galaad, non sane quod Galaaditidi nomen suum imposuit, sed quia illic imperauit. Quid quod multo ante ortum istius filij Caleb, legitur nomẽ Hebronis, non solum in libro Iosue & Numerorum, verũ etiam in libro Geneſis? sed facile quispiam huius argumẽti fidem & vim eleuauerit, si dicat istis locis nomen Hebronis positum esse per anticipationem, ab iis nempe qui olim in Synagoga, canonica præditi auctoritate, libris Iosue & Mosis nonnulla verba ad maiorem eorum historiæ continuationem, atque illustrationem addiderunt.

An in Vrbe Hebron sepultus fuerit Adã primus omniũ hominũ parẽs.

Illa demum B. Hieronymi ponderanda est sententia: Ait quosdam 74
esse suspicatos Adamum esse in monte Caluariæ sepultum, verũ aperte tradi in libro Iosue, eum conditum esse in vrbe Hebron. Spectauit videlicet S. Hieronymus extrema illa verba capitis decimiquarti, quæ secundum latinam translationem sic habent: *Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim situs est.* Illud *Adam maximus* interpretatus est B. Hieronymus de primo homine & humani generis parente. Atqui vox, Adam, non est eo loci nomen proprium primi parentis, sed communiter significat quemlibet hominem: eadem enim vis atque notio apud Hebræos voci Adam subiecta est, atque vocabulo hominis apud Latinos. Et vox quidem Adam illic refertur ad Arbam, qui propterea nomen dedit vrbi, quod in ea floruerit ille inter Enacinos clarissimus. Atque hoc liquido ostendit hebraica scriptura eius loci, cuius hæc est sententia: nomen Hebronis olim fuerat Cariath Arbe; is fuerat homo inter Enacinos maximus. Nihil igitur verba illa Iosue pertinent ad sepulturam primi hominis: licet Hieronymus id asserat non hoc loco solum, verum etiam in cap. 28. Matthæi: & in illa verba capitis 5. Epistolæ ad Ephesios: *Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te* CHRISTVS. Nec vero quidam tantum suspicati sunt (vt inquit Hieronymus) Adamum esse in loco Caluariæ sepultum: sed plurimi & vetustissimi, & cum doctrinæ tum sanctimoniæ gloria celeberrimi auctores, id quasi antiquam & certam traditionem prodiderunt: Origenem dico Tractatu in Matthæum 35. Cyprianum in sermone de Resurrectione, Athanasium in libro de Passione Domini, Ambrosium libro quinto epistolarum. Epist. 19. & in 23. caput Lucæ, Augustinum in sermone 71. qui est De Immolatione Isaac: vt taceam Theophylactum, & Euthymium, aliosque minorum gentium Theologos.

S. Hieronymus.

S. Hieronymus.

BENE

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT Decimumquartum Geneſis.

Abram debellatis quatuor regibus, liberat captiuitate Lot: accipitur honorifice à Melchisedech rege Salem, & DEI Sacerdote: à quo Sacrificium panis & vini offertur DEO.

EACTVM *est autem in illo tẽpore, vt Amraphel rex Sennaar, & Arioch rex Ponti, & Chodorlahomor rex Elamitarum, & Thadal rex gentium inirent bellum contra Bara regem Sodomorum, & contra Bersa regem Gomorrhæ, & contra Senaab regem Adamæ, & contra Semeber regem Seboim, contraque regem Balæ, ipsa est Segor. Omnes hi conuenerũt in vallem Syluestrem, quæ nunc est mare Salis. Duodecim enim annis* 2 3
seruierãt Chodorlahomor, & tertiodecimo anno receſſerunt 4
ab eo. Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor, & reges qui erant cum eo: percusſeruntque Raphaim in Astaroth, & Carnaim, & Zuzim cum eis, & Emim in Saue Cariathaim. Et Corrhæos in montibus Seir, vsque ad cam- 5 6

pestria Pharan, quæ est in solitudine. Reuersique sunt, & venerunt vsque ad fontem Misphat, ipsa est Cades: & percusserunt omnem regionem Amalecitarum, & Amorrhæorum qui habitant in Asasonthamar. Et egressi sunt rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ, rexque Adamæ, & rex Seboim, necnon & rex Balæ, quæ est Segor, & direxerunt aciem contra eos in valle Syluestri, scilicet aduersus Chodorlahomor regem Elamitarum, & Thadal regem gentium, Amraphel regem Sennaar, & Arioch regem Ponti: quatuor reges aduersus quinque. Vallis autem Syluestris habebat puteos multos bituminis. Itaque rex Sodomorum & rex Gomorrhæ terga verterunt, ceciderunt que ibi: & qui remanserant, fugerunt ad montem. Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum & Gomorrhæorum, & vniuersa quæ ad cibum pertinent, & abierunt. Nec non & Lot & substantiam eius, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis. Et ecce vnus qui euaserat, nunciauit Abram Hebræo, qui habitabat in conualle Mambre Amorrhæi fratris Eschol, & fratris Aner: hi enim pepigerant fœdus cum Abram. Quod cum audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecētos decē & octo: & persecutus est eos vsque Dan. Et diuisis sociis, irruit super eos nocte: percussitque eos, & persecutus est eos vsque Hoba & Phœnicem, quæ est ad læuam Damasci. Reduxitque omnem substantiam, & Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoque & populum. Egressus est autem rex Sodomorum in occursum eius, postquam reuersus est à cæde Chodorlahomor & regum qui cum eo erant in valle Saue, quæ est vallis regis. At vero Melchisedech rex Salem, proferēs panem & vinum (erat enim Sacerdos DEI altissimi,) benedixit ei, & ait: Benedictus Abram DEO excelsō, qui

creauit

creauit cælum & terram, & benedictus DEVS excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus. Dixit autem rex Sodomorum ad Abram, Da mihi animas, cætera tolle tibi. Qui respondit ei: Leuo manum meam ad Dominum DEVM excelsum possessorē cæli & terræ, quod à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas, Ego ditaui Abram: exceptis his quæ comederunt iuuenes, & partibus virorum qui venerunt mecum, Aner, Eschol & Mambre: isti accipient partes suas.

Factum est autem in illo tempore, vt Amraphel rex Sennaar, & Arioch rex Ponti, & Chodorlahomor rex Elamitarum, & Thadal rex gentium inirent bellum contra Bara regem Sodomorum, &c.

Cur Moses profana, & impiorū hominū bella narret.

DICAT fortasse aliquis, cur Moses profana bella, & inter reges impios gesta, non tantum immiscuit sacræ historiæ, verum magna subtilitate ac diligentia historica enarrauit? Sed prōpta & breuis est responsio: id propterea factum esse, vt quemadmodum ex occasione illius belli, amplissima oblata est Abræ materies declarandæ atque exercendæ virtutis suæ: ita quoque diligens narratio eius belli, necessaria quadam consequentia scriptorem duceret ad exponendam virtutum Abræ præstantiam; cuius videlicet magnitudo animi in tantis hostium copiis parua manu adoriendis; fortitudo in debellandis; felicitas in profligandis, magna hostium cæde, nullo suorum damno; & insuper omnibus quæ hostiliter ablata fuerant, recuperandis, perquam mirabilis fuit, omniumque deinceps seculorum prædicatione celebranda. Multa licet præterea in historia huius capitis contemplari, quæ valde commendant rationem diuinæ prouidentiæ qua DEVS vtitur in malos æque atque bonos, diuerso tamen consilio, effectuque. Principio, animaduertere est, DEVM etiam peccatores, quos denique perditurus est, (tanta eius bonitas est atque clementia) sæpe ac varie præmonere consueuisse, vt si resipiscant, parata ipsis mala possint effugere; Illud certe extet & appareat, quàm non velit DEVS mortem peccatoris, sed potius vt conuertatur & viuat; &

quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

quàm lento gradu, & quasi coactus ad extremum inferendum homini supplicium procedat. Ecce tibi, Sodomitas ob infanda eorum flagitia deleturus erat: eos tamen hac leuiori plaga percutiens, quasi præmonuit, vt à tam perditis execratisque moribus discederent, ne impendente ipsis exitij mole oppressi penitus perirent.

Illud quoque obseruãdum: DEVM plerumque malorum vti ministerio ad puniendos malos; quibus punitis, eos quoque punit, per quos illi puniti sunt. Nimirum baculum & flagellum quo in puniendo vsus est, vbi iustitiæ suæ satisfecit, in ignem coniicit, etiam ipsum incendio consumendum, vt de rege Assur scriptum est apud Isaiam cap. 10. Ergo per quatuor istos remotarum gentium reges, puniuit quinque reges Pentapolitanos Palæstinæ. Sic Iudæos plectere voluit per Chaldæos, Chaldæos per Persas & Medos, Persas per Græcos, Græcos per Romanos, Romanos per barbaras gẽtes Gothorum, Hunnorum, aliorumque; necnon & Christianos Schismaticos atque Hæreticos, per Turcas & Saracenos. Considerandum etiam, quemadmodum DEVS nonnumquam bonos viros vnà cum improbis affligat, vt Lot simul cum Sodomitis: contra vero, vnius viri iusti causa, multis parcat improbis, eosque malis etiam meritis debitisque liberet: siquidem plurimi de Sodomitis, qui capti ab hostibus fuerant, etiam ipsi, liberato Lot, in libertatem vindicati & in patriam sunt reducti.

PRIMA DISPVTATIO.

Qui fuerint illi quatuor reges in exordio decimiquarti capitis nominati à Mose, & à quibus quinque reges Pentapolitanæ regionis Palæstinæ debellati sunt.

1 NEMINEM adhuc reperi, qui diligenter hac de re disseruerit; credo equidẽ multos ab huius quæstionis subtili tractatione consulto refugisse; nempe difficillimum ratos, de rebus nimia vetustate obscuratis, & idcirco ab intelligentia hominum longe remotis, quæ legẽtibus probabilia sint, etiam coniectando & diuinando posse dicere. Eorum vero auctorum, qui rem hanc leuiter tantum, & quasi obiter attigerunt, tres esse sententias animaduerto. Prima sententia fuit Eupolemi, vt apud Eusebium refert Alexander Polyhistor. Eupolemus igitur inter alia multa quæ de Abraham prodidit, hoc item addit, cum Armenij temporib. Abram, bello Phœnices vicissent, factũ est vt fratruelem Abrahæ, Lot captiuum abduxerint. quocirca Abram vernas suos armauit, factoque impetu fudit, fugauitque Armenios; nec fratruelem solum liberauit, verum magnam quoque ab hostibus prædam retulit.

Prima sententia.

Euseb. lib. 9. de Præpara. Euãgel. c. 4.

Qualem

Qua de re legati ad eum pro captiuis redimendis ingenti cum pecunia ab Armeniis missi sunt. Ille oblatam sibi omnem recusauit pecuniam, sumptisque solum quæ ad victum pertinebant, captiuos humanissime reddidit. Sic Eupolemus. Sed quæ ratio vel coniectura in eam sententiam induxerit Eupolemum, vt reges illos, Armenos esse senserit; nec scio, nec diuinare possum. Etenim Moses eorũ regũ nomina, & gẽtium ac regionum quibus imperabant, commemorans, nullum de Armeniis vel de Armenia verbum facit. Et quæ, obsecro, Armeniis causa esse potuit tam hostilis odij aduersus Palæstinos, vt cum gẽte tantis terrarum spatiis disiuncta, immenso labore sumptuque belligerare vellent?

Eupolemus.

3 Nec multo probabilior est altera sententia quæ fuit Diodori Tarsensis Episcopi, quem B. Chrysostomus præceptorẽ habuit. Hic Commentarios scripsit in Pentateuchum Mosis, aliosque sacros libros: sed præter pauca quæ citantur in Catena & ab aliis scriptoribus, scripta eius interciderunt. Diodorus porro quatuor illos reges communi nomine Persas appellat; quasi vel omnes illi Persæ fuerint, vel certe sub imperio Persarum. Verum Diodori opinio fidem non capit. Constat enim ante Cyrum monarchiæ Persarum conditorem, nunquam Persas regem de gente sua habuisse, sed fuisse semper sub alieno imperio, quin etiam inter seruientes, ignobilem atque obscuram gentem. Quare facere eos, temporibus Abrahæ, tam late ac potenter regnantes, prorsus abhorret à veritate.

Secũda sententia Diodori.

4 Tertia est Iosephi sententia, quam ego perquam probabilem iudico, atque itidem visum iri doctis rerum antiquarum viris, minime dubito. Ait Iosephus, istos quatuor reges fuisse Assyrios, idest, sub imperio regis Assyriorum; quod imperium erat id temporis amplissimũ & potentissimum, vniuersam nempe Asiam vsque ad Indiam & Libyam complexum; sed primò Iosephi verba ponam; tum eius sententiam ratione firmabo. Sic autem scribit Iosephus: Eodem tempore (quo videlicet Abram concesserat in conuallem Mambre & vrbem Hebron) cum imperium Asiæ penes Assyrios esset, Sodomitarũ res tam opibus quàm numerosa iuuentute florebant, ita vt à quinque regibus administrarentur. Hos Assyrij bello petierunt, diuisisque quadrifariam copiis sub quatuor Imperatoribus, regionem illorum oppugnabãt: commissoque tandem prælio victores Assyrij, Sodomitarum regibus tributum imperauerunt. Cumque per duodecim annos imperata fecissent, & soluissent tributa, decimo tertio defecerunt. Quo factum est vt noua in eos Assyriorum expeditio fieret, ductu & auspiciis Marphedis, Ariochi, Chodollogomori, & Targali. Hi & Syriam vniuersam rapinis vastauerunt, & Gigantum posteros perdomuerũt. Hactenus ex Iosepho.

Tertia sententia Iosephi, quã sequitur Auctor.

Iosephi veram esse sententiam, equidem ita possum argumentari: Constat Ninum Beli filium, imperij ac monarchiæ Assyriorum fuisse fundatorem atque conditorem; id enim, vt ait, B. Hieronymus, omnes tam Græcæ quã Latinæ testãtur historiæ. Tertio autẽ & quadragesimo Nini regis anno natum esse Abram, concors Ecclesiasticorũ auctorum

S. Hieron. in cap. 2. Oseæ.

Cuius ætatis fuerit Abrã, tempore illius belli.

sententia est. Abram vero, cum bellum illud gestum est, annum agebat circiter octogesimum: namque infra Genes. 16. legitur Abram fuisse octogintasex annorum cum genuit Ismaelem; quod sane aliquanto post illud bellum tempore factum est. Ex his duo licet concludere; alterum est, ab exordio imperij Assyriorum vsque ad tempus illius belli, exactos fuisse annos non minus centum viginti: siquidem tunc Abram erat octogenarius: ante cuius ortũ iam duos & quadraginta annos regnauerat Ninus Assyriorum Monarchiæ conditor. Alterum est, bellum illud esse gestum regnante tertio rege Assyriorum, quem Ninum Diodorus, Eusebius Ninam & Zameim appellat, & circa trigesimum imperij eius annum vel vigesimumoctauum. Namque post ortũ Abrahæ regnauit primus Ninus annis nouem; post Ninum vxor eius Semiramis duos & quadraginta annos: post hanc Ninias Semiramidis filius ex primo Nino, annis triginta octo. Ergo annus octogesimus ætatis Abrahæ concurrit cum anno vigesimo octauo imperij Niniæ, tertij Assyriorum regis. Quod autẽ imperium Assyriorum eo tempore vsque ad Syriam, & vltra etiã pertinuerit, disputatum à nobis est probatumque in 2. tomo horum Commentariorum lib. 15. cum alibi, tum Numero 86.

Diodorus. Eusebius.

Genebrardus in Chronologia.

Sed illud fortasse obiiciet aliquis: si quatuor illi erant sub rege Assyriorum, quomodo eos Moses appellauit reges? Hoc loco Genebrardus hæsit. Nam quia Moses illos appellauit reges, ex eo putat concludi non fuisse eos sub rege Assyriorum; nec imperium Assyriorũ fuisse id temporis ita potens & amplum, vt à multis traditur: quin etiam quæ de potentia Nini regis, & de amplitudine monarchiæ eius à veteribus prodita sunt, fabulosa existimat: sed non rectè. Nam quę à tam multis & antiquis scriptoribus externis atque Ecclesiasticis, tanta asseueratione literis consignata sunt, eorum auctoritatem conuellere, fidemque demoliri, sine grauissimis causis, firmissimisque rationibus velle, nec prudens consilium est, & plane inanis est atque irritus conatus. Nihil enim vetat aut repugnat, illos nominatos fuisse reges, & fuisse nihilominus sub imperio regis Assyriorum. Nimirum fieri potuit vt rex Assyriorum illos quatuor titulo & insignibus regalibus decorauerit, vel quo magis eos de se bene meritos, honoraret: vel ad augendam earum prouinciarum, quibus eos præfecerat, dignitatem. Potuit item fieri, vt illi fuerint antea proprij & veri earum prouinciarum reges, sed à Monarcha Assyriorum subiugati fuerint; eius tamen permissu atque concessu, eisdem prouinciis præfuerint regum nomen & decora retinentes. Non ne Romanorum imperio reges aliquot subiectos fuisse legimus, Eumenem Bithyniæ regem, Deiotarum Cappadociæ, Tygranem Armeniæ, Herodem Iudææ? Non ne hoc tempore sub imperio Turcarum reges sunt in Africa, Tripolitanus, Tunetanus, & Hadrumentinus? fuisse autem sub rege Assyriorũ Satrapas & Principes qui reges essent, dubitare nos minime sinit Isaias; quippe qui regẽ Assyriorum his verbis se glorioſe iactantem inducit: *Numquid non Principes mei simul reges sunt?* Quid quod Diodorus Priamum Troianorum regem celeberrimum,

An illi quatuor fuerint veri, ac liberi Regis.

Sub Rege Assyriorum fuisse complures alios reges.

Locus Isaiæ. cap. 10.

Diodorus lib. 3. ca. 6.

mum, perspicue docet sub imperio fuisse regis Assyriorum? sic enim ille scribit: Theautamo in Asia regnante, qui vigesimus à Nino atque Semiramide descendit, Agamemnonem tradunt aduersus Troiam cum Græcis bellum mouisse, cum iam Assyrij amplius mille annis Asiæ imperassent. Cum autem Priamus bello oppressus, à rege Theutamo præsidium, vtpote Assyriis subditus, postulasset; ille decem millia Æthiopum, totidemque Susianos cum ducentis curribus duce Memnone, Troiam misit. Hæc Diodorus.

6 Sequitur vt de vno quoque istorum quatuor regum singillatim ac proprie dicamus. Primus illorum nominatur Amraphel Rex Sennaar. Quoniam autem in terra Sennaar ædificata est ciuitas Babylon, recte creditur à plerisque hunc fuisse regem siue Satrapam Babylonis: quæ ciuitas eo tempore admodum florebat, vt quam Semiramis, mater Niniæ regis, quo apud Assyrios regnante bellum hoc gestum est, incredibili magnificentia condiderat. Sed illud disquirendum est, an rex iste Babylonis fuerit Nemrot: nam caput regni eius fuisse Babylonem, supra capite decimo dixit Moses: & Iosephus primo libro Antiquitatum tradit, eorum qui turrim & vrbem Babel ædificare aggressi sunt, principem ac ducem fuisse Nemrot. Hebræi certe hunc regem Amraphel fuisse affirmant Nemrot, nec abnuunt Lyranus & Vatablus. At enim nullo modo istis constat ratio temporum. Etenim Nemrot aut fuit Belus pater regis Nini, vt nos ostendimus in 2. Tomo horum Commentariorum in Genesim lib. 15. Num. 61. & 67. aut prior fuit Belo, quod est apud Berosum Annianũ; si Nemrot fuit Belus, is profecto iam plus centum viginti annis obierat. Siquidem eius belli tempore Abram octoginta erat annorum, vt dudum diximus: Abram porro natus fuerat tertio & quadragesimo anno regis Nini, qui post patris sui Beli mortem regnum inierat: sin autem Nemrot ante Belum fuit, eo melius nostra procedit ratio.

Genes. 11.

An Amraphel rex Sennaar, fuerit Nemrot.

Iosephus.

Hebreorum opinio refellitur.

Berosus. Annianus.

7 Alter de illis quatuor, nominatur Arioch rex Ponti. Videtur Latinus interpres secutus Aquilam, qui similiter appellauit regem Põti: nec ab eo longe discessit Symmachus, vocans eum regem Scytharum. Hebraice est rex Elasar, & hoc ipsum nomen septuaginta interpretes in sua translatione retinuerunt, vertentes (rex Ellasar.) Multi putant Hellasar esse nomen prouinciæ vel ciuitatis non procul distantis à Palæstina, aut propinquæ terris aliorum regum, Babylonicam dico regionem, & Elamiticam. Apud Stephanum, qui de vrbibus scripsit, Ellas nominatur vrbs Cœlesyriæ. B. Hieronymus in libro de locis Hebraicis Ellasar interpretatus est ciuitatem quandam: Ellasar, inquit, ciuitas fuit regis Arioch; haud dubie spectans ad hunc locum Geneſis. Sed enim difficultatem affert latina translatio, quæ Elasar vertit Pontum. Non enim credibile videtur regẽ Ponti, longissime scilicet distantem à Palæstina, tam procul aduersus eam gentem exercitũ duxisse. Itaque Vatablus præcise negat id posse intelligi de regione Ponti, quippe quæ non solum à Palæstina, sed à regionibus aliorum quoque regum-

Arioch, rex Põti, & quid hoc loco vox Põti significet.

Stephanus. B. Hieron.

Vatablus.

qui hic memorantur,erat disiunctissima;vt regem Ponti cum aliis tri-
Eugubinus. bus regibus bellicam coiisse societatẽ, incredibile videatur.Eugubinus vero hanc ipsam tractans difficultatem in iis quæ notauit super Mosis Pentateuchum,ita scribit:Cum Pontus aut mare significet,aut prouinciam notissimam, maximis interuallis remotam ab iis locis de quibus hic agitur, vehementer ambiguum est, quidnam S. Hieronymus hoc loco per Pontum intelligi voluerit: nisi forte locus hic corruptus sit. Quantum vero ad lectionem hebraicam,videtur nomen esse vrbis quæ appelletur Elasar: neque id nomen in aliud verti potest. Septuaginta quoque integrum nomen reliquerunt,& itidem Chaldaica interpretatio. Nec sane arbitror temere Hieronymum vocem Elasar, vocabulo Ponti expressisse. Nimirum eorum locorum aut inspector ipse fuit, & diligens explorator, aut ex iis percunctatus est,qui eorum locorũ periti habebantur. Adiuuat porro interpretationem Hieronymi,quod alij reges Persæ erant,vt tradit Diodorus,cum quibus hic rex Ponti aduersus Palæstinos reges exercitum suum viresque bellicas coniunxit. Nec mirum,nihil de eo bello in externis historiis esse proditum:nempe ob nimiam rei gestæ vetustatem id accidit. Siquidem cætera Persarum bella quæ perscripta sunt ab historicis,plane recentissima sunt, si cum illius belli antiquitate conferantur.Sic fere Eugubinus.

Thostatus. Thostatus dictum putat esse regem Ponti pro Hellesponti,& sic vo- 8
catum esse tempore Mosis: & hunc regem venisse cum exercitu in auxilium aliorum regum,quod inter se confœderati essent. Solent enim Principes,alij alios auxiliaribus copiis iuuare, etiã si in locis admodum inter se distantibus regnent; vel propter cognationem, vel amicitiam, vel confœderationem,clientelam,accepta beneficia,vel ob metum alicuius potentioris,à quo si præualeat, etiam sibi timent, aut spe communis prædæ,vel ditionis suæ ampliandæ. Hoc euenisse legimus in ciuili bello inter Cæsarem & Pompeium gesto: namque ad Pompeium cum exercitu venere multi reges ex tã longinquis regionibus, & adeo remotis terræ partibus profecti,vt in alium quasi orbem venisse sibi illi viderentur: quod elegantissimis versibus scripsit Lucanus.Hactenus
Lucanus lib.2. ex Thostato.

Auctoris opinio. Mihi nihil ad præsens occurrit Thostati diuersum expositioni: etenim latina lectio huius loci perspicue significat, Arioch fuisse regem 9
Ponti;nec aliam in scriptura vox Ponti significationem habet nisi quæ vulgata & vsitata est apud externos scriptores. Est igitur verisimile, quatuor istos reges, siue Satrapas Monarchæ Assyriorum,vel mandato ipsius Monarchæ;vel mutua ipsorum conspiratione,coniunctis bellicis cuiusque viribus voluisse vel nouas gentes regionesque imperio Assyriorum adiicere,vel iam subiugatas,sed rebellantes & seruitutis iugum excutere conantes, rursus bello perdomare, & ad priorem seruitutem subeundam compellere,Hoc fecisse Nabuchodonosor misso ad id Holoferne cum validissimo exercitu, docet historia Iudith. Subiit hæc di-
Iudith.c.1. ctantem recordatio eius, quod aliquando legeram in exordio historiæ Iudith,

Iudith, vbi traditur Nabuchodonosor pugnasse contra Arphaxad regem Medorum, & obtinuisse victoriam in cãpo magno qui appellatur Ragau,circa Euphratem & Tigrim, & Iadason,in campo Erioch regis Elicorum. Magna videtur similitudo inter eum regem; qui hoc loco nominatur Arioch rex Elasar secundum lectionem hebraicam, & inter illum qui appellatur in libro Iudith, Erioch rex Elicorum. Perpendat hæc secum diligenter Lector eruditus, & in re, tum propter nimiam vetustatem, tum propter vocabula gentium & locorum sæpius immutata,perdifficili ad intelligendum,quod similius vero visum fuerit,ipse decernat.

10 Tertio loco nominatur Chodorlahomor rex Elamitarum. Elamitæ iuncti sunt Persis:quin etiã antiquitus quasi parentes & principes fuere Persarum.Sed hi postea in tãtum opibus & imperio aucti sunt, vt non solum illos suæ dominationi subiecerint, verum priscam illorum claritatem prorsus obscurauerint.Iosephus,Eusebius,& B.Hieronymus tra- Rex Elam. Eusebius. Hieronymus.
dunt Elamitas ab Elã filio Sem, de quo supra Geneseos 10. Moses scripsit, primam duxisse originem. Quos autem diuina scriptura nominat Elamitas, & regionem Elam, externi scriptores Elymeos, & Elymaïdem appellant.

Quartus demum hoc loco memoratur Thadal rex Gentium. Cum Thadal cur appelletur rex gentiũ.
autem alij quoque reges gentibus imperauerint, cur hic præcipue ac proprie vocetur Rex gentium, non est facile probabilem aliquam, & quæ plane animum expleat afferre causam.Lyranus & Thostatus propterea sic appellatum putant, quod regnum eius ex multis admodum & variis gentibus ac nationibus mixtum & conflatum erat. Vatablus ait,vocem hebræam(Goim)significare gentes & populos,vel proprium esse nomen prouinciæ, quæ vicina fuerit aliis hic memoratis, Babyloniam dico & Elymaïdem. Lyranus. Vatablus.

Alij existimant istum fuisse regem eius partis Palæstinæ,quæ postea Galilæa gentium dicta est. Cuius appellationis multæ possunt reddi causæ;vel quod inibi gẽtes habitauerint vsque ad Salomonis tempora: vel quod Salomon viginti eius prouinciæ ciuitates Gentili Tyriorum regi Hiram donauerit;vel quod extima fuerit Palæstinæ,variis vndique gentibus cincta;vel cognominata est Galilæa Gentium,quod portuosa, mercaturæque faciendæ accommoda, varias gentes reciperet. Ex quibus vt fit,multos etiam homines ibi mansisse satis verisimile est.Quare non temere quispiã dixerit,Thadal, qui cum aliis tribus sociis regibus Sodomam depopulatus est,illis in oris regnasse; quippe cum rex Gentium appellatus sit.Et vero regionem illam à mixtarum gentium colluuione inhabitatam esse,testis est Strabo,ita scribens:Hæc Septentrionalia sunt omnia magna ex parte à mixtis gẽtibus habitata,Aegæptiis, Arabibus, & Phœnicibus. Nam tales sunt qui Galilæam habent, & Hierichuntem,& Philadelphiam,& Samariam.Sic Strabo. Andræas Masius in cap.12. Iosue versu 9. Strabo lib. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

VERSV 3.

Omnes hi conuenerunt in vallem Sylueſtrem, quæ nunc eſt Mare Salis.

DESCRIBITVR locus in quem vtrinque conuentum 11
eſt ad pugnam: vbi prœlio inito quinque reges Pentapolitani fuſi fugatique ſunt. Ter hoc capite appellatur vallis Sylueſtris: Septuaginta appellãt vallem ſalſam, vel, vt refert Hieronymus, vallem ſalinarum, quæ poſt DEI iram & ſulphuris pluuiam, in mare mortuum verſa eſt, quod ab externis ſcriptoribus lacus Aſphaltitis, id eſt, bituminis, appellatur. Hebraice eſt in valle Siddim: quod Aquila & Theodotion interpretãtes, amœna nemora ſignificant. Pagninus ipſam vocem hebræam retinuit. Eugubinus exponit vallem deſertam, incultam, vaſtatam. Chaldaica tranſlatio habet in planitie agrorum: ſignificans eam planitiem multos habuiſſe agros aratos & cultos, quaſi Siddim veniat à radice Sadec, quæ agrum cultũ ſignificat. Caietanus putat Siddim eſſe nomẽ propriũ illius loci.

Hieron. in Quæſtionib. in Geneſim.

Quid ſignificet vallis Siddim.

Eugubinus.

Caietanus.

Oleaſter breuiter ſuper eius vocabuli ſignificatione diſputans, hunc in modum ſcribit: Dictio Siddim non plene nota eſt Hebræis. Nam quidam putant eſſe proprium nomen loci. Alij ſignificare dicunt agros. Alii vero bitumen aut calcem. Si quis tamen recte radicem examinet, deprehendet hæc verba, Sadad, & Sud, eiuſdẽ eſſe ſignificationis. Nam (Sadad) ſignificat agrum colere ſeu adæquare: qualis manere ſolet ager, poſtquam lignea crate ad æqualitatem redactus eſt. Similiter dictio (Sud) incruſtare ſeu calce aut bitumine linire, & ad modum agri culti parietem æquare. Vnde (Sadeh) id eſt, ager cultus & æqualis. Si ergo Siddim non ſit proprium nomen loci, ſignificat campos ſeu agros cultos, & vertendum fuit: in valle agrorum, ſcilicet cultorum. Sic ille. Ergo locus ille vallis erat, quia montibus erat circumdatus: erat item planities & campus, propter æqualitatem & amplitudinem ſoli: habebat etiam agros diligenter aratos & cultos: erat demum magna ex parte ſilueſtris & nemoroſus, vt Aquilę, Theodotionis & latina noſtri interpretis tranſlatio indicat. Quare locum illum delicatum & peramœnum fuiſſe neceſſe eſt. Hæc ipſa vallis puteos bituminis habuiſſe permultos, paulo infra dicitur: hodieque ait Borchardus, complures ſunt putei in littore eius maris ſiue lacus diſpoſiti, quos ego ipſe vidi; eſtque iuxta quemlibet eorum erecta pyramis.

Borchar. in diuiſione Terræ Sanctæ. par. 1. c. 7. Num. 35.

QVAE *nunc eſt mare Salis*: ſeptuaginta verterunt: *Hoc eſt mare Salis* 12
Chaldaica interpretatio habet: *Vbi eſt mare Salis*, Hebraice ad verbum eſt: *Ipſa eſt mare Salis*: ſed pronomen (*ipſa*) Hebręis maſculini generis eſt: nec propterea tamen non poteſt iungi cum voce Vallis, quippe quæ apud Hebræos etiam maſculini generis eſſe poteſt. Cum autem vocatur mare Salis, duplex eſt hebraiſmus: alter in vocabulo maris, quo Hebræi

Hebræi omnem congregationem magnam aquarum, vti ſunt lacus, appellare ſolent: alter in voce Salis, pro eo quod eſt mare Salſum vel ſalſiſſimum. Nam quia in excidio illius regionis plurimum ſulphur admixtum ſale cœlitus pluuit, idcirco lacus ille ſulphureus ſimul & ſalſus extitit.

Verum quæritur an lacus ille factus ſit poſt illam DEI vindictam, an vero ab initio ſemper inibi fuerit. Caietanus & Oleaſter arbitrantur ante regionis illius euerſionẽ, & ante hoc bellum, fuiſſe ibi lacum. Audi Caietanum: Vtrum hoc mare Salis inceperit poſt illud bellum, an fuerit ante, Scriptura non manifeſtat; non enim manifeſte dicit illam vallem eſſe mare Salis. Etenim pronomẽ, *ipſe*, ſic enim hebraice legitur: *Ipſe maris Salis*, eſt maſculini generis in hebræo: & poteſt demonſtrare tam vallem, quæ Hebræis eſt communis generis; quam vocem illam *Siddim*, quæ eſt maſculini generis, & eſt nomen proprium illius vallis. Si igitur pronomen *Ipſe* demonſtrat *Siddim*, non oportet fateri mare ſalis factum eſſe poſt illud bellum: Sin autem demonſtrat *Vallem*, neceſſe eſt id fateri: ſignificatur enim, locum qui erat vallis tempore illius belli, poſtea tempore Moſis qui hæc ſcripſit, fuiſſe mare Salis. Et hunc ſenſum ſecutus eſt Ioſephus & Latinus interpres. Verum quia ſine auctoritate ponitur tam magna nouitas, vt tantus ille lacus, cuius auctore Ioſepho, longitudo ſexcentorum octoginta ſtadiorum eſt, latitudo autem centum quinquaginta, cum antea nullus fuiſſet, repente factus ſit; idcirco non facile fidem adhibeo. Potius igitur ſequor planum ſenſum literę, quæ indicat vallem illam eſſe denominatam à Siddim, id eſt, à loco propinquo qui eſt mare Salis. Sic Caietanus.

An lacus Aſphaltites ſẽper eo loco fuerit. Caietanus.

13 Cenſet igitur Caietanus Siddim fuiſſe locũ, in quo erat Mare Salis, eumque locum fuiſſe viciniſſimum valli Sylueſtri, atque ob eam vicinitatem, cum eſſet locus valde celebris, dediſſe nomen illi valli vt ab eo appellaretur vallis Siddim. His conſona ſcribit Oleaſter: Nec putes, inquit ille, antea non fuiſſe eo loco illum lacum; cum ſemper in eum lacum Iordanis aquas ſuas exonerauerit: verum antea lacus ille non ſe extendebat vſque ad Sodomam, ſicut poſt ſubuerſionem illarum ciuitatum. Hæc ille. At enim, contraria ſententia mihi quidem potior eſt: hæc enim Ioſephi, & B. Hieronymi, & vt verbo dicam communis eſt. Hanc maxime firmat Chaldaica, Græca, & Latina lectio huius loci: nec ab ea diſcrepat Hebraica, cum pronomen illud (ipſe) (vt fatentur etiam qui contrariæ ſunt opinionis) cũ vocabulo vallis apte iungi queat. Nec incredibile Caietano videri debuit, repente factum eſſe illum lacum; cum vel ob ingentem aliquem terræmotum, aliaſque cauſas naturales, ſæpe noua flumina & lacus extitiſſe, certis manifeſtiſque exemplis ab hiſtoricis pariter atque philoſophis proditum ſit. Nec illud non valde minuit admirationẽ eius rei, quod quidquid in regione Pentapolitana ex DEI vindicta contigit; id non modò naturali euen· iſſe, ſed maximo diuinæ omnipotentiæ miraculo factum eſſe fateri neceſſe eſt.

Oleaſter.

Duo

Universidad de Deusto
Biblioteca

VERSV 4. *Duodecim autem annis ſeruierant Chodorlahomor, & tertiodecimo anno receſſerũt ab eo. Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor, & reges, qui erant cum eo.*

EX his verbis extat & apparet, quæ fuerit cauſa inferendi belli regibus Pentapolitanis. Cũ enim antea à rege Elamitarum ſubiugati, per duodecim annos ei paruiſſent, & tributum ſoluiſſent; decimo tertio anno iugũ excuſſerunt, nec ſolitum pendere tributum voluerunt. Ob hanc igitur cauſam rex Elamitarum volens compeſcere rebellantes, & iniurias vlciſci, ac prioris vinculo ſeruitutis, repugnantes conſtringere, conſociatis ſecum tribus aliis regibus, cum valido exercitu Palæſtinã inuaſit. Opinatur Lyranus, alios tres reges habuiſſe etiam hoſtes in Palæſtina: & primo regem Elamitarum iuuiſſe eos ad debellandos illos hoſtes: poſtea ipſe adiutus eſt ab illis in debellandis regibus Pentapolitanis. Narrat enim Scriptura primo eſſe percuſſos ab illis quatuor regibus varias gentes: vt Raphaim, Zuzim, Emim, Corrhæos, Amalecitas, & Amorrhæos. Quanquã fieri poteſt, vt iſtæ gentes conſpiraſſent vna cum Pentapolitanis, & anteriora loca tenenres & defendentes, aditu illos & acceſſu ad Pentapolitanos prohibuiſſent. Verum ſi iam antea omnis Palæſtina & Syria, vt veriſimile fit, Aſſyriorum imperio ſubiecta fuerat, cur ſolis Pentapolitanis tributũ eſt imperatum? an quia illi acriores & obſtinatiores fuerant in reſiſtendo? an potius quod regio Pentapolitana eſſet fertiliſſima, eiuſque reges totius Palęſtinæ opulentiſſimi & ditiſsimi? Præcipua porro fit mentio regis Elamitarum, non quod inter illos quatuor vel dignitate vel poteſtate princeps eſſet; nãque Amraphel regem Babylonis primas tenuiſſe, ob idque primo loco eſſe nominatum à Moſe, ſatis credibile eſt: ſed quod rex Elamitarum princeps eſſet illius expeditionis aduerſus Pentapolitanos, quam expeditionem Moſes, propter captiuitatem Lot, eiuſque liberationem, præcipue narrandam ſuſceperat. 14

Lyranus.

VERSV 5. & 6. *Percuſſerunt Raphaim in Aſtaroth, & Carnaim & Zuzim cum eis, & Emim in Saue. Cariatharim & Corrhæos in montibus Seir, vſque ad Campeſtria Pharan, quæ eſt in ſolitudine.*

Chryſ. homil. 31. in Geneſim.

CVR Moſes gentes ab illis quatuor regibus debellatas, & regiones ab illis depopulatas atque vaſtatas tam ſubtili & diſtincta narratione commemorare voluerit, cauſam B. Chryſoſtomus affert bene probabilem & idoneam. Sic autẽ ille ſcribit 15

ſcribit: Nec prætereamus obiter quæ dicta ſunt, neque inutilem hanc narrationem eſſe putemus. Dedita enim opera diuina ſcriptura omnia hæc nobis narrauit, vt diſceremus quantum fuerit robur quantaque potentia Barbarorum, & quanto impetu in bellum venerint; quippe qui & gigantes, hoc eſt proceros & fortes corpore debellarint, omneſque gentes in fugam couuerterint. Nam ſicut torrens qui vehementer excurrit & inundat, omnia ſecum rapit ac perdit, ita & Barbari illi omnes illas gentes ferociter inuaſerunt, & vno impetu perdiderunt. Sed quæ vtilitas, dicet quiſpiam, ſcire tantum Barbarorum robur? magna ſane: nempe vt cognoſcatur excellens DEI potentia; & admirabilis Patriarchæ virtus, qui tantum numerum & vim Barbarorum tanta celeritate facilitateque profligarit. Hæc Chryſoſtomus. Memorantur igitur ſupradictis verbis quatuor gentes ab illis quatuor regibus debellatæ; nominatis etiã locis quę gentes illę inhabitant, vt & nomina locorum ipſas gentes, & nomina gentium loca ipſa redderent notiora. De his gentibus atque locis ita ſcribit B. Hieronimus: Quatuor reges profecti de Babylone, interfecerunt gigantes, qui hic appellantur hebraice Raphaim: robuſtos quoque Arabiæ, & Zuzim in Ham, & Emim in ciuitate Saue, quæ vſque hodie ſic vocatur: Zuzim autem & Emim, terribiles & horrendi interpretantur: pro quo ſeptuaginta ſenſum magis quàm verbum ex verbo transferentes, gẽtes fortiſſimas poſuerunt. Pro eo autem quod ſeptuaginta verterunt (cum eis) hebraice eſt (Be Ham) id eſt, in Ham, ſed illi eam vocem putauerunt ſcribi per literam He, ducti elemẽti ſimilitudine; cum per Heth ſcriptũ ſit. Be Ham enim cum per tres literas ſcribitur, ſi mediam, He, habet, interpretatur, in eis: ſin autem habet Heth, vt in præſenti, locum ſignificat, id eſt, in Ham. Sic Hieronymus. Ergo cum latina tranſlatio habeat etiam hoc loco illud (cum eis) ſi eius tranſlationis auctor fuit Hieronymus, vt fere creditur; neceſſe eſt dicere eum in conficienda tranſlatione mutaſſe ſententiam, & aliter vertiſſe, quam docuerat in illis Traditionibus hebraicis in Geneſim: idque non ſolum hic videre eſt, ſed aliis etiam permultis locis animaduertere licet. Verum diſtincte ac per partes nomina illarum gentium & locorum exponamus.

S. Hieron. in Quæſtionib. hebraicis in Geneſim.

Quid obſeruandum in Tranſlatione Beati Hieronymi.

16 Primi nominantur Raphaim, dicti fortaſſe à quodam gigante Rapha, cuius mentio fit priori libro Paralipomenon capite 21. eius poſteri, qui ſimiliter gigantes fuerunt, appellati ſunt Raphaim, eratque certa quædam gens de iis gentibus quæ Palæſtinam inhabitabant. Quamquam id nominis poſtea ad quoſlibet gigantes ſignificandos traductum eſt, vt cernere licet Prouerbiorum cap. 9. & 21. Iſaiæ 14. & 26. & Deuteronomij 2. his enim locis legitur vocabulum gigantum, communiter ſignificãs quos libet gigantes; cũ tamẽ hebraice ſit Raphaim. Thoſtatus differentiam aliquã putat fuiſſe inter Raphaim & Enacim: nam licet vtriquę eſſent gigantes, attamẽ Raphaim tum mole tũ robore corporis multo præſtantiores ac celebriores fuiſſe: idque colligit ille partim ex cap. 3. Deuteronomij, partim ex cap. 15. libri Ioſue. Locus

Raphaim.

Thoſtatus.

porro, vbi tunc isti Raphaim habitabant, nominatur hic à Mose Astaroth Carnaim.

Andræas Masius in cap. 12. Iosue.

VERVM de hoc loco prodenda sunt lectori, quæ ab erudito viro Andræa Masio curiose doctèque literis sunt prodita: Astaroth, inquit ille, quæ cognomento vocatur Carnaim, id est, bicornis, non eodem perpetuo loco ponit Eusebius in libello de locis Hebraicis: modo enim existere ait in supercilio Sodomorum, modo in Basanitidis angulo, sex millibus passuum ab Adara vrbe Arabiæ, vbi etiam nunc superesse prægrandem villam dicit, quæ vrbem illam nomine referat, Carneaque vocetur: additque priscis temporibus inibi habitasse Iob. Rursus alibi affirmat duo supersse castella in Batanea, nouē inter se millibus passuum dissita, inter Adarā & Abilam, & vtrūque vocari Astaroth; atque etiam Carnaim, hoc est, bicornem dici. Nam quod Nehumannus prodidit, Astaroth montem fuisse bicornem, hoc est duobus fastigiis eminentem, cui à pecoribus quæ multa in eo pascebantur, nomen erat inditum; namque Hebræi pecora dicunt Astaroth: hoc, inquam, Nehumanni dictum parum firmum est, ne dicam aperte falsum. Etenim Astaroth pro vrbe Leuitica recensetur in priori libro Paralipomenon cap. 6. Scribit autē S. Augustinus in quæstionibus in librum Iudicum, Astaroth significare Iunones, sicut Baalim Ioues: id enim ex lingua Punica certū esse. Cicero libro 3. de Natura Deorum, Astartem, siue Astareten, quartam facit Venerem Syria Tyrogue conceptā. Sunt etiam Scriptores qui Lunā esse putant. His ego coniecturis augurot, à Iunonis, vel Lunæ phanis, vrbibus illis nomen hoc impositum fuisse.

S. August.

Cicero.

Stephanus.

Tradit Stephanus, Rabbam Ammonitarum, Astartem quoque appellatam esse; sed vt hoc ei demus (nam & illic forrasse pulchra ista Venus culta est, & delubrum celebre habuit) certe non potest ea nostra esse Astaroth. Nam Ammonitarū vrbes nefas erat occupare Israelitis. Hactenus ex Masio: cuius orationem, quod ad pleniorem huius loci intelligentiam conduceret, hic adscribere non alienum putaui.

Deuter. 2.

18 *Et Zuzim cum eis, & Emim in Saue Cariatharim.* Quæ gentes fuerint Emim, & Zuzim, declaratur in Deuteronomio cap. 2. *Non pugnes,* inquit, *contra Moabitas, nec ineas aduersus eos prælium: non enim dabo tibi quicquam de terra eorum, quia filiis Lot tradidi Ar in possessionē. Emim fuere primi habitatores eius, populus magnus & validus, & tam excelsus, vt de Enacim stirpe, quasi gigantes crederentur & essent similes filiorum Enacim. Denique Moabitæ appellant eos Emim.* Et paulo infra eodem ipso capite vocantur Zomzommim, quos Moses hic appellauit Zuzim; sic enim illic scriptum est: *Caue pugnes contra filios Ammon: non enim dabo tibi de terra eorum, quia filiis Lot dedi eam in possessionem. Terra gigantum reputata est: & in ipsa olim habitauerunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zozomim, populus magnus, & multus, & proceræ longitudinis, sicut Enacim, quos deleuit Dominus a facie eorum, & fecit illos* (Ammonitas) *habitare pro eis.* Hinc manifestum fit, Zuzim & Emim non esse nomina appellatiua significantia fortes, robustos, siue terribiles, vt exposuerunt 70. Interpretes: sed esse propria

Emim quæ gens fuerit.

Zuzim.

propria nomina quarundam gentium, quæ tempore Abram certa quędam Palæstinæ loca inhabitabant; in quibus locis debellati & cæsi sunt ab illis quatuor regibus.

Pro illo *Et Zuzim cum eis,* quod posuit latinus interpres secutus Septuaginta: hebraice est Be Ham, id est, in Ham; erat autem Ham, ciuitas, in qua gens Zuzimorum habitabat. Sed quia dicuntur Emim habitasse in Saue Cariathaim, de vtroque loco dicendum est. De Saue hoc solum tradit Hieronymus: Saue, inquit, ciuitas antiqua super regionem Sodomorum: in qua habitauerunt Ommei gens valida, quam excidit Chodorlahomor. Thostatus tamen & Oleaster putant, Saue, nomen esse appellatiuum significans planitiem, quæ erat ante vrbem Cariath Iarin. Hæc autem vrbs Cariath Iarin, quæ & Cariath Baal dicebatur, vt ait Hieronymus, erat ciuitas Saltuum, vna de vrbibus Gabaonitarum pertinens ad tribum Iuda, euntibus ab Aelia Dispolim in millenario vno. Est autem hæc vrbs multis historiis celebris. Et quamquam eam Hieronymus (vt proxime dictum est) collocat mille duntaxat passibus ab Hierusalem, qua Lyddam inter est: Borchardus tamen circiter quatuor horarum & dimidiæ itinere ab vrbe sancta abesse scribit, hoc est, fere decem millibus passuum. Nomen vrbis significat vrbem syluarum, quod ei nomen datum est à vicinio & adiacente monte, qui Iarim vocatur, vtpote syluosus & multa materie obsitus: quamobrem Sanctus Hieronymus appellauit ciuitatem Saltuum.

Hieron. de locis hebraicis.
Saue.
Tosthatus.
Oleaster.
Cariath.
Iarin.

Borchardus.

19 *Et Corrhæos in montibus Seir, vsque ad Campestria Pharan, quæ est in Solitudine.* De Corrhæis siue Horrhæis ita scripūt est Deuter. cā. 2. *In Seir prius habitauerūt Horrhæi, quibus expulsis atque deletis habitauerūt filij Esau.* Idemque paulo infra reperitur eodem illo capite. De monte, siue montibus Seir, hæc in libro Hieronymi de locis hebraicis: Seir mōs in terra Edom, in qua habitauit Esau in regione Gabalena: quæ ex eo quod Esau pilosus esset & hispidus, Seir, id est, pilosi nomen accepit. In quibus locis prius habitauit Corrhæus, quē interfecit Chodorlahomor. Borchardus disputat quinque fuisse montes in terra Sancta vocabulo Seir insignitos & celebratos. Verum de his alius erit in hoc ipso opere dicendi locus. Pro illo *Vsque ad Campestria Pharan,* siue vt habet Chaldaica interpretatio, *Vsque ad planitiem Pharan,* Septuaginta verterunt, *Vsque ad Terebinthum Pharan;* quasi locus ille vel frequentibus terebinthis, vel vna aliqua valde insigni pernobilis fuerit. Pro illo *quæ est in solitudine* hebraice est *super solitudine.* Verum propositio super apud Hebræos & in sacris literis varie admodum vsurpatur: ponitur enim pro, In, Iuxta, Contra, De, Ad: & nisi ad alia festinaret animus, luculentis diuinæ scripturæ exemplis firmari hæc atque illustrari facile possent.

Corrhæi, siue Horrhęi.

Gen. 27.

Borchar. 1. part. cap. 5. num. 8.

20 SED quæ est & qualis hæc solitudo Pharan? Est ingens quædam solitudo in Arabia in eo itinere, quo Hebræi venerunt ex Aegypto in Palæstinam. Nam profecti ex ea mansione, quæ appellata est Sepulchra Concupiscentiæ, venerunt in locum Asseroth, Numerorum 11.

Qualis sit solitudo Pharan.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex Asseroth autem profecti, venerunt in hanc solitudinẽ Pharan, Numerorum 13. In hac vero solitudine consumpserunt viginti mansiones, hoc est, ex Asseroth vsque ad montem qui terminat solitudinem Pharan vbi incipit terra Edom. Patet hoc ex descriptione omniũ mansionum, quæ ponitur Numerorum 33. Ergo illi quatuor reges, fusos à se fugatosque hostes insecuti sunt vsque ad interiora illius solitudinis, maxime vero Corrhæos habitantes in montibus Seir, qui iuncti sunt solitudini Pharan. Cur autẽ Pharan nomen dederit illi solitudini, non satis liquet: credibile est celebrem fuisse locũ vel ipsa in illa solitudine, vel iuxta illam. Verum quale sit illud desertum Pharan, quo magis admiremur singularem DEI prouidentiam erga populum Hebræũ tandiu in eo deserto versantem, paucis indicandum lectori est. Qui desertum illud noscendi causa, vsquequaque obierunt, & spectarunt omnia curiose, tradunt esse solitudinem amplissimam, inuiam & inaquosam, itinere vndecim dierum, sterilem, inarabilem, hominibus iuxta ac bestiis inhabitatam, immo etiam stirpibus atque herbis nudã, asperatam rupibus atque montibus altissimis atque præruptis, & ardoribus Solis exustis. Luctandum insuper est, præter ardorẽ & siccitatem regionis, etiam cum tenacissimo sabulo quod præaltum & vestigiis cedens, ingressum vehementer impedit. In hac solitudine vagati sunt Hebræi per annos triginta octo, quo tempore eos nec manna, nec aqua defecit vnquam, nec vestimenta, nec calceamenta eorum detrita sunt, ac de illis plus sexcenta millia virorum ibi mortua sunt. lege librum Numerorum cap. 14. & librum Deuteronomij cap. 21. & 29.

VERSV 7. *Reuersique sunt & venerunt ad fontem Misphat, ipsa est Cades, & percusserunt omnem agrum Amalecitarum, & Amorrhæorum, qui habitabant in Asasonthamar.*

Caietanus. ILLVD *Reuersique sunt* pertinet ad descriptionem situs, vt ait Caietanus. Progressi siquidem fuerant digrediendo à via versus Pentapolim; & propterea describuntur reuersi. Vel quatuor illi reges debellando Corrhæos habitantes in montibus Seir, penetrauerunt solitudinem Pharan, profligando incolas terræ illius. Postea cum ex illa solitudine vellent egredi, reuersi sunt ad fontem Misphat qui est apud terminos Moabitarum; sicut mõs Hor (vbi mortem obiit Aaron) est apud terminos Idumæorum, vt patet Numerorum 33. 21

Fõs iudicij. Pro illo *ad fontem Misphat* Septuaginta transtulerũt *ad fontẽ iudicij*, quod declarans S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim: Per anticipationem, inquit, sic dictus est, nam id nominis multo post habuit, ex eo scilicet, quod DEVS ibi Hebræos propter penuriam aquæ tumultuantes atque murmurantes iudicauit, increpauit, obiurgauit,

gauit, reprehendit: vel contra potius quia ibi Hebræi iurgati sunt contra Dominum, & quasi iudicio contenderunt ac litigauerunt cum Domino. Thostatus & Lyranus secuti Hebræos referunt ad iudicium quo DEVS iudicauit, id est, puniuit Mosen & Aaron propter eorum *incredulitatem*, sicut scriptum est illis verbis: *Dixit Dominus ad Mosen & Aaron, quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis.* Sedenim fontem illum esse dictum iudicij, non propter iudicium DEI contra Mosen & Aaron, sed propter populi iudicium, id est, murmur, contentionem & iurgium contra Dominum, dubitare nos minime sinit eo ipso loco diuina scriptura, dicens: *Hæc est aqua contradictionis, vbi iurgati sunt filij Israel contra Dominum & sanctificatus est in eis.* Thostatus. Lyranus. *Num.* 20.

Pro illo *ad fontem iudicij*, hebraice est *Hen Misphat*; quæ nomina putauerunt alii esse appellatiua, & Hen significare fontem, Misphat autem iudicium. At vero Caietanus censet esse nomina propria locorum: Magis, inquit, quadrat subiunctæ illi clausulæ *Ipse est cades*, vt sint nomina propria. Non enim conueniens videtur, vt locus ille diceretur fons iudicij ex iudicio DEI contra Mosen & Aaron: siquidem id iam cognitum erat populo Hebræo: nec indigebat expositione quod locus ille esset Cades; attamen nomini illi vetustiori *Hen Misphat* belle quadrat expositio eius per nomen Cades, nempe multo recentius, notiusq; Hebræis. Chaldaica paraphrasis habet *ad planitiem diuisionis iudicij*: quod ita quidam interpretantur, ad planitiem, vbi dirimebantur lites iudicio: Sic enim locus ille nominatus est à iudiciis & causis forensibus propter quas incolæ illius regionis in eum locum conuenicbant: Sicut etiam Rabbi Salomon in suo Commentario meminit, quem Lyranus hoc loco secutus est. Caietanus. Rabbi Salomon. Lyranus.

22 *Ipsa est Cades.* Est Cades vrbs in finibus Idumææ, à qua & adiacens solitudo appellatur Desertum cades, vbi Hebræorum mansio trigesima tertia fuit; in qua mansione anno post egressum de Aegypto quadragesimo, mortua est Maria soror Mosis & ibidem sepulta, cuius sepulcrum manẽs vsque ad ætatem Sancti Hieronymi eo loco monstrabatur. In libro Ecclesiastici cap. 24. precipue laudatur palma Cades. Est alius locus percelebris in scriptis Mosis, cui nomen Cades Barne, vnde Moses misit duodecim exploratores ad speculãdam terram Promissionis. Et hanc quidem Cades Barne omnes fere longe dissitam fuisse putant ab illa Cades, in qua trigesima tertia mansio facta est. Videntur enim Hebræi decimaquinta mansione ad Cades Barne consedisse: sed quando incertis admodum & perplexis gyris per inuiam solitudinem Pharan circunductos esse constat totis illis decem & octo mansionibus; non est profecto incredibile, vt nomen, ita & locum vnum eundemque esse, iuxta nobilem illam vrbem Petram. Idque etiam Chaldæus opinatus esse videtur; quippe qui pro vtrauis Cades reddit Rechem. Vrbs & desertum Cades. An Cades Barne fuerit locus diuersus à Cades.

23 *Percusserunt omnem regionem Amalecitarum & Amorrhæorum qui ha-*

bitabãt in Aſaſonthamar. Amalecitę hic ſunt appellati per anticipationẽ. Nãque Amalec auctor eius gentis, nepos fuit Eſau, Geneſ. 36. Habitabãt Amalecitæ in meridiana parte terræ Promiſſionis, vt traditur Numerorũ, 13. Et eſt ea gens in Arabia nõ procul deſerto Pharã. Bis Amalecitæ pugnarunt cum Hebræis: primum cum Hebræi manerent in Raphidim, Exodi 17. iterum poſt reditum exploratorum de terra Promiſſionis. Amorrhæorum gens vna fuit de ſeptem gentibus terrã Promiſſionis eo tempore poſſidentibus. De qua gente quæ deſiderant explicationem, & curioſam habent cognitionem, ea ſunt à nobis tractata in 2. Tomo horum Commentariorum in Geneſim lib. 15. De loco Aſaſonthamar hæc Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Geneſim: Hoc oppidum nunc vocatur Engaddi, balſami & palmarũ fertile. Namque nomen hebræum Aſaſonthamar Latine ſonat vrbem palmarum: Thamar enim palma dicitur. In libro de locis Hebraicis annotatur eſſe aliud caſtellũ nomine Thamara, vnius diei itinere à Memphis oppido ſeparatum, pergentibus Aeliam ex Hebron, vbi tempore Euſebij & Hieronymi Romanorum erat præſidium.

Num. 14.

Hieronymus.

Gen. 14. VERSV 10.

VERBA illa: *Itaque rex Sodomorum & rex Gomorrhæ terga verterunt, 24 ceciderunteque ibi: & qui remanſerant, fugerunt ad montem*, nonnihil ferunt dubitationis: ſignificatur enim his verbis regem Sodomorum occubuiſſe & periiſſe in illo prælio; id enim ſignificat verbum illud *ceciderunt*, nam cadere in bello vel pugna, idem eſt atque occidi & interire. At paulo infra hoc ipſo capite inducitur rex Sodomorum obuiam procedens Abrahæ victori, debellatis profligatiſque hoſtibus reuertenti. Verum facile tollitur dubitatio, ſi illud *ceciderunt* non referatur ad perſonam illorum duorum regum Sodomæ & Gomorrhæ, ſed ad eorum exercitum; cuius magna pars illic cæſa eſt, aliis ex interitu montiũ perfugio euadentibus. Audiat lector Caietanum. Non eſt dubium, inquit, quin reges illi quinque victi ſint: ſed incertum eſt, an quod dicitur de duobus regibus Sodomæ & Gomorrhæ (qui præcipui inter illos erant) fugientibus, idem quoque de tribus aliis regibus intelligendum ſit: an vero duo tantum illi reges aufugerint, reliqui autẽ tres occiſi ſint; nam captos eſſe, Moſes in hac hiſtoria minime ſignificat. Illud autem *ceciderunt* non ad interitum illorum duorum regum, ſed ad caſum exercitus quinque regum, referendum eſt.

Caietanus

Hebræorum figmenta.

Ridicula profecto eſt altera huius loci interpretatio ab Hebræis cõficta, quam memorant hoc loco Lyranus & Thoſtatus. Hebræi illud *ceciderunt* exponũt de caſu & lapſu in puteos bituminis, qui multi erãt in ea valle, in qua prælium eſt commiſſum. In hos enim puteos, duo illi reges, maximo terrore hoſtium perculſi ac pertubati, cum præcipitem fugam rapuiſſent, imprudenter delapſi ſunt: vnde tamen ſalui atque incolumes emerſerunt. Vt hoc ſuo caſu docti, crederẽt quod de Abram audierant, eum de incendio Chaldæorum, DEO feruante, integrum atque inuiolatum exiſſe. Sed nugæ ſunt, & vaniſſima Hebræorum figmenta, qui ſane audaciſſimi ſunt ad fingendum quodlibet, quod nec

Lyranus. Thoſtatus.

nec verum eſt, nec veriſimile. & nec probant ipſi, nec probare poſſunt. Itaque ſi quis eorum commenta dicat eſſe ſomnia vigilantium, vere profecto ac ſcite dixerit.

25 MORALEM porro huius belli inter quatuor reges externos & quinque Pentapolitanos geſti expoſitionem, elegantẽ ſane, neque hic ſilentio inuoluẽdam tradit Rupertus. Quatuor reges, inquit Rupertus, de quinque regibus victoriam reportãtes, quatuor ſunt animi paſſiones, quinque ſenſus corporis captiuantes, Gaudium, Dolor, Spes, Timor. Has poeta vno verſu exprimit,

Moralis expoſitio. Rupertus.

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque.

Virgilius Aeneid. 6.

Vbi fides quæ per dilectionem operatur, has animi Paſſiones ſuperauerit, & interiorem hominem, quaſi Lot, à captiuitate liberauerit; plane exemplo patris Abrahæ, laudabiliter triumphabit. Tunc magnus Sacerdos Melchiſedec, id eſt CHRISTVS dominus, occurret illi cum ſacrificio ſalutari, dignum vtique illum iudicans, qui debeat cæleſtium ſuorum Sacramentorum particeps fieri. Magna namque victoria eſt, nec gaudere proſperis huius mundi, nec aduerſis dolere, non ſperare læta, nec triſtia formidare. Hanc victoriam prædicans apud quendam Philoſophia, canit illa:

Boetius ſubſinem primi libri de conſolatione Philoſophiæ.

» *Gaudia pelle:*
» *Pelle timorem:*
» *Spemque fugato:*
» *Nec dolor adſit:*
» *Nubila mens eſt,*
» *Hæc vbi regnant.*

Quiſquis igitur ſic victor fuerit, contemnat à rege Sodomorum quicquam accipere, ne dicatur ei, quod ille eum ditaueritid eſt, caueat facere coram hominibus iuſtitiam ſuam, vt videatur ab illis, & illam incurrat ſententiam qua dictum eſt: *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* Sic Rupertus.

Matth. 6.

SECVNDA DISPVTATIO.

De prima origine & cauſa appellationis Hebræorum: circa illa verba: Et Ecce vnus qui euaſerat, nunciauit Abram Hebræo. VERSV 13.

26 HIc primum legitur nomen Hebræi. De cuius nominis origine, propter varias grauium auctorum ſententias, non leuis quæſtio exiſtit. Ego tres commemorabo & breuiter excutiam. Prima opinio eſt, Hebræos eſſe appellatos ex Abram, principe ac parente eius gentis nobiliſſimo; vt dicti ſint Hebræi quaſi Abraæi. Hoc prodidit peruetuſtus ſcriptor Arta-

An Hebræi ſint dicti ab Abram.

Artapanus apud Eusebium.

Artapanus, vt refert Eusebius libro 9. de Præparatione Euangelica capite vltimo; idemque sensit aliquando B. Augustinus, vt significat ipse libro primo de consensu Euangelistarum cap. 14. Ac licet postea non permanserit in ea sententia, non tamen eam vt improbabilem, sed vt minus probabilē deseruit. At enim, omnino esse improbabilem eam opinionem, duobus argumentis plane conuincitur: tum quod ipsemet Abram hoc loco nominatur Hebræus; nulla autem res ex se ipsa denominatur; non enim albedo dicitur alba, nec sapientia sapiens, nec iustitia iusta; siquidem denominatio eorum est, qui aliquo modo id participant, vnde sumitur denominatio: tum etiam, quod valde diuersa est hebraica scriptura nominis Abram atque nominis Hebræus; namque vox Abram scribitur hebraice in principio per Aleph, nomen autem Hebræus per Ain.

S. Augustinus.

An hebræi dicti sint à verbo, Habar, quod est, transiuit, quasi Transitores.

Altera sententia est multorum, & in primis nobilium Auctorum, qui originem huius vocis, Hebræus, arcessunt à verbo Habar, quod Latine est transiuit, vt vocatus sit Abram hoc loco Hebræus, id est, transitor, quod primus eius gentis ex Mesopotamia, transito fluuio Euphrate, venerit in terram Chanaan. Et septuaginta quidem interpretes sic intellexerūt atque interpretati sunt vim & notionem huius vocis: siquidem pro eo quod Latinus interpres hic dixit, *Hebræo*, ipsi græce reddiderunt τῷ περάτῃ, id est transitori, siue transfluuiali; vt legit B. Augustinus in Locutionibus in Genesim, & quæstione 29. vbi sic ait explanans illa verba: *Et nunciauit Abram transfluuiali:* Trāsfluuialem Abram appellatum etiam græca exemplaria satis indicant: sed cur ita appellatus sit, hæc videtur causa, quod ex Mesopotamia veniens, transito flumine Euphrate, sedes cōstituit in terra Chanaā; & dictus est trāsfluuialis ex ea regione vnde venerat. Quocirca Iosue dixit Hebræis: *Quid vultis seruire diis patrum vestrorum qui fuerunt trans flumen?* Hæc Augustinus.

Iosue 24.

Chrysostomus homilia 35. in Genesim.

Chrysostomus vero nō solum ita sensit, sed existimat Thare patrem Abrahæ tale nomen imposuisse filio in eius ortu; quod prophetico spiritu prospiceret, eum migraturum ex Mesopotamia, & transmisso Euphrate iturum in Palæstinam. Audiat Lector Chrysostomum: Quia trans Euphratem domicilium habuerat Abram, propterea vocatus est transfluuialis, siue transitor; quod nomen ab initio ei parentes imposuerunt, præuidentes id quod futurum erat, ipsum nempe transito Euphrate profecturum in Palæstinam, & ideo appellarunt eum Abram. Nam etsi infideles erant, ductu tamen potentissimæ DEI sapientiæ, conueniens puero nomen indiderunt; sicut etiam Lamech filio suo Noe. Est enim & hoc diuinæ misericordiæ, futura etiam per infideles prædicere. Ita Chrysostomus. Eiusdem quoque opinionis adscriptores feruntur Origenes & Diodorus Tarsensis. Theodoretus autem non solum pro ea sententia acriter pugnat, sed etiam valide repugnat iis, qui aliæ quamplurimæ gentes ex Heber traxerint originem, soli tamen posteri Iacob appellati sunt Hebræi?

Genes. 5.

Origenes. Diodorus. Theodoretus quæstio. 60. in Genesim.

27

Rupertus

Rupertus lib. 5. Commentariorū in Genesim cap. 11.

Rupertus porro & sentit idem, simulque rationem exponit cur hoc primum loco Abrā nominatus sit Hebræus, id est, transitor, siue transfluuialis, quod idem significat atque peregrinus & aduena. Sic autem ille scribit: Quare cum iam toties Abram nominatus sit, & adhuc in hac scriptura nominandus sit, & nusquam Hebræus dicatur; hoc illum loco primum nominari Hebræum, id est, transitorem placuit: videlicet quo vehementius commendaretur magnitudo virtutis eius, & rei ab eo gestæ; quod scilicet transitor, id est, peregrinus & aduena, DEO protegente, rem fecerit, quam quinque reges indigenæ facere non potuerant & de victoribus quatuor regibus vnam vltionem, & plenā reportauerit victoriam. Hæc Rupertus.

28

Paulus Burgensis.

Verum nemo eorum qui de hac quæstione disputarunt, ita expresse ac distincte, simulque breuiter eam tractauit vt Paulus Burgensis in sua quadam Additione ad Postillas Lyrani super caput 21. Matthæi; cuius summam disputationis paucis accipiat Lector. Principio probat Hebræos non esse nominatos ab Abram, propter diuersitatem hebraicæ scripturæ nominis Abram & Hebræus: Nā illud incipit à litera Aleph, hoc autem à litera Ain. Deinde argumentatur, Hebræos non esse appellatos ab Heber, vt multis visum est. Nam cum ex stirpe Heber etiam progeniti sint Ammonitæ, Moabitæ, qui de Lot descendunt, & Ismaelitæ atque Madianitæ, qui descendunt ab Abram; & Idumæi atque Amalecitæ, qui descendunt ex Isaac per Esau; omnes istos appellari Hebræos oportebat, cum non minus quā posteri Iacob genus duxerint ab Heber. Postremo censet Burgensis Hebræos dictos esse ab Abram, non ratione proprij nominis eius, sed quod cū ipse natus esset in Chaldæa, ibique cum parentibus & cognatis suis perdiu habitasset, inde vocatu & iussu DEI discedens, transito fluuio Euphrate venit in terram Chanaan: quamobrem nominatus est Hebræus, id est, transitor siue transfluuialis, quod de locis quæ sunt transfluuium Euphratis venisset habitatum in terra Chanaā; sicut aliquos solemus appellare transalpinos, vltramontanos, & vltramarinos. Et quia talis trāsitio fluminis, & transmigratio ex Mesopotamia in Chananitidem, facta est in principio conuersionis Abrahæ ad veri DEI fidem & cultum, aut certe in principio publicationis eius; idcirco cognomen illud Hebræi & ipsi, & posteris eius accidit, quasi à principio fidelitatis Abrahæ. Atque hæc quidem, quæ dicta sunt, videtur elici posse ex verbis Iosue cap. 24. quæ sic habent: *Transfluuium habitauerunt patres vestri ab initio: Thare pater Abram & Nachor, seruieruntque diis alienis. Tuli patrem vestrum Abram de Mesopotamiæ finibus: & adduxi eum in terram Chanaan. Multiplicauique semen eius, & dedi ei Isaac; illique dedi Iacob, & Esau dedi montem Seir, Iacob vero & filij eius descenderunt in Aegyptum.* Ex his apparet cur non alij posteri Abrahæ, præter eos qui ex ipso per Iacob descenderunt, appellati sint Hebræi; ob eam nempe causam, quod alij ad Idololatriā dilapsi, in fide & cultu veri DEI, quem prædicabat Abram, minime permanserunt. Hactenus ex Paulo Burgensi. Cuius porro sententiæ improbatio,

Locus Iosue cap. 24.

Auctoris sententia, Hebræos esse dictos ab Heber.

manifesta erit lectori ex proxime sequentis opinionis expositione & confirmatione.

29 Est igitur tertia sententia quæ multis & magnis viris placuit, Abram eiusque posteros, ex Heber qui pronepos fuit Sem, Hebræos esse appellatos. Hoc tradit Iosephus libro primo Antiquitatum, hoc Iosephus. Eusebius. Eusebius reliquit scriptum in exordio suæ Chronologiæ: Acatius vero Cæsarien. Acatius. sis Ecclesiæ in Palæstina Episcopus Eusebij Cæsariensis discipulus, & in Episcopatu successor, qui scripsit volumen selectarũ quæstionum in diuersos Sacræ scripturæ locos, cuius operis non pauca extant fragmenta in catena Græca explanationum in Genesim, meminitque eius operis S. Hieronymus in epistola, ad Minerium & Alexandrum: Hic igitur Acatius exponens hunc locum Genesis de Abram Hieronym. Hebræo, secundum græcam translationem, quæ pro illa voce (Hebrẽo) habet τῷ περάτῃ, id est transitori, vel transfluuiali, ait nomen (Hebræi) esse Gentile, ductum scilicet à quodam de maioribus Abram, cui nomen Heber: sed græcum interpretem significationem eius vocis exposuisse; Hebræus enim significat transitorem, vel traiectorem: id autem perbelle quadrabat ad historiam Abrahæ, quippe qui ex Mesopotamia, traiecto Euphrate, venerat in terram Chanaan.

Hieronym. Isidorus. Beda. Lyranus. S. Augustin. Thostatus. Caietanus. Eugubinus. Hæc est præterea opinio B. Hieronymi in Traditionibus Hebraicis in Genesim super caput 10. quam secuti sunt Beda, Isidorus, & Lyranus ibi. S. Augustinus posthabita prima opinione in qua fuerat aliquando, quod ab Abram dicti fuerint Hebræi, hanc tertiam opinionem cæteris longe prætulit in lib. 2. Retractionum c. 14. & in lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 3. & 11. & item lib. 18. cap. 39. Ad horum se auctorum sententiam, etiã Thostatus, Caietanus & Eugubinus contulerunt. Et vt ab vltimis incipiã, Caietanus quidem ita scribit: Quamuis sit quæstio, vtrũ Abram dictus sit Hebræus ab Heber, à quo duxit originem, & cuius tempore facta est diuisio linguarum; An potius à verbo hebræo Habar, quod significat transire flumen, quia scilicet ex regione, quæ erat transflumen Euphratis, venerat in terram Chanaan: ipse tamen sonus vocis præ se fert, vocabulum illud Hebræus, potius descendere ab Heber, quàm ab Habar; non enim dicitur Abram habræo, sed Hebræo. Sic Caietanus.

30 Eugubinus in Annotationibus in Genes. cap. 14. Eugubinus certe enucleatius hoc ipsum declarans, etiã non leui ratione confirmat, ad hunc modum scribens: Mihi certè probabilius videtur, Hebræos ab Heber dici, quàm ab Habar, hoc est, transiuit: namque id etiam ipsa vox demonstrat. Siquidẽ nomina gentilia apud Hebræos, per Iod in vltima proferuntur; vt est, Iehudi, id est, Iudæus; Israeli, Israelita, Amaleci, Amalecita. Hæc autem nomina gentilia terminata in Iod, ducta sunt ab aliquo nomine primitiuo significante quandam eius gentis originẽ, & quasi caput vt in supradictis Iehudi à Iuda, Israeli ab Israele, Amaleci ab Amalec. Eandem formã & rationẽ habet nomen Hibri, id est, Hebræus: quare eadem ratio exigit, vt ipsum quoque gentile censeatur, & ab ipso Heber, præcipuis quibusdã de causis, principe

principe eius gentis ductũ putetur. Quod si Hibri esset nomen appellatiuum significans transitorem vel traiectorem fluminis, deriuatum à verbo, habar, quod est, transiuit; potius diceretur Hober, vel Habar per Chamez, vt fit in nominibus appellatiuis, neque enim appellatiua nomina apud Hebræos in Iod terminãtur. Vera igitur est Hieronymi sententia, Hebræos dictos esse ab Heber. Nam post diluuium cum adhuc viuente Heber, linguarũ confusio facta esset: vetus illa & primæua lingua, in sola Heber familia remansit, cumque ille totius familiæ caput esset; ab eo scilicet nomen Hebræi & lingua & gens accepit. Hactenus ex Eugubino.

31 S. August. lib. 16. de Ciuit. Dei. cap. 3. Nec leue profecto ad idem probandum videri illud debet argumentũ, quo vsus est B. Augustinus: tractans enim verba illa Mosis quæ sunt in capite 10. Geneseos. *De Sem quoque nati sunt, patre omnium filiorum Heber*; Non frustra inquit, in progenie Sem, primus & solus nominatus est Heber; & prælatus est etiam filiis Sem, cũ quintus nepos eius fuerit: nisi quia verum est quod traditur, ex illo Hebræos esse cognominatos, tanquam Heberæos. Cum & alia possit esse opinio, vt ex Abraham, tanquam Abrahæi dicti esse videantur. Sed nimirum hoc verum est, quod ex Heber Heberæi appellati sunt: ac deinde vna detracta litera, Hebræi. Quam linguam solus Israel populus potuit obtinere, in quo Dei ciuitas, & in Sanctis peregrinata est & in omnibus Sacramentis adumbrata. Sic Augustinus. Ergo Moses appellans Sem patrem filiorum Heber, dicere quiddam voluit ad laudem Sem, & ad declarandam dignitatis eius exellentiam perquam insigne; videlicet quod Sem pater fuerit populi Dei, & tot tantorumque virorum qui in eo populo claruerunt; qui non solum filij, id est, posteri fuerunt Heber, verum ab ipso etiam nominati sunt Hebræi, & eorum lingua, Hebræa dicta est.

Licet præterea hoc ipsum sic argumentari: eadem videtur fuisse origo & ratio appellationis Hebrææ linguæ, atque gentis: linguam vero Hebræam dictã esse ab Heber concors est Doctorum constansque sententia. Cum enim ante diluuium vna esset omnium communis lingua: postea, cum propter superbiam, & impietatẽ ædificantiũ turrim Babel multiplex inuecta esset varietas & confusio linguarum: quæ antea fuerat communis omnium lingua, ea deinde facta est singularis & propria vnius gentis, & à cæterarum omniũ gentium discreta linguis. Hæc autem quia penes solum Heber & familiam eius mansit, eo factum est, vt tunc, & in posterum ex ipso Heber appellaretur Hebræa. *Gen.* 11.

32 Soluuntur duæ obiectiones. Theodoretus. Burgensis. Restat vt duas obiectiones, quæ fidem eleuare videntur huius opinionis breuissime diluamus. Ac primo quidem Theodoretus & Paulus Burgensis illud obiiciunt: Si hebræi dicti sunt ab Heber, ergo similiter omnes posteri Heber, eo nomine fuissent appellati, cum ex eodẽ omnes originem & genus duxissent. At secus accidit: nam Syri, Moabitæ, Ammonitæ, & qui ex filio eius Iectan progeniti, varias in regione Indiæ gentes condiderũt, posteri fuere Heber, nec tamẽ Hebræi sunt ap-

pellati: cognomen igitur Hebræorum non ex ipso Heber tractum est.

Sed miror istos auctores non animaduertisse, hoc idē telum in ipsos retorqueri posse. Aiunt enim ipsi Hebræos esse dictos ab Abram, eo quod is ex Mesopotamia, transito Euphrate, venerit in terram Chanaan, & ex eo id nominis posteritati eius accidisse. Cur igitur soli posteri Abræ, qui ex eo per Iacob genus duxerunt, eo nomine sunt appellati? Cur non itidem appellati sunt Hebræi, & Ismaelitæ, & Madianitæ qui ex duobus filiis Abrahæ Ismaele & Madian propagati sunt? Cur non etiam Idumæi & Amalecitæ, qui per Esau genus referunt ad Abram, idem vocabulum sortiti sunt? Verum hæc responsio, vt dici solet in scholis, ad hominem est. Recta vero & germana propositæ obiectionis solutio, hæc est: Eos tantū posteros Heber esse dictos Hebræos, qui ab ipso recta serie vsque ad Abram, & ab hoc vsque ad Iacob & posteros eius pertinuerunt. Nimirum, apud hos solos & appellatio Hebræorum, & vsus linguæ Hebrææ mansit: sicut etiam in his tantum viguit veri DEI fides, cultusque ac religio; cæteris omnibus populis atque gentibus in densissima ignorationis DEI rerumque diuinarum caligine demersis.

ALTERA obiectio est: quod Moses non ante appellauit Abram 33
Hebræum, quam is ex Mesopotamia, traiecto Euphrate, venit in terram Chanaan; id non leui esse argumento, propter illum transitum fluminis id nomen ei contigisse: & inde postea permanasse ad eius posteros. sed verum est profecto, quod iactatur in scholis Dialecticorum, Argumentari ab auctoritate negatiue, nullius esse roboris. Non igitur, quia Moses nonnisi post transitum Euphratis, vocauit Abram Hebræum, ex eo bene concluditur, ipsum non fuisse antea sic appellatum, & ex eo transitu, fuisse eo nomine insignitum. Consimili enim ratione posset quispiam argumētari, Abram non esse dictum Hebræum nisi post cladem regis Sodomæ, & captiuitatem Lot, quia eum Moses tūc primum eo nomine appellauit. Cur autem non ante transitum Euphratis & aduentum in terram Chanaan, dictus à Mose fuerit Abram Hebræus, in promptu causa est. De vita enim & rebus Abræ, dum is fuit in Chaldæa, & priusquam à DEO monitus & iussus est inde proficisci in terram Chanaan, nihil scripsit Moses. Quare mirum non est, appellationem Hebræi, ante aduentum Abræ in Chananitidem, nusquam legi.

Cur autem Moses non ante cladem Sodomorum & captiuitatem Lot nominauerit Abram Hebræum: ecquis, obsecro, etiam diuinando, probabilem aliquam & idoneam rationem afferre possit?

Quod

Quod cum audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos. VERSVI4.

34 HIS verbis significat Moses iustissimam fuisse causam Abræ belligerandi & præliandi cum illis quatuor regibus. Causa vero fuit, immerita captiuitas Lot fratris sui. Namque ille cum nec indigena esset terræ Sodomorū, nec pro illa regione ac gente bellator & propugnator fuisset inuentus: sed esset ibi aduena, & quietam atque innocentem degens vitam, indignus plane fuerat qui omnibus suis bonis spoliaretur, & insuper miserrimam in seruitutem abstraheretur; parique clade belli insons ac fontes plecteretur. Ergo tum vis caritatis fraternæ, tum respectus innocentiæ eius viri, iure optimo impulit Abram, vt eum quoquo modo liberare conaretur. Hic enim præcipue locum habebat illud Salomonis præceptum: *Erue eos qui ducuntur ad mortem; & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Si dixeris, vires non suppetunt: qui inspector est cordis ipse intelligit, & seruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini iuxta opera sua.* Prou. 24.

35 Thomas Anglicus differēs hoc loco, vtrū in bello siue pugna quam contra illos reges iniuit Abram, ea fuerint omnia, quæ iustam & probabilem faciunt belli susceptionem, ad hunc modū disputat: Videtur non licuisse Abrahæ bellum gerere cum illis regibus. Siquidem Dominus noster dixit: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Quam Domini sententiam ita explanat B. Augustinus: Ille gladium accipit, qui nulla superiori ac legitima potestate vel volente vel concedente, in sanguinem alicuius armatur: Sed Abram ex se hanc potestatem non habuit, cum non esset rex illius terræ: nec eam à rege accepit, quinimo contra Principem & dominum illius regionis, id est, regem Elamitarum, pugnauit. Thomas Anglicus. Matth. 26. Aug. libr. 12. contra Faustum. ca. 76.

VERVM quo apertior ad hanc quæstionem fiat responsio, intelligere conuenit, sex res, vt bellum aliquod iuste suscipiatur ac geratur, requiri. Primò, necesse est honestā & iustam esse causam propter quam bellum suscipiatur. Secundò, rectam quoque eius qui bellum gerit intentionem & affectionem esse oportet. Tertiò, vt is qui arma sumit, eo sit in statu, eaque vitæ conditione, vt ei belligerare & humanum sanguinem fundere non sit indecens, atque interdictum; vt in noua lege sacerdotes ac viri Euangelici ab armorum tractatione, vsuque bellicæ artis, decretis Ecclesiasticis arcentur. Quartò, in gerendo bello, nocendoque hostibus, atque vlciscendis iniuriis, debet esse quidam modus, nempe vt iniuriæ damno accepto, proportione quadā respondeat animaduersio: hūc modum nimis excedere, in vitio est; & bello ceteroqui iusto non leuem iniustitiæ labem & maculam aspergit. Quinto, opus est legitima bellandi auctoritate ac potestate. Sexto, necessaria est sagax quædam prouidētia, solersque prudentia, ne propter ignorationem lo- Sex requiri ad iustū bellū faciendū.

corum,temporum,quin etiam virium atque consiliorum hostium,Imperator se suosque milites in magnum aliquod discrimen imprudenter ac temerè obiiciat.

Hæc autem omnia fuisse in illa expeditione Abræ, credendum est. Omnino,nisi eum diuina fide ac spe fuisse putemus armatum;vix eum possemus excusare,quin perexiguis copiis validissimum exercitum adortus, valde imprudenter & temere fecisset. Ad hæc,si rex ille Elamitarum, illis quinque regibus Pentapolitanis iustum intulisset bellum, iniuste profecto Abram aduersus illum bellasset. Quare admodum credibile sit, regem Elamitarum à primo per vim & contra fas inuasisse regionem & gentem Pentapolitanam,& in eam sibi dominatum vendicasse;aut certe tam inhumaniter ac tyrannice eam gentem tractasse, vt iuste ab eius imperio & obedientia gens illa recesserit. Quinetiam fortasse Abram,præter diuinam inspirationem,etiam voluntate facultateque regum illius terræ, vel tacita & interpretata, vel expressa bellum illud suscepit. Cuius rei videtur illud esse indicium,quod tres fratres,principes & dominos terræ Hebron, secum duxit in bellum. Sic Thomas Anglicus. Sed quod initio breuibus diximus, id planiorē habet atque probabiliorem sententiam.

Ethnici Scriptores, tres iustas belli gerendi causas tradunt: Vnam, 36
ad repellendam vim,& se suaque tuenda: Alteram, ad res sibi ablatas
repetendas: Tertiam,ad vlciscendas illatas iniurias. De prima causa Isocrates laudat Euagoram regem:Hanc,inquit,accepit belli gerendi occasionem,quam opus est vt habeant qui pij volunt esse;nempe illatum ab aliis bellum propulsare,non autem priores ipsos incipere. Alexander certe, vt narrat Curtius, hanc iustam prætexuit causam bellandi contra Persas, quòd grauissimas ab illis Græciæ illatas iniurias vlcisci vellet. Denique Orationem illis verbis concluſit: Repello igitur bellum,non infero. Cicero nullum bellum esse iustum censet, nisi quod aut rebus repetitis geratur,aut denuntiatum ante sit & indictum:atque ob eam causam suscipienda esse bella, vt sine iniuria in pace viuatur; itaque bellum esse suscipiendum & gerendum, vt nihil aliud nisi pax quæsita esse videatur.

Isocrates in Euagora.

Q. Curtius lib.4.

Cic.lib.1. de officiis.

VERS. 14. *Numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & persecutus est eos vsque Dan.*

Vmerauit, sic etiam verterunt septuaginta interpretes. Quod tamen Ambrosius positum esse interpretatur pro *elegit*. Quasi Abram ex omni seruorum multitudine, hos potissimū delegerit,vt præ cæteris ad bellicā dimicationē & conflictū idoneos. sed pro *numerauit* verbū hebræū signifi-

significat,armauit,expediuit, in bellum eduxit. *Vernaculos* verna Latinis dicitur seruus in heri domo natus:idemque significat hoc loco nomen vernaculi. Sed cur hos præcipue delegit Abram? nempe quod heri sui essent amātiores eique obsequentiores & fideliores, & ob eā ipsam causam ad bellandum pro domino suo promptiores futuri essent atque acriores. *Expeditos*, pro hoc habent septuaginta ἐδίους, id est, proprios; hebræa sonant, eruditos à primis vsque rudimentis,ob idque assuetos, exercitatos,duratos laboribus, industrios, strenuos, & ad id quod intendebat Abram maxime accommodatos.

37 *Trecentos decem & octo* hebraice est,Octo & decē & trecentos. Namque Hebræis mos est in commemoratione alicuius summæ continentis varios numeros,& alios maiores aliosque minores, semper minorem numerū commemorare ante maiorem,vt in proxime dicto exemplo perspicue cernit Lector. Recte autem hinc colligit Caietanus, ampliſſimam fuisse Abræ familiam: Quia, inquit, trecenti decem & octo fuerunt armati,nati ex familia Abræ, patet ingentem admodum fuisse Abrahæ familiam:nam præter illos,habebat senes,paruulos, mulieres, ineptos ad bellum,& relictos ad curam tot animalium. Iosephus libro 6.de Bello Iudaico capite vndecimo ait, istos trecentos decem & octo non fuisse priuatos milites, sed aliorum præfectos & duces;atque eorum singulis,maximam paruisse militum multitudinem: sed vnde Iosephus id eruerit, equidem nulla coniectura, suspicione, diuinatione assequi possum:non dubitans tamen dixerim id falsum esse, ac merum plane figmentum. Numerum hunc trecentorum decem & octo Rupertus ait esse mysticum & sacrū: Hic numerus, inquit, totus sacer est; quo & sancta Nicæna Synodus, non humana industria, non compositione aliqua, sed diuina agente prouidentia gauisa est: in qua vastator Christianitatis Arrius, à trecentis octodecim Episcopis superatus & damnatus est. Alterum præterea hic latet mysterium: græce enim numerus hic trecentorum decem & octo denotatur tribus literis, T,I,H. & T quidem figurat crucem CHRISTI, I, & H cum supra ducta linea significant nomen IESV in genitiuo casu;nam si esset in nominatiuo casu,oporteret addi tertiam literam,id est,S, hoc modo IHS.

Mos Hebræorum in numerādo.

Caietanus.

Ioſephi figmentum.

Rupertus. Numerus 318. mysticus & sacer.

38 *Et persecutus est eos vsque Dan.* De hoc Dan ita scribit S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim: Dan est oppidum Phœnices, quod nunc Paneas dicitur:estque vnus de fontibus Iordanis: namque alter vocatur Ior,quod interpretatur riuus. Duobus ergo fontibus, qui non procul inter se distant,in vnum riuulum fœderatis, Iordanis deinceps appellatur. Idem in libro de locis Hebraicis. Dan, inquit, viculus est in quarto à Paneade milliario euntibus Tyrum qui vsque hodie sic vocatur. Erat autem terminus Iudææ prouinciæ contra septentrionem; vnde flumen Iordanis erumpens,à loco sortitus est nomen. Sic Hieronymus. Hæc vrbs primo nominata est Lesen siue Lais: postea vocata est Dan,nā qui erant de tribu Dan,expugnarunt & subuerterunt eam, ac denuo instauratam ab ipsis munitamque habitauerunt, appellantes Dan

S.Hieronymus.

Qui locus fuerit Dan, & quam variis nominibus appellatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dan de nomine Patriarchæ sui Dan, qui princeps & parēs fuerat illius tribus. Explicatam huius rei Lector historiam reperiet in libro Iosue cap. 19. & in libro Iudicum cap. 18. sed cum illud facinus Danitarum, qui id nominis vrbi impoſuerunt, post mortem non solum Mosis, sed etiam Iosue contigerit; vt ex proxime dicto libri Iudicum loco perspicue intelligitur, quomodo Moses narrans hoc loco historiam Abræ, appellauit eam vocabulo Dan, quod ei accidit multis post Mosis excessum annis? An moses prophetico spiritu prænoscens quod futurū erat, sic eam appellauit per Anticipationem? An similius vero est, (de quo disputauimus in Præfatione primi Tomi horum Commentariorum in Genesim) hos libros Mosis, non omnino sic vt nunc habentur, ab illo esse compositos & ordinatos: sed ab Ezdra, vel alio quopiam diuino viro, qui pro vetustis & exoletis locorum vocabulis noua, quibus rerum gestarum memoria posset optime & percipi & conseruari, reposuerit?

Hæc ipsa vrbs, dominantibus iam Romanis, abdicato veteri nomine Dan, appellata est Paneas, siue Panium. Tiberio autē Principe, Philippus qui eius regionis Tetrarcham agebat, de suo & Imperatoris nomine, Cæsaream Philippi nuncupauit: denique rex Agrippa prolatis pomœriis Cæsareæ Philippi, vt tradit Iosephus, mutato nomine, in Neronis honorem, vocauit eam Neroniadem. Hic locus tempore CHRISTI Domini nostri maiorem in modum nobilitatus est, tum confessione illa S. Petri, testimonio & præconio Domini tantopere laudata: *Tu es* CHRISTVS *Filius* DEI *viui*: tum miraculo illius mulieris multos annos sanguinis fluxu laborantis; quæ tactu fimbriæ Domini, confestim perfecteque sanata est. Cuius miraculi quale fuerit monumentum inibi statutum, quantisque decoratum à DEO prodigiis, Ecclesiasticæ multorūm historiæ narrant. Dan porro abest à Sidone versus Orientem, millia passuū circiter triginta quinque. Et quia à tergo, id est, versus Septentrionem habet montem Libanum, quo monte Sacræ literæ determinant & finiunt Chananæam: ideo sæpe Dan pro termino aquilonari Terræ sanctæ dicitur, sicut Bersabea pro termino australi. Ex quo illud frequens est, & tanquam prouerbij loco vsurpatum in sacris libris, A Dan vsque Bersabeæ: quo significatur vniuersa illa vel regio vel gens. Hunc locum vehementer dedecorauit ac fœdauit rex Ieroboam, posito illic vitulo aureo, & celebrata illic à decem tribubus Idololatria, 3. Regum cap. 12. Quanquam vtrum id factum sit in hac vrbe Dan, an potius in quodam monte eiusdem nominis, qui media leuca distat à Bethel, ad sinistrum eius, & supra vrbem Sichem, in dubio relinquit Borchardus.

Iosephus lib. 20. Antiquit. cap. 16. secundū veterem translationem.

Matth. 16.

Matth. 9.

Eusebius li. 7. Ecclesiasticæ histor. cap. 14.

Borchardus. 1. part. cap. 7. numero 15.

Et diuisis socijs irruit super eos nocte: percussitque eos, & persecutus est eos vsque Hoba & Phœnicem, quæ est ad Læuam Damasci. VERSVS 15.

39 HEBRAICE ad verbum sic est: *Et diuisus est super eos nocte, ipse & serui eius &c.* Quam lectionem exponens Caietanus, ita scribit: Industria Abrahæ describitur his verbis: tum diuidendo viros suos in multas partes, vt per diuersa loca irruentes, & exterrerent incautos quiescentes, & facilius interciperent fere circumdatos: tum eligendo tempus nocturnū, quo victores securi quiescebant somno vel etiam ebrietate grauati. Et addit Iosephus Abram festinasse, & quinta nocte peruenisse ad hostes, & percussisse eos; quod etiam Scriptura significat dicens, *Et persecutus est eos.* Dicendo autem, *Ipse & serui eius*, excludit quidem tres illos viros inclytos, Mambre, & duos fratres eius; non autem excludit eorum seruos, quippe eos illi miserant ad seruiendum Abrahæ in hac expeditione; & idcirco serui eius recte dicuntur, quo ad illud opus. Hæc Caietanus. Caietanus.

Iosephus porrò (cuius meminit Caietanus) enarrans hoc facinus Abræ, sic ait: Abram tum Loti cognati sui, tum Sodomitarum amicorum ac vicinorum clade commotus; nihil cunctatus, ad opitulandum eis properauit: & quinta nocte hostem assecutus circa Dan (hoc alteri Iordanis fontium est nomen) oppressum, ex improuiso facile superauit: securi enim & incauti, partim in cubilibus inermes sunt cæsi; partim præ temulentia pugnæ inutiles, in fugam se conuerterunt. Quos Abram acriter à tergo, sequenti etiam luce, perurgens, ad Soba vsque Damascenorum compulit. Quo facto nemini dubium reliquit, victoriam non in multitudine militum, sed in bellatorū alacritate consistere, & virtutem nulli numero succumbere. Namque ille cum domestica sua cohorte trecentorum decem & octo vernaculorum, triumque amicorum auxiliis, tantum exercitū profligauit. Quotquot autem hostium ex ea clade euadere contigit, ij cum ignominia domum se receperunt. Sic Iosephus. Iosephus lib. 1. Antiquitatum.

40 HIC igitur locus luculente ostendit & commendat singularem Abræ prudentiam militarem; tum quod diuisis multifariam copiis suis, tum quod nocturno tempore hostes inuaserit. Etenim diuisis militibus, ex multis & diuersis partibus ex improuiso irruendo in hostes, vehementius eos terruit: id enim opinionem eis attulit valde numerosum esse hostium exercitum; & spem eis euadendi ademit, cum vndequaque circumdati, omni ex parte inuadi se & feriri sentirēt. Opportunissimum item ad id, noctis tempus elegit. Siquidem noctis silentio, etiam parui motus, ingentes & horribiles videntur: nec discerni hostium multitudo potest: & omnia repentina, quæque effectu magis quam visu sentiuntur, vehementius animos hominum perturbant & confundunt. Prudentia militaris Abræ.

Ipſe quoque metus & pauor, res quàm ſunt, maiores & terribiliores repræſentat. His adde, quod noctu, vel diurno labore fatigati, vel cibo potuque grauati, vel etiam oppreſſi ſomno, inualidi erant ad reſiſtendum. Simili prudentia & conſilio militari (quod Græci ſtratagema vocant) vſum eſſe Gedeonem legimus in libro Iudicum capite ſeptimo. Nam & ille cum trecentis militibus, trifariam diuiſo agmine, ad mediam noctem irruens in Madianitas, incredibilem eorum ſtragē edidit.

Gedeonis militare ſtratagema.

Demonſtrat præterea factum hoc Abræ, bella conſilio magis & vigore animi, quam robore corporis, nec tam multitudine, quam recta diſciplina & alacritate militum proſpere geri. Verum enim eſt longoque vſu comprobatum, quod ſcriptum reliquit Salomon: *Cogitationes*, inquit, *roborantur conſilijs, & gubernaculis tractanda ſunt bella*: Et alio loco. *Vir ſapiens fortis eſt, & vir doctus robuſtus & validus. Quia cum diſpoſitione initur bellum, & erit ſalus vbi multa cōſilia ſunt.* Et Cyrus apud Xenophontem libro 3. Prælia, inquit, multo magis decernuntur animi quàm corporis viribus. Cui ſententiæ & illud dictum Euripidis conſonum eſt: Prudentē virum bene gubernare domos, bene regere ciuitates, in bello quoque plurimum valere: ſapiens enim conſilium multas & validas manus vincit.

Prou. cap. 20. & 24.

Xenophon.

Euripides.

Huius facti Abræ haud diſſimile videtur fuiſſe illud Leonidæ regis Lacedęmoniorum: qui ſe cum trecentis duntaxat militibus, innumerabilibus Xerſis copiis oppoſuit; atque in eius caſtra irrumpens, non ante cædis hoſtium finem fecit, quam vna cum ſuis, vincendo fatigatus in hoſtium caſtris occumberet. Cuius illud ad milites ſuos ante pugnam dictum celebratur in primis: Prandete nunc Commilitones tanquam apud Inferos cœnaturi. Fuit magnitudine animi, hoc Leonidæ facinus illius Abrahæ non diſſimile: fuit tamen exitu belli, ac victoriæ felicitate diſſimillimum. 41

Leonidas rex Lacedęmoniorum.

Illud porro credere cōuenit, fuiſſe pectus Abræ ante omnia, ingenti diuinæ opis fiducia ita roboratum & armatum, vt ſecum ipſe diceret, id quod multis poſt ſeculis cecinit Dauid: *Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum: Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.* Non fuerat antea bellis gerendis exercitatus Abram, nec aſſiduo militiæ ſtudio & vſu militarem prudentiam, bellicamque virtutem comparauerat: ſed nihil iſtis opus ei fuit, qui DEVM habebat adiutorem ſimul doctorēque bellandi. Itaque vere illud Dauidis vſurpare potuit: *Benedictus* DEVS *meus qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum: & poſuit tanquam arcum æreum brachia mea.*

Pſal. 26.

Pſal. 17. & 143.

Et perſecutus eſt eos vſque Hoba, & Phœnicem, quæ eſt ad Læuam Damaſci. 42

Illud *Et Phœnicem* nec eſt Græce, nec Hebraice, nec Chaldaice, nec in omnibus Latinis libris, nec id agnoſcit Hieronymus, quippe qui illud *ad Læuam Damaſci* de Hoba, ſiue Choba tantum interpretatur: Choba (inquit ille in libro de locis Hebraicis) eſt ad Læuam Damaſci. Eſt autem Choba villa in eiſdem regionibus, habens accolas Hebræos: qui credentes

Hieronymus.

credentes in CHRISTVM, omnia legis præcepta cuſtodiūt; & à principe hæreſeos, Hebionitæ nuncupantur. Contra huiuſmodi dogma Paulus ſcripſit ad Galatas. Sic Hieronymus. Nec ſane vllus locus eſt ad Læuam Damaſci, qui Phœnice aliquando ſit appellatus.

Sed illud quod paulo infra dicitur verſu 17. Abræ, cæſis illis quatuor regibus reuertenti, obuiam veniſſe regem Sodomorum in valle Saue, quæ erat vallis regis; hoc, inquam, nonnullam deſiderat expoſitionem: breuiter enim declarandum eſt, quæ fuerit illa vallis Saue, & cur dicta fuerit vallis regis. Saue perantiqua fuit vrbs ſuper regionem Sodomæ, in campo plano ſita, quæ vſque ad tempora B. Hieronymi nomen retinuit: in qua quondam habitarunt Emim ſiue Ommæi, gens ſtatura & aſpectu terribilis, quam primo debellarunt & ceciderunt quatuor illi reges, vt in exordio huius capitis narrauit Moſes: deinde vero reliquias eius gentis exterminatas & deletas eſſe à Moabitis proditū eſt in libro Deuteronomij cap. 2. Huic vrbi adiacens planities appellata eſt vallis Saue. Creditur hanc ipſam eſſe, quæ alio nomine vocata eſt vallis ſiue conuallis Illuſtris, ab eximia pulchritudine eius atque amœnitate. Hæc incipiebat à planitie media inter montes Gelboe & Hermon: porrigebatur autem per omnem fluuij Iordanis decurſum vſque ad mare Mortuum. Quin etiam locus vbi eſt mare Mortuum, ante ſubuerſionem Sodomæ, in hac ipſa valle continebatur, & quaſi Paradiſus vſquequaque irrigabatur aquis. Sic Borchardus. B. Hieronymus in epiſtola 126. quam ſcripſit ad Euagrium, ex ſententia Hebræorum tradit, hanc vallem Saue fuiſſe eum locum, quem ſuo tempore Palæſtini Aulonem appellabant: cuius ingentē longitudinem, & propter frequentiam nobilium vrbium, celebritatem, luculente deſcripſit B. Hieronymus in libro de locis Hebraicis.

Vallis Saue.

Geneſ. 13.

Borchardus 1. par. cap. 6. num. 9.

S. Hieronymus.

Sed cur hæc vallis Saue, appellabatur vallis regis? An quia rex eius terræ illic vel prædia ſua, vel hortos & delicias habebat? An quia quæcumque egregie pulchra & amœna ſunt, ea vulgo dici ſolent regia vel regalia? An potius quod ſe Rex eo loco vna cum ſuis vel militibus, vel nobilibus, aut curſu, aut ludicris equitum & peditum certaminibus exerceret? Solet enim hæc eſſe Principum exercitatio; quod ea & ad firmandam valetudinem multum conducat, & iucundiſſima ſit ad voluptatem, vtilemque ad dimicationes bellicas præparationem quādam contineat. Chaldaica paraphraſis hanc (ſi verbum de verbo latine reddas) habet ſententiam: *In planitiem vacuam, ipſe erat locus ſtadij regis.* Illud in planitiem vacuam, ſignificat vallem Saue fuiſſe omni ex parte planam, & nec arboribus nec ædificiis, aliiſque vllis rebus impeditam: atque ob eam cauſam fuiſſe locum ſtadij regis, id eſt, regis exercitationibus accommodatum & aſſignatum.

Vallis Illuſtris.

Vallis regis.

EXPLANATIO

Nobiliſsimæ hiſtoriæ Melchiſedec, qui Sacerdotium & Sacrificium IESV CHRISTI Domini noſtri mirifice præfigurauit.

VERS. 18. 19. 20. *At vero Melchiſedec rex Salem proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos* DEI *altiſſimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abram* DEO *excelſo qui creauit cælum & terram: & benedictus* DEVS *excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.*

43 SI quis eſt in hoc libro Geneſis locus tum propter dignitatem hiſtoriæ quam continet, tum propter eius apud auctores celebritatem, præcipue atque inſigniter nobilis & ſtudioſe curioſeque obſeruandus: hic eſt profecto quàm qui maxime. nam quia nullus mortalium poſt orbem conditum, vel conditione perſonæ ſuæ, vel muneris quo fungebatur proprietate, tam expreſſam atque illuſtrem Regni ſimul ac Sacerdotij CHRISTI Domini noſtri figuram & imaginem prætulit, quam hic Melchiſedec: eo factum eſt, vt locum hunc, in quo vno totius veteris Teſtamenti hiſtoria Melchiſedec ſolum perſcripta eſt, omnes ferme patres frequentiſſime vſurpauerint, & diſerte ac luculente tractauerint. Ac licet vir hic multis & magnis rebus clarus & prædicabilis fuerit: illud tamen præſtantiæ dignitatis eius & gloriæ quaſi apex fuit; quod eum diuina Scriptura ſingulariter & eximie aſſimilatum eſſe dixerit FILIO DEI; & hunc ipſum DEI FILIVM Sacerdotem futurum eſſe ſecundum ordinem Melchiſedec. Acceſſit præterea ad ſupremum commendationis eius cumulum, quod diuinũ Paulum ſuarum laudum præconem & prædicatorem habuerit. Conuenit igitur, ſi adhuc in aliis huius libri locis exponendis, qui accuratam requirebant expoſitionem, nequaquã indiligentes & ieiuni fuimus: vt locum hunc ſingulari cum diligentia & cura tractemus. Quocirca, primo quidem verba Moſis, quibus hoc loco breuiter narratur hiſtoria Melchiſedec, enucleate declaremus; vt eorum vera, germana, & literalis ſententia, quàm primum noteſcat lectori. Verũ quia multæ ac perdifficiles quæſtiones cum hac narrarione Moſis colligatæ & complicatæ ſunt; deinde ad eas

Pſal. 109. Ad Hebr. 7.

ad eas ſeparatim tractandas, quinque diſputationes inſtituemus.

44 Philo eleganti breuitate, expoſitã hoc loco hiſtoriam Melchiſedec enarrat. Cuius verba hic adſcribam, ratus id gratum fore lectori. Nam cum dixiſſet de cæde illorum quatuor Regum, ſubdit hæc: Nec prius reuerſus eſt Abram quàm hoſtilibus regum copiis deletis reduxit fratris filium; adeptus egregiam victoriam, auctuſque ingenti equorum & iumentorum numero, prædaque opulentiſſima. Eum vero redeuntem conſpicatus magnus ille DEI maximi Pontifex (Melchiſedec) reducentemque ſuos omnes ad vnum incolumes & victores; attonitus tanti facinoris magnitudine, & id quod verum erat cogitãs, præſentem ei opem diuinam adfuiſſe: manus ad cælum tendens, fauſta illi precatus eſt. Mactatiſque victimis, ſplendidum epulum ſociis omnibus dedit, gratulabundus, nec minus lætus quàm ſi eius propria fuiſſet victoria. Nec ſane fuerat aliena, ſi rem vere æſtimemus: Amicorum enim omnia eſſe communia, prouerbio credimus; præſertim autem bonorum virorum, quibus nihil magis cordi eſt, quam vt DEO placeant. Sic eo loco Philo: qui non obſcure his verbis ſignificat, Melchiſedec & mactaſſe victimas, in vſum videlicet ſacrificij, & ſplendidum epulum præbuiſſe: illud pontificij muneris fuit, hoc regiæ liberalitatis. quanquam in eo lapſus videtur, quod Melchiſedec non victimarũ mactatione, ſed oblatione panis & vini DEO ſacrificabat. Verum hoc recte poſſe intelligi, infra oſtendemus. Idem auctor alibi Melchiſedec vocat Sacerdotem à ſe ipſo conſecratum, id eſt, vt ego interpretor, non ab vllo alio homine, ſed proxime à ſolo DEO. Sic enim hoc intellexiſſe Philonem, declarat ipſe alio loco, ita ſcribens: Melchiſedec quoque regem Salem (quod interpretatur regem pacis) Sacerdotem ſibi conſtituit DEVS non expreſſo aliquo eius merito, ſed quia talem ipſe fecerat, eum ſcilicet regem pacificum, & primum omnium ſuo Sacerdotio dignum.

Philo in lib. de Abrahã.

Philo in libro De cõgreſſu quærẽdæ eruditionis gratia: & in libro 2. Allegoriarũ legis.

45 His adiungam quæ Ioſephus ſcripſit eandem hiſtoriam commemorans: Abrahæ reuertenti Rex Sodomorum in eo loco, quem Campum regis vocant, gratulabundus occurrit. Ibi quoque à Solymæ vrbis regiæ Melchiſedecho eſt acceptus. Id nomen interpretatur Rex iuſtus: & vero talis ille erat, ſcilicet omnium conſenſu Sacerdotio ſummi DEI ob iuſtitiam dignus habitus: ſed Solymam poſterior ætas vocauit Hieroſolymam. Hic Melchiſedec milites Abrahæ hoſpitaliter accepit, nihil eis ad victum deeſſe paſſus; ſimulque ipſum adhibitum menſæ meritis laudibus extulit; & DEO cuius fauore victoria contigerat, debitos hymnos, vt eius pietate dignum erat, cecinit. Abram contra de manubiis decimas ei dono dedit. Hæc Ioſephus. In cuius verbis quatuor ſunt animaduertenda lectori: vnum eſt, Ioſephum ſenſiſſe, in eodem loco occurriſſe Abrahæ regem Sodomorũ, atque ipſum Melchiſedec, quem locum Ioſephus appellat campum regium, Moſes vero, vt paulo ſupra vidimus, nominauit vallem Saue, & vallem regis. Alterum eſt, vrbem quã Moſes appellauit Salem cuius regem facit Melchiſedec,

Ioſephus 1. lib. Antiquitatum.

Quatuor animaduertẽda in verbis Ioſephi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioſephum nominate Solymam, & putare fuiſſe ipſammet Hieroſolymam. Tertium eſt, Ioſephum aperte nullam facere mentionem Sacrificij Melchiſedec, ſed tantum epuli & conuiuij. Quartũ eſt, licet in verbis Moſis videatur ambiguum de Abram & Melchiſedec, vter alteri decimas dederit: Ioſephum tamen aperte & affirmate dixiſſe, Abrã dediſſe eas Melchiſedec. Hæc volui ex Philone & Ioſepho præmittere, ac prædocere Lectorem, vt quia eorum virorum auctoritate in iis diſputationibus, quas infra de Melchiſedecho tractaturi ſumus, non ſemel vtendum erit, iam nunc eſſent eorum verba bene nota lectori.

Varietas lectionum huius loci.

Sed quia huius loci variæ ſecundum varias linguas ſunt lectiones 46
nonnihil inter ſe differentes; eas quoque apponam, quo facilius cognoſcat lector, quemadmodum noſtra, id eſt, latinæ tranſlationis lectio huius loci, differat ab aliis. Hebræa lectio latine ad verbum conuerſa, ſic expreſſit hunc locum: *Et Melchiſedec rex Salem protulit panem & vinum. Et ipſe erat Sacerdos* DEO *altiſſimo. Et benedixit ei, & dixit, Benedictus Abram* DEO *altiſſimo poſſeſſori cæli & terræ. Et benedictus* DEVS *altiſſimus, qui tradidit hoſtes tuos in manu tua. Et dedit ei decimam de omnibus.* Græca lectio ita locum hunc habet: *Et Melchiſedec rex Salem protulit panes & vinum. Erat autem Sacerdos* DEI *altiſſimi: Et benedixit Abram, & dixit: Benedictus Abram* DEO *altiſſimo, qui creauit cælum & terram. Et Benedictus* DEVS *altiſſimus, qui tradidit inimicos tuos ſub manus tuas. Et dedit ei decimam de omnibus.* Chaldaica paraphraſis ſententiam huius loci ita reddidit: *Melchizadec quoque rex Hieruſalem protulit panem & vinum. Et ipſe miniſter erat coram* DEO *excelſo, benedixitque ei, & ait; benedictus Abram coram* DEO *excelſo, cuius poſſeſſio eſt cælum & terra; benedictus ſit quoque* DEVS *excelſus, qui tradidit hoſtes tuos in manus tuas. Deditque ei vnum ex decem de omnibus.*

Ex tribus his lectionibus ſatis apparet, latinam tranſlationẽ ab aliis eſſe diuerſam hoc loco quinq; rebus. Primo, pro illo *proferens panem & vinum* in aliis eſt in præterito *protulit panem & vinum.* Secundo, pro illo *erat enim Sacerdos* in aliis eſt noua periodus & ſententia: & pro illo, *enim*, eſt vel &, vel *autem.* Tertio, pro illo *Sacerdos* DEI *altiſſimi*; in aliis eſt, DEO *altiſſimo* vel *coram* DEO *altiſſimo:* Quarto, pro illo, *benedictus Abram* DEO *excelſo*, in aliis eſt *à* DEO *excelſo*, vel *coram* DEO *excelſo.* Quinto pro illo *Qui creauit cælum & terram*; hebraice eſt *poſſeſſori cæli & terræ.* Pro illo demum *quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt*, in aliis eſt, *qui tradidit hoſtes in manus tuas.* Atque hæc eſt latinæ lectionis huius loci, atque aliarum lectionum varietas: quam quidem facile animaduertet Lector non in rerum & ſententiarum, ſed in verborum, & modi loquendi diuerſitate verſari. Verùm ingrediamur tandem ad explanationem verborum Moſis.

Vbi Melchiſedec exceperit Abramum.

Non indicat Moſes vbi Melchiſedec acceperit Abram, & ea locutus 47
ſit quæ hic narrantur: Num domi ſuæ eum expectauerit & exceperit; an potius domo profectus, obuiam ei proceſſerit. Verum ſine dubitatione ſentiendum eſt eum occurriſſe Abræ. Id enim expreſſe tradit B. Pau-

B. Paulus in epiſtola ad Hebræos cap. 7. *Melchiſedec*, inquit, *rex Salem, Sacerdos* DEI *ſummi obuiauit Abrahæ regreſſo à cæde regum &c.* Sed quo loco ei occurrit? Ioſephus libro primo Antiquitatum, & Hieronymus in epiſtola, quam ſcripſit ad Euagrium, ex ſententia Hebræorum affirmant occurriſſe ei in valle Saue, quæ dicta eſt vallis regis, quam proxime ante nominauerat Moſes. Itaque eodem ipſo loco & Melchiſedec, & rex Sodomorũ occurrerunt Abræ. Borchardus tamẽ narrat generalẽ eſſe famã in ea regione, & ita credi ab omnibus, locũ in quo Melchiſedec excepit Abramũ, fuiſſe ad baſim ſeu radicẽ mõtis Thabor: in cuius montis faſtigio admiranda Domini noſtri transfiguratio contigit.

Borchardus 1. par. cap. 6. Num. 9.

An Melchiſedec fuerit nomen proprium. Caietanus.

48 *At verò Melchiſedec.* Non omnino liquet an Melchidedec fuerit nomen proprium eius viri, an vero appellatiuum ſignificãs regem iuſtitiæ? quaſi propter inſignem eius viri iuſtitiam, is non aliter quam vir iuſtus vulgo appellaretur. Caietanus negat eſſe nomen proprium: Non eſt, inquit, nomen proprium viri Melchiſedec, ſed eſt epitheton regis Salem, ſicut Cæſar, & Auguſtus Imperatorum Romanorum. Et eſt compoſitum nomen hoc ex his tribus dictionibus, Rex, Meus, Iuſtitiæ: tali ſiquidem titulo decorabant Salemitæ regem ſuum. Sic Caietanus. Adiuuat opinationem Caietani quod ex ſententia Hebræorum ſcribit B. Hieronymus in epiſtola ad Euagrium, tradere Hebræos certum & proprium nomen Melchiſedechi: quaſi non putauerint illi Melchiſedec fuiſſe proprium eius viri nomen.

Hebræi. B. Hieronymus.

Caietanus refellitur.

Sed mea diuerſa eſt ſententia: reor enim fuiſſe propriũ nomen. Nam neque hic, nec vbicũque eius fit mentio, vt pſalmo 109. & ad Hebræos 7. alio vocabulo nominatur. Neque id non ſignificat Paulus: quippe nominato Melchiſedec, proxime adiungit, *qui interpretatur rex iuſtitiæ.* Ergo illud Rex iuſtitiæ non erat nomen eius viri, ſed interpretatio proprij nominis. Non enim quia Melchiſedec ſignificat Regem iuſtitiæ, propterea exiſtimari debet non eſſe nomen proprium: alioquin pleraque nomina propria, quę memorantur in veteri Teſtamento, non eſſent propria: ſiquidem non ſolum aliquid ſignificant, ſed conſulto ad id ſignificandum ſunt impoſita, vt nomen Abraham, Sara, Iacob, Beniamin & duodecim Patriarcharum nomina, vt videre licet Geneſ. 30. & 31. Adde eodem, ſi Melchiſedec non eſt nomen proprium quia ſignificat regem iuſtitiæ, ergo neque Adonizedech eſſet nomen proprium, cum ſignificet etiam dominum iuſtitiæ: at vt nomen proprium regis Hieruſalem cõmemoratur in libro Ioſue cap. 20. Neque hoc loco cũ dicitur *Rex Salem*, nomen *Salem*, eſſet proprium nomen vrbis in qua regnabat Melchiſedec; ſed eſſet nomen appellatiuum ſignificans pacem. Itaque ſenſus horum verborum eſſet: iuiſſe obuiam Abræ regem quendam iuſtũ & pacificũ; tacito proprio nomine & viri, & loci in quo regnabat. Hoc lectori minime probatum iri, haud equidem dubito. Quis fuerit hic Melchiſedec, an Sem filius Noe, an alius, diſquiremus infra in prima diſputatione de Melchiſedecho.

Rex Salem. Et olim valde controuerſum fuit, hodieque non minus eſt, an

est,an hæc vrbs Salem fuerit ea ipsa, quæ insequentibus seculis nominata est Hierusalem;quæ quidem primo dicta sit Salem, postea Iebus, deinde composito nomine Iebusalem, denique melioris soni gratia, Hierusalem:an vero diuersa admodum fuerit vrbs;nēpe iuxta Scythopolim & fluenta Iordanis in regione Sichimorū, & in terra Chanaan. quam scilicet inhabitat gens Chananæa,vna de septem Gentibus omnem terram Promissionis per id tempus habitantibus atque possidentibus. Verum huius controuersiæ tractationem ac diremptionem, ad secundam disputationem reseruauimus.

Proferens panem & vinum. Tam græce quàm hebraice & Chaldaice est in præterito,*protulit*,siue,*obtulit*, sed latinus interpres ad latinum loquendi modum & vsum,interpretationem accommodans,præteritum mutauit in participium; simul & contextum nexumque verborū Mosis, sic vertendo, molliorē atque concinniorē reddidit. Sedenim quorsum Melchisedec panem & vinum protulerit,vtrum ad cibatum & refectionem militum Abræ,qui tum ex prælio, tum ex itinere,labore, siti,fameque fatigati ac debilitati fuerint;an in vsum sacrificij pro victoria Abræ peragendi; an potius vt reliquias iam peracti sacrificij, cum Abram & sociis eius communicaret;quorsum,inquam, protulerit panem & vinum,videtur obscurum & incertum facere varietas & discrepantia opinionum: quarum quæ propior vero & probabilior censeri debeat,iudicium nostrum lector ex tertia disputatione cognoscet. Hugo S.Victoris annotauit hoc loco, apud priscos oblationē panis & vini,venientibus ex bello, beneuolentiæ & pacis fuisse symbolum.

Hugo Sancti Victoris.

Erat enim Sacerdos DEI *altissimi.* Pro illa coniunctione *Enim* quæ est causalis,aliæ translationes habent particulam *Et*,vel *autem* hoc modo, *Et ipse erat Sacerdos*, vel,*erat autem Sacerdos*: & hinc nouam periodum atque sententiā incipiunt. At latina translatio vtens illa particula causali *Enim*, causam exponit cur Merchisedec protulerit panē & vinum, scilicet in vsum sacrificij. Nam cum esset DEI Sacerdos & sacrificaret DEO,non cæsis animalibus,sed pane & vino,vt materia suorum sacrificiorum vtebatur. Caietanus, quasi vulgatam translationem non approbans:Quod,inquit,in vulgata editione subditur, vt causa oblationis,*Erat enim Sacerdos* DEI *altissimi*, in hebræo non habetur vt causa, sed vt separata clausula,*Et ipse Sacerdos* DEO *excelso*,Adiungit siquidem regiæ dignitati ac liberalitati,dignitatem Sacerdotalem,non Diis gentium,sed DEO excelso dicatam. 49

Caietanus.

Latina trāslatio defenditur.

Et, pro, enim, vel quia, frequēs in lingua hebræa.

Verum vt latina translatio ab omni calumnia vindicetur,& sinceritas ac veritas eius hoc loco manifesta sit Lectori; sciendum est, particulam copulatiuam(vau)latine(Et) sæpe in hebræa lingua vsurpari pro particula *enim* vel *quia*;quod cum multis exemplis illustrari & firmari possit, nos tamen ad præsens paucis quibusdam contenti erimus. Genes.20 Sic nos legimus:*En morieris propter mulierem quam tulisti, habet enim virum*,hebraice est *Et ipsa habet virum*. Psal.142.*Non auertas faciem tuam à me & ero similis descendentibus in lacum*,vbi illud (Et) positum est pro,

pro, (quia) hoc sensu:quia si tu faciem auerteris à me,ero similis descēdentibus in lacum:Isaiæ 64.*Tu iratus es quia peccauimus tibi*:hebraice *Et peccauimus tibi*. Lucæ 1. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*.vbi Iansenius agnoscens hunc ipsum hebraismum,annotauit positum esse (Et) pro (quia) idemque multo ante adnotauit Theophilactus. Ergo latinus interpres huius consuetudinis linguæ hebrææ peritus, acute vidit illud, (Et) hebraicum, idem pollere hoc loco atque causale *enim* vel *quia*. Certe omnes Græci patres licet secuti sint græcam translationem, quæ hic non causalem, sed copulatiuam habet particulam: attamen intellexerunt panem & vinum eo prolata esse à Melchisedec, quod cum esset Sacerdos DEI, eas res sacrificare DEO soleret:atque ea ratione præfiguratse incruentum CHRISTI sacrificium,quod iugiter fit in eius Ecclesia.

Iansenius.

50 Iam vero pro illo vocabulo *Sacerdos* hebraice est vox, Cohen: quæ vox frequentissime significat Sacerdotem & ministrū DEI; nonnunquam tamen significat etiam principem & primarium virum; cuius significationis est manifestum exemplum in extremo capite octauo libri secundi Regum,vbi filij Dauidis dicuntur fuisse Sacerdotes,id est principes & primarij in aula Dauidis. Namque hæc eadem sententia repetitur in primo libro Paralipomenon cap.18.sed apertioribus verbis ad hunc modum,*Filij Dauid primi ad manum regis*. Cum enim Dauid esset ex tribu Iuda, ex qua nullus fuit vnquam Sacerdos, vt Paulus affirmat in epistola ad Hebræos capite 7. quis non videt filios Dauidis Sacerdotes esse non potuisse?ergo Hæretici nostri temporis, qui hostiliter oppugnant sanctissimum EVCHARISTIAE Sacramentum & Sacrificium,contendunt hoc loco vocem,Cohen, non significare Sacerdotem sed principem. Verum frustra contendunt: namque hic significari ea voce sacerdotem, liquidò declarat proxime adiuncta Melchisedechi sacerdotalis auctoritas & benedicendi Abræ,& ab eo decimas accipiendi. Omnes præterea tā Græci quàm Latini patres, vere ac proprie dictum fuisse hic Melchisedec Sacerdotem, intellexerunt, & scriptis prodiderūt. Nec sane aut B.Dauid,aut etiam Philo & Iosephus,qui eum appellarunt sacerdotem,aliunde id cognitum habuerunt,quàm ex hoc loco,in quo nēpe solo totius veteris scripturæ, mētio fit huius rei.

Vox Cohen quid significet in scriptura.

51 *Benedictus Abram* DEO *excelso qui creauit cælum & terram.* Vox(benedictio) in sacris literis sæpe significat laudationē & prædicationem: vnde benedicere,est laudare & prædicare vt,*Benedic anima mea Domino:* &, *Benedicam Dominum in omni tempore*. Interdum etiam benedictio significat largam bonorum effusionem, vt apud Salomonem: *Benedictio* DEI *diuites facit*:& illud apud Dauidem: *Domini est salus,& super populum tuum benedictio tua*. Sic etiam DEVM benedicere alicui,est large & abundanter ei benefacère; & benedictus à DEO bonis cumulatus est. Hoc igitur loco si vox illa, *Benedictus* priori modo sumatur,sensus erit: Est Abram valde laudabilis & prædicabilis: vel dignus est Abram qui laudetur & prædicetur ab omnibus, tum ob virtutum eius præstan-

VERSVS 20

Psal. 102.
Psal. 33.
Prou. 12.
*Psal.*3.

tiam, tum ob tam insignem de hostibus victoriam mirabiliter ab eo partam.

Illud autem quod subditur, DEO *excelso*, dupliciter exponitur, primo ad laudem & gloriam DEI; quasi dicat, est quidem Abram dignissimus laude, sed ea laus omnis ad DEVM referenda est, auctorē nempe bonorum omnium, à quibus merito laudandus est Abram. Audi Caietanum; Benedictio hæc Melchisedech vere ac proprie actio est sacerdotalis, siquidem medius est sacerdos inter DEVM & populum, & propterea vice DEI benedicit aliis. Benedictus, inquit, est Abram DEO, id est, ad gloriam DEI. Qualis sacerdos, talis benedictio: Sacerdos DEI refert benedictionem in DEVM. Hic autem pro vocabulo DEI hebraice est, El, significans fortem; & id nomen congruit proposito; etenim apte DEVS nominatur fortis, qui singulariter declarauit fortitudinem suam, talem victoriam Abrahæ præbendo. Hæc Caietanus. Caietanus.

Secundo, illud DEO *excelso* sic exponitur, coram DEO, vt habet Chaldaica paraphrasis: & sensus est: Abram dignus laude est, non solùm coram hominibus siue apud homines, qui in æstimandis & iudicandis rebus laude dignis falli & errare possunt: verum coram DEO, siue apud DEVM, qui falli nullo modo potest. Itaque esse aliquem benedictum siue laudabilem coram DEO, non est aliud, nisi vere, simpliciter, & maxime laudabilem esse.

Sin autem nomen illud *Benedictus* secundum posteriorem significationem hic sit positum, sensus erit, Ingenti bono & beneficio Abram auctus & ornatus est, quippe qui DEI præsidio tectus, opeque adiutus, incredibili celeritate ac felicitate tantas hostium copias profligauit. Et sic illud, DEO *excelso* idem sonat atque, à DEO excelso. Huic sententiæ videtur adhæsisse Vatablus sic verba hæc interpretans: *Benedictus*, inquit, *Abram* DEO *excelso*, id est, apud DEVM excelsum: quasi dicat, valde fauet DEVS Abræ, qui dedit ei tantam victoriam, tam paruis instructo copiis. Vatablus.

Quod autem sequitur: *qui creauit cælum & terram*, denotat quis sit is, quem ante vocauit DEVM altissimum & excelsum; verus scilicet DEVS, & extra quem non est alius verus Deus. Siquidem veri DEI certum insigne & nota est, Creatorem esse cæli & terræ: atque hoc maxime titulo & epitheto frequentissime in Sacris literis verus DEVS demonstratur atque prædicatur. Monet Thostatus, primū omniū fuisse Melchisedech (quantum ex Sacris literis intelligi potest) qui DEVM nominauerit creatorem cæli & terræ. Nam etsi in exordio huius libri scriptum sit DEVM in principio creasse cælum & terram: ea tamen sunt verba Mosis, qui plus quadringentos annos post Melchisedec, hunc librum scripsit. Iam vero pro his verbis *qui creauit cælum & terram* hebraice ad verbum est *possessori cælorum & terræ*, sed latinus interpres imitatus est Septuaginta, qui itidem quoque verterunt: paulo tamen infra idem verbum hebraicum reddidit possessorem. Caietanus exponens Thostatus. Primum omniū Melchisedec legitur nominasse Deū Creatorē cæli & terræ. Caietanus.

nens lectionem hebraicam ponderat illud *Possessori cæli & terræ*. Non solum, inquit, à fortitudine & celsitudine, sed à tranquillo & quieto dominio mundi describitur DEVS: possessio enim cæli & terræ plus significat, quàm actuale dominium mundi. Et quadrat materiæ, vt à domino vniuersorum, redacta fuerint hæc omnia in potestatem Abræ.

53 *Et benedictus* DEVS *excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt*, Idem. Crescit oratio, inquit, Caietanus, incipiens à benedictione Abrahæ, & proficiscens ad benedictionem DEI. Verum DEVS à Sacerdote benedicitur benedictione laudis, Abram vero benedicitur ab eo benedictione opitulationis. Pro illo *quo protegente hostes sunt in manibus tuis* tam septuaginta, quàm noui ex hebræo interpretes reddiderunt; *qui tradidit* vel *cōclusit hostes in manus* vel *sub manus tuas*. Verbum enim hebræum significat tradere, claudere, & protegere quasi scuto & clypeo. Nō plane liquet, ait Oleaster, de radice verbi hebræi (miggen) quod hic ponitur. Nam quidam deriuant à (vagan) aut (ganan) quod significat, tanquam scuto protegere: alij vero à (magan) quod significat tradere. Sed magis videtur mihi ad hunc locum quadrare, si positum hic sit pro eo quod est scuto protegere: quemadmodum Salomon de Sapientia dixit: *Dabit capiti tuo vnguenta gratiarum, & corona inclyta proteget te.* Oleaster. Prou. 4.

Et dedit ei decimas ex omnibus. VERS. 20.

54 CHALDAICE ad verbum est: *Dedit ei vnum ex decem de omnibus*. sed est Chaldaismus, pro; Dedit ei vnam partem, id est, quamlibet partem decimam de omnibus; decima enim est vna pars inter alias partes bonorum. Sed hoc leue est: illud grauius, non modo latinam lectionem huius loci, sed hebræam, græcam, & Chaldaicam videri dubiam, & ambiguæ atque incertæ sententiæ: non enim satis liquet (si verba ipsa per se, & à contextu orationis seiuncta consideres) num Abram decimas dederit Melchisedecho, an Melchisedec dederit Abræ. At enim græca editio 70. Interpretum, & quæ Romæ nuper emendata & typis excusa est, græci quoque Complutenses codices omnē huius loci sustulerunt ambiguitatem, adiecto nomine ipsius Abram; sic enim vertunt hunc locum: *Et dedit ei Abram decimas ex omnibus*. Sed cum B. Hieronymus in epistola quàm scripsit ad Euagrium, præcise dicat, sententiam huius loci ambiguam esse tam in hebræo, quàm apud 70. Interpretes; id sane magno est argumento, codices 70. Interpretum quos vidit Hieronymus, non habuisse adiectum hoc loco nomen Abram, sicut habet Romanus & Complutensis codex. Nam si habuissent nomen Abram, nulla in iis fuisset huius loci ambiguitas, quam fuisse tamen in illis affirmat Hieronym. Veteres Hebræi qui Melchisedec fuisse putarunt Sem filium Noe, quod de oblatione decimarū hic dicitur, videntur existimasse id vtrouis modo, id est, & de Melchisedec,

& de Abram posse intelligi. Hoc certe significat ex eorum sententia B. Hieronymus, qui opinionem eorum commemorans, ita scribit: Aiunt Hebræi non esse mirũ, si Melchisedec, (id est Sem) victori Abrahæ obuiam processerit; & in refectionem tam ipsius, quàm pugnatorum eius panes vinumque protulerit; & benedixerit ei, cum abnepoti suo decimi gradus, hoc iure debuerit: & decimas prædæ atque victoriæ acceperit ab eo; siue, quod habetur ambiguum, ipse dederit ei substantiæ suæ decimas, & auitam largitatem ostenderit in nepotem. Sic ille.

Hieronym. in Epistola ad Euagriũ.

Ad Hebr. 7. At enim vero B. Apostolus Paulus omnem sustulit ambiguitatem, §§ nullumque de vera & propria huius loci sententia & intelligentia reliquit dubitandi locum. Is enim aperte & affirmate ac sæpius dixit Abramum decimas dedisse Melchisedeco; Primo quidem illis verbis: *Melchisedec obuiauit Abræ regresso à cæde regum, & benedixit ei: cui & decimas omnium diuisit Abram.* Deinde cum paulo post ait: *Intuemini quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abram Patriarcha.* Tertio cum subdit: *Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abram.* Postremo cum paulo infra disputat Leuiticos sacerdotes etiam ipsos quodammodo decimas dedisse Melchisedeco: videlicet patre eorum Abramo, in cuius ipsi lumbis tunc erant, decimas ei dante.

Sed præter auctoritatem Apostoli, alia quoque suppetunt ad id probandum argumenta. Ac primo quidem huius sententiæ probatores habemus duos omnium Hebræorum doctrina & eloquentia facile principes, Philonem & Iosephum. Etenim Philo pugnam illam & victoriam Abræ secundum allegoriam interpretans, hoc modo scribit: sed periculum omne sapiens ille Abram decimus à Noe cum suorum manu superueniens sustulit. Hic pro tempestate trãquillitatem, sanitatem pro morbo, vitam (si verum fatendum est) pro morte attulit, fauente DEO victoriam assecutus: ob quam gratus obtulit ei decimas. Et paulo post, hæc subdit: Et oraculum quod post victoriales preces scriptum est quas preces ille à se ipso consecratus Sacerdos Melchisedec adhibuit, sic ait: Dedit (Abram) decimas ei omnium: scilicet, de sensibus, bene sentire; de verbis, bene dicere: de mente, bene cogitare. Hæc Philo. Iosephus item apertissime idem sensit, ac scriptum reliquit: nam cum narrasset quemadmodum Melchisedec hospitaliter ac liberaliter Abram ac socios eius accepisset, proxime adiungit hoc: Abram contra de manubiis decimas ei dono dedit.

Philo de cõgressu quærendæ eruditionis gratia.

Præterea hoc ipsum valde probabilis ratio ex hac historia Mosis 56 deprompta, cuiuis minime contumaci facile persuadebit. Namque inducitur hoc loco Melchisedec tanquam maior & honoratior, dignitateque præstantior quàm Abram; nempe benedicens Abræ: quod autem minus est, vt inquit Apostolus, à meliori benedicitur. At decimas dare, argumentum est subiectionis & seruitutis, inferioris certe conditionis atque dignitatis: nõ igitur Melchisedechus decimas dedit Abramo, sed cõtra hic dedit illi. Deinde nulla ratio erat cur Abræ homini priuato & aduenæ decimas daret Melchisedec: at vero cur Abram

Hebr. 7.

decimas daret Melchisedecho, ratio erat optima; scilicet, erat ille & rex in ea regione, & publicus Sacerdos DEI altissimi. Consentaneum igitur fuit pietati & religiosissimo animo Abræ, ob partam victoriam, de spoliis hostium partem aliquam dicare DEO in cultum eius, & vsus Sacerdotum, & ministrorum eius.

Enimuero fuit hic mos etiam apud Ethnicos vetustissimus. Apud Romanos certe moris fuit, de bonis locupletũ Herculi decimas solui. Narrat Plinius Arabes, qui thuriferam colunt Arabiam, thuris collecti, antequam distrahatur, decimas DEO dare: Thus, inquit, collectum Sabotam Camelis conuehitur, porta ad id vna patente. Digredi via, capitale leges fecere. Ibi decimas DEO, quem vocant Sabin, mensura non pondere, Sacerdotes capiunt. Nec ante mercari licet: inde impensæ publicæ tollerantur. Nam & benigne, certo itinerum numero, DEVS hospites pascit. Sic Plinius. Victores porro consueuisse de spoliis hostium & manubiis decimas vouere ac persoluere diis, vel Ioui, vel Apollini, vel Dianæ, aliisue, in veterum maximeque probatorum auctorum scriptis proditum testatumque legimus.

Cicero li. 1. de offic. & li. 3. de Nat. Deorum. Plin. lib. 12. cap. 14. Herodotus 1. libro. Xenophon li. 5. de Cyro, & libr. 3. De rebus Græcorum.

QVINQVE DISPVTATIONES,

Ad pleniorem historiæ Melchisedec cognitionem pertinentes.

ABSOLVTA explanatione verborum Mosis, quibus hoc loco historia Melchisedec breuiter ab eo narrata est; sequitur vt illas quinque Disputationes, quas supra tractaturos nos esse promisimus, & quæ ad vberiorem atque illustriorem eiusdem historiæ expositionem & intelligentiam spectant, ordine persequamur ac pertractemus. Prima Disputatio est, quis fuerit ille Melchisedec: Secunda, quæ fuerit vrbs illa Salem, cuius rex fuisse dicitur Melchisedec: Tertia, quorsum Melchisedec occurrens Abrahæ, protulerit panem & vinũ: Quarta, de decimis quas Abrã dedit Melchisedecho: Quinta, cur IESVS CHRISTVS Dominus noster, dictus est à Dauide Sacerdos futurus secundum ordinem Melchisedec. Quoniam autem iam duas vsque ad hunc locum explicuimus disputationes huius capitis, idcirco harum quinque disputationum de Melchisedec, prima nominabitur tertia huius capitis; secunda, numerabitur quarta, & sic deinceps vsque ad vltimam, quæ erit septima huius capitis disputatio.

Psal. 109.

Universidad de Deusto
Biblioteca

TERTIA DISPVTATIO

Huius capitis, quæ est prima de Melchisedec: An is fuerit verus homo, an Sem filius Noe, An alius aliquis ex genere ac gente Chananæorum.

BEATVS Hieronymus in Epistola 126. famosissimam 57
appellat hanc quæstionem; eamque sic tractat, vt magis aliorum opiniones exponat, quàm suam aperiat sententiam. De eadem quęstione disserit Epiphanius, vbi disputat contra hæresim 55. quæ est Melchisedecianorum; & contra hæresim 67. quæ fuit Hieracitarum. Ego tres inuenio auctorum sententias. Prima est, non fuisse Melchisedec verum hominem, sed naturam quandam vel cælestem, vel etiam diuinam, qui in figura hominis visus sit & locutus Abræ. Origenes quidem ac Didymus (vt refert Hieronymus) Angelum eum fuisse censuerunt. Alij putarunt esse Filium DEI, quorum sententiam, tacito eorum nomine, narrat Epiphanius. Nonnulli existimarunt fuisse SPIRITVM Sanctum: quæ sententia peracres & admodum pertinaces habuit defensores. Epiphanius nominat Hieracem quendam Aegyptium, defensorem eius opinionis; hominem bene doctum & disertum, sed plane alienũ à fide & doctrina Catholica, quin etiam nouæ cuiusdam hæresis (quæ ab eo nomen cepit) inuentorem ac doctorem. Verum acerrime omnium pro ea sententia propugnauit, & copiosissime disputauit Auctor Quæstionum veteris & Noui Testamenti, qui vulgo fert nomẽ B. Augustini, & inter eius libros qui sunt in quarto Tomo, locum habet. Namque illius operis auctorem non fuisse Augustinum, cum multis aliis & manifestis argumentis patet, tum vel hoc vno maxime, quod, quam ille verissimam putat sententiam de Melchisedec, fuisse eum SPIRITVM Sanctum; eam S. Augustinus in libro de Hæresibus recensет inter hæreses, & numerat trigesimam quartam hæresim. Nec vspiam Augustinus eius libri tanquam sui meminit; neque illam sententiam, tanquam à se positam in eo libro, alicubi retractauit. Verum auctor ille multis rationibus pugnat Melchisedec non fuisse verum hominem, sed in specie hominis SPIRITVM Sanctum.

An Melchisedec fuerit verus homo Origenes. Didymus. Hiera.x.

Auctor quęstionum Veteris & Noui Testamẽti non fuit Augustinus.

Has ergo rationes hic breuissime ponam, simulque dissoluam. Pri- 58
ma ratio: Sacra scriptura facit Melchisedec virtute ac dignitate multo maiorem ac præstantiorem quàm Abrã: sed nullus mortalium eo tempore, iustitia & sanctimonia par fuit Abræ, nedum præstantior: ergo Melchisedec non fuit ex genere mortalium, sed immortalis quædam & diuina natura. Minorẽ huius syllogismi propositionem sic ille probat: nullo modo, inquit, fieri potest, vt Melchisedec qui præponitur Abrahæ

Sex rationes sophisticæ quod Melchisedec fuerit Spiritus sanctus.

Abrahæ tanto DEI amico, & adeo fideli; vt propter eius amorem, ne suum quidem filiũ carissimũ dubitauerit occidere, homo putetur. Qua enim iustitia, quibus operibus Melchisedec plus apud DEVM mereri potuit, quam meruit Abrã? Nec enim erat plus quod ille facere posset ad commendationem meritorum, quam fecit Abram. Secunda ratio: Melchisedec laudatur à B. Paulo tanquam rex iustitiæ & pacis: id est, quasi horum bonorũ auctor & largitor. Cum igitur iustitia & pax bona quædam sint diuina, quis eorum bonorum rex & dominus, ptæter DEVM, vere appellari potest? Tertia ratio: Paulus affirmat fuisse eum sine patre & matre, siue genealogia; nec habuisse initium aut finem dierum: hæc autem in verum hominem nullo modo conueniunt. Nec responderi potest: talem dici Melchisedec, non quia vere talis fuerit; sed quia de eo illa non memorantur in scriptura: hoc, inquam, responsum est friuolum; namque ea ratione, quod Paulus dixit de Melchisedec, idem in multis aliis dici posset, vt in Daniele, tribus pueris, Helia, & quibusdam aliis, horũ enim nec genus, nec parentes, nec ortus aut obitus narrantur in Sacris literis. Quarta ratio: Dicitur Melchisedec assimilatus esse FILIO DEI: ergo fuit similitudo & imago FILII DEI: talis autem est SPIRITVS Sanctus. Nam Græci patres, sicut FILIVM vocant imaginẽ DEI PATRIS: sic SPIRITVM Sanctum appellant imaginem FILII. Quinta ratio: Nisi Melchisedec fuisset DEVS, quomodo vere dictus esset CHRISTVS, quà homo, futurus Sacerdos secundum ordinem Melchisedec? Nam illud (secundum ordinem Melchisedec) arguit fuisse in Melchisedec principalem quandam & archetypam sacerdotij dignitatem. Sexta ratio: Si Melchisedec fuit homo, cum esset Sacerdos & Pontifex, necesse est habuisse populum fidelem, erga quem Sacerdotij & Pontificatus munera exerceret; idque prius quam Abram pater esset populi fidelis. At laus hæc & prærogatiua tribuitur Abræ; appellatur enim ille pater credentium, caputque ac princeps populi fidelis.

*Genes.*22.

*Heb.*7.

*Psal.*109.

*Genes.*17. *Rom.*4.

59 HAE sunt rationes à me breuibus expositæ, quibus Auctor ille verbosissime dilatatis vtitur ad opinionem suam confirmandam. Suspicatus aliquando sum, hunc Auctorem, esse eum ipsum, quem commemorat sine nomine B. Hieronymus initio eius Epistolæ, quã de hac cõtrouersia scripsit ad Euagrium: nam eandem sententiã ei assignat, & longa disputatione, multisque argumentis tractatam ab eo fuisse scribit. Quod quidem admodum probabile fieret, si verum esset, quod ego doctos quosdam viros coniectantes audiui, Auctorem hunc Quæstionum veteris & noui Testamenti, fuisse eũ qui scripsit Commentarios in Epistolas B. Pauli sub nomine S. Ambrosii euulgatos. Hunc enim æqualẽ fuisse Hieronymi & Damasi Papæ, perspicue prodidit ipse explanans illa verba Pauli 2. ad Timotheum 3. *Vt scias quomodo oporteat te in domo* DEI *conuersari, quæ est Ecclesia eius*: Vere, inquit, domus DEI est Ecclesia, cuius hodie rector est Damasus.

Quis fuerit ille auctor Quæstionũ Veteris & Noui Testamenti. S. Hieronymus.

Verba porro B. Hieronymi, quibus auctorem hunc significatum ab

eo

Universidad de Deusto
Biblioteca

eo fuisse dixi,hæc sunt:Misisti volumen sine nomine: & nescio vtrum tu de titulo nomen subtraxeris,an ille qui scripsit,vt periculum fugeret disputandi;auctorem noluerit confiteri. Quod cum legissem, intellexi famosissimam quæstionem super Pontifice Melchisedec,illuc plurimis argumentis esse perductam,vt docere conatus sit, eum, qui benedixerit tanto Patriarchæ, diuinioris naturæ fuisse, nec de hominibus æstimandum. Et ad extremum,ausus est dicere, SPIRITVM Sanctũ occurrisse Abrahæ,& ipsum esse qui in hominis figura visus sit. Quomodo autem SPIRITVS Sanctus panem vinumque protulerit, & decimas acceperit,omnino tangere noluit. Petis igitur vt quid mihi vel de scriptore,vel de quæstione videatur,respondeam. Hæc Hieronymus.

Solutio superiorũ sex rationum.

VERVM ad rationes huius Auctoris supra expositas breuissime respondeamus. Ad primam:inducitur Melchisedec tanquam præstantior Abramo,non quidem propter maiorem virtutis & sanctimoniæ excellentiam;sed quia erat Rex in ea regione,& publicus apud eam gentem Sacerdos & Pontifex;cum Abram esset illic homo quidam priuatus & peregrinus,& in sua tantum familia sacerdos. Sed potissimum ille prælatus est Abræ, propter admirandum Regni eius,Sacerdotij, & sacrificij mysterium, quibus rebus CHRISTVM Dominum mirabiliter præfigurauit. Ad secundam:Non fuit reuera Melchisedec sine parentibus, nec ortu atque obitu carens:cum etiã FILIVS DEI quà homo, & matrem habuerit in terris,& initium ac finem dierum. Talis igitur à Paulo est appellatus,vt interpretatur B. Hieronymus ex sententia Patrum,quia repente eum inducit Scriptura non prænarrata eius genealogia, nec ortu & excessu eius indicato; non denique vspiam alibi vel ante vel post,eius facta mentione.

Locus Pauli ad Hebræos 7. vide etiã inf. num. 65.

60

Et quanquam similia dici possunt in Daniele,tribus pueris, & Elia; quia tamen Melchisedec fuerat vir admodum insignis & memorabilis ob singularem & admirabilem repræsentationem sacerdotij & sacrificij CHRISTI; propterea sapienter B. Paulus intelligens SPIRITVM Sanctum voluisse illa taceri de Melchisedec, ea ipse præcipue ac proprie ad CHRISTI mysterium accommodauit. Epiphanius quidem certe tradit in quibusdam scripturis nominatim prodi patrem & matrem Melchisedec:& illum quidem appellari Eraclam;matrem vero Astaroth,siue Asteriam.

Epiphan.

Eustatius. Suidas.

Quod autẽ Hebræi, Eustatius Antiochenus,& Suidas dixerũt, propterea genus Melchisedec taceri,quod fuerit scorti filius, & detestabili satu progenitus;id nec probare ipsi possunt,& vt ita tamen fuisset,non propterea tamen genus & parentes eius taceri debuissent. Quis enim nescit,in libro Iudicum memorati Abimelech & Iephte ex meretricibus natos;& in hoc libr. Genesis ex incestu procreatos Phares & Zare, quorum tamen genus & parentes recensentur?

61

Iudic. 8. Infra 11. *Genes.* 38.

Ad tertiam rationem ita respondeo: Non dicitur Melchisedec rex iustitiæ & pacis,quasi earum rerum auctor & dominus;sed est hebraismus perfrequens in Scriptura, significans regem iustum & pacificum; quemad

quemadmodum dicitur filius dilectionis,filius pacis, filius perditionis & mortis;pro eo quod est,filius dilectus,pacificus, perditus, & dignus morte. Ad quartam: Dicitur Melchisedec assimilatus FILIO DEI, non propter similitudinem substantiæ, sed propter similitudinem sacerdotij & sacrificij. Nam quod Hierax ille dixit, referente Ephiphanio,SPIRITVM sanctũ dici assimilatũ FILIO DEI, quod is etiam formam & naturam humanam assumpserit;indignum est refutatione, adeo est absurdũ: & id clarissime refellitur illis verbis Domini nostri: *Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo,Filius hominis qui est in cælo.* Solus igitur FILIVS DEI propter assumptionem humanæ naturæ,de cælo descendit.

Locus Pauli ad Hebræi cap. 7.

Ioan. 3.

Nec sane in rebus diuinis,& quæ humanam superãt intelligentiam, credendis & astruendis,humanis argumentis & commentis nitendum est;sed diuina & apostolica auctoritate. Audiat Lector præclaram Epiphanij sententiam,quæ omnes tam superiorum temporum,quàm huius sæculi hæreticos plane perfodit atque iugulat. Termini, inquit Epiphanius, nobis positi sunt, & fundamenta & ædificatio Fidei, & Apostolorum Traditiones,& scripturæ sanctæ,& successiones doctrinæ,& vndequaque veritas DEI munita est. Nemo igitur nouis fabulis decipiatur. Sic ille. Quemadmodum autem aliæ hæreses ex verbis diuinæ Scripturæ perperam intellectis,& ortum & firmamentũ suum habuerunt;ita quoque hanc de Melchisedec hæresim praua & peruersa illorum B. Pauli,quæ sunt in Epistola ad Hebræos capite 7. intelligentia peperit. Scitum est igitur illud Epiphanij: Diuinæ scripturæ profunditas & claritudo,mentẽ humanæ naturæ excedens decipit quamplurimos. Ad quintam:cum dicitur CHRISTVS sacerdos secundum ordinem Melchisedec, non denotat imitationem aut participationem sacerdotij eius,nec deriuationem sacerdotij à Melchisedec ad CHRISTVM:sed significat morem, ritum & similitudinem:qualis nimirum est inter imaginem & exemplar,inter figuram & veritatem, inter corpus & vmbrã. Ad sextã:Abrã præcipue ac proprie dicitur pater credẽtium,tres ob causas: Primo,qua primus ipse legitur ex media infidelitate Chaldęorũ à DEO mirabiliter eductus; eiusque fides ante omnes alios summis laudibus à Scriptura prędicatur. Deinde,quia primus fuit mortalium,cui data est promissio venturi CHRISTI;per cuius fidem & gratiã omnes gentes erãt benedicendæ. His adde, quod parens fuit populi Hebræi,in quo solo omniũ mũdi populorũ,publicus veri DEI cultus vsque ad CHRISTI aduentum conseruatus est; sicut etiã cecinit Dauid: *Notus in Iudæa* DEVS, *in Israel magnum nomen eius.*

Notabilis sententia Epiphanij aduersus Hæreticos.

Ephiphan.

Ob tres causas dictus est Abrã pater credentium.

Genes. 12. & 15.

Psal. 75.

Verum solutis rationibus illius Auctoris,opinionem eius atque eorum qui Melchisedec verum fuisse hominem putarunt,paucis refellamus. Narratio Mosis hoc loco,vt in aliis partibus huius libri,plane historica est: verba igitur eius de Melchisedec, historice & proprie, vt verba ipsa sonãt, accipienda & interpretanda sunt. Moses autẽ inducit Melchisedec vt verũ hominem occurrentẽ Abræ,& cũ eo loquentem.

Probatur tribus argumẽtis Melchisedec fuisse verũ hominem.

Nam cum Moſes alicubi inducit Angelos in figura humana loquentes hominibus, vel aperte prodit eſſe Angelos, vel dicit aliqua, quibus id non obſcure ſignificat. Deinde ſi Melchiſedec erat rex vrbis Salē, cum ea vrbs in illa regione, & apud illas gentes notiſſima eſſet; neceſſe eſt regem quoque eius vrbis Melchiſedec fuiſſe omnibus illis gentibus notiſſimum: non igitur erat vel SPIRITVS Sanctus, vel Angelus: multo minus FILIVS DEI, cum Dauid dicat, FILIVM DEI futurum Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedec: & Paulus ſcribat, Melchiſedec aſſimilatum eſſe FILIO DEI. Iam vero ſi Melchiſedec fuit Sacerdos & Pontifex; is profecto nec Angelus, nec SPIRITVS Sanctus eſſe potuit: ſiquidem vera eſt B. Pauli ſententia: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad* DEVM, *vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Quapropter FILIVS DEI naturā humanam aſſumpſit, vt per eam & in ea ſacerdos fieret apud DEVM. Verum dimittamus iſtam opinionem, & tranſeamus ad ſecundam.

Ad Hebr. 5.

2. Opinio Hebræorū Melchiſedec fuiſſe Sem filium Noe.

ALTERA ſententia eſt, quam Epiphanius attribuit Samaritis; Hieronymus vero aſcribit Hebræis, hunc Melchiſedec non fuiſſe alium, quàm Sem filium Noe: qui ob inſignem eius iuſtitiam & pietatem, ad maiorem eius commendationem, non ſub proprio nomine, ſed ſub appellatione Regis iuſtitię hic inducitur à Moſe. Hic igitur Sem abnepoti ſuo decimi gradus Abræ (vtar verbis Hieronymi) gratulabundus occurrit & benedixit, erat enim ſacerdos DEI: ſiquidem ante legem Moſis omnes primogeniti erant ſacerdotes; & hæc eſſe volunt primogenita, ſiue ius primogenituræ, quod Eſau vendidiſſe dicitur ipſi Iacob. quanquam aliorū Hebræorum (quos Lyranus, Thoſtatus, aliique complures ſecuti ſunt) opinio fuit, Sem non fuiſſe primogenitum Noe: ſed ob ſingularem tamen quandam diuinæ electionis & benedictionis prærogatiuā, ius primogenituræ (præſertim autē quantū ad ſacerdotiū) in eum fuiſſe tranſlatum; ſicut idem quoque ius ab Eſau in Iacob, & à Ruben in Iudā & Leui traductū eſt. Hæc igitur fuit Hebræorū ſentētia. Quare miror cur B. Ambroſius lib. 3. de Fide cap. 5. faciat Iudæos opinari illum Melchiſedec fuiſſe Angelū DEI, Iudaica ludibria appellans eā opinionē.

Geneſ. 25.

B. Ambroſius.

Epiphanius refellitur.

Hanc ſententiam Hebræorum refellens Epiphanius, ait rationem temporum ei prorſus aduerſari. Putat Epiphanius, cum Melchiſedec occurrit Abræ, fuiſſe tunc Abram annorum circiter nonaginta. In quo mihi ille videtur lapſus: namque infra Geneſ. 16. aliquanto ſcilicet poſt hunc occurſum tempore, legimus Abram cum vxorem duxit Agar ancillam, fuiſſe annorum octuagintaquinque. Deinde, falſam eſſe illam opinionem, ſic argumentatur Epiphanius; Sem non vixit amplius ſexcentos annos, vt traditur Geneſ. 11. ſed ab ortu Sem vſque ad nonageſimum ætatis annum Abrahæ, quo tempore cōtigit quod hic ſcriptum eſt de Melchiſedec, numerantur anni mille centum triginta; vel ſecundum aliam chronologiam, ſexcenti viginti octo: ergo ante hunc occurſum Abrę & Melchiſedec, iam mortuus fuerat Sem; ſecūdum priorem quidem Chronologiam, annis quingentis triginta; ſecundum alteram vero

63

64

vero Chronologiam, annis viginti octo. Non igitur filius Noe, potuit eſſe Melchiſedec. Verum hæc argumentatio Epiphanij plane nulla eſt: quippe quæ nititur mendoſa ſupputatione annorum à diluuio vſque ad Abram; quam ille in vitiatis LXX. interpretum codicibus legerat. Etenim cum à Diluuio vſque ad ortum Abræ anni non plures ducentis nonaginta duobus numerentur Geneſ. 11. Sem verò, qui vixit ſexcentis annis, tempore Diluuij centum fuerit annorum: neceſſe eſt vt ab ortu Sem vſque ad nonageſimum annum Abræ, quo anno, ſecundum Epiphanium, euenit quod hoc loco traditur de Melchiſedec, recenſeantur anni quadringenti octoginta. Tantum igitur abeſt, vt tunc mortuus fuerit Sem, vt poſt id temporis annos centum viginti ſuperuixerit.

SED redeamus ad opinionem Hebræorum. Hanc illi nulla ratione firmant: ſed ita opinantur, quòd æquo animo non ferant, aliquem de populo Gentilium, ſtirpique Hebręorum extraneum, parente ſuæ gentis Abram, poteſtate apud DEVM haberi maiorem ac præſtantiorem. Nec ſolis placuit Hebræis hæc opinio: placuit etiam Lyrano, Thoſtato, atque aliis tam multis, vt ea pro communi ſententia habeatur. Sed ego, vt eam crederem eſſe veram, nunquam adduci potui. Namque aſſenſu eius opinionis quatuor me prohibent argumenta. Principio, quod B. Paulus dixit de Melchiſedec, eum fuiſſe ſine parentibus & genealogia, & ſine initio ac fine dierū, quòd nihil horum de illo memoretur in Sacris literis; id in Sem dici nullo modo poteſt: eius namque genus, parentes, ætaſque explicatiſſime traduntur in diuina ſcriptura. Sed audi, ad hoc argumentum, quale reſponſum finxerint Lyranus & Thoſtatus. Aiunt duo fuiſſe illius viri nomina, Sem, & Melchiſedec: & genus quidem eius viri ac parentes tradi ſub nomine Sem, non autem ſub nomine Melchiſedec; & ad hoc ſpectaſſe & alluſiſſe Paulum. Sedenim, nemo eſt qui non videat hoc eſſe friuolum commentum. Vnde enim iſtud de duobus nominibus, eius viri aut cognouerunt ipſi, aut probare aliis poſſunt? Nec ſanè Paulus in tam leui nominum ratione, tantum myſterij, de quo illic diſputat, pondus collocaſſet. Præſertim cum Epiſtolam illam ſcripſerit ad Hebræos, quibus, dubitare nō potuit genealogiam & chronologiam Sem, fuiſſe notiſſimam.

Lyranus. Thoſtatus.

Refellitur 2. opinio, & probatur quatuor argumentis.

Sē non fuiſſe Melchiſedec.

Ad Heb. 7.

Deinde, ſi Sem fuiſſet Melchiſedec, id aliquo modo, & aliquo loco indicare non prætermiſiſſet Moſes: ſiquidem id prodere, cum ad lumen hiſtoriæ quam ſcribebat, tum ad decus & ſplendorem gentis ſuæ, tanto parente nobilitatæ, valeret plurimum. Ad hoc, B. Paulus affirmat generationem Melchiſedec, Iudæorum generi & ſanguini fuiſſe extraneam: at Iudæi omnes ex ipſo Sem genus & originem duxerūt. Nec illud non multum eleuat fidem iſtius opinionis, quòd ea non fuerit veteris ſynagogæ ſententia. Duo enim vetuſtiſſimi & doctiſſimi Hebræorum ſcriptores, quique ſcientiam rerum Iudaicarum optime calluerunt, Philonem dico & Ioſephum, vbicūque de Melchiſedec verba faciunt, ſemper de eo loquūtur, vt de homine alienigena, & generi ac gēti Iudæorū ex-

Ad Hebr. cap. 7.

Philo. Ioſephus.

Ioſephus li. 7. de Bello Iud. ca. 18

3. Sententia, quã sequitur auctor, Melchisedec fuisse de populo gentili & fuisse Chananęũ. S. Hieron. Irenæus. Hippolytus Eusebius. Cæsarien. Eusebius. Emisenus. Apollinar. Eustathius. Theodoret. Suidas mira de Melchisedec.

traneo. Immo vero Iosephus Chananæum fuisse eum, & Chananæorum principem aperte scripsit.

TERTIA est sententia (quam ego non modo superioribus puto esse probabiliorem, sed solam esse veram censeo) Melchisedec non fuisse ex stirpe ac genere Hebræorũ, sed fuisse de populo Gentili & Chananæo. Magnam huic sententiæ fidem astruit multitudo, auctoritas & nobilitas sectatorum huius opinionis. B. Hieronymus probatores eius, hos recensuit auctores, Irenæũ, Hippolytum, Eusebium Cæsariensem, Emisenum, Apollinarium, Eustathium: sed præter hos ab Hieronymo commemoratos, fuerunt eiusdem opinionis ascriptores & propugnatores, præter Philonem & Iosephum supranominatos, Epiphanius locis dudum indicatis, Theodoretus quæstione 63. in Genesim, & Suidas qui hæc de Melchisedec literis mandauit: fuisse eum Chananæum, & ex Side filio regis Aegypti vel Libyæ genus duxisse; ex detestabili satu esse progenitum, ideoque genealogiam eius fuisse innominatã; vrbem Salem, cuius rex fuit, condidisse in monte Sion; regnasse annis centum tredecim, semperque virginem fuisse. Sic ille. Nec Suidas tantùm facit Melchisedec virginem; facit etiã Ignatius martyr in Epistola ad Philadelphios: sed quo argumento, equidem nescio. Nec illud leue est argumentum Melchisedec non fuisse Sem; omnem illam regionem in qua regnabat Melchisedec, fuisse id tẽporis possessam à posteris Chanaan; & idcirco cõmuniter dicebantur Chananæi: propriis autẽ & variis nominibus, quæ ducta erant ex variis nominib. filiorũ Chanaan, vt supra exposuit Moses Genesis 10. inter se discernebãtur. Qui fit igitur credibile, aut Sẽ regnasse inter Chananæos, aut Melchisedec in Chananæorum regione pontificatũ & regnũ obtinentẽ, non fuisse Chananæum?

Locus Pauli ad Hebr. 7.

Magnum item pondus habet ratio ducta ex verbis Pauli: nam exãgerans ille auctoritatis & dignitatis præstantiam Melchisechi, sic ait: *Cuius generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abram: & hunc qui habebat repromissionem benedixit.* Quid est illud: *Cuius generatio non annumeratur in eis?* non aliud sanè, nisi, cuius genus & gẽs, à genere & gente Iudæorum prorsus diuersa est. Ergo si Melchisedec extraneus fuit generi Iudæorum, nec potuit esse Sem, vnde genus ducebant Hebræi: & ex ea gente apud quam regnabat, fuisse eum putandum est.

Præclarum Areopagitæ testimoniũ, quod Melchisedec fuerit ex populo Gentilium.

His accedit locupletissimum B. Dionysij Areopagitæ testimonium. Is enim in libro de Cælesti Hierarchia cap. 9. cum docuisset multos ex Gentilibus ante legem Mosis, ad veri DEI cognitionem & cultum, opera Angelorum, qui singulis gentibus præfecti sunt, esse perductos; id confirmat perillustri exemplo Melchisedec, qui licet ex gente infideli esset, non solum ipse fidelis erat, sed populum etiam, cuius rex fuit & Pontifex, fidelem habuit. Ac ne fraudem Lectorem singulari voluptate, quam ex aureis Dionysij verbis legẽdis percipiet, ponam hic eius verba. Nempe, inquit, & aliis gentibus (præter Hebræos) ex quibus & nos ad immensum diuini luminis pelagus q̃uod paratum semper est, & patet omnibus ad participandum, ex præteriti erroris cæcitate respirauimus;

rauimus; non præfuerunt alieni aliqui Dij, sed vnum illud omnium ac singulare principium. Ad quod sanè obsequentes, ducebãt Angeli præfecti singulis gentibus. Considerare libet Melchisedec illum carissimum DEO; qui nequaquam inanium Deorum, sed altissimi æternique DEI sacerdos fuit. Non enim sine ratione, illustres diuina sapientia viri, Melchisedec non modo amicum DEI, verum etiam sacerdotem DEI appellarunt: scilicet vt prudentioribus apertè indicarent, non modo ipsum ad verum & sempiternum DEVM esse conuersum; verum & cæteris ad veram & solam supremamque Deitatem prouehendis, auctorem ducemque fuisse. Hæc B. pater Dionysius.

QVARTA DISPVTATIO,

Quæ est secunda de Melchisedec.

Quænam fuerit vrbs illa Salem, cuius rex fuisse dicitur Melchisedec.

67 OPINIO est Iosephi libro primo & septimo Antiquitatum, & libro septimo de Bello Iudaico; est item omnium ferme (vt fatetur Hieronymus) Ecclesiasticorum auctorum, & vt verbo dicam, sententia est vetus, & communis, vrbẽ, quæ hic appellatur Salem, fuisse eam ipsam quæ postea vocata est Hierusalem. Putant igitur isti primo dictam esse Salem; tum Iebus; postea vero, vno ex illis duobus nominibus composito vocabulo appellatam esse Iebusalem, sed melioris soni gratia, factum esse nomẽ Hierusalem. Verum B. Hieronymus in Epistola quam scripsit ad Dardanum, ait prius vocatam esse Iebus, posterius autem Salem: cum tamen hoc loco legamus nomen Salem; nomen autem Iebus primo legatur in libro Iudicum. Sed nimirum Hieronymus propterea id dixit, quia putauit, quæ hic appellatur Salem, longe diuersam esse ab vrbe Hierusalem. Quod autem etiam Hierusalem aliquando dicta sit Salem, patet ex illo versiculo Psalmi septuagesimi quinti; *Factus est in pace locus eius & habitatio eius in Sion.* Pro illo *in pace* hebraice est, in Salem: quæ vox ibi sine dubio significat vrbem Hierusalem, sicut declarat quod proxime adiungitur *Et in Sion habitatio eius.* Solet enim scriptura duo hæc vocabula Hierusalem & Sion, sæpenumero iungere in eadem sententia. Eupolemus apud Eusebium libro 9. de Præparatione Euangelica cap. 4. tradit, Abram reuertentem ex hostium cæde acceptum esse liberaliter à Melchisedec in vrbe Algariza: quæ vox latine sonat, montẽ Altissimi; & sine dubio significatur vrbs Hierusalẽ in altissimo monte, qui præcipue ac singulariter sacer DEO erat, ædificata.

Iosephus.

Hieronym.

Eupolemus.

Algariza idẽ quod Hierusalem.

Sententia Hieronymi de vrbe Salem.

ALTERA est sententia, quam superiori præfert Sanctus Hieronymus, Salem cuius rex fuit Melchisedec; nō fuisse Hierusalem, sed aliam quandam vrbem in terra Chanaan, & in regione Sichimorum, iuxta vrbem Bethsan, alio nomine dictam Scythopolim, proximam Iordani, cuius & in hoc libro infra cap. 33. & in Euangelio Ioānis cap. 3. fit mentio. Sed cognoscat Lector ex verbis Hieronymi & hāc eius sententiam, & quibus eam firmat, argumenta. sic ille ait in Epistola quam scripsit ad Euagrium: Vrbs Salem, non vt Iosephus & nostri omnes arbitrantur, est Hierusalem, nomen ex græco hebraicoque compositum; quod absurdum esse peregrinæ linguæ mixtura demonstrat: sed est oppidum iuxta Scytopolim, quod vsque hodie appellatur Salem; & ostenditur ibi palatium Melchisedec, ex magnitudine ruinarum, veteris operis ostendens magnificentiam. De hac Salem in posteriore huius libri parte scriptum est: *Venit Iacob in Socoth, id est in Tabernacula, & ibi fecit sibi domos atque tentoria; & transiuit in Salem ciuitatem regionis Sichem, quæ est in terra Chanaan.* Considerandum quoque est, quod Abrahę à cæde hostium reuertenti, quos prosecutus est vsque Dan, quæ hodie Paneas appellatur, non in via Hierusalem occurrerit, sed Salem oppidum Metropoleos Sichē, in eo itinere fuerit. Legimus quoque in Euangelio, Ioannem baptizasse in Enon iuxta Salim, quia multæ ibi erant aquæ. Nec refert, vtrum Salē, an Salim nominetur; cum vocalibus in medio literis perraro vtantur Hebræi: & pro voluntate lectorum atque varietate regionum, eadem verba diuersis sonis atque accentibus proferantur. Hactenus ex Hieronymo. 68

Epist. 126

Genes 33.

Ioan. 3.

DVO igitur in his verbis Hieronymi pro hac opinione tanguntur argumenta: vnum est, in vrbe Salem vsque ad ætatem Hieronymi extitisse non obscura vestigia palatij Melchisedec, cuius antiquam magnificentiam, vel ipsæ quæ cernebantur eius ruinæ, ostentabant. Alterum est argumentum, Abræ reuertenti ex hostium cæde, distantem admodum & deuiam fuisse Hierusalem; at vero Salem, in eo ipso itinere fuisse illi obuiam. Verum neutra ratio admodum firma est. Vnde enim liquere potuit, palatium illud fuisse Melchisedec? Dices; sic erat fama apud illas gentes. At enim fama, præsertim popularis & vulgaris, sæpe inanis, futilis, & fallax est. Etiam Borchardus tradit Melchisedec in eo loco qui est ad radicem montis Thabor, accepisse reuertentem ex cæde hostium Abram; idque constare ait vniuersali fama eius regionis atque gentis. Nec valde vrget altera ratio. Etenim dupliciter ei potest occurri. Possumus enim dicere, Melchisedec, cum audisset tam insignem Abræ victoriam, tamque vtilem vniuersæ illi regioni; profectum ex vrbe sua Hierusalem, longo spatio iuisse obuiam Abræ, suoque eum reuertentem itinere, perhumaniter, atque honorifice accepisse. Aut illud potius dici posset, Abrā de recto itinere deflectentem, petiisse vrbem Hierusalem; aut soluendi voti causa, quod pro adipiscenda victoria fecerat, aut agendi DEO gratias pro adepta. Eum vero locum præcipue adire voluit, quod eius rex esset publicus 69

Expenditur B. Hieronymi sentētia.

Borchardus 1. par. cap. 6. Num. 9.

publicus in ea regione Sacerdos; & Sacerdos quidem non inanium Deorum, sed veri ac summi DEI, singularis iustitiæ ac sanctitatis fama celeberrimus. Hoc vbi Melchisedec intellexit, non expectauit dum ille ad vrbem perueniret: sed aliquanto spatio procedens obuiam, præuenit eius aduentū: eumque multa cum gratulatione, humanitate atque honore accepit. Atque hæc quidē breuiter de duabus supradictis opinionibus super vrbe Salem disputata sint.

Auctoris sētentia.

70 EGO vt non inficior, satis esse probabilem B. Hieronymi sentētiam: sic ingenue fateor, me ad priorem illam opinionem duas ob causas esse propensiorem. Mouet enim me plurimum, ac vehementer tenet tam antiqua, tam omni tempore peruagata & recepta, tantoque Doctorum ferme omnium consensu firmata sententia. Præsertim cum rationes quibus eam oppugnauit Hieronymus infirmas esse ostensum sit. Deinde propterea valde amo & amplector eam sententiam; quod ea mirifice augeat magnitudinem & mirabilitatem eius mysterij, quod in persona & munere Melchisedec continebatur. Quam enim belle (præter alia multa) & hoc quadrat ad mysterium CHRISTI: si quemadmodum Dominus noster futurus erat rex, & Sacerdos in Hierusalem: ita Melchisedec, qui plus duobus annorum millibus ante insigniter eum præfigurauit, eiusdem vrbis rex & Sacerdos fuerit? Dominum autem IESVM futurum regem Hierusalem, prædixerat Dauid Psalmo secundo illis verbis: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* Idemque pridie mortis suæ in vrbe Hierusalem summo functus summi Sacerdotis munere, instituit sub specie panis & vini Sacramentum & Sacrificium EVCHARISTIÆ, perpetuo deinceps in Ecclesia ad consummationem seculi celebrandam. Cruentum quoque Sacrificium corporis & Sāguinis sui, in ara crucis DEO PATRI pro humani generis redemptione inibi obtulit.

QVINTA DISPVTATIO,

Quæ est tertia de Melchisedec.

Ad quem finem siue vsum, Melchisedec occurrens Abræ, protulerit panem & vinum.

Ioseph.

71 TRES sunt sentētię. Prima, ea Melchisedec adduxisse in cibum & potum Abrahæ & sociorum eius. Huius sentētiæ princeps nominatur Iosephus. Eius autem verba supra num. 45. cōmemorauimus & perpēdimus. Propterea vero ita sensisse Iosephus existimatur, quod cum narrat hāc histo

historiam Melchisedec,conuiuij tantum meminit,quo Abramum liberaliter accepit, nullum de sacrificio verbum faciens. Eodem inclinauit Caietanus:nam exponens illa verba:*proferens panem & vinum:*Nihil,inquit, scribitur hic de sacrificio siue oblatione, sed de prolatione, siue extractione panis & vini,quam Iosephus dicit factam ad reficiendum victores. Eandem opinionem tribuit Hebræis B. Hieronymus in Epistola ad Euagrium scripta. Tradunt autem Hebræi morem fuisse antiquitus,redeuntibus è bello parta victoria, exire obuiã cum pane & vino ad eos refocillandos. Ad hoc probandum afferunt illi exemplũ ex capite octauo libri Iudicum, vbi narratur, Gedeonem profligatis Madianitis,& insectantẽ fugientes,petiisse à viris vrbis Socoth, vt darent ipsi & militibus panes,vt cibo refecti persequerentur hostes: illos autem respondisse:*Nunquid manus Zeb & Salmana iam est in manu tua, vt tradamus exercitui tuo panes?*Quibus verbis significarunt, nõ fuisse morem exeundi obuiam militibus cũ cibo & potu nisi confecto iam bello,partaque victoria. Quanquam ea ipsa offerri debere longinquo itinere fessis, & penuria cibi ac potus laborantibus, vel naturali quadam humanitate, vel receptissimo illis gentibus more; satis indicauit Dominus Deuteronomij 23. cum maledixit Amonitis & Moabitis: *Quia noluerunt*, inquit, *vobis occurrere cum pane & aqua in via,quando egressi estis de Aegypto.*

Caietanus.

Hebræi. Hieronym.

Locus Deuteronomij cap.23.

Plerique recentiorum scriptorum secuti Lyranum & Thostatum, ita refellunt hanc sententiam: Milites & socij Abrahæ abundabant cibariis:ergo superuacaneum fuisset, Melchisedec ad eorum refectionem panem & vinum attulisse. Cum enim quatuor illi reges vniuersam regionem Pentapolitanam deprædari essent, non est dubitandum quin maximam copiam eorum quæ pertinent ad victum abstulerint: quæ quidem omnia,illis debellatis & cæsis, in potestatem Abrahæ venerunt. Idque putant aperte ostendisse Abram illis verbis,quæ dixit regi Sodomorum:*Non accipiam*, inquit Abram, *ex omnibus quæ tua sunt: exceptis his quæ commederunt iuuenes.* Ergo abunde commederant, nec cibariis Melchisedec indigebant. Sed parum in hac confutatione videtur esse roboris. Dicat enim quispiam, nescisse id Melchisedec: immo putasse eos propter laborem dimicationis & fatigationem itineris, recentibus cibis refici ac recreari debuisse. Ac licet id sciuisset Melchisedec, voluisset tamen eo munere suam erga Abram beneuolentiam, & ex victoria eius,singularem lætitiæ suæ voluptatem declarare. Falsitas igitur illius primæ sententiæ, declarata firmataque aliarum sentiarum veritate,constabit.

Lyrani & Thostati ratio aduersus hanc sentẽtiam, infirma esse ostenditur.

Melchisedec protulisse panem & vinum ad sacrificandũ probatur quinque argumentis.

ALTERA sententia est,panem & vinum tunc esse prolata à Melchisedec, ad sacrificandum DEO in gratiarum actionem pro victoria Abræ. Non enim ille sanguine & carnibus animalium, vt fere alij Sacerdotes,sed pane tantum & vino vti solebat in sacrificando. Hæc sententia probatur quinque argumentis. Primũ argumentũ ductũ ex auctoritate Patrũ, magnã vim habet,certãque huic opinioni fidem facit. 72

Et

Etenim omnes Ecclesiastici scriptores, vel dum hanc historiam Melchisedec tractarunt, vel cum disseruerunt de sacrificio & Sacramento EVCHARISTIAE per sacrificium Melchisedec præfigurato, vel vbi disputarunt quemadmodum CHRISTVS fuerit Sacerdos secundum ordinem Melchisedec, concorditer, constanter, & assueueranter docent, Melchisedec eo maxime figuram fuisse CHRISTI, quod non aliis rebus in sacrificando vsus fuerit, nisi pane & vino, sub quarum videlicet rerum speciebus instituendum à CHRISTO erat Sacrificium EVCHARISTIAE iugiter in Ecclesia vsque ad consumationem seculi peragendum. Sed vnde Patres cognitum habuerunt, Melchisedec sacrificasse panem & vinum? Non aliunde profecto, quam ex hoc vno loco Geneseos, nusquam enim alibi legitur Melchisedec vsum esse pane & vino. Ergo prolationem illam panis & vini, à Melchisedec factam esse ad sacrificandum, sensere omnes patres,docente eos SPIRITV Sancto,& aperiente eis sensum, vt sic intelligerent hanc scripturam. Commemorare autem hic istorum patrum nomina,scripta,sententias ac verba, equidem instituto operi superuacuum & alienum duco. Ea lector petat, si nosse auet, ex iis, qui controuersias nostri temporis inter Catholicos & Hæreticos,eam præcipue quæ est de venerabili sacrificio & Sacramento EVCHARISTIAE,diligenter,copiose,docteque scripserunt.

Deinde ad probationem huius sententiæ facit illud participium *proferens*,vel vt est græce & hebraice,*protulit* siue *obtulit*,hebraice est(hothsi)quod, vt annotauit scientissimus linguæ hebrææ Genebrardus,verbum est sacrificale, & reddentium DEO oblationes atque sacrificia;& id patet ex historia Gedeonis, quæ narratur in libro Iudicũ capite sexto,vbi Gedeon dixit Angelo,quem putabat hominem esse,*Nec recedas hinc,donec reuertar ad te,portans sacrificium,& offerens tibi:*Scilicet vt tu illud sacrifices & offeras. Et paulo post dicitur Gedeon panes azymos,& carnes cum iure carnium attulisse sub quercu & obtulisse illi: nempe vt ille eas res sacrificaret DEO. In qua historia scripturæ, animaduertere est, his esse positum verbum offerendi, relatum ad sacrificij vsum.

2.Argum.

Genebrardus in Chronologia.

73 PRAETEREA tres hoc loco narrantur actiones Melchisedec; quarum duæ posteriores,sunt plane Sacerdotales,benedicere Abrahæ, & decimas ab eo accipere:ergo prima eius actio,quæ hic narratur,proferendi panem & vinum, etiam fuit Sacerdotalis, & ad sacrificandum pertinens. Addit robur huic rationi, quod Latinus interpres illud participium *proferens panem & vinum* iunxit cum illo verbo *benedixit ei*; haud dubie significans,prolationem illam panis & vini fuisse sacerdotalem & sacrã, vt quæ cum sacerdotali benedictione cuniuncta fuerit. Ad hæc, patet hoc ipsum euidenter ex verbis illis proxime adiunctis; *Erat enim Sacerdos* DEI *altissimi*; nam illa particula *enim* cum sit causalis,denotat,cur Melchisedec protulerit panem & vinum, hanc fuisse causam,quod cum esset ille sacerdos DEI,& res illas soleret DEO sa-

3.Argum.

4.Argum.

crificare, voluit ex eisdem rebus sacrificium Eucharisticum pro victoria Abræ offerre DEO. Nam quod hebraice non sit *enim*, sed (&) satis diluimus supra num. 49. cum hæc ipsa verba Mosis explanaremus.

5. Argum. Concludet hanc argumentationem, multorum, & nobilium, & veterum Rabbinorum in eandem opinionem consensus. Ac ne sim longus vbi minime opus est, missos faciam nunc eos, de quibus multa refert Galatinus libro 10. de Arcanis catholicæ veritatis. Pauca dumtaxat ponam hic verba Genebrardi Iudaicarum rerum doctissimi. Sic autem scribit Genebrardus: Rabbi Moses Haddarsan in Bereshith Rabba, contendit Melchisedec tunc Messiæ ritum incruentæ sacrificationis aliquando introducturi, speciem & personam sustinuisse. Rabbi Moses & Salomon ordinarius Hebræorum interpres, exponēs Caput 14. Genesis, & historiam Melchisedec, è veterum Rabbinorum scriptis docet protulisse Melchisedec panem & vinum, vt Mosaicæ legis sacrificia farinacea, & libamina repręsentaret. Vult igitur iste Rabbinus, tunc Melchisedec sacrificasse. Cæteras quoque res Melchisedechi, plenas fuisse perfectionis & mysterij, Rabbi Leui è Talmudicis asseuerat: quod B. Paulus persequitur in Epistola ad Hebræos. Pauca hæc è Genebrardo carptim sumpta, satis lectori ad præsens fuerint.

Petrus Galatinus.

Genebrard. lib. 1. Chronologiæ in exordio tertiæ ætatis.

Rabbi Moses & Salomon.

Rabbi Leui.

TERTIA est sententia, Melchisedec protulisse panē & vinum prius 74
in gratiarū actionem pro victoria Abrahæ sacrificata DEO, vt sacri ac religiosi potus cibique participem faciens Abram & socios, corporibus eos pariter atque animis reficeret, recrearet, ac lætificaret. Nāque etiam in lege Mosis cum tria essent sacrificiorum genera, quæ traduntur in Leuitico, Holocaustum, Sacrificiū pro peccato, & Hostia pacifica, quæ offerebatur DEO, vel pro gratiarū actione, vel pro salute & prosperitate offerentium: huius tertij generis sacrificiorum vna pars incendebatur; altera tradebatur in vsum sacerdotum; tertiæ partis etiam ipsi qui obtulerant hostiam, participes erant. Huius sententiæ auctor nominatur Clemens Alexandrinus, qui sub finem libri quarti Stromatum scribit, Melchisedec panem DEO sacrificatum obtulisse Abramo in refectionem. Ad eandem sententiam Theodoretus quoque adscribitur: cuius in quæstione 63. in Genesim, hæc sunt verba: Quoniam Melchisedec typum gerebat sacerdotij dominici: idcirco panem, vinum, & massam farinæ dedit Abrahæ. Siquidem moris erat, DEO omniū, talia offerre. Animaduertebat enim & in hoc typum patefieri.

Clemens Alexādrinus. Theodoretus.

Mihi verò, etiam Philo videtur in hac fuisse sententia: is enim occursum hunc Melchisedec & Abræ disertis verbis enarrans, Cum, inquit, aduenientem lætis gratulationib. accepisset, manusque ad cælum tendens, fausta illi precatus esset: mactatis victimis, splendidum epulum sociis omnibus dedit. Sic Philo. Vult igitur Philo, prius sacrificasse Melchisedec; tum ex ipso sacrificio epulum Abrę prębuisse. Nec moueat Lectorē, quod dixerit Philo Melchisedechum mactasse victimas, cum Melchisedec incruento vteretur sacrificio: nā Philo posuit speciem pro genere, id est, mactare victimas, pro sacrificare; quòd apud omnes fermè

Philo in libro de Abraham.

fermè gentes mos esset, mactare victimas in sacrificando. Illud igitur, mactatis victimis, non aliud significat, nisi, præmisso sacrificio, vel, cùm prius sacrificasset. Hæc porrò tertia sententia, quantum ad id quod facit pro Catholicis aduersus Hæreticos, non differt à secunda. Siue enim dicas Melchisedec protulisse panem & vinum, vt ea sacrificaret DEO; siue iam sacrificata protulisse in vsum Abræ, nihil plane interest, dummodo illud ratum & certum sit, panem & vinum fuisse materiam sacrificij Melchisedechiani; nec eum cruenta victimarum mactatione, sed incruenta taliū rerum oblatione vsum esse in sacrificādo. Quare harum duarum posteriorū sententiarū, vtrā maluerit Lector, tutò sequi potest.

SEXTA DISPVTATIO,

Quæ est quarta de Melchisedec.

An cum dicitur Abrā dedisse decimas Melchisedecho, vocabulo decimarum intelligere oporteat decimas proprie acceptas.

75 PANC disputationem tractare volui hoc loco propter Caietanum: is enim cēset non debere hic intelligi decimam proprie ac præcise sumptam, qualis videlicet secundum legem Mosis dabatur sacerdotibus: sed partem aliquam bonorum & hostilium spoliorū; quæ deinde mensura & numero decimæ definita est. Audi Caietanum: Cum hic dicitur: *Dedit ei decimam ex omnibus*; non intelligo quotam, hoc est, decimam quamque partem significari nomine decimæ, sed speciem pro genere positam. Et est sensus: Dedit Abram ipsi Melchisedec, tanquam sacerdoti DEI excelsi, portionem ex omnibus, quam consueuimus decimam nominare: sic enim apud Israelitas nominabatur tempore Mosis. Hæc Caietanus.

Caietanus.

Verum eius interpretatio & opinio non solum dissentanea mihi videtur, sed etiam contraria ei disputationi, quam tractat Paulus in Epistola ad Hebræos cap. 7. vbi eodem modo ac significatione vtitur Paulus vocabulo decimarum, cum loquitur de decimis, quas Hebræi dabant suis sacerdotibus, & de decimis quas Abrā dedit Melchisedecho: sed illæ erant veræ decimæ, ergo similiter hæ. Immo vero sententia Caietani videtur infirmare atque eneruare argumentationem Pauli probantis sacerdotium CHRISTI multo esse præstantius Leuitico sacerdotio, ad hunc modum: Sacerdotium Melchisedec fuit præstantius Leuitico; sed Christus fuit sacerdos secundum ordinē Melchisedec: ergo sacerdotiū Christum prestātius fuit Leuitico. Minor huius syllo-

Refellitur Caietanus. Locus Pauli ad Hbræos. 7.

gismi, cum nitatur auctoritate Dauidis id ipsum affirmantis in psalmo 109. nulla egebat probatione. Maior autē probatur à Paulo dupliciter: tum quod Melchisedec benedixit Abræ; tum quod ab eo decimas accepit: vtrumque vero arguit potestate ac dignitate fuisse eum Abramo præstantiorem. Cum igitur omnes qui fuerunt Leuitici generis, fuerint tunc in lumbis Abræ, ex quo scilicet originem duxerunt; sequitur, vt ipsi quoque in Abram benedicti & decimati sint à Melchisedec, ob idque inferiores eo fuerint. Hæc Pauli argumentatio, nisi vocabulū decimarum proprie sumptum ab eo sit, ad probandum quod ille vult, non satis accommodata, nec firma esse videtur.

Nec video equidem quid rationis Caietanum in eam sententiam adduxerit: Nisi forte putauit, solutionem veræ decimæ, non nisi per legem Mosis fuisse institutam atque sancitam. At secus res habuit: multa enim lege Mosis præscripta & præcepta sunt, quæ non paucis ante Mosaicam legem seculis, à probis ac piis viris sancte colebantur & custodiebātur; exempli gratia, ex fructibus terræ & ex animalibus sacrificare DEO; ædificare & vngere altaria; habere delectum, & distinctionem seruare mundorum atque immundorū animalium in sacrificando; vota DEO nuncupare; suscitare semē fratris sine liberis demortui, & alia quædam eius generis. Hæc autem seruabantur ante legem Mosis, ex inspiratione diuina, ex instinctu ductuque legis naturalis, ex maiorum traditione, ex religiosa piorum hominum consuetudine: non autem ex vllius positiuæ legis præscripto ac præcepto.

Genes. 4.8. 28.38.

Obiectio quædā contra B. Pauli argumentationem excutitur.

HIS addam quiddam, minime quidem prætereundum, sed cursim tamen attingendum (non enim proprie ad præsentem disputationem spectat) quod aduersus B. Pauli argumentationem, quam paulo supra exposui, posset obiici. Argumentabatur B. Paulus, propterea Leuiticum sacerdotium dignitate inferius esse sacerdotio Melchisedec; quod cum Abram benedictus & decimatus est à Melchisedec, simul quoque ab eo benedictus & decimatus fuerit Leui, quippe qui tunc fuerit in lumbis Abræ. Verum hæc argumētatio parum firma videtur, minimeque idonea ad id concludēdum quod vult Paulus. Nihil enim prohibet, Aaron vt quidam homo priuatus, qua ratione erat in lumbis Abræ, fuisse decimatum à Melchisedec, & ob eam causam fuisse eo minorem: at vero vt Aaron fuit summus Pontifex in populo Hebræo, singulariter à DEO electus, non fuisse eum hac ratione in lumbis Abræ, nec decimatum à Melchisedecho, atque idcirco non fuisse eo dignitate minorē. Quemadmodum apud nos Christianos fieri potest, vt quis decimas soluat sacerdoti, & is postea generet filium, qui deinde creetur sūmus Pontifex. Hic vt homo quidam priuatus, in parēte suo decimatus est à sacerdote, & sic minor eo fuit: verumtamen vt est summus Pontifex, nec decimatus à sacerdote fuit, & potestate ac dignitate simplicem quemlibet sacerdotem longissime antecellit. 76

Differentia Christiani sacerdotij atque Leuitici.

Sed hanc obiectionem facile diluet Lector, si animaduertat permagnam esse differentiā Christiani sacerdotij atq; Leuitici. Etenim sacerdotium

dotium Leuiticum per carnalem generationem propagabatur, & à patribus ad filios secundum carnis originem deriuabatur: vnde non minus fuit in Abram, quam in Leui. Quapropter ex eo quod Abram decimas dedit Melchisedecho tanquam maiori, recte concluditur sacerdotium Melchisedec (præsertim vero vt figuram CHRISTI gerebat) sacerdotio Leuitico fuisse præstantius. Sacerdotium autem Christianum non sequitur carnis originem, sed gratiam spiritualem. quocirca inter Christianos contingere potest, vt pater decimas det alicui sacerdoti tanquam minor maiori; cuius tamen filius, si fuerit Pontifex, maior sit illo sacerdote; non quidem propter carnis originem, sed propter gratiam spiritualem, quam habet à CHRISTO.

Altera obiectio.

77 ILLVD præterea contra eandem Pauli argumentationem afferri posset: Si recte Paulus concludit, Leuiticum Sacerdotium esse minus Sacerdotio Melchisedechi, quia Leui decimatus est à Melchisedec, existens in lumbis Abræ decimas dantis Melchisedecho: videtur idem posse de CHRISTO concludi. Etenim similiter CHRISTVS erat tunc in lumbis Abræ; quippe qui verus Abræ filius, & ex eius semine generatus fuit, non minus quam Leui. Ergo similiter quoque CHRISTVS in Abram fuit decimatus à Melchisedec, atque ob eam causam inferior eo censeri deberet.

Hanc dubitationem siue quæstionem subtiliter & accurate tractat B. Augustinus libro 10. de Genesi ad literam cap. 20. Augustini autem disputationis & sententiæ hæc est summa. Tam Leui, quam CHRISTVM fuisse in lumbis Abræ, verum dissimili admodū ratione. Nam Leui fuit in lumbis Abræ tam secundum corpulentam substantiam, quam secundum seminalem rationem, per quam scilicet, & humana natura propagatur, simulque cum ea peccatum originale à parentibus deriuatur & traducitur ad filios: & ob hanc causam Leui vere decimatus fuisse dicitur in Abram: CHRISTVS autem Dominus noster fuit in lumbis Abræ secundum corpulentam tantum substantiam, non secundum seminalem rationem: non enim ex semine virili conceptus est; sed eius vicem præstans SPIRITVS Sanctus, conceptionem eius supernaturali quodam atque incomprehensibili modo perfecit: ob hanc igitur causam, licet CHRISTVS fuerit in lumbis Abræ, non tamen fuit in eo decimatus, vnde nec minor Melchisedecho haberi potest: Immo vero quia præstantia sacerdotij Melchisedec in eo maxime fuit, quod figuram gessit sacerdotij CHRISTI; tanto maiorem eo fuisse CHRISTVM necesse est, quanto corpus quàm vmbra; exemplar & idea, quam eius imago; veritas quam figura præstantior est.

Ac B. quidem Augustini disputationis & sententiæ summa, vt dixi, hæc est. Sed ponam hic Augustini verba: nam ea legere, gratum fore Lectori existimo. Nec Leui, nec CHRISTVS, ait Augustinus, in lumbis Abrahæ secundum animam fuerunt: secundum carnem vero, & Leui & CHRISTVS ibi fuerunt: sed Leui secundum rationem seminalem; CHRISTVS autem secundum solam substantiā corporalem.

Cum enim in semine sit & visibilis corpulentia, & inuisibilis ratio, vtraque ratione Leui in lumbis Abrahæ fuit: CHRISTVS autem visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit; ratio vero conceptionis eius non à semine virili, sed longe aliter ac desuper venit. Proinde secundum hoc quod de matre accepit CHRISTVS, etiam ipse in lumbis Abrahæ fuit. Ille est igitur decimatus in Abram, qui de ipso generatus est secundum legem in membris, repugnantem legi mentis, & inuisibilem concupiscentiam; quamuis eam casta & bona iura nuptiarum non sinant valere, nisi quantum ex ea possunt generi substituendo prospicere. Non autem & CHRISTVS in Abram decimatus est; eius quippe caro inde non feruorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit. Nam cum ipsa decimatio ad præfigurandam medicinam pertinuerit, illud in Abræ carne decimabatur, quod curabatur, non illud vnde curabatur. Eadem namque caro non Abræ tantum, sed ipsius quoque Adam, simul habebat & vulnus præuaricationis, & medicamentum vulneris. Vulnus præuaricationis, in lege membrorum repugnante legi mentis, quæ per omnem inde propagatam carnem seminali ratione quasi transcribitur: medicamentum autem vulneris, in eo quod inde sine opere concupiscentiali, in sola materia corporali, per diuinam conceptionis formationisque rationem de Virgine assumptum est, propter mortis sine iniquitate consortium, & sine falsitate resurrectionis exemplum. Hæc Augustinus.

Rom. 7.

S. Thomas. 3. par. quæstio 31. art. 8.

78 Quod autem in his verbis Augustinus attigit, decimationem Abræ fuisse signum infirmitatis, simulque figuram curationis hominis, id enucleatius & apertius declarans B. Thomas sic ait: Ille qui decimas dat, protestatur se imperfectum esse, & perfectionem alij tribuit: siquidem nouem sibi retinet, & decimam dat alteri, quod est signum perfectionis: denarius enim terminus est omnium numerorum ab vnitate procedentium vsque ad decem. Imperfectio autem humani generis, est propter peccatum, quod indiget curatione eius qui à peccato curat. Curare autem à peccato, est solius CHRISTI; ipse enim est agnus qui abstulit peccata mundi: figuram autem eius gerebat Melchisedec, vt probat Paulus ad Hebræos 7. Ergo Abram decimas dans Melchisedecho, præfigurauit se in peccato conceptum: & item omnes qui ab eo ita descensuri erant vt peccatum originale contraherent, indigere curatione quæ est per CHRISTVM: solus autem CHRISTVS quia sic fuit in Abram vt ab eo deriuaretur non secundum rationem seminalem, sed tantummodo secundum corporalem substantiam: idcirco non fuit in Abram quasi curatione indigens, sed tanquam vulneris medicina; & ob eam quoque causam non fuit in lumbis Abræ decimatus. Hactenus ex B. Thoma.

Ioann 1.

SEPTI

SEPTIMA DISPVTATIO,

Quæ est quinta de Melchisedec.

Cur CHRISTVS *Dominus noster dictus sit Sacerdos secundum ordinem Melchisedec.*

QVEMADMODVM illud *secundum ordinem Melchisedec* intelligi deberet, paulo supra docuimus. Diximus enim non significare vel imitationem, vel participationem Sacerdotij Melchisedec; vel deriuationem eius à Melchisedec ad CHRISTVM: quasi CHRISTVS imitatus sit Melchisedec, vel particeps sacerdotij eius fuerit: significat igitur ritum, morem, modum & similitudinem; qualis nempè cernitur inter imaginem & exemplar, inter figuram & veritatem, inter vmbram & corpus. Verum duæ res in illa Dauidis sententia dubitationem habent; vna est, cum Melchisedec multis rebus præfiguraverit CHRISTVM, propter quam potissimum rem dicatur CHRISTVS Sacerdos secundum ordinem Melchisedec. Altera est, cū duplex fuerit sacerdotiū CHRISTI, vnum incruentum, alterum cruentum; & cruentum principalius esse videatur; cuius tamen figuram non gessit sacrificium Melchisedec, sed sacrificia Aaronis, cur non potius dictus fuerit sacerdos secundum ordinem Aaronis, quàm secūdum ordinem Melchisedec. Duplicem igitur hanc dubitationem diligenter explicemus.

79 Quantum ad priorem dubitationem, sciat Lector multas inter Melchisedec & CHRISTVM similitudines esse à Patribus expositas. B. Hieronymus in illa ad Euagriū Epistola, toties à me in his disputationibus commemorata, ex sententia Patrum, & scriptorum Ecclesiasticorum docet, Christum Dominum quatuor ob causas fuisse appellatum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedec: Ordinem autem illum Melchisedec, ait Hieronymus, multis modis interpretantur: Primo, quod solus & Rex fuerit & sacerdos: Secundo, quod ante Circumcisionem functus sit sacerdotio; vt non Gentes à Iudæis, sed à Gentibus Iudæi sacerdotium acceperint: Tertio, quod vnctus non fuerit oleo sacerdotali, vt Mosis præcepta constituunt, sed oleo exultationis, & fidei puritate: Quarto, quod non carnis & sanguinis victimas immolauerit, nec brutorum animalium sanguinem dextra susceperit; sed pane & vino, simplici puroque sacrificio, Christi dedicauerit Sacramentum. Hæc Hieronymus.

S. Hieronymus.

Leuit. 8. Psal. 44. Hebr. 1.

SED ne longior sim cōmemorandis aliorum auctorū idem sentientium atque iisdem etiam verbis dicentium sententiis, proponam vndecim res, quibus Melchisedec imaginem & similitudinē Christi gessisse videri

videri possit. Primo igitur Melchisedec præfigurauit CHRISTVM nomine suo: nam Melchisedec significat regem iustitiæ: & erat ille rex Salem, quod significat regem pacis: fore autem CHRISTVM regem iustum & pacificum, atque hoc maxime insigni prænotatum, & decoratum esse à Prophetis, diuinarum literarum minime rudibus notissimum est. Secundo præfigurauit CHRISTVM etiã ipso loco & vrbe cuius fuit rex, quam fuisse Hierusalem, paulo supra, vt rem valde probabilem ostendimus: CHRISTVS autem in Hierusalem regnaturus erat. Tertio duplici dignitate, quia simul rex & sacerdos fuit, sicut etiã CHRISTVS. Quarto modo generationis; nam sine patre & matre ac genealogia fuisse dicitur: CHRISTVS autem nec matrem habuit qua Deus est, nec verum patrem qua homo est, & vtroque modo caruit genealogia vere ac proprie dicta. Quinto ætate, quia nec initium nec finẽ dierum dicitur habuisse: hoc illi non vere cõuenit, cum verus homo, & aliorũ omnium hominum similis fuerit, sed id propterea tantum in eo dicitur, quia nec ortus eius, nec obitus in Scriptura indicetur: at verissime id conuenit in CHRISTVM, qui vt Deus est, sempiternus est, omni prorsus initio tẽporis & fine carens. Sexto, quia inducitur quasi maior & præstantior sacerdos quam Abram; quippe cum ei benedixerit, & ab eo decimas acceperit. Ex quo B. Paulus argumentatur, sacerdotium Melchisedec fuisse præstãtius Leuitico sacerdotio. Septimo, quia fuit principaliter sacerdos Gentilium, & quodammodo etiam Hebræorum. nam erga Abram, in cuius lumbis erãt Hebræi, sacerdotalem auctoritatem & munus exercuit. Octauo, quia non fuit visibili oleo vnctus, nec ab homine vllo consecratus; quamobrem Philo dixit, à se ipso fuisse Melchisedec Pontificem consecratum. Nono, quia vnicus fuit sacerdos in suo illo ritu sacrificandi, nec alij succedens priori, nec post se in eo relinquẽs successorem. Decimo, quia ex sentẽtia B. Ignatij martyris, & Suidæ, simul cum regali & pontificali dignitate coniunctam habuerit virginitatem; perpetuo enim fuit virgo: cum Leuitici sacerdotes, atque eorum princeps & institutor Aaron & Moses vxores habuerint.

Vndecim res, quibus Melchisedec præfigurauit Christum.

Hebr.7.

Ibidem.

Verum vndecima similitudo Melchisedec & CHRISTI, omnium maxima & præstãtissima est, & ob quam præcipue ac proprie CHRISTVS est appellatus sacerdos secundum ordinem Melchisedec: hæc autem posita est in singulari quodam, & aliis sacerdotibus insolito sacrificij genere, quo vsus est Melchisedec, nõ sanguinem & carnes animalium, sed simplicem ac purum panem ac vinum sacrificans DEO. Hac enim re mirifice præfigurauit sacrificium EVCHARISTIÆ, quod CHRITVS Ecclesiæ suæ tradidit & vsque ad seculi consumationem iugiter agi voluit. Quod autem hac re potissimum & maxime CHRISTVM præfigurauerit Melchisedec, sententia est omnium Patrũ; atque hoc fuit Ecclesiæ Catholicæ ab initio vsque, iudicium; hic sensus; hæc omni tẽpore cõfessio & prædicatio. Id vero firmari potest hac ratione: Cæteræ namque similitudines Melchisedec & CHRISTI, cõmunes sunt illi

Eo potissimum Melchisedec præfigurauit Christum, quod non aliud sacrificaret Deo, nisi panẽ & vinum.

80

sunt illi cum aliis multis; hæc autem ita propria eius est, vt in alium neminem cõueniat: etenim Melchisedec nomine suo præfigurauit Christum: at etiam de Noe & Abram id vere dici potest. Melchisedec fuit rex & sacerdos in Hierusalem: tales quoque multi fuere post reditum Hebræorum ex captiuitate Babylonica; tunc enim non pauci fuerunt simul reges & pontifices. Fuisse dicitur Melchisedec sine parentibus & genealogia, sine ortu & interitu, quod hæc in sacris literis de illo minime sint prodita: sed idem in Daniele, in tribus pueris, & in Elia dici potest. Fuit ille sacerdos apud Gentiles: fuit etiam Iob. Non fuit ille visibili oleo vnctus, nec ab alio quopiam hominum consecratus; verum id communiter in omnes sacerdotes DEI competit, qui fuerunt ante legem Mosis. Fuisse illum sacerdotem & virginem, non ita proprium eius fuit, vt non idem verè dici possit in Abel, & Eliam.

Restat igitur vt proprium & singulare sacerdotij Melchisedec insigne fuerit, vsum esse illum vino tantum & pane in sacrificando. Dices, etiam sacerdotem Leuiticum tali vsum esse sacrificio: namque in iugi sacrificio, quod fiebat mane & vesperi, adhibebatur panis & vinum, vt scriptum est Numerorum 28. Verum diuersa est ratio: nam iugis sacrificij principalis materia erat, agnus anniculus; panis autem & vinum adhibebantur vt quædam adiuncta, &, vt ita dicam, quasi quædam illius sacrificij condimenta: nec erat ille vulgaris, & vsitatus panis, nec simplex & purus, sed azymus, & oleo consperſus.

Quomodo in sacrificio iugi Iudaico adhiberetur panis & vinum.

81 Quod autem Christus Dominus propter incruentum Eucharistiæ sacrificium, cuius Melchisedec figuram prætulit, dictus sit sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec, hoc modo probari potest. Si Christus erat futurus sacerdos in æternum, ergo habiturus erat sacrificium semper duraturum: non enim potest esse sacerdos sine sacrificio; siquidem, vt argumentatur Paulus: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus cõstituitur in iis quæ sunt ad* DEVM; *vt offerat dona & sacrificia pro peccatis*: vnde necesse est & Christum habere aliquid quod offerat. Si igitur Christus est sacerdos in æternũ, tale debet esse sacrificium eius, vt perpetua atque omni tempore fiat eius oblatio: huiusmodi autem non fuit cruenta Christi oblatio sui ipsius in cruce; ea quippe vna duntaxat fuit, semelque facta, nec in posterum vllo tempore iteranda. Ex quo euidenter concluditur, sacrificium respondens æterno Christi sacerdotio, esse sacrificium Eucharistiæ, quod omni tempore celebratur in Ecclesia Catholica: de quo scilicet vaticinatus est Malachias illis verbis: *Ab ortu Solis vsque ad occasum, magnum est nomen meũ in Gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.*

Ad Hebr.5. & 8.

Malach.1.

At enim hæretici nostri temporis, dum conantur huic rationi occurrere, finxerunt etiam cruentum Christi sacrificium posse dupliciter appellari æternũ; tum ratione personæ Christi, quæ erat diuina & æterna; tum ratione effectus illius sacrificij, qui fuit æternus, redẽptionem dico humani generis. Sed hæc inerudita, insulsa, friuola & ridi-

An cruentũ sacrificiũ dici queat ita fuisse æternum, vt illius ratione Christ' vere dictus sit sacerdos in æternum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cula sunt. CHRISTVS enim non vt persona diuina, sed vt sacerdos, dicitur futurus in æternum: nam si respectum habeas ad personam eius diuinam, etiam diceretur æterna eius natiuitas, & circumcisio, & fuga in Aegyptum, & quælibet alia eius actio. Quod si propter æternum effectum sacrificij cruenti, appellaretur illud sacrificium æternum; Noe itidem sacrificium statim finito diluuio ab eo factum, appellari posset æternum, & ipse Noe dici sacerdos in æternum; quippe cum tali sacrificio ita delectatus sit DEVS, vt promiserit ei, nullo deinceps tempore futurum diluuium. Ergo illius quoque sacrificij æternus fuit effectus & fructus.

Genes.8. Infra 6.

Cur B Paul⁹ disputãs de sacerdotio Melchisedec & Christi, nec illi⁹ sacrificij panis & vini, nec Christi, sacrificij Eucharistiæ mentionem vllam fecit.

82 CAETERVM quæret fortasse quispiã, si ratione sacrificij Eucharistiæ, potissimum Melchisedec similitudinem gessit CHRISTI, & ob eam causam dictus est ipse sacerdos in æternũ secundum ordinem Melchisedec; cur Beatus Paulus disputans in Epistola quam scripsit ad Hebræos de comparatione sacerdotij Melchisedechiani cum Leuitico, & de sacerdotio CHRISTI, non secundum ordinem Leuiticum, sed secundum ordinem Melchisedec futuro; cur, inquam, Paulus nullum plane verbum in ea disputatione fecerit de sacrificio Eucharistiæ, cuius Melchisedechianum sacrificium panis & vini, tam expressam retulit similitudinem? Equidem hæc interroganti prompte ac facile responderem, propterea id tacitum & præteritũ esse à Paulo, quòd consilio & proposito Pauli esset id valde alienum & deuium. Etenim quatuor res in ea disputatione Apostolus declarandas & probandas suscepit, ad quarum nullam commemoratio sacrificij Eucharistiæ, & sacrificij panis & vini Melchisedec pertinebat. Primum enim probat sacerdotium CHRISTI minime futurum fuisse secundum ordinem Leuiticum; tum quia Dauid plus quadringentos annos post institutum sacerdotium Leuiticum, vaticinatus est CHRISTVM fore sacerdotem secundum ordinem Melchisedec; qui quidem Melchisedec annis amplius quadringẽtis institutionem sacerdotij Leuitici anteceſſit: tum etiam quod CHRISTVS non fuit de tribu Leui, sed de tribu Iuda, de qua nullus vnquam sacerdotio functus est.

Deinde, argumentatur Paulus, sacerdotium CHRISTI multo præstantius futurum Leuitico. Namque CHRISTVS futurus erat sacerdos secundum ordinem Melchisedec: at Melchisedechum Scriptura facit maiorem & præstantiorem Abramo, quippe cum ille benedixerit huic, & ab eo decimas acceperit. Quare cum Leui tunc fuerit in lumbis patris sui Abræ, ipse quoque vnà cum illo benedictus & decimatus est à Melchisedec, tanquam minor à maiore. Tertio docet Apostolus, sacerdotium Leuiticum nequaquam futurum fuisse æternum; sed aliquando tandem aboleri debuisse: quia DEVS per Hieremiam promisit se daturum Hebræis pactum & Testamentum nouum, diuersum ab eo, quod eis ante dederat in deserto. *Dicendo autem, nouũ*, inquit Paulus, *veterauit prius: quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.* Idem etiam patet ex vaticinio Dauidis. Nam si sacerdotium CHRISTI futurum

Hier. 31. Ad Hebr. 8.

Quatuor potissimũ res docere ac probare voluit.

turum erat & secundum ordinem Melchisedec, & æternum; necesse erat inducto tali sacerdotio, vetus illud Leuiticum cessare ac penitus deleri.

Quarto atque extremo loco demonstrat B. Apostolus infirmitatem atque inefficacitatem sacerdotij atque sacrificij Leuitici, contra vero incredibilem vim & efficacitatem sacerdotij & sacrificij CHRISTI, duabus ex rebus. Primum enim ait sacerdotes Leuiticos fuisse multos & diuersos, alios succedentes aliis; cum enim mortales essent, morte prohibebantur iidem semper sacerdotio fungi: CHRISTVS autem vnicus fuit & æternus sacerdos. Deinde sacrificia Leuitica multiplicabantur, & per singulos annos iterabantur; erant enim per se imperfecta, inefficacia & egena. Quocirca Paulus cum citasset vaticinium illud Dauidis de sacerdotio CHRISTI secundum ordinem Melchisedec, adiecit hæc: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio autẽ melioris spei, per quam proximamus ad* DEVM: At verò CHRISTVS vnica oblatione sui, & remissionem peccatorum, & sanctificationem consummauit in æternum. Verissime igitur illud à Paulo in eadem Epistola scriptum est: *Omnis sacerdos* (Leuiticus) *præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: hic autem* (CHRISTVS) *vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera* DEI: *vna enim oblatione consummauit in æternum sanctificatos.* Ex his apparet, alienum fuisse à consilio & proposito Pauli: agere eo loco de sacrificio Melchisedec panis & vini, aut de incruento CHRISTI sacrificio EVCHARISTIAE.

Ad Hebr. 7.

Ad Hebr. 10.

Dixit rex Sodomorum ad Abram, Da mihi animas, cætera tolle tibi. Qui respondit ei, Leuo manum meam ad Dominum DEVM *possessorem cæli & terræ &c.*

Genesis VERSV 21. & 22.

83 QVANTVM illud est, ait Ambrosius, quod de præda victoriæ nihil Abram voluit contingere, nec oblatum sumere? Minuit enim fructũ triumphi, mercedis susceptio, & beneficij arrodit gratiam. Plurimũ enim refert vtrũ pecunię, an glorię dimicaueris: alter enim mercenarij loco ducitur, alter dignus habetur conseruatoris gloria. Iure igitur sanctus Abram de præda vsurpare aliquid vel oblatum recusat, ne dicat qui dedit, se diuitem fecisse eum. Sic Ambrosius. Sed rex ille Sodomorum, & si erat cæteroqui flagitiosissimus, dicens tamen Abræ: *Da mihi animas, cætera tolle tibi*, iusti regis & specimen dedit, & officium ostendit: sua videlicet bona omnia, eorum hominum quibus imperabat, saluti ac libertati postponens. Hoc enim discrimen est boni Regis, atque Tyranni, quod ille vtilitatem eorum quibus præest, magis quam

Ambr. lib. 1. de Abrahã cap. 3.

Officium boni regis.

Universidad de Deusto Biblioteca

ſuam ſpectat: hic autem ſua tantum commoda, etiam cum eorum, quos regit, iniuria & exitio quærit.

Leuo manum meam ad DEVM. Græce eſt futuri temporis (leuabo) Hebraice, & Chaldaice eſt præteriti temporis (leuaui) verum frequens eſt in ſacris literis mutuus horum temporũ abuſus. Chaldæus ſic hunc locum expreſſit: *Leuaui manus meas per orationem coram* DEO *excelſo.* quorum verborum hic eſſe videtur ſenſus: Abram inſectaturus quatuor illos reges, qui fratrem eius Lot captiuum abduxerant, prius ardentem orationem ad Dominum fudit, qua, ſi ei DEVS victoriam concederet, iureiurando ſe obſtrinxit, nihil ſe de bonis illorum accepturum, ſed homines tantum ab hoſtibus captos à ſeruitute ereptum. Atque hæc nunc commemorauit Abram. Illud, *Leuo manum meam ad* DEVM, phraſis eſt hebrææ linguæ peculiaris & familiaris. Sed leuare manum ſuam ad aliquem, varium habet vſum in ſacris literis, & varias admodum ſignificationes. Harum ſignificationum complures collegit, & appoſitis exemplis illuſtrauit Franciſcus Ribera noſtræ Societatis; vir in ſtudio diuinarum literarum ſolers, diligens, eruditus, & prudens; nec minus ſane pius ac religioſus. Cuius nominandi & laudandi, vbicumque mihi ſe dederit occaſio, eam præterfluere non ſinam. Nam & viuum amaui, & mortui memoriam cum beneuolentia & laude vſurpabo. Et quia ſero admodum commentaria eius ad manus meas peruenere; nullam in prioribus meis ſcriptis eius viri mentionem, ante hunc tertium Tomum facere potui.

Franciſcus Ribera in cap. 2. Zachariæ.

Octo ſignificationes eius, quod eſt, Leuare manus ſuas ad aliquem.

SEPTEM igitur ille memorat ſignificationes: nos addemus octauam, & alio ordine, aliiſque exemplis exponemus. Primo, leuare manus, eſt orantis, vt Pſal. 62. *Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas:* Beatus Paulus 1. ad Timotheum 2. *Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus.* Secundo, eſt opem & auxilium implorantis: Threnorum 2. *Leua ad* DEVM *manus tuas pro anima paruulorum tuorum: qui defecerunt fame in capite omnium compitorum.* Tertio eſt gaudentis, gratulantis, & laudantis: Nehemiæ 8. *Benedixit Eſdras Domino voce magna; & reſpondit omnis populus, Amen, Amen, eleuans manus ſuas; & adorauerunt* DEVM *proni in terram.* Quarto eſt, aliquid lubenti, gaudentique animo facientis: Pſalmo 118. *Leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi nimis.* Quinto, eſt vocantis & conuertentis ad ſe: Iſaiæ 49. *Ecce leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum: & afferent filios tuos in vlnis.* Sexto, leuare manus pro aliquo, ſignificat, opitulari ei, & ex malis & calamitatibus quibus premitur eripere. Ezechielis 20. *In die illa leuaui manum meam pro eis, vt educerem eos de terra Ægypti.* 84

Septimo, leuare manus in aliquem, aut contra aliquem, vel ſuperliquem eſt inſurgentis aduerſus aliquem, eumque vexantis & opprimentis: Pſal. 73. *Leua manus tuas in ſuperbias eorum in finem;* id eſt, ſuperba eorum conſilia & conatus compeſce, deprime, contunde. 3. Regum 9. *Ieroboam leuauit manum ſuam contra regem:* id eſt, & ipſe rebellauit contra regem,

regem, & populum concitauit aduerſus eum. Et Iob. 31. *Si leuaui ſuper pupillum manum meam.* Id eſt, ſi potentia mea illum obrui & oppreſſi.

Octauo, eſt iurantis: quà ſignificatione ſæpe vſurpatur in ſacris literis; & ponitur modus rei pro ipſa re: nam quia modus iurandi erat, leuare manus in cælum; idcirco leuare manus in cælum vel ad DEVM, ponitur pro eo quod eſt iurare. Et interdum quidem ponitur leuare adiuncto verbo iurandi, vt apud Danielem cap. 12. & in Apocalypſi cap. 10. introducitur Angelus leuans manus ſuas in cælum, & iurans per viuentem in ſecula ſeculorum: nonnumquam vero tacetur verbum iurandi: vt Numerorum 14. *Omnes, qui numerati eſtis à viginti annis & ſupra, & murmuraſtis contra me, non intrabitis terram, ſuper quam leuaui manum meã, vt habitare vos facerem,* id eſt, quam iuraui patribus veſtris me daturum vobis. Sane, in eodẽ illo capite paulo ante hæc verba, narrans Moſes eandem DEI ſententiam, expreſſit verbum iurandi: *Non videbunt,* inquit, *terram, pro qua iuraui patribus eorum.*

85 HOC igitur loco dicẽs Abram, *Leuo manum meam ad* DEVM; iureiurando vſus eſt; idéque ſonant ea verba, ac ſi dixiſſet; iuro per DEVM excelſum, quod nihil accipiam ex omnibus quæ tua ſunt. Quæres cur Abrã animum & propoſitũ ſuum declarans, non id ſimpliciter enuntiauerit, ſed iureiurando firmare voluerit. Ego tres cauſas afferre poſſum: crediderim enim eum iuraſſe, vt ſe id non per iocum, aut per quandam animi vanitatem & iactantiam, ſed vere, ſerio, ſyncere, & ex animo loqui oſtenderet. Tum iureiurando vſus eſt, vt publicum ſuæ religionis ſpecimen daret, & publica confeſſione declararet, quem ipſe DEVM coleret. Etenim iurare per DEVM, actus eſt religionis, quo DEVS teſtis adhibetur, tanquam is qui ſit omnium rerum maximus atque honoratiſſimus; quem nihil lateat; qui ſit hominum iudex, & eorum qui periurio alios fallere volunt, animaduerſor & vltor. Quapropter Deuteronomij 6. ſcriptum eſt: *Dominum* DEVM *timebis; & illi ſoli ſeruies; & per nomen illius iurabis.* & Exodi 23. interdictum Iudæis eſt iurare per alios Deos: *Per nomen externorum deorum non iurabitis, neque audietur ex ore veſtro*: qui enim per Deum aliquem iurat, eius ſe DEI cultorem eſſe ac veneratorem profitetur.

Cur iurauerit Abrã.

Huc etiam ſpectat quod eleganter Cicero de iureiurando ſcriptum reliquit: Eſt, inquit, Iuſiurandum, affirmatio religioſa: quod autem affirmate, quaſi DEO teſte promiſeris, id tenendum eſt. Nullum enim vinculum ad adſtringẽdam fidem, iureiurando Maiores arctius eſſe voluerunt. Id indicant leges in duodecim tabulis; indicant ſacra; indicant fœdera, quibus etiam cum hoſte deuincitur fides; indicant notationes, animaduerſioneſue Cenſorum, qui nulla de re diligentius, quàm de iureiurando iudicarunt. Hæc Cicero. Pudeat igitur homines Chriſtianos, qui iurare, aut etiam peierare, nihil penſi habent: cum veteres Romani tam ſancte iuſiurandum coluerint, & periurium tam ſeuere vindicauerint.

Cic. li. 3. officiorum.

Tertiam præterea iurandi cauſam habuit Abram, vt ex occaſione

iurandi, verum DEVM apud illas gentes Idololatriæ tenebris excæcatas demonstraret ac prædicaret; eorumque quos illæ gentes colebant, deorum inanitatem & falsitatem redargueret. Namque appellãs DEVM suum possessorem cæli,& terræ,aperte ostendit, eum verissimum & summũ esse DEVM; simulque indicauit falsos esse deos illarum gẽtium,quippe qui minores, infirmiores ac peiores essent homine;tantum abest vt possessores essent cæli & terræ,quod tamen veri ac solius DEI proprium est. Audi Chrysostomum: Duo,inquit,simul Abram docere voluit regem Sodomorũ. Nam & vitæ honestæ formam indicauit,magno animo omnia eius bona despiciens;& pietatis doctor ei fieri studuit:quasi eũ sic docẽs:Illum tibi testẽ adhibeo qui omnium est conditor,vt scire possis DEVM omnium,& vt ne credas esse deos, ea quæ ab hominum manibus fabricantur. Ille enim cæli & terræ conditor est;ille nobis in hoc bello victoriæ & triumphi auctor fuit.

Chrysost. hom. 35. in Genes.

Ad DEVM *possessorem cæli & terræ.* Quia Melchisedechi & Abrami fides ac religio eundem spectabat & honorabat DEVM;idcirco eadem vterque DEI confessione ac laudatione vsus est, appellans DEVM creatorem & possessorem cæli & terræ. Solet autem DEVS in Scriptura,hoc maxime titulo Creatoris cæli & terrę,quasi gaudere & gloriari & à Sãctis viris prædicari. Immo vero hac pręcipue nota docet nos Scriptura verũ DEVM à falsis diis internoscere: *Dij qui cælũ & terrã non fecerunt,* ait Hieremias, *pereant de terra, & de iis quæ sub cælo sunt.* 86

Hier. 10.

Egregia Philonis sentẽtia.

Philo perpendens,quasi eximiũ quiddam & singulare,ac proprium DEI prædicari, esse eum possessorem cæli & terræ; egregie philosophatur,docteque simul ac pie disputat,solum DEVM esse possessorem & dominum omnium rerum; hominem vero aliamue quamcunque rem,nullius rei ius & dominium habere,sed vsum dũtaxat & fructum, DEVMque dare nobis quæ fecit ipse,tantum vtenda,non autẽ iure possessionis & dominij obtinenda. Hanc Philonis disputationem grauissimis ab eo verbis & sententiis contextã,cũ ea breuis sit,& ad huius loci exornationem faciat,si hic apposuero,gratum me lectori facturum non dubito. Seruire DEO, inquit Philo, maxima est gloria; non modo libertate maior,sed etiam diuitiis & principatu,omnibusque rebus quas mortales mirantur,pretiosior. Eius autem, QVI EST, potentiam vere testatur diuinum illud oracullum: *Terram non vendes in perpetuum; mea enim est vniuersa: quoniam aduenæ & peregrini vos estis coram me.* Non ne his verbis manifeste docet,ius possessionis omnium rerum pertinere ad DEVM, vsum vero solum ad creaturam? Vtendas enim concessit DEVS creaturas omnes omnibus,non possidendas. Quam etiam ob causam nullum indiuiduum ita perfectum fecit, vt non ad aliquid, opus habeat alio:scilicet,vt propter ea quæ desiderat, necessario accedere debeat ad aliud quod ea præbere potest: & illud vicissim ad hoc, & vtrumque ad alterum: vt per mutua hæc commercia, tanquam in modum lyræ quæ constat e tonis dissimilibus, in communem conuenirent consonantiam; dum mutuum dant & accipiunt, atque ita omnia

Philo in lib. de Cherubim.

Leuit. 25.

omnia permutantur omnibus ad vniuersi mundi complementum.

Et quibusdam interpositis,subdit hęc Philo: Ex his omnibus liquere satis puto,nos alienis vti possessionibus: nec gloriam,nec diuitias, nec honores,nec imperia, nec aliud quippiam vel corporis vel animi proprium,ne ipsam quidem vitam,quasi hæc iuris & dominij nostri essent, possidemus;sed vsumfructum, dum hic viuimus,habemus solum. Hoc si cognosceremus, curaremus profecto tanquam res DEI, præcogitantes morem esse Domini recipere sua quandocumque ipsi libitum fuerit:sic autem,adempta nobis, ferremus leuius. Nunc vero plerique omnes,dum existimant hæc sua esse ac propria,his priuati,egentesque, mœrore opprimuntur. Est igitur non modo verum,sed etiam ad consolationem vtilissimum,credere mundum hũc & quæcumque in eo continentur,esse Creatoris & opera & possessiones: quibus quia ipse non indiget,tribuit ea aliis,ad vsum quidem,non autem ad dominium. Ergo mortales inter se collati,indigenæ censentur, & rerum quas habent possessores & domini: sin autem cum DEO conferantur, pro aduenis & peregrinis, & qui rebus sibi ad tempus cõmodatis vtantur,habendi sunt. Etenim vnusquisque nostrum,cum nascitur, tanquam in nouam ciuitatem, venit in mundum hunc, cuius ante natiuitatem ius nullum habuerat: postquam igitur venit, haud dubie inquilinus est, quoad nempe assignatum sibi à DEO vitæ munus & tempus exegerit. Hactenus ex Philone.

A Filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt,ne dicas: Ego ditaui Abram. VERSV 23.

SVBTEGMEN dicitur filum, quod sub stamine ducitur. stamina porrò dicuntur fila recta in opere textorio & stabilia,per pectinẽ transmissa,quibus alia,quæ subtegmina vocant,intertexuntur. Est autem hæc locutio quasi prouerbialis, qua significauit Abram,se nihil de bonis regis Sodomorum accepturum, quantumuis minimum & vilissimum esset. Quemadmodum illa quoque prouerbialis erat apud Hebræos locutio qua vsus est Dauid dicens,se nihil de omnibus quæ possidebat Nabal, relicturum, ne mingentem quidem ad parietem. Pro illo autem quod dixit Abram, se de illa præda ne filum quidem subtegminis, aut corrigiam caligę accepturum,eleganter Latini dicunt,ne teruntium quidem accipere: De præda mea,inquit Cicero, præter Quæstores vrbanos,id est,populũ Romanum, teruntiũ nec attigit nec tacturus est quisquam.

1. Reg. 25.

Cic. libr. 2. Familiarũ Epistol. ad Caninium.

Sed cur quidquam ex illa præda capere tantopere recusabat Abram? Primo quidem vt palã esset, se ad pugnandũ cum illis regibus non esse ductum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ductum prædæ ac lucri cupiditate ; sed incitatum esse commiseratione eorum,qui capti fuerant,& in miseram seruitutem abstracti, studioque liberandi eos,atque in primis fratrem suum Lot.Deinde bona illa fuerant ablata indigenis illius regionis : maluit igitur ea propriis dominis restitui , quàm se alienis bonis,cum eorum qui ea possederant ærumna & calamitate locupletari. Noluit demum tali beneficio deuinctus esse regi Sodomorũ:recte enim vulgo dicitur, nihil carius emi quam quod dono accipitur:nisi enim munus acceptum referenda gratia conduplicaueris,ingratus diceris.

Illud autem:*Ex omnibus quæ tua sunt* ; propterea dixit Abram , vt distingueret bona Pentapolitanis adempta à bonis quæ propria fuerant illorum quatuor regum , nec ad prædam ex Pentapolitana regione relatam pertinebant.Nam quamuis hoc loco solus rex Sodomorum nominetur,sub eius tamen nomine,cęteros omnes Pentapolitanos intelligere oportet. Abram igitur non respuit participationem bonorum quæ illorum quatuor regum propria fuerant;sed eorum quæ Pentapolitanis adempta erant particeps esse noluit.

Verum dicat aliquis , nonne omnia quæ iusto bello hostibus capta sunt, ea sunt victoris? quomodo igitur dixit Abram,*Ex omnibus quæ tua sunt?* sua enim potius erant illa,quam regis Sodomorum. Ambrosius mouit hanc dubitationem , simulque eam soluit,ita scribens:Dicet aliquis, cum Abram vicerit , quomodo ipse dicit ad regem Sodomorum, *Nihil sumam ex omnibus quæ tua sunt* : cum præda vtique in potestate victoris fuerit?Respondet Ambrosius,docere voluisse Abram illis verbis legem militaris disciplinæ , iubentem quæcumque bello capta sunt ea regi seruari oportere.sed non videtur ea lex tenuisse & astrinxisse Abramum;quippe cum is non esset sub rege Sodomorum,nec eius regis vel iussu vel ductu,vel sumptu;sed sua sponte,suisque viribus,adiuncto sibi amicorum & confœderatorum auxilio , bellum illud confecisset. Verius igitur dictu fuerit , appellata esse bona illa regis Sodomorum, quod eius antea fuissent,quæ propter causas non ita dudum expositas, Abram attingere noluit.

Ambrosius lib. 1. de Abrahã, ca.3.

NE *dicas,ego ditaui Abram.*Non hoc dixit Abrã fastu aliquo, aut superbo illius regis contemptu ; sed religiosa quadam reuerentia diuini numinis,ingentique fiducia DEI erga se benignitatis ac munificentiæ: quippe qui non solum ei diuitias, sed alia quæcumque bona largissime promiserat.Itaque dicens Abram se ditari nolle à rege Sodomorum,significauit se non curare humanas diuitias , quòd certam haberet spem iri se ditatum à DEO cumulatissime; simulque ostendit,cupere se laudem omnem gloriamque suarum diuitiarum , soli DEO attribui : vt quicumque cernerent eum tam abundanter à DEO locupletatum, admirabilem DEI potentiam ac benignitatem agnoscerent & reuererentur. Amabat igitur Abram diuitias,nõ quia essent diuitiæ,nec quod eas plerique mortalium , tamquam summum bonum , flagrantissime concupiscerent,nec quia per eas alia omnia bona comparari facile possint; 88

sint;sed amabat diuitias vt munus DEI, singulari quadam beneuolentia & benignitate sibi datum ad exercitationem profectumque virtutum,ad subleuandos quamplurimos,atque in exemplum; quemadmodum scilicet in diuitiarũ affluentia,modeste,caste, iuste, pieque ac religiose viuendum sit.His accessit , quod cum diuitiæ illæ donum essent DEI,sperabat eas nunquam sibi nocituras ; contra quam euenit plurimis,quibus diuitiarum copia magno sæpe malo & exitio esse solet.

Illud porrò quod sequitur:*Exceptis his quæ comederunt iuuenes, & partibus virorum qui venerunt mecum* , dubitationem habet, cur Abram non etiam exceperit decimas quas ex omnibus illis bonis Melchisedecho dederat?Verum dupliciter hæc soluitur dubitatio.Nam vel tacuit decimas vt rem notam regi Sodomorum; eo namque præsẽte datæ fuerant Melchisedecho decimæ secundum morem eius regionis ac gentis : vel decimas Abram dederat non ex bonis , quæ ablata fuerant regi Sodomorum,sed ex bonis,quæ propria fuerãt illorum quatuor regum,quos à se profligatos , vita pariter atque bonis omnibus spoliauerat.

Priorem solutionem præfert Caietanus;quòd Moses narret Abram dedisse decimas ex omnibus : omnia dixit, præcise ac simpliciter nihil excipiendo aut distinguendo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT Decimumquintum Geneſis.

Deo promittenti innumerabilem poſteritatem, credidit Abram, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam: prædicitur poſterorum eius ſeruitus, & liberatio: promiſsio terræ Chanaan ſacrificio & fœdere confirmatur.

1 HIs itaque tranſactis, factus eſt ſermo Domini ad Abram per viſionem dicẽs: Noli timere Abram, ego protector tuus ſum & merces tua magna nimis. Dixitque Abram, Domine DEVS, quid dabis mihi? Ego vadam abſque liberis, & filius procuratoris domus 3 meæ iſte Damaſcus Eliezer. Addiditque Abram. Mihi autem non dediſti ſemen: & ecce vernaculus meus hæres 4 meus erit. Statimque ſermo Domini factus eſt ad eum dicens: Non erit hic hæres tuus; ſed qui egredietur de vtero 5 tuo, ipſum habebis hæredem. Eduxitque eum foras, & ait 6 illi, ſuſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes. Et dixit ei,

Sic

Sic erit ſemen tuum. Credidit Abram DEO, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Dixitque ad eum, Ego Dominus qui 7
eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram iſtam & poſſideres eam. At ille ait, Domine DEVS, vnde ſci- 8
re poſſum quod poſſeſſurus ſim eam? Et reſpondens Domi- 9
nus, Sume, inquit, mihi vaccam triennem & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Qui tollens vniuerſa hæc, diuiſit ea per medium, 10
& vtraſque partes contra ſe altrinſecus poſuit: aues autem non diuiſit. Deſcenderuntque volucres ſuper cadaue- 11
ra, & abigebat eas Abram. Cumque Sol occumberet, ſopor 12
irruit ſuper Abram, & horror magnus & tenebroſus inuaſit eum. Dictumque eſt ad eum, ſcito prænoſcens quod pe- 13
regrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua: & ſubiicient eos ſeruituti. Et affligent quadringentis annis. Ve- 14
rumtamen gentem cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo: & poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia. Tu autem ibis ad 15
patres tuos in pace, ſepultus in ſenectute bona. Generatione 16
autem quarta reuertentur huc: necdum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum vſque ad præſens tempus. Cum 17
ergo occubuiſſet Sol, facta eſt caligo tenebroſa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens inter diuiſiones illas. In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram, di- 18
cens, Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Aegypti vſque ad fluuium magnum Euphratem. Cinæos & Cenezæos, 19
Cedmonæos, & Hethæos & Phærezæos, Raphaim quoque, 20
& Amorrhæos, & Chananæos, & Gergeſæos, & Iebuſæos. 21

Universidad de Deusto Biblioteca

NARRAT Moſes hoc capite admirabilem quandam 1
viſionem,qua DEVS vehemẽter animũ Abræ, quatuor
ei datis magnificentiſſimis promiſſis, recreauit atq; con-
firmauit. Primum fuit promiſſum, futurũ ſe perpetuum
eius protectorẽ, ampliſſimamque fore laborum & me-
ritorum eius mercedem. Alterum promiſſum, daturum ſe ei prolem,
cuius deſiderio valde angi eum & tabeſcere videbat;nec qualemcum-
que prolem,ſed quæ ſtellarum inſtar multiplicanda & clarificãda eſſet.
Tertium promiſſum,daturum ſe ei terrã illam in qua verſabatur,quan-
tacunque à fluuio Ægypti pertinet vſque ad Euphratem. Quartũ pro-
miſſum, peregrinos fore per quadringẽtos annos eius poſteros in terra
aliena, & vexatum iri duriſſima ſeruitute : verum oppreſſores eorum
vlturum ſe atrociſſimis ſuppliciis ; ita vt non ſolum illi excuſſuri ſint
ſeruitutis iugum, verũ etiam diuitiis atque bonis omnibus Ægyptio-
rum onuſti,ad obtinendam terram illis promiſſam venturi.

*His itaque tranſactis,factus eſt ſermo Domini ad Abram per viſionem.*He-
Chryſoſto- braice & Græce eſt,*Poſt hæc autem verba.* quod proprie accipiens Chry-
mus. ſoſtomus, refert ad extrema verba capitis præcedentis , quibus Abram
iureiurando adhibito negauit ſe de bonis à rege Sodomorum ſibi obla-
tis quidquam acceptурum.Sed rectius fuerit verba accipere hic pro re-
bus,ſiue factis,more ſcilicet hebrææ linguæ,quæ quicquid geritur,ver-
bum appellat.Ergo illud,*His tranſactis*,hanc habet ſententiam:Poſt de-
bellatos quatuor reges,pulcherrimamque partam victoriam, & libera-
tum Lot ; poſt honorificam illam gratulationem qua victorem Abram
accepit Melchiſedec , qui & ſacrificium panis & vini pro victoria eius
obtulit DEO,& decimas ab eo de omnibus accepit : poſtremo,poſt de-
claratam animi magnitudinem Abræ , ex opulentiſſima præda , quam
ei rex Sodomorum omnem concedebat,quicquam attingere recuſan-
tis:poſt hæc,inquam,omnia , contigit quod hoc decimo quinto capite
narratur.Sed quanto tempore poſt contigerit, non indicat Moſes : ſed
veriſimile eſt non longe poſt contigiſſe.

Reuelatio DEI cur verbum Dei,& viſio Prophetæ appelletur. *Factus eſt ſermo Domini ad Abram per viſionem.*Id eſt, Apparuit Domi- 2
nus Abræ, loquens cum eo;eſt enim hebraiſmus,ſicut ille perfrequens
in Prophetis,*Factum eſt verbum Domini ad Oſeam,Amos,&c.* Etenim re-
uelatio diuinitus facta Prophetis,dicitur verbum,& viſio:verbum,pro-
pter DEVM reuelãtem & reuelando quaſi loquentem cum Propheta:
viſio propter ipſum Prophetam , mentis oculis diuino lumine illuſtra-
tis videntem quæ DEVS illi reuelat. Nam quia ſenſus oculorum
præ cæteris ſenſibus claram certamque habet cognitionem ; idcir-
co cognitio rerum futurarum , qua DEVS mentem Prophetæ il-
luminat & docet , viſio appellatur ; & ipſi Prophetæ , videntes ; ſci-
licet propter diuinæ cognitionis Prophetis inditæ claritatem atque
certitudinem. Pro illo *per viſionem* , Septuaginta verterunt *In viſione*
noctis : de ſuo addentes vocabulum noctis , quod non eſt in hebræo:
nempe

nempe ad ſignificandum tempus huius viſionis fuiſſe nocturnũ.Quod
ſane valde congruit cum hac hiſtoria:nam paulo infra dicitur eduxiſ-
ſe DEVS foras Abram,& iuſſiſſe eum ſuſpicere cælum , & numerare
ſtellas:cernebat igitur tunc Abram ſtellas in cælo lucentes;quarũ pro-
fecto claritas & fulgor nocturno tantum tempore cernitur.Chaldæus
pro viſione poſuit Prophetiam,dicens, *per prophetiam :* ſignificans non
qualemcumque fuiſſe viſionem,ſed propheticam,id eſt,à DEO profe-
ctam,& earum rerum,quarum certa cognitio humanam cognitionem
atque intelligentiam excedit. Hanc viſionem contigiſſe Abræ nõ dor-
mienti,ſed vigilanti, duplici probat coniectura Caietanus : tum quod Caietanus.
in ea memoratur actus credendi imputatus Abræ ad iuſtitiam;dormi-
entes autem nec iuſti efficimur, nec iniuſti:tũ quod Moſes non ſolum
viſionem narrat,ſed ſermonem inter DEVM & Abram vltro citroque
habitum,tot ac talibus circumſtantiis adiunctis exponit, vt eum in vi-
gilia eſſe factum dubitare non ſinat. Quanquam paulo infra idem Ca-
ietanus,quod hic affirmate dicit,de eo dubitanter , incertoque aſſenſu
loqui videtur.

Sed quomodo facta eſt hæc viſio?an in ecſtaſi & raptu per imagina- 3
rias quaſdam ſimilitudines repreſentãtes menti Abræ quæ DEVS do-
cere eum volebat?An per occultam DEI inſpirationẽ; & ſolam men-
tis Abræ illuminationem ? An per Angelum in figura humana , DEI
nomine ac verbis loquentem Abræ ? Tot enim modis ea viſio potuit
fieri. Gloſſa interlinaris habet factam eſſe eam viſionem per occultam
inſpirationem. Verum expreſſior atque illuſtrior fuit ea viſio , quam
vt tacita ſolum inſpiratione facta credi debeat. Siquidem in ea fuere
mutua DEI & Abræ colloquia & pacta : & item varia DEI promiſſa
& prædicta ; Abræ autem vota & poſtulata. Quare credibilius fit (id- Thoſtatus.
que placet etiam Thoſtato & Oleaſtro) eſſe id factum per Angelum, Oleaſter.
qui ſpecie quidem & figura referebat hominem , auctoritate vero lo-
quendi DEVM ipſum repræſentabat. Nec hoc Lector neſciat , hanc Hanc eſſe
fuiſſe quartam DEI apparitionem factam Abræ. Nam prima fuit cum quartam ap-
vocauit eum ex Chaldæa, Geneſis 12.Secunda , cum ingreſſus terram paritionem
Chanaan,eam peragrabat;ibidem : Tertia poſtquam à Lot diſſociatus DEI factam
& ſegregatus eſt;Geneſ.13.Hæc porro quę hoc capite decimo quinto Abræ.
commemoratur,eſt quarta.

NOLI *timere Abram,ego protector tuus ſum,& merces tua magna nimis.* 4
Videtur fuiſſe id temporis Abram ingenti aliquo in metu,ad quem de-
pellendum hæc ei DEVS verba dixerit:ſed quid tũc ille timuerit,non
indicauit Moſes. At enim ſatis veriſimile eſt , timuiſſe eum , ne qua-
tuor illi reges à ſe debellati, tãtæ cladis dolore pariter ac pudore ; ve-
hementius ad vindictam inflammarentur : maioribuſque coactis viri-
bus rurſus ad eam regionem rapinis , cædibus atque incendiis vaſtan-
dam & perdendam , maxime vero vlciſcendum Abram acceptæ ca-
lamitatis auctorem , redirent. Enim vero nouerat Abram, vir huma-
narum rerum prudentiſſimus , non plenam & ſecuram eſſe victo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

riam,vbi vel armatus hostis adhuc supersit, vel facile bellicas vires reparare ac redintegrare possit. Sciebat magnas etiam victorias, maiorum deinde bellorum fuisse semina:inconstantem esse belli fortunam, & in contrarios sæpe casus euentusque variabilem : nec paucos, non tam glorioſe primum vicisse, quam postea misere victos periisse. Harum igitur rerum cogitatio & prouisio pectus Abræ animumque non mediocri timore pulsabat & angebat : vt non temere credi queat, ad euitanda hæc pericula,cogitasse eum de relinquēda Chananitide, & in alias regiones proficiscendo. Peropportune igitur DEVS adfuit seruo suo,talique metu vt eum solueret,dixit ei,*Noli timere &c.* Duabus porro ex rebus timor oritur, aut enim timemus ne mala nobis accidant quæ impendere videntur; aut ne bona quæ cupimus, consequi nō possimus. Vtrumque timorem his verbis aufert DEVS Abræ: priorē quidem,cum ait: *Ego protector tuus*; posteriorem autem, cum inquit, *Et merces tua magna nimis.* Et vero,quid timeat,cuius protector DEVS est? *Si* DEVS *pro nobis,* (ait quidam) *quis contra nos?* & alius, *Pone me,* inquit, *iuxta te,& cuiusuis manus pugnet contra me.* Et item alius fidenter exclamat: *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Huc pertinet totus psalmus nonagesimus, pulcherrimam de diuina protectione iustorum hominum disputationem continens.

Ad Rom.8. Iob 17. Psal. 26.

Magnam habet emphasim illud, *Ego sum protector tuus*; quasi dicat: ex iis quæ in præteritum iam expertus es, similiter sperare in futurum debes. Iam enim bis perinsigne tibi specimen dedi meæ protectionis; semel cum propter raptum vxoris tuæ, ita flagellaui Pharaonem & omnem eius domum, vt continuo intactam reddiderit vxorem, superque magnis te honoribus & muneribus affecerit. Iterum vero clarissimum protectionis meæ indicium fecit victoria, quam tu perexiguis copiis de quatuor regum validissimo exercitu reportasti. Pro illo nomine *protector* hebraice est, scutum seu clypeus; quemadmodum psalmo quinto dicitur: *Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Id est, tua beneuolentia, gratia & ope, quasi scuto quodam nos vndequaque circumdas & protegis. Græce est verbum ὑπερασπίζω, significans scuto tegere ac defendere.

Genes. 12.

Ambrosius lib.1. De Abraham,c.3.

Et merces tua magna nimis. Non est serus, inquit Ambrosius, ad remunerandum Dominus, & cito promittit, & multa largitur; ne infirmos animos ob dilationem mercedis, subeat pœnitentia contempsisse præsentia. Itaque velut quadam vsuraria largitate compensat, vt vberiora restituat ei, qui captus non fuerat oblatione præsentium. Sic Ambrosius. Quoniam igitur Abram, propter DEI gloriam, oblata sibi à rege Sodomorū bona omnia contempserat,idcirco nunc à DEO amplissimæ mercedis promissione donatur. Illud, *Ego merces tua*; dupliciter intelligi potest,vel causaliter,vel substantialiter. Libenter equidem,quoties res fert, vtor vocabulis in schola tritis, si breuius, dilucidius & expressius rem, qua de agitur, declarent. Si causaliter accipiatur, hic erit sensus: ego tuos labores & merita cumulatissime remunerabor:

Deus dicitur merces hominis tā causaliter, quàm substantialiter.

nerabor: quippe qui nullius opinionem fallo, nec spem frustror, nec meritum fraudo: Immo vero supra meritum & votum,iis qui mihi seruiunt, mercedem reddo. Ergo non minus vere quàm pie illud in quadam Oratione sua vsurpat Ecclesia: DEVS *qui pro abundantia pietatis tuæ,& merita supplicum excedis & vota &c.* Hæc autē bona quæ DEVS pro mercede largitur seruis suis, verissime dicuntur esse magna nimis: *Neque enim oculus vidit,neque auris audiuit,neque in cor hominis ascenderunt quæ præparauit* DEVS *diligentibus se.* Itaque in eorum comparatione, alia omnia bona æstimanda sunt vt stercora, vt B.Paulus æstimabat, & pro nihilo ducenda. Atque hoc sensu intelligēda esse supra dicta verba censet Caietanus: Non contenta est,inquit ille, diuina benignitas promisisse Abræ donum protectionis suæ seruans à malis; sed insuper promisit donum conferens bona,id est,mercedem magnam nimis. Merces operi debetur: seruierat autem DEO Abram relinquendo patriam, & peregrinando, magnisque cum laboribus & periculis commorando in terra Chanaan, quam etiam tunc derelinquere timor solicitabat & incitabat. Propterea igitur dixit ei DEVS: Esto securus & lætus; nam & ego tibi ero scutum,protegens te à malis omnibus;& fidei,obedientiæ, ac patientiæ tuæ mercedem reddam magnam nimis. In hoc autem sensu fuisse hæc DEI verba intellecta ab Abram; restatur subiuncta eius responsio,*Domine* DEVS *quid dabis mihi?* Sic Caietanus.

1. Cor. 2. Esa. 64.

Ad Philip.3.

Caietanus.

Genes. 12.

6 ALTERO modo illud; *Ego merces tua,* potest intelligi substantialiter, hoc sensu: Ego ipse futurus sum merces tua. Cum enim suprema merces hominis, sit cælestis beatitudo; ea vero consistat in clara & æterna DEI visione,ac fruitione;vere DEVS ipse dicitur esse merces hominis. Habet igitur magnam emphasim illud, *ero merces tua*; quasi diceret: Ego qui sum omne bonum quodcunque, & quantumcumque desiderari possit ab homine, ero merces tua. At qualis,& quanta merces? *magna nimis.* Siue illa in se consideretur, siue in comparatione laborum & operum propter quæ datur homini. Si enim per se eam mercedem consideres, reperies esse bonum æternum, nunquam deficiens; esse infinitum,eminenter continens omne bonum & desiderabile; esse conuenientissimum naturæ hominis, cum is ad imaginem DEI factus sit,& propterea infiniti boni sitiens & capax. De quo scilicet vere illud dixit Augustinus: Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum,donec requiescat in te. Nimirum ipse ille est,de quo cecinit Dauid: *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Et alio loco: *Animam esurientem satiauit bonis.* Tale denique illud bonum est, vt sine eo,etiam si cætera omnia bona cumulata expletaque donentur homini,ea tamen explendo hominis animo & appetitui sufficiens merces esse nequeat. Sapienter itaque B.Thomas Aquinas, cum ad imaginem Crucifixi vehementius orās audisset hanc vocem: Bene de me Thoma scripsisti,quam ergo mercedem recipies? respondit,non aliam Domine,nisi te ipsum.

Quanta sit hominis merces in cælo.

Gen.1.& 2.

Psal.102. Psal. 106.

S. Thomas. Cōparatur merces cælestis cū laboribus & meritis hominum.

POTEST etiam magnitudo cælestis mercedis liquido cognosci ex comparatione eius cum laboribus & factis, quibus eam mercedem promere

promeremur. Hęc enim si æstimentur per se, & vt loquũtur Theologi, secundum substantiam operis, non autem vt proficiscuntur à SPIRITV sancto inhabitante hominis animum, & ad facienda bona opera incitante & adiuuante, infinitis profecto partibus ab illa beatissima mercede superantur. Nam quale, obsecro, aut quantum est dare frustum panis esurienti, aut sitienti potum aquæ frigidæ propter Christum præbere, si cum beatifica & æterna DEI visione ac fruitione comparetur? *Non sunt*, inquit B. Paulus, *condignæ passiones huius temtopris ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et alio loco, *Id quod in præsenti momentaneum est & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternũ gloriæ pondus operatur in nobis.* Sunt qui existiment illis verbis: *Ego protector tuus, & merces tua* significata esse duo maxima bona, & quæ electorum hominum atque prędestinatorum propria sunt. Et horum quidem vnum, est æternum, id autem est æterna electio & prædestinatio hominis ad vitam æternam: idque significatum esse volunt illis verbis: *Ego merces tua magna nimis.* Alterum bonum & donum DEI est temporale, sed maximum omnium, quæ in hac vita dantur homini, quodque sub meritum hominis minime cadit; sed pendet ex gratuita DEI bonitate ac voluntate. Hoc autem est donum perseuerantiæ: & videtur id significatum esse illis verbis: *Ego protector tuus*: non enim perseuerantiæ donum esse aliud videtur, quàm singularis quædam DEI assistentia protegentis hominem prædestinatum à malo, & aut non sinentis eum labi in peccatum mortale: aut si labi sinat, erigentis eum, rursusque in gratiam suam reponentis: ac demum: ita eum regentis & custodientis, vt ne in extremo vitę deficiat, sed sine peccato mortali, & in DEI gratia decedat.

Matth. 10
Ad Ro. 8.
2. *ad Cor.* 4.

Duo magna & prædestinatorũ propria bona.

Quid sit donum perseuerantiæ.

VERSV 2. & 3. *Dixitque Abram, Domine* DEVS, *quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis; & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer. Addiditque Abram, Mihi autem non dedisti semen: & ecce vernaculus meus, hæres meus erit.*

BENE cohæret hæc interrogatio, siue petitio Abræ cum superiori promissione DEI. Duas enim res, inquit Caietanus, promiserat DEVS Abræ, protectionem suam, & mercedem magnam nimis. Et de protectione quidem securus erat Abram, vt qui non semel eam fuisset expertus. De mercede autem, licet in genere non dubitaret, cupit tamen in specie intelligere qualis ea merces futura esset; & an in ea contineretur generatio prolis diu multumque sibi optatissimæ. Hæc igitur oratio Abræ est quasi supplicatio quædam admirantis, siue admiratio supplicantis. Admiratur enim tam largã DEI promissionem in genere, conferendo eam

eam cum præsenti suo statu sine filiis, & sine spe filiorum. Quocirca supplex scire cupit qualis futura sit ea merces; si cariturus ipse sit prole. Annotauit præterea Caietanus, in tribus aliis prioribus visionibus, quibus DEVS apparuit & locutus est Abræ, fuisse eum auditorem tantùm, nihilque esse locutum: in hac autem visione primum loqui inducitur cum DEO, & quidem fidenter admodum atque familiariter. Ex quo apparet maior eius in dies in DEI fiducia, amicitia, & familiaritate profectus.

Caietanus.

EGO *vadam absque liberis.* Hoc Abræ tam ardens desiderium, taciturnamque petitionem prolis, vt rem valde honestam, probabilem, & laudabilem, multum commendat Ambrosius: Quam à DEO, inquit, mercedem postulauerit Abram, consideremus. Non diuitias, vt auarus, exposcit; non longæuitatẽ vitæ istius, vt meticulosus mortis; non potentiam; sed dignum quærit sui hæredem laboris. *Quid mihi*, inquit, *dabis? Ego autem dimittor sine filijs: & vernaculus meus mihi hæres erit.* Discant ergo homines coniugia non spernere, nec sibi sociare impares; ne huiusmodi susciplant liberos, quos hæredes habere non possint: vt vel transfundendæ hæreditatis contemplatione, si nullo contuitu pudoris mouentur, digno studeant matrimonio. Sic Ambrosius. Verum quî poterat Abram de prole suscipienda dubitare, ne dum desperare; cum disertis verbis dixisset ei DEVS, *Faciam semen tuum sicut puluerem terræ; & omnem terram, quam conspicis dabo semini tuo vsque in sempiternum?* Hoc enim promisso non solum DEVS pollicitus est ei prolem, sed innumerabilem prolem: adiuncta insuper eius regionis promissione atque principatu. Eucherius & Rupertus ita respondent: Promissum Abræ fuisse semen; sed non esse declaratum, quale futurum esset semen: an ex carne eius naturaliter generandum; an voluntarie tantum per adoptionem in familiam suam & bonorum hæreditatem ascisendum. Itaque Abram cernens sibi non nasci filios, & tamen certam habens seminis promissionem à DEO sibi datam, cogitauit de aliquo in filium sibi adoptando; Vnde mox subiungit de vernaculo suo: *Hic erit hæres meus*, quasi diceret, quia ex me semen mihi non dedisti, in hoc semine adoptato complebitur promissum tuum. Vocabulum autem seminis, non dici tantũ in semine naturali, sed in eo quoque quod fit vel per ciuilem, vel per spiritualem adoptionem, minime dubitare nos finit B. Paulus appellans semen Abræ omnes fideles, etiam ex Gentibus ad CHRISTVM conuersos.

Ambr. lib. 1. De Abrahã cap. 3.

Genes. 1.

Eucherius. Rupertus.

Ad Rom. 4. & 9.

9 *Ego vadam sine liberis.* Hebraice est præsentis temporis *Ego vado*, & Græce *Ego dimittor sine liberis*, & quanquam in istis tribus temporibus, præsente, præterito, & futuro creber sit in lingua hebraica vnius abusus pro alio: Attamen hic magnam emphasim habet, *Ego vado sine liberis.* Sensus enim est: Ego in dies magis ætate procedens, propius ad mortem accedo: atque ob id minor quotidie ostenditur spes prolis, ingrauescente magis ac magis ætate mea, & perseuerante vxoris meæ sterilitate. Quemadmodum autem apud Latinos, obire, decedere, siue

excedere & extingui, significant mori; ita quoque apud Hebræos : ego vado, vel dimittor, idem est atque, ego morior. Sic intelligitur illud Lucæ 22. *Et Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de eo: verumtamen væ homini illi, per quẽ Filius hominis tradetur*: Et Lucę 2. dixit Simeon: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Ergo cum hic dicitur *Ego vado* vel vt habent 70. *Ego dimittor sine liberis* perinde est ac si dixisset, Ego morior carens filiis. Chrysostomus & alij patres ponderant verbum illud, *dimittor* quo vsi sunt Septuaginta pro eo quod est morior: significatur enim dum in terris sumus, detineri nos tanquam in custodia & vinculis: at cum morimur, quasi dimittimur è custodia corporis, & quasi vinculis exoluti, libere sinimur abire.

Chrysostomus.

ET *filius procuratoris domus meæ, iste Damascus Eliezer.* Hebraice ad verbum est, *filius Mesech domus meæ.* Sed nomen illud Mesech, vt proprium hominis nomen septuaginta retinuerunt, ita vertentes, *filius Mesech vernaculæ meæ*, quasi Mesech filius fuerit fœminę, quæ esset vernacula, id est, domi Abræ nata; eaque filium genuerit nomine Damascum Eliezer, quem Abram relinquere bonorum suorum hęredem cogitauerat. Sed enim alij omnes interpretes vocem Mesech, vt nomen appellatiuum interpretati sunt, varie tamen. Aquila sic transtulit: *Filius potum dantis domui meæ*: Theodotion autem hoc modo: *Filius eius, qui super domum meam est*; quem secutus Hieronymus, vertit procuratorem domus, siue villicum qui vniuersa dispensat & distribuit cibaria familiæ, vt tradit in Quæstionibus hebraicis in Genesim. Idem porrò in eodem opere super caput quadragesimum Genesis, hoc ipsum vocabulum, Mesech, transtulit, Pincernam; vt Septuaginta reddiderunt Principem vinariorum. Et Hieronymus quidem atque alij vetustiores interpretes, Damascum Eliezer faciunt filium procuratoris domus Abræ: at recentes ex Hebræo interpretes faciunt ipsummet gubernatorem, seu procuratorem domus, ita vertentes, *Et filius gubernator domus meæ*: Lectio namque Hebraica vtrumque sensum admittit. Sed illa congruentior est textui verborum. Caietanus & Vatablus, vocabulum Mesech, interpretantur relictum, siue relictionem, ita legentes hunc locum: *Filius relictus siue relictionis domus meæ.* quod exponens Caietanus: Appellatur, inquit, Eliezer filius relictus domus, seu familiæ Abrę, quia hic solus ex antiqua familia Abræ relictus fuerat, & erat ex genere antiquorum seruorum & domesticorum Abræ. Vatablus eandem vocabuli notionem distinctius explanans: Hebraismus, inquit, est cum dicitur, *Filius relictionis domus meæ*, pro, is cui curam omnem rei familiaris meæ ego reliqui & commisi, id est, dispensator & procurator domus meæ. Quidam sic interpretantur, *Filius relictionis domus meæ*, pro, is cui relinquam domum meam & omnia bona, & qui futurus est hæres meus. Nonnulli etiam sic vertunt: Filius discursationis domus meæ, id est qui discursat per domum meam, vt solet œconomus in domesticis rebus dispensandis & administrandis. Sic Vatablus. Cuius postremam eius vocabuli interpretationem cæteris prætulit Oleaster: ita ratus verti debuisse

10

Varia interpretatio vocis Hebrææ Mesech.

Hieronymus.

Caietanus.

Vatablus.

Oleaster.

debuisse hunc locum: *Et filius exiens siue discurrens domum meam, est ipse Damascus Eliezer*: solet enim filius domus, id est, familiæ postquam pater eius senio confectus est, domum gubernare, intrare & exire, & huc illuc discursare. Huius igitur loci hic secundum Oleastrum est sensus: filius discurrens domum meam, debebat esse filius meus ex me ipso progenitus, & tamen non est, sed iste Damascus Eliezer. Quod ipse continuo exponit, adiungens, *mihi autem non dedisti semen, & ecce vernaculus meus hæres meus erit.*

11 Cæterum illa oratio Abræ, *Filius procuratoris domus meæ, iste Damascus Eliezer*, imperfectam, & quasi suspensam continet sententiam: desideratur enim aliquid ad sententiæ absolutionem: verum ea dupliciter expleri potest. Quidam enim putant Abram voluisse his verbis abiicere & deprimere statum suum; significans se detetioris esse conditionis, quam procuratorem domus suæ: hic enim filium habebat: ipse vero nec prolem habebat vllam, nec habiturum se sperabat: atque hæc interpretatio placuit Thostato. Lyranus vero aliter exponit, putans declarasse Abram his verbis consilium & propositũ suum DEO: quasi diceret: quia ego nec filium habeo, nec habendi eum aliquando, vlla mihi spes ostenditur, idcirco statui hæredem relinquere domus meæ Damascum Eliezer filium procuratoris mei.

Thostatus. Lyranus.

Sed de illo Damasco Eliezer quæri hoc loco potest, an ab eo condita sit vrbs Damascus nec ne? Iosephus primo libro Antiquitatum enarrans originem Gentium ex tribus filiis Noe, scriptam à Mose supra, Genesis 10. Conditorem vrbis Damasci facit Hus nepotem Sem, multo, scilicet, antiquiorem isto Damasco seruo Abræ. Idem quoque sensit & scriptum reliquit super illud ipsum decimum caput Genesis B. Hieronymus in Quæstionibus hebraicis in Genesim. Facit pro hac opinione quod paulo superius, Genesis decimoquarto capite proditum est, Abram insecutum esse quatuor illos reges vsque Hoba, quæ est ad lævam Damasci: erat igitur ante Abram vrbs Damascus: quare seruus Abræ Damascus, conditor eius esse non potuit. Ex aduerso autem, ab isto Damasco eam vrbem esse fundatam, & ex nomine eius appellatam B. Hieronymus hoc loco, Historia scholastica, Thostatus & complures alij, vt communem sententiam referunt. Cui non officit quod tempore Abræ nominaretur Damascus; non enim tunc id nominis habebat, sed huius historiæ scriptor Moses, per anticipationem sic appellauit eum locum, vt sua ætate appellabatur. Permitto Lectoris arbitrio electionem opinionis, quæ ex his duabus magis ei placuerit. Nam in re tum propter vetustatem incerta, tum quod ea res nulla satis probabili vel ratione, vel auctoritate nixa ac fulta est; quicquid dixeris, nec certum nec firmum esse potest.

An vrbs Damascus condita fuerit à Damasco seruo Abræ. Iosephus. Hieronymus.

Historia Scholastica.

VERSV 4.

Statimque sermo Domini factus est ad eum dicẽs: Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem.

CERNEBAT DEVS flagrantem animum Abræ desi- 12
derio prolis, simulque desperatione eius vehementer afflictum & tabescentem: quapropter confestim ægro animo medicinã consolationis, id est, lætissimam suscipiendæ prolis promissionem exhibuit. Signate igitur Moses posuit illud aduerbium (statim) tanquam significans, vt interpretatur Chrysostomus, non esse passum DEVM, seruum & amicum suum Abram, ne ad breue quidem tempus, anxio & ægro animo esse; sed festinatam ei attulisse consolationem, & grauitatem mœroris, voluptate lętissimæ promissionis penitus abstersisse. Non erit, inquit Deus, filius procuratoris tui, hæres tuus; sed quem tu ipse generabis: depone igitur omnem tristitiam; desperationem istam prolis, atque omnem dubitationem ex animo tuo prorsus eiice. Ne spectes humanæ conditionem naturæ: ne tuam senectam aut Saræ sterilitatem cogites: sed eius qui tibi promisit potentiam æstima; eaque confisus, abiice tristitiam omnem, & quantam potes maximam animo cape fiduciam, omnino persuasum & certum habens, futuram tibi prolem, & talem prolem, quæ longe votum tuum excedat. Consideret hoc loco Lector, quemadmodum quæ daturus erat Deus Abræ, non à primo ea simul omnia promisit Abræ, sed paulatim & per interualla, augens gradatim in maius & melius promissionem suam. Namque ei primo semen promisit, & quidem innumerabile, Genes. 13. Sed tunc dubium erat quale futurum esset illud semen, vtrum naturale, an adoptiuum; eam dubitationem sustulit altera promissio DEI hoc loco data, pollicentis ei semen naturale, id est ex ipso generandum. Verum etiam tunc dubius esse poterat Abram num ipse generaturus esset illam prolem ex Sara, an ex alia aliqua vxore: hanc demum dubitationem abstulit Deus infra Genes. 17. cum tertiam ei dedit promissionem, prolem illam & ipsius & Saræ vxoris suæ futuram. Itaque paulatim DEVS quæ daturus ei erat, multis & variis promissionibus pollicebatur; ea videlicet ratione mirabiliter eius fidẽ, spem, ac longanimitatem exercens & illustriorem reddens.

Chrysost. homil. 36. in Genes.

ILLVD, *Qui egredietur de vtero tuo*, hebraismus est, significans, qui 13
ex te ipso generabitur, sicut verterunt Septuaginta interpretes. Hebræi certe gigni vel egredi ex vtero, similiter dicunt de viris atque de fœminis. Vnde est illud Dauidi promissum à DEO: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et secundum hanc hebrææ linguæ phrasim, Dauid indicans generationem DEI FILII ex Deo Patre, facit ita loquentem Patrem; *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Pro vtero, est vox hebræa significans

Psal. 131.
Psal. 109.

gnificans ea quæ sunt intima in corpore hominis, vt sunt lumbi, renes, intestina, viscera, vterus. Hanc phrasim Thostatus sic exponit: Dicitur *Ex vtero tuo*; id est, ex lumbis tuis: semen enim viri non est in vtero, sed in quibusdam musculis in lumbis, vbi colligitur. Cum enim ex omnibus membris proueniat semen, vt ea ratione virtus seminalis, formatrix diuersorum membrorum esse possit; in lumbis tamen collectũ, inde motu quodam effunditur per instrumenta genitalia. Quocirca spadones, licet alioqui potentes sint: attamen quia seminalem materiam non habent, impotentes esse ad generandam prolem necesse est.

Thostatus.

Eduxit eum foras & dixit illi, Suspice cælum & numera stellas si potes: sic erit semen tuum. VERSV 5.

VIDE munificentiã DEI, non est cõtentus promisisse Abramo naturalẽ filiũ & hæredẽ: exaggerat præterea hoc ipsum munus, atq; incredibiliter auget, promittẽs non qualẽcumque prolem, sed quæ instar cæli siderum, innumerabilis, æterna, sublimis, eximiæque claritatis, dignitatis ac potestatis futura sit. Super eo quod hic dicitur, DEVM eduxisse foras Abrã, & iussisse stellas aspicere, & numerare, quæritur, An id reuera factũ sit, an sola fuerit eius rei visio & imaginatio; vt videretur sibi Abram DEVM videre secum loquentem, & se foras educentem ad videndas ac numerãdas stellas. Negat id vere factum esse Caietanus, & per visionem imaginariã id factũ esse putat. Verũ cur neget, nullam rationẽ causamq; affert. Ipsum audi: Rem, inquit, narrat Moses nõ gestam corporeis gressibus aut oculis, sed gestã solũ in visione. Describit enim actionẽ DEI visi & loquentis, quæ fuit educere Abram foras. Etenim DEVS se se habuit ad similitudinem educentis Abram extra tabernaculum in quo iacebat (si in somnis fuit hæc visio) vel in quo orabat (si in vigilia ecstasim hanc habuit.) Videbatur enim Abræ DEVS educere ipsum foras sub dium, vt sæpe experimur simile quid in somnis, nobis accidere. Hæc Caietanus. At enim cum verba Mosis proprie sumpta significent verum exitum ex tabernaculo, verumque cõspectum stellarum: nec quicquam fingi possit quod vetet ea verba proprie sumi, non recte profecto videntur facere, qui ea verba à propria significatione & sententia detorquere conantur. Præsertim cum hanc visionem fuisse sensibilem, & vigilanti Abræ contigisse, sine dubitatione dixerit Caietanus in exordio huius Capitis decimiquinti: idque subiunctus credendi actus Abræ, tantopere hic laudatus, conuincere videatur. Erat igitur Abram intra tabernaculum suum; eratque ibi, vt coniici potest, solus orans, eratque tempus nocturnum, cum hanc sensibilem DEI visionem habuit: vere item eductus ab Angelo est extra tabernaculum, & lucentes sereno cælo stellas aspicere ac numerare iussus.

Caietanus in Genesim.

August de Ciuit. Dei lib.16.ca.23. ait stellas cęli nec videri omnes nec numerari posse.

Numera stellas si potes; sic erit semen tuum. Horum verborum iustæ 15
interpretationis & tanquam commentarij vicem implere potest quod scribit B. Augustinus in libris de Ciuitate DEI, hunc ipsum locum Mosis enarrans. Promittitur Abræ, ait Augustinus, semen innumerabile, non sicut arena terræ, sed sicut stellæ cæli: vbi mihi magis videtur promissa posteritas, fœlicitate sublimis. Nam quantum ad multitudinem pertinet, quid sunt stellæ cæli ad arenam terræ? nisi quis & istam comparationem in tantum esse similem dicat, in quantum etiam stellæ dinumerari non valent. Non enim eas omnes videri posse credendum est: cum quanto quisque acutius intuetur, tanto plures videat. Vnde & acerrime cernentibus, aliquas occultas esse merito existimatur: exceptis iis sideribus quæ in alia parte orbis à nobis remotissimæ, oriri & occidere perhibentur. Postremo quicumque vniuersum stellarum numerum comprehendisse & conscripsisse iactantur, sicut Aratus, vel Eudoxus, vel si qui alij sunt; eos libri huius contemnit auctoritas. Sic Augustinus. Videtur igitur sensisse Augustinus aduersari diuinæ scripturæ Mathematicos, qui se non modo exploratam & compertam habere profitentur stellarum multitudinem; verum etiam stellas omnes cælo conspicuas & visu notabiles, non plures duabus & viginti supra mille esse contendunt. Et ab Augustino quidem stare videtur auctoritas diuinæ scripturæ, innumerabiles esse stellas non vno loco affirmantis. Nam præter hunc locũ quẽ nunc tractamus, idem significauit Deuteronomij 1.& 10.vbi Moses alloquens Hebræos, ait eos fuisse multiplicatos sicut stellas cæli. Ex Hebræis vero qui supra vigesimum annũ numerabantur, vltra sexcenta millia tunc recẽsiti sunt. Vnde licet æstimare, adiunctis huic numero fœminis & maribus qui vigesimum annum nondum attigerant, atque insuper senibus ad bellum gerendum inualidis, quãta fuerit id temporis eorum hominum multitudo. Verũ apertius hoc docuit Hieremias capite trigesimo tertio. *Sicut*, ait, *denumerari non possunt stellæ cæli, & metiri arena maris; sic multiplicabo semen Dauid serui mei.* Immo vero habere cognitum stellarum numerum, quasi singulare quiddam & proprium DEI prædicat Dauid psalmo 146. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.*

Plato in Timæo. Aristot. in li. de Mũdo ad Alexãdrum & li. de Cælo tex. 61. Seneca li. 6. Natural. quęstionũ ca. 16.

Adest huic sententiæ præter auctoritatem diuinam, eorum quoque auctoritas qui sapientiæ Græcæ ac Romanæ principes fuerunt, Platonem dico, & Aristotelem, & item Senecã, qui tradiderunt stellarũ inerrantium innumerabilem esse multitudinem. Sed enim Astrologi cõtra peracriter pugnant, euidenter (vt aiunt ipsi) demonstrantes non plures esse stellas in cælo, iis quas supra commemorauimus. Hoc si verum est, quia contrarium vero esse non potest; nec doctrina scripturæ, veritati humanæ rationis & experientiæ vllo modo aduersatur, vt luculente disputat Augustinus libro primo de Genesi ad literam capite 21. & in Epistola septima, quæ est ad Marcellinum: necesse profecto est dictum illud & sententiam scripturæ de innumerabili stellarum multitudine, non

non simpliciter accipere, sed ita exponere, vt cum vera ratione & experientia minime pugnet. Quemadmodum autem id commode possit effici, in primo Tomo nostrorum Commentariorum in Genesim lib. secundo quæstione octaua à nobis disputatum & demonstratum est.

Allegorica expositio Philonis in libr. qui inscribitur, Quisnã diuinarũ rerũ sit hæres.

16 Illorum porro verborum, *Eduxit eum foras & dixit ei; suspice cælum & numera stellas si potes: sic erit semen tuum*, allegoricam expositionem tradit Philo, grauem sane nec inelegantem: quam nec me pigebit hic adscribere, nec Lectorem, vt spero, legere. Pulchre autẽ disputat Philo describi verbis illis statum & præstantiam viri sapientia & virtute perfecti: scribit autem ille in hanc sententiam: *Eduxit eum foras*. Hoc indocti quidam homines ridere solent: ecquis obsecro, inquiũt, aut educitur intro, aut foras intrat? sed isti potius ridiculi sunt, non intelligentes in his verbis motus & mores animæ; sed solos corporũ locales motus agnoscentes. Quam enim sæpe vsu venit, vt vbi quis corpore præsens est, inde sit absens animo; & contra, præsens animo sit, vnde longe abest corpore? Similiter igitur intra aliquem locũ potest quispiã esse corpore, extra quẽ vagetur animo, & cogitatione oberret. Vir igitur bonus & sapiẽs, corpore ac sensu in rebus corporeis & mortalibus versatur; exit autem foras, ad contemplationem rerum æternarum quasi mentem efferens, & earum amore inardescens. Eduxit igitur DEVS Abram foras; quia sapientem virum educit è carcere corporis, è cauernis sensuũ, è fallacibus rationum sophismatibus: educit denique ex seipso, atque ex ea opinione qua putare posset, se nulli obnoxium libere ac suapte facultate omnia posse intelligere. Subdit: *Suspice cælum* Videlicet, vt tu, qui diuino munere sapiens es, arguas cæcum hominum vulgus, quod etsi videtur sibi acute cernere, luminibus tamen plane orbatum est. Nisi forte non est cæcum, dum mala bonis præfert; iustis iniusta; turbulentas & impuras corporis voluptates, tranquillissimis purissimisque gaudiis; mortalia & caduca bona immortalibus; repulsisque prudentibus & fidis monitoribus, vna cum salutaribus eorũ consiliis & præceptis, adulatores admittit; & sermonibus ad voluptatem, otium, ignorantiam, & delicias inuitantibus delectatur. Ergo solus bonus videt: quamobrem & Prophetas prisci nominabant Videntes. At isti, si quid vident, oculis animæ ad ima depressis, terram solum intuentur, terrenorum cupidi, & innutriti materiæ. Sapiens vero ad supera oculos attollens, cęlum suspicit, vnde manna pluuit, id est, verbum diuinum cælitus animis nostris instillatur; cælestis nempe atque immortalis cibus animæ spectandi & discendi cupiditate flagrantis. Istis contra cælestem fastidientibus & respuentibus cibum, animus est in cæpis & alliis pupillas oculorũ cruciantibus & offuscantibus, cibis Ægypto peculiaribus.

Numer. 11. & 21.

Adiunxit præterea DEVS: *Suspice cælum, & numera stellas si potes: sic erit semen tuum.* Egregium dictum: *Sic erit semen tuum.* Non tantum par stellarum numero; non enim solam multitudinem, sed & alia multa ad perfectam felicitatem conducentia, voluit indicare. Quasi diceret, quale vides cælum, & quæ in cælo sunt, talis virtus tua esse debet; plane

plane cæleſtis, nihilue ſordidum terræ habens, ſemper vmbra carens, plenaque ſplendore puriſſimo, ornatè diſpoſita, neſcia interitus, immoto manens ordine, ſemper ſui ſimilis. Vult enim DEVS, velut quandam cæli effigiem, animum eſſe ſapientis: vt quæ, ad ſimilitudinem cæli, habeat lucida ſydera, ſtatos motus, concinnas choreas, diuinos circuitus, virtutum ſplendores fulgidiſſimos, & ſtellis ſimillimos: nam ſi ſenſibilium ſtellarum inuenire numerum eſt impoſſibile, multo magis intelligibilium. Hactenus ex Philone.

PRIMA DISPVTATIO,

An illud DEI *promiſſum de ſemine Abræ inſtar cæli ſtellarum multiplicando, ſecundum literalem ſenſum principaliter intelligi debeat de multiplicatione carnali: an potius de multiplicatione ſeminis ſpiritualis, maxime autem eorum qui prædeſtinati ſunt ad vitam æternam.*

Lyranus. Thoſtatus. Burgenſis.

HANC Diſputationem ob eam præcipue cauſam ſuſcepi tractandam, vt quod ſuper hac re tres diuinarum literarum docti & nobiles explanatores, Lyranus, Thoſtatus & Paulus Burgenſis, horumque aſſectatores permulti diſſeruerunt & ſcriptis prodiderunt, id ego, declarandæ ac tuendæ veritatis ſtudio, verum eſſet necne diiudicarem. Nec me de iis qui diſcendis tractandiſque Sacris literis ſtudent, non bene meriturum putaui, ſi falſam eſſe demonſtrarem eorum ſententiam, quæ multis, eorum virorum auctoritate ductis, valde plauſibilis & probabilis viſa eſſet. Lyranus igitur exponens ea verba quibus promiſit Abræ DEVS multiplicatum iri ſemen eius tanquam ſtellas cæli, multa tradit, quæ nec paucis, nec obſcuris Sacrarum literarum tractatoribus vehementer probata ſunt. Licet autem ex illa Poſtilla Lyrani quatuor eius ſententias elicere; quæ veræ ſint necne, in præſentia diſputaturi ſumus.

Prima eſt Lyrani ſententia, illud DEI promiſſum, ſemen Abræ 17
multiplicatum iri tanquam ſtellas cęli, non eſſe principaliter, ſecundum literalem ſenſum, de multiplicatione ſeminis carnalis, ſiue de corporali poſteritatis eius propagatione intelligendum. Hanc ille ſententiam ita probat: Promiſſum illud DEI fuit quaſi præmium & merces virtutum & benefactorum Abræ; nam paulo ante dixerat ei DEVS, *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis*: Præmium autem à DEO promiſſum operi bono & meritorio, per ſe maius quiddam & melius eſſe conſtat

conſtat quàm ipſum opus meritorium; ſicut finis potior & melior eſt iis quæ in finem referuntur. Quodlibet porro bonum temporale (qualis erat illa carnalis multiplicatio ſeminis Abræ) qualecumque & quantumcumque fuerit, longe minus eſt vel minimo actu & opere virtutis meritorio. Non igitur multiplicatio ſeminis quæ promiſſa eſt Abræ, corporalis & temporalis fuit.

18 ALTERA ſententia Lyrani: illo DEI promiſſo de multiplicatione ſeminis Abræ inſtar ſtellarum, ſecundum literalem ſenſum principaliter ſignificari multitudinem electorum ad vitam æternam: qui ſiue ex ſtirpe Abræ ſecundum carnem generati eſſent, ſiue non eſſent; propterea tamen vocandi erant ſemen Abræ, quod fidem & pietatem eius imitaturi eſſent. Dixit eam promiſſionem præcipue ad eos pertinere qui prędeſtinati eſſent ad vitam æternam; quoniam ad id maxime quadrat ſimilitudo ſtellarum; cum B. Paulus ſanctos poſt reſurrectionem in cælis ſimiles faciat ſtellarum, quæ omnes quidem lucem habent, ſed aliæ tamen maiorem, aliæ minorem. Itaque ſicut carnale ac reprobum ſemen Abræ ſupra Geneſ. 13. comparatum eſt pulueri terræ, qui conculcatur pedibus, & ſterilis ac diſſipabilis eſt: ſic ſemen Abræ ſpirituale prædeſtinatum ad vitam æternam, ſtellis cæli rectiſſime aſſimilatum eſt, propter earum immortalitatem, ſublimitatem, lucis gloriam, loci dignitatem, necnon & vim atque potentiam. Huic ſententiæ fidem facit ſuperioris ſententiæ confirmatio. Nam cum illud DEI promiſſum pertineat ad multiplicationem ſeminis Abræ; nec ſpectet tamen, vt oſtenſum eſt, ad carnalem eius ſeminis multiplicationem: neceſſe profecto eſt ad ſpiritalis ſeminis propagationem pertinere. Illud porro Lyranus in vniuerſum præcipit, tam hoc loco, quam alibi, vbicumque commemorantur in ſacris literis DEI promiſſa temporalium bonorum pro benefactis & præclaris hominum meritis, ea principaliter ſecundum literalem ſenſum eſſe intelligenda de ſpiritalibus & æternis bonis; de temporalibus vero, minus principaliter, & pro vt ea, quaſi manu ductiua ſunt ad bona ſpiritualia & æterna. Nimirum homines imperfecti, quales plurimùm erant in veteri Teſtamento, amore terrenorum & temporalium bonorum alliciuntur & ducuntur ad cupiditatem & amorem cæleſtium: ſiquidē animus hominis vt ſcite dixit Gregorius, ex iis quæ nouit, ſurgit ad incognita quæ non nouit: & per hoc quod ſcit notum diligere, diſcit & incognitum amare.

1. *Ad Corinth.* 15.

S. Gregor.

19 TERTIA eſt Lyrani ſententia: Abram in hoc DEI promiſſo intellexiſſe, tā ſibi, quàm ſemini ſuo promiſſa eſſe bona cæleſtia, per CHRISTVM comparanda & præſtanda. Hoc firmat ipſe verbis illis Domini quæ ſunt apud Ioannem: *Abram pater veſter exultauit vt videret diem meum: vidit & gauiſus eſt.* Dies autem vel tempus CHRISTI, nō aliud fuiſſe intelligitur, quàm tempus paſſionis & reſurrectionis eius: ſicut ipſe ſignificauit cum imminente paſsione ſua dixit; *Tempus meum prope eſt.* Tunc nempe aperta eſt cæleſtis ianua, & ſancti patres ex inferno educti ſunt. Atque ob eam rem ſancta Eccleſia in Miſſa quam pro Mortuis

Ioan. 8.

Matth. 26

celebrat:vtitur illis verbis,*Signifer ſanctus Michael repræſentet eas in lucem ſanctam,quam olim Abræ promiſiſti & ſemini eius.*Id vero ex hoc loco Geneſis ſumptum eſſe dubitari non poteſt.

Quarta ſententia : tam huius loci, quam aliorum complurium ſcripturæ locorũ, in quibus huiuſmodi promiſſa bonorum temporalium exponuntur,duplicem eſſe literalem ſenſum:vnum magis principalem de bonis ſpiritualibus & æternis,hæc enim principalius à DEO intenduntur: alterum minus principalem de bonis temporalibus, quæ non aliter intenduntur à DEO,niſi vt quaſi manu ducunt ad notitiã & amorem æternorum. Et hoc quidem documentum Lyranus putat conducere plurimũ ad multa diuinę ſcripturę loca ſciẽter intelligẽda, & recte interpretanda.Atque hæc ſunt à Lyrano diſputata & literis prodita.

Auctoris ſententia,& animaduerſio in opinionẽ Lyrani.

EGO in hac quadripartita Lyrani ſententia & doctrina quid probem aut improbẽ, manifeſtum faciam Lectori ex paucis quæ hic ſubiiciam. Principio, equidem cenſeo promiſſum illud DEI de multiplicatione ſeminis Abræ inſtar ſtellarum, intelligi debere ſecundum ſenſum literalem de corporali propagatione & multiplicatione poſteritatis eius;non autem vt iſtis auctoribus placuit,de cæleſti gloria & vita æterna ipſi Abræ & ſemini eius tribuenda. Etenim ſitne aliquis ſenſus literalis alicuius loci ſcripturæ nec ne, tribus ex rebus ſpectari & iudicari debet:primo ex verbis eius proprie & ſecundum vulgatam eorum ſignificationem acceptis;ſic enim definitur ſenſus literalis,quem verba reddunt proprie accepta. Deinde perpenditur ex antecedentibus eius loci & conſequentibus;non enim verba conſideranda ſunt ſeorſum, & auulſa à contextu totius orationis,ſed vt connexa & contexta ſunt cum iis quæ antecedunt & ſubſequuntur. Illud demum etiam valet plurimum ad iudicium faciendum de ſenſu literali, vt ſi talis ſenſus certi cuiuſdam loci Scripturæ,in aliis eiuſdem ſcripturæ locis ſignificetur & commemoretur tanquam literalis.

Vnde iudicari debeat quiſnam ſit ſenſus literalis.

Hæc autem tria concurrunt & conueniunt in eum ſenſum,quem literalẽ eſſe dixi illius diuini promiſſi de multiplicatione ſeminis Abræ. Quid enim verba illa DEI, *Numera ſtellas ſi potes ; ſic erit ſemen tuum*, ſi proprie ſumantur,quid, inquam,aliud ſignificant,niſi ſemen tuum erit innumerabile,quemadmodum ſtellæ ſunt innumerabiles ? Vocabulum autem Seminis,cum agitur de generatione hominis, proprie ſignificat carnalem prolem & corporalem poſteritatem. Sic enim poſitum eſt in hoc libro non ſemel ante hunc locum, vt Geneſis 3. *Inimicitias ponam inter ſemen tuum & ſemen mulieris* ; & Geneſ. 4. *Poſuit mihi* DEVS *ſemen aliud pro Abel*,& Geneſ. 12.*Semini tuo dabo terram hanc* & Geneſ. 13. *Faciam ſemen tuum ſicut puluerem terræ*,& proxime ante hunc locum: *Mihi autem non dediſti ſemen*.Nec non etiam poſt hunc locum in hoc ipſo capite 15. bis nominatur ſemen Abræ;& vtroque loco ponitur pro corporali poſteritate.

Iam vero cõparatio ſeminis Abræ cum ſtellis,non fit hoc loco quantum ad claritatem lucis ſtellarum, nec ordinem & conſtantiam motus, nec

nec altitudinem loci,nec præſtantiam virtutis & potentiæ ; quæ res ſimilitudinem quandam habent æternæ vitæ ac cæleſtis gloriæ : ſed in ſola multitudine fit comparatio inter ſtellas & ſemen Abræ : idque declarant expreſſe verba illa DEI:*Numera ſtellas ſi potes,ſic erit ſemen tuum.* Quid eſt.n.illud(ſic)hoc nempe:ſicut ſtellæ numerari non poſſunt ; ita nec ſemen tuum præ multitudine. Iam verò ſi animum referat Lector ad proxime antecedentia hunc locum, idem plane comperiet. Dixit enim Abram DEO,*Ego vadã abſque liberis, & vernaculus meus hæres meus erit : mihi autem non dediſti ſemen.* Videns igitur DEVS Abram cupidiſſimum prolis,ſimulque valde anxium, & pene deſperantem voti ſui effectum; voluit eum conſolari & confirmare certiſſimo promiſſo non modo futuræ prolis,ſed etiam tantæ prolis,vt multitudine cum numero ſtellarum comparanda foret.Sicut igitur Abram cupidus erat prolis carnalis,non autem ſpiritualis,& de ea maxime ſolicitus & anxius erat: ſic promiſſionem DEI,qua eius ſolitudo & anxietas ſublata eſt, pertinuiſſe neceſſe eſt ad carnalem prolem & poſteritatem Abræ.

Ea porrò quæ proxime ſubſequuntur hunc locum,fidem adiungunt huic ſententiæ. Similiter enim continent promiſſa DEI corporalia ad poſteritatem corporalem Abræ pertinentia:vt eſt illud:*Gentem cui ſeruituri ſunt*(poſteri tui)*ego iudicabo, & poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia:generatione autem quarta reuertentur huc.*Et illud:*Et ſemini tuo dabo terram hanc à fluuio Aegypti vſque ad fluuium magnum Euphratem.* Quid multa?hunc eſſe literalem ſenſum illius diuini promiſsi,liquido Lector diſpiciet,ſi attendat ad verba Moſis quæ ſunt in Deuteronomio. Alloquens enim Moſes Hebræos, affirmat eos iam eo tempore multiplicatos eſſe tanquam ſtellas cæli : haud dubie ſpectans ad DEI promiſſum hoc loco datum Abræ.Nec loquitur Moſes de iis tantum Hebræis,qui erant ſemen Abræ non modo ſecundum carnem, verum etiam ſecundum ſpiritum, id eſt, de piis & iuſtis: ſed in vniuerſum de populo Hebræo ex bonis mixto atque improbis.Verba Moſis ita ſe habent:*Dominus* DEVS *multiplicauit vos, & eſtis hodie ſicut ſtellæ cæli,plurimi.* & infra: *In ſeptuaginta animabus deſcenderunt patres tui in Aegyptum : & ecce nunc multiplicauit te Dominus* DEVS *tuus ſicut aſtra cæli.* Apparet igitur promiſſum DEI de ſemine Abrę ſtellarũ inſtar multiplicãdo, ſecundũ literalẽ ſenſũ eſſe de carnali ſemine, & corporali eius poſteritate intelligendũ.

Deuter. 2. & 10.

21 ILLVD præterea ſine dubitatione dixerim, promiſſum DEI de multiplicatione ſeminis Abræ,non ſolum pertinuiſſe ad multiplicationem ſeminis carnalis;ſed etiã,immo multo magis,ad multitudinem ſeminis ſpiritualis,id eſt,ad omnes fideles,& iuſtos deinceps futuros,præſertim autẽ in Nouo Teſtamento,ſiue genere Hebræos, ſiue Gentiles. Hi autem ſemen & filij Abræ appellantur, quòd fidem & pietatem Abræ imitaturi ac ſectaturi eſſent, & credituri in illud benedictum ſemen Abræ, in quo benedicendæ erant omnes gentes : Atque iſti filij Abræ ſecundum fidem & ſpiritum,pauci ex Iudæis, ex Gentibus plurimi erant futuri. Et hoc ſignificare voluit Sanctus Ioannes Baptiſta

Multiplicationem ſeminis Abrę, intelligendã eſſe de ſemine ſpirituali,non tamen ſecundum literalẽ ſenſum, ſed myſticũ.

illis verbis: *Ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham: dico enim vobis quoniam potens est* DEVS *de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Sapienter igitur B. Paulus facit duplex semen Abræ: & vnum vocat semen Abrę secundum carnem, secundum circumcisionem, secundum legem: alterum vero secundum DEVM, secundum spiritum, secundum promissionem. Similiter distinguit duplicem Circumcisionem, vnam carnis & literæ, alteram cordis & spiritus: duplicem quoque Iudaismum, alterum manifestum & honoratum ab hominibus; alterum occultum, cuius laus non ex hominibus, sed ex DEO est.

Genes. 12. & 22. Matth. 3. Ad Ro. 9. Ad Ro. 2.

Quocirca libere idem profitetur & contestatur, non omnes qui ex Israel sunt, eos Israelitas esse; nec quicumque semen Abrahæ sunt, eos omnes esse filios Abræ; id est, non omnes qui filij carnis sunt, hos esse filios DEI: sed qui filij sunt promissionis, æstimari eos in semine. Hoc porrò spirituale semen Abræ fuisse innumerabile futurum, res ipsa declarauit. Siquidem tale semen partim ex Hebræis, partim ex Gentibus collectum est; sed ex illis perexiguum, ex his innumerabile. Hoc in visione quadam patefactum est B. Ioanni; ostensus enim est numerus prędestinatorum ex omni tribu Israel, mystice signatus numero centum quadraginta quatuor millium. At de numero Electorum ex populo Gentili, demonstrata est turba magna quã dinumerare nemo poterat.

Ad Ro. 9.

Apoc. 7.

Quod autem illud DEI promissum pertinuerit ad huiusmodi semen spirituale, fas non est ambigere; id nempe clarissimis verbis testificatus est B. Paulus. Disputans enim super his verbis quæ sunt hoc loco; *Credidit Abram* DEO *& reputatum est ei ad iustitiam*, ait fidem tunc ei reputatam esse ad iustitiam, cum necdum circumcisus fuisset, sed haberet adhuc præputium, vt pater fieret omnium credentium, non eorum tantum qui essent è circumcisione; sed & eorum omnium qui sectarentur vestigia fidei, quam Abram, adhuc præputiatus, habuerat. Nimirum ob hoc dictum est ei; *quia patrem multarum gentium posui te*, qui contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium, sicut dictum est ei: *Sic erit semẽ tuum sicut stellæ cæli, & arena maris.* Ex hac oratione & disputatione B. Pauli plane intelligitur, promissum illud DEI de multiplicatione seminis Abræ, ad semen spirituale, id est, ad omnes quotquot futuri essent fidei, & pietatis Abræ imitatores & sectatores pertinuisse. Quoniam verò huiusmodi semen spirituale prædestinatum à DEO est ad percipiendam vitam æternam, idcirco vere dixit Augustinus, illo DEI promisso fuisse promissam Abræ posteritatem cæli felicitate sublimem: & ad id significandum facere similitudinem stellarum, propter sublimitatem, splendorẽ, incorruptibilitatem, & disparẽ lucis claritatẽ.

Ad Ro. 4.

Genes. 17.

SED quæret aliquis vtro sensu promissum illud Abræ pertineat ad semen eius spirituale; sensu ne literali, an mystico & allegorico? Verum facilis est & prompta responsio: non enim secundum sensum literalem, sed secundum mysticum & allegoricum conuenit in spirituale semen Abræ. Quod ego videor mihi euidenter argumentari posse ad hunc modum: Illud Dei promissum pertinuit ad spirituale semen Abræ: sed non

22

non conuenit ei secundum sensum literalem, ergo secundum allegoricum modo & mysticum sensum conuenire necesse est. Maior huius syllogismi paulo ante B. Pauli auctoritate firmata est. Minor autem certam fidem habet ex definitione sensus literalis à nobis exposita. Nam & verba quibus hoc promissum expressum est, si proprie sumantur, & ea quæ hoc loco antecedunt promissum DEI & subsequuntur, sentire nos & fateri cogunt promissum illud de semine carnali secundum historiam, de spirituali autem semine secundum allegoriam intelligi oportere. Fallax igitur est illud Lyrani documentum, licet ei atque aliis quibusdam visum sit multo verissimum: eorum locorum Scripturæ, in quibus memorantur à DEO promissa bona temporalia pro benefactis hominum, duplicem esse literalem sensum; vnum quidem minus principalem de bonis temporalibus: alterum vero magis principalem de bonis æternis, ad quorum notitiam & amorem ducunt bona temporalia. Hoc, inquam, documentum, siue præceptum Lyrani, non dubitãs dixerim esse falsum. Cum enim sensus literalis sit quem reddunt verba proprie sumpta, & cum antecedentibus & sequentibus cõnexa; nec fieri possit vt eadem verba eodem loco proprie significent terrena bona simul & cælestia, corporalia & spiritualia; necesse profecto est, vt literali sensu significent terrena & corporalia, allegorico autem spiritualia & cælestia; quatenus videlicet temporalia bona vmbram quandam & imaginem ferunt æternorum.

23 Nisi forte bona terrena quæ à DEO promittuntur, talia & tãta sint, vt nisi sub nomine illorum bonorum, spiritualia & cælestia bona intelligantur, nec veram sententiam ea promissa, nec verum euentum effectumque habere possint. Tunc enim verba de bonis illis terrenis, non proprie & secundum sensum literalem, sed figurate dicta sunt, ea ratione, vt bona terrena similitudine & repręsentatione quadam ducunt in cognitionem bonorum cælestium. Ponam vnum & alterum ex sacra scriptura exemplum. Senior Tobias mira vaticinatur de futura vrbis Hierusalem magnificentia: *Portæ*, inquit, *Hierusalẽ ex saphiro & smaragdo ædificabuntur; & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius.* Idem paulo antea vaticinatus fuerat Isaias illis verbis: *Ecce ego sternam per ordines lapides tuos, & fundabo te in saphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* His adde quæ Ioannes scribit de structura nouæ ciuitatis Hierusalem, de portis, fundamentis, de ambitu, & altitudine eius. Hæc omnia prædicta de Hierusalem, satis liquet in Iudaicam illam & terrestrem Hierusalem minime conuenire: quare interpretanda sunt de spirituali aut cælesti Hierusalem, id est, vel de Ecclesia euangelica, vel de cælesti sanctorum societate & felicitate. Nec est sensus literalis is, quem reddunt verba illa proprie sumpta; sed quem figurate accepta insinuant.

Tobiæ 13. *Isaiæ 54.* *Apoc. 21.*

Alterum exẽplum est illud apud Isaiam: *Habitabit Lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: vitulus & Leo & ouis simul morabuntur, & puer*

Isaiæ 12.

paruulus minabit eos. Vitulus & vrsus pascentur: simul requiescent catuli eorum:& Leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis:& in cauerna reguli,qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.Non nocebunt & non occident in vniuerso monte sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini, tanquam aquæ maris operientes. Quis non videt, quæ hic vaticinatus est Isaias de animalium maxime dissidentium,tam inter se,quàm cum homine, futura aliquando societate & concordia; ea secundum propriam verborum significationem, esse incredibilia, cum nec facta vnquam sint,nec factum iri sperentur?Necesse igitur est sensum literalem eius vaticinij eum esse,quem figurate ac per allegoriam sumpta verba reddunt.

Anis iudicãdus sit esse literalis sensus qui principalius à Spiritu sancto intentus est.

AT enimuero huic nostræ opinioni Lyranus & Thostatus illud obiiciunt: bona æterna longe potiora atque præstantiora esse temporalibus,eoque potissimum à DEO spectata esse & intenta: quare diuina promissa quibus vtraque bona significantur,principalius secundum literalem sensum interpretanda & intelligenda esse de bonis æternis;siquidem is debet censeri sensus literalis alicuius loci, qui eo in loco principaliter intentus est à SPIRITV Sancto. 24

Sed auctores isti,licet ad alia plurima perspicaces,hic tamen minime viderunt in quo præcipue ac proprie vis & natura, ratioque & definitio sensus literalis posita sit.Definitur enim sensus literalis, quem reddunt verba ipsa proprie sumpta (si tamen propria fuerint, nec sit figurata locutio) & cum antecedentibus atque consequentibus connexa. Nam si principalis sensus literalis,is tantum iudicari debet qui principaliter à SPIRITV Sancto intentus est;nemini exploratum esse poterit, quis in scriptura principaliter sit literalis sensus:dũ nemini compertum sit,quem sensum principaliter intendat SPIRITVS Sanctus, nisi cui SPIRITVS ipse reuelauerit,aut de quo expresse proditum sit in Sacris literis.Quid,quod ex istorum sententia,nullus plane sensus mysticus esset in veteri Testamento?Etenim si sensus omnis principaliter intentus à SPIRITV Sancto censeri debet literalis;cum sensus qui habentur, & verè sunt mystici, sint à SPIRITV Sancto principaliter intenti:sunt enim de rebus præstantissimis, maximeque intentis à DEO,id est,ad CHRISTVM Dominũ,ad Ecclesiam eius, ad bona spiritualia & æterna pertinentibus:necessariò efficitur,nullum eorum sensuũ esse mysticũ, sed eos omnes iudicari oportere literales.

Vtilis obseruatio de origine sensus literalis & mystici.

VERVM quo apertius & certius sit, quod aduersus istos auctores hoc loco docere ac persuadere volumus,addemus quiddam iis quæ dicta sunt, magna dignum obseruatione. Sæpe diuina Scriptura narrat rem quampiã in Veteri Testamẽto gestam,quæ alterius rei figura est in Nouo Testamento gerendæ:exẽpli causa;describit securum Hebræorum transitum per Mare rubrum, hostibus eorum Aegyptiis in eo demersis:hoc autem mystice Christianũ baptismũ præfigurauit;plurimaque huius generis animaduertere est in Veteri Testamento.In huiusmodi porrò narrationibus duplex significatus aduertẽdus & distin- 25

guendus

guendus est;vnus verbalis,alter realis: Sic enim ad præsens, docendi causa,loqui iuuat.Verbalem significatum appello,quem narratio verbis suis proprie sumptis proxime reddit;vt in superiori exẽplo, trãsitus Hebræorum per Mare Rubrum, est verbalis significatus illius narrationis. Et hic quidem verbalis significatus, vbique continet sensum literalem;nisi fortè narratio ipsa sit allegorica,vel parabolica, vel alio quouis modo figurata.Realem vero significatum appello rem in Nouo Testamento gerendam, cuius signum & figura fuit alia quæpiam res gesta in veteri Testamento; vt est Christianus baptismus illo transitu Hebræorum per Mare rubrum significatus & præfiguratus. Ac talis quidem significatus Realis fert sensum mysticum:sicut enim verba significantia res ipsas,pariunt sensum literalem; ita res verbis significatæ,dum alias res similiter ipsæ significant, procreant sensus mysticos. Ergo literalis sensus ex verborum significatione efficitur;mysticus, ex rerum significatione oritur.

Iam vero vterque sensus tã literalis quàm mysticus,in suo quisq;genere principaliter à DEO intẽtus est:ille,vt verbalis;hic,vt realis:ille,vt historicus siue literalis:hic,vt spiritualis siue mysticus. Quãquam si fit inter eos cõparatio,haud inficior, impendio magis esse intentũ à DEO mysticum & spiritualẽ, vt qui ad res fere nobiliores & præstabiliores spectet.Omnia enim Iudæis in figura cõtingebant;sic Rempublicã suã in terris ordinãte DEO,vt imperfectus status veteris Testamẽti, vmbrã quandam & imaginẽ prẽferret perfectissimi status Noui Testamenti. Verissima enim B.Pauli sentẽtia est,Legẽ Mosis vmbrã habuisse futurorum bonorũ, nõ ipsam imaginẽ rerũ. Itaque quod Paulus dixit cõmemorans illud DEI prẽceptũ: *Non alligabis os boui trituranti*, id ipsum similiter per alia multa trãsferri potest:*Nũquid*,ait Paulus, DEO *cura est de bobus? An propter nos vtique hoc dicit?Nã propter nos scripta sunt.*Nõ negat Paulus boues curę esse DEO,nec abnuit prẽceptũ illud DEI proxime ac secundũ historicũ sensum pertinuisse ad boues: sed docere nos voluit,sub figura & imagine bouis triturantis, significatos esse prædicatores euangelicos, eosque qui in erudiẽdis atque instruẽdis populis elaborant:quorũ DEVS potiorẽ atq; insigniorẽ,quàm boũ, curã gerit: & ab iis,quorũ illi seruiũt & desudãt vtilitati,ali eos ac sustentari vult. 1. ad Cor. 10. Ad Heb. 9. 1. ad Cor. 9. Deut. 25.

26 NEC firma sanè Lyranus ratione vtitur,cũ persuadere cõtendit,diuina promissa bonorũ temporaliũ in Veteri Testamento, principalius secundum literalẽ sensum significare bona æterna,quàm ipsa tẽporalia. Hoc ita Lyranus argumẽtatur:Promissum à DEO prẽmiũ homini pro actu aliquo virtutis meritorio,maius quid & melius opere ipso esse debet;certe minus esse nõ debet.At quodlibet bonũ tẽporale,quantumcumque fuerit,longe minus est vel minimo actu meritorio. Cũ igitur DEVS pro benefactis hominũ promittit eis bona tẽporalia,necesse est intelligere ac fateri principalius esse promissa bona ęterna.Sic Lyranus Soluitur ratio Lyrani.

Ast ego eius argumentationẽ infirmã & leuẽ duco.Nam vt dem,in diuinis promissionibus bonorum temporalium,principalius esse promissa

missa bona æterna:nunquam tamen concedam,ea bona intelligi promissa secundum sensum literalem,sed mysticum & spiritualem. Verba namque diuinarum illarum promissionum proprie significant bona temporalia;æterna vero non significant,nisi figurate. Deinde non promittit DEVS bonum temporale tanquam iustam mercedem operis meritorij;sed tanquam præmium quoddam accidentarium; quod etsi per se non magni faciendum, nec valde optandum est; propterea tamen à DEO sæpe promissum est,quod imperfectorum hominum quales erant in veteri Testamento, ad huiusmodi bona terrena procliuis admodum sit animus,propensumque studiũ. Sicut enim illi cælestium bonorum amore minime ardent: ita terrenarum rerum desiderio & cupiditate deflagrant. Quoniam igitur huiusmodi bona Hebræi vehementer concupiscebant;idcirco promitti sibi ea,& præberi à DEO, pro magno habebant,atque in summi ducebant beneficij loco.

Quibus rebus semen Abrę carnale,id est,Hebræi, figura fuerint seminis spiritualis,ideſt, Christianorum.

REST AT ceu clausula huius Disputationis,vt qua diximus carnale semen Abræ figuram fuisse seminis spiritualis; & quod promissum de illo est secundum literam,id multo magis secundum figuram & mysterium de hoc fuisse promissum: dicamus deinceps, quemadmodum semen illud carnale,figura quædam fuerit seminis spiritualis. Equidem multa possum in medium proferre,quibus carnales filij Abrę,spiritualium filiorum insignem ac luculentam prætulerint figuram. Primò quidem quantum ad numerosissimam eorum multiplicationem;sicut ait Dauid: *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.* Secundo, quantum ad durissimam eorum vexationem & afflictionem in Aegypto. Tertio, quantum ad securum & felicem transitum per mare rubrum demersis illic Aegyptiis. Quarto,quantum ad manna cælitus datum,quo alti sunt, dum fuere in deserto. Quinto, quantum ad potum aquæ ex petra, quam Moses percussit, mirabiliter scaturientis. Sexto, quantum ad serpentem æneum in deserto à Mose exaltatum, quem aspicientes,quicumque morsi fuerant à serpentibus,illico sanabantur. Septimo, quantum ad quadraginta annorum peregrinationem in deserto in variis tentationibus & periculis, simulque maximis DEI beneficiis,prægrediente semper tanquã indice ac duce itineris, columna nubis atque ignis. Octauo, quantum ad introductionem Hebræorum in terram Promissionis,non ductu & ope Moysis,sed IESV filij Naue. Non enim per legem Moysis,sed per gratiam IESV CHRISTI introducendi erant homines in beatam illam terram viuentium. Postremò, quantum ad bona temporalia promissa Iudæis legem DEI custodientibus;quæ adumbrabant bona cælestia & æterna, promittenda in Nouo Testamento & per CHRISTVM præstanda, sicut Paulus dixit: *Vmbram habens lex futurorum bonorum.* Ergo promissa temporalium bonorum in veteri Testamento, adumbrabant quidem bona cælestia Noui Testamenti;non tamen ea significabant secundum literalem sensum,sed in figura tantum,& velut sub quadam imagine, & secundum mysticum siue allegoricum sensum.

28

Exodi.1.

Infra 14. Exod.16.

Infra 17. Deut.21. Exod.16. Exod.11.

Ad Hebr.10.

Audiat

29 Audiat Lector Augustinum diserte super ea ipsa re ita disputantem; Temporalium quidem rerum promissiones veteri Testamento contineri,& ideo vetus Testamentum appellari,nemo nostrum ambigit: & quod æternæ vitæ promissio, regnumque cælorum ad Nouum pertinet Testamentum. Sed in illis temporalibus figuras fuisse futurorum, quæ implerentur à nobis, in quos venit finis seculorum, non suspicio mea,sed Apostolicus intellectus est, dicente Paulo, cum de talibus loqueretur: *Hæc omnia,figura nostri fuerunt:* Et iterũ: *Hæc omnia in figura contingebãt illis,scripta sunt autem propter nos,in quos finis seculorũ deuenit.* Non ergo Vetus Testamentum ad consequendas illas promissiones, sed ad intelligendas in eis Noui Testamenti prænunciationes accipimus. Veteris quippe testificatio fidem Nouo conciliat. Non itaque spes nostra in temporalium rerum promissione defixa est, quandoquidẽ nec ipsos illius temporis sanctos viros,Patriarchas & Prophetas hisce rebus terrenis fuisse deditos credimus. Intelligebant enim reuelante sibi Spiritu DEI,quid tempori illi congrueret, & quibus modis DEVS per illas res omnes gestas & dictas,futura figurãda & prænuntianda decerneret; magisque desideriũ eorũ de Nouo Testamẽto erat:sed præsens functio corporis ad significanda bona ventura pollicitationibus veteribus præbebatur. Ita illorum hominum non tantum lingua, sed & vita prophetica fuit, Carnalis autẽ populus promissis vitæ præsentis inhærebat. De quo tamen etiam populo nihilominus futura significabãtur. Hactenus ex Augustino. Ostendimus igitur,carnale semẽ Abræ,quibus rebus spiritalis seminis figura fuerit. Nec difficile est legenti sacras literas,præter hic cõmemorata, alia id genus permulta colligere,ex quibus similitudo vtriusque seminis Abræ euidenter extat & apparet.

Augusti.li.4 contra Faustam cap. 2.

1. ad Cor.10 Ibidem.

Credidit Abram DEO, *& reputatum est illi ad iustitiam.*

30 QVEMADMODVM singularis & eximia fuit DEI munificẽtia, amplissima & præclarissima bona Abramo promittentis: ita quoque admiranda fuit atque omnibus seculis prædicanda fides Abræ,diuinis promissis,si humana ratione æstimarentur,plane incredibilibus, nulla cunctatione ac dubitatione, summa religione, firmissimaq; animi constantia credentis. Meritò igitur luculento illo Mosis præconio laudatus & honoratus est: *Credidit Abram* DEO, *& reputatum est illi ad iustitiam.* Quam sententiam perpendens B. Hilarius;& excellentem Abræ fidem demirans,in laudem eius his verbis prorupit: Iustũ, inquit,fides consumat; scriptum est enim: *Credidit Abram* DEO, *& reputatum est illi ad iustitiã.* Nunquid Abram calumniatus est DEO, cum ei hæreditatẽ Gentium, & secundum stellarum & arenæ multitudinem,sobolis numerositatem pollicebatur? De omnipotẽtia enim DEI fides religiosa nõ ambigens,

B. Hilarius libr. 10. De Trinitate.

humanæ infirmitatis non est detenta impedimentis ; sed in se id quod erat caducum terrenumque despiciens, diuinæ sponsionis fidem vltra modum corporeæ constitutionis excepit: quia nequaquam DEI virtutem lex possit humana moderari, tantũ in efficiendo potestatis DEO promente, quantum in spondendo ostẽderat voluntatis. Nihil igitur fide iustius est; nam cum æquitas & moderatio in humanis actibus sit probabilis; nihil tamen iustius homini est, quàm Omnipotẽtiam DEI, indefinitæ potestatis intelligentia credidisse. Sic Hilarius.

Ambrosius lib. 1. De Abraham, cap. 3.

Ambrosius verò eandem Abræ fidei excellentiam magnificans, ita scribit: Quid credidit Abram DEO, quare tantopere laudatus sit (Credidit itaque CHRISTVM sibi, per susceptionem corporis, hæredem futurum. Et vt scias hoc eum credidisse, Dominus dixit, *Abraham diem meum vidit, & gauisus est.* Ideo reputatum est illi ad iustitiam, quia rationem non quæsiuit, sed promptissima fide credidit. Bonum est vt rationem præueniat fides, ne vt ab homine, sic à Domino DEO rationem videamur exigere. Etenim quam indignum est vt humanis testimoniis de alio credamus, DEI oraculis de se non credamus? Imitemur ergo Abram, vt hæredes simus terræ viuentium per iustitiam fidei, vt ille hęres factus est mundi. Sic Ambrosius. Verum singulatim huius sententiæ verba excutiamus.

Ioan. 8.

Chaldaicæ paraphrasis hoc loco hæc est ad verbũ sententia: *Et credidit in verbo Domini, & reputauit hoc illi in iustitiam*: Iuxta hebræum, inquit Caietanus, sic est: *Et fecit credere in Iehouah.* Sensus autem est, quod Abram fecit seipsum credere in summo DEO: vt significetur voluntarie eum credidisse DEO. Tale enim credere, est donum DEI: non autem credere ex sola euidentia testimoniorum; sic enim Dæmones quoque credunt & contremiscunt. Quantum autem sit donum hoc, non solum apparet ex relatione ad incredulos, vt eos qui viderunt Lazarum resuscitatum à Christo, nec ei tamen crediderunt: sed etiam relatiue ad Zachariam patrem Ioannis Baptistæ, qui vigilando vidit & audiuit Angelum loquentem sibi, nec ei credidit. Non dicit autem Moses, credidisse Abram DEO, sed in DEO, hoc enim plus est. Nam credere DEO, est fidem habere verbis eius, vt veracibus. Credere autem in DEO, addit insuper fiduciam in DEO. Itaque non solum Abram credidit vera fore DEI promissa sibi data, sed etiam innixus est DEO, ac se totum proiecit in eum, certissime sperans adimpleturum eum quæcumque promiserat. Hic actus credendi Abræ, an factus ab eo sit in illa Visione, an post illam, perspicuum non est. Verum si visio illa fuit in somno, intelligendum est postquam euigilasset Abram, actum illum credendi edidisse. Siquidem in dormiendo non meremur; at credere illud Abræ, tanquam magni meriti, & à Mose hoc loco, & à Paulo in Epistola ad Romanos prædicatur. Hactenus ex Caietano.

Iacobi 2.

Ioan. 11.

Luc. 1.

Ad Ro. 4.

Caietanus.

31

An differãt credere DEO, & Credere in Deo siue in Deum.

SED enim quod Caietanus dixit de differentia inter Credere DEO, & credere in DEO, non deducitur ex proprietate & consuetudine linguæ hebrææ. Non inficior hic esse in hebræo: *Et credidit Abram in* DEO

DEO, sed nego, Credere in DEO semper in Sacris literis velaliã vel sublimiorẽ habere significationem quã Credere DEO, quod habet græca & latina translatio. Quod enim Græci & Latini dicunt, Credere alicui, idem omnino significare volentes Hebræi, dicunt, Credere in aliquo, vel in aliquem, vel in nomine, siue in nomen alicuius. Ponã hic breue, sed verum nostri Riberæ documentũ ad id quod nunc agitur spectans: Sciamus, inquit, in Scriptura eadem significatione dici, Credere Petro, & in Petro, & in Petrum: idque patet in subiectis exemplis, Exodi 14. tam græce quàm latine sic est: *Et Crediderunt Domino, & Moysi seruo eius.* at in hebræo est: *Crediderunt in* DEO *& in Moyse seruo eius.* Et cap. 19. eiusdem libri, *Vt audiat me populus loquentẽ ad te, & credat tibi in perpetuũ*; hebraice est: *Et Credat in te.* Ex his apparet, idem esse credere in aliquo, ac credere alicui. Quod autem idẽ quoque sit Credere in aliquẽ, quod, Credere alicui, indicant verba illa DEI, Exodi 4. *Si non crediderint*, inquit, *tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis*, pro quo hebraice est, *Credent in verbum signi sequentis.* Et Psalmo 105. *Non crediderunt verbo eius*; hebraice, *In verbum eius.* Et Isaiæ 53. *Quis credet auditui nostro?* hebraice, *Quis credet in auditum nostrum?* Sic Ribera.

Franciscus Ribera in cap. 3. Iousæ num. 29.

Ego, licet hoc verum sit, & quia non omnibus notum est, minime hic taceri debuerit; de eo tamen verecunde & parce loquor propter B. Augustinum, qui tum alibi, tum Tractatu vigesimo nono in Ioannem; hanc differentiam Credendi DEO, & Credẽdi in DEVM & approbauit ipse, & sua auctoritate multis fecit probabilẽ. Posteriores enim Theologi, vt videre est apud Magistrum Sententiarum Distinctione XXIII. libri 3. aliud esse tradunt Credere DEO, & Credere in DEVM: illud significare, habere fidem DEO dicenti; nam neque falli potest ipse, nec alios fallere: atque hoc modo etiam Dæmones credunt DEO & contremiscunt, vt dixit B. Iacobus. Hoc autem, id est, Credere in DEVM, præter ipsum credere DEO, adiunctum habet, credendo tendere in DEVM, ipsum scilicet amando & colendo. Sic illi.

B. Augustſ.

Magister senten.

Iacob. 2.

Verum hæc sententia, quantum ad rem quæ traditur, vera est; non tamen ex consuetudine linguæ hebrææ, & modo loquendi ipsius Scripturę fuit decerpta. Etenim Scriptura dicit aliquos credidisse in CHRISTVM, qui habebant fidem tantum informem & caritatis expertem. Sic enim legimus apud Ioannem: *Multi ex principibus crediderunt in* IESVM; *sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è Synagoga non eycerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam* DEI. Apud eundem Ioannem Capite V. dixit Dominus, *Qui verbum meum audit, & credit ei qui me misit, habet vitam æternam.* Ecce credere DEO, dictum est de fide perfecta, & quæ per dilectionem operatur, & meretur vitam æternam. Sed maxime illustris est locus ille eiusdem Ioannis in capite quinto primæ Epistolæ, vbi pro eadem re, eademque significatione posuit Credere in FILIVM DEI & Credere FILIO DEI, sic enim scribit: *Qui credit in* FILIVM DEI, *habet testimoniũ* DEI *in se. Qui nõ credit* FILIO, *mendacem facit eum: quia non credit in testimonium quod testificatus est*

Ioan. 12.

DEVS *de Filio suo.* Constat igitur, quod Latini dicunt, credere alicui, id Hebræos prorsus eadem significatione dicere, Credere in aliquo, & in aliquem, & credere in nomine, siue in nomen alicuius. Et Latinus quidem interpres aliquando seruat hunc hebraismum, interdum vero mutat in modum loquendi Latinis vsitatum.

Non igitur communem illam Theologorum distinctionem improbo, quin etiam laudo, & vt ad vsum Theologicæ doctrinæ percommodam, amplector. Sed eam dico non ex modo loquendi sacræ Scripturæ ductam esse, nec inde vim & firmitudinem suæ veritatis habere; sed ex diuersitate quæ est inter actum fidei informis, & actum fidei per caritatem formatæ. Ille namque fidei actus merè speculatiuus est, carens affectu & motu voluntatis per caritatem in Deum: hic autem coniunctus est cum voluntatis per dilectionem motu, & tẽdentia in DEVM; ideoque est actus fidei viuidus, perfectus, & meritum habens æternæ vitæ. Ad hanc igitur actuum vtriusque fidei diuersitatem expressius declarandam, placuit Theologis S. Augustinum sequẽtibus, actum informis fidei erga DEVM, vocare, Credere DEO; actum vero fidei formatę, Credere in DEVM. Semper enim licuit, & licebit semper iis qui graues tractant disciplinas, ad propria cuiusque disciplinæ significantius atque expressius declaranda, communes voces & phrases, peculiariter, prout ex vsu eorum magis fuerit, accommodare. Quare siquis huiusmodi distinctionem & modum loquendi, tam lõginqua Theologorum approbatione vsuque firmatum conuellere tantauerit, is meo iudicio, & frustra laborabit, & faciet imprudẽter nedicam impudenter. sed pergamus ad alia.

Quid sit fidem reputari ad iustitiam.

Et reputatum est illi ad iustitiam. Quænam fides reputata est Abræ ad iustitiam? Ea nempe, quam habuit DEO dicenti, *Hæres tuus erit qui egredietur de vtero tuo*; &, *Numera stellas si potes: sic erit semen tuum.* hoc quia ille prompte, alacriter, religiose, constanter, ac demum firmissimo & deuotissimo assensu credidit; idcirco reputatum est illi ad iustitiam. Sed quid est, reputari illi ad iustitiam? Hoc, scilicet, fuisse Abram per illum & propter illum actum credendi, tanquam ex vera & perfecta iustitia profectum, fuisse, inquam, eum acceptum & gratum DEO: vel fuisse eum iustum coram DEO; ita vt talis actus credendi formatus caritate, vere denominauerit & fecerit iustum Abram coram DEO. & quia actus quilibet verè iustus coram DEO meretur vitam æternam, & quò maior est, maiorem; æstimare licet, quãtum gloriæ cælestis Abram præstantissimo illo actu credendi meritus sit apud DEVM. Nomen autem iustitiæ hoc loco non significat eam quæ quarta numeratur inter virtutes Cardinales; nec primam gratiam, qua ex peccatore quis fit iustus; sed significat probitatem, integritatem, &, vt verbo dicam, virtutẽ omnibus expletã partibus atque omnibus numeris absolutam.

Eadem laus iustitiæ, eisdem penè verbis expressa, non ob fidem, vt Abræ, sed ob zelum honoris DEI, tributa fuit Phinees, Eleazari pontificis Hebræorũ filio. *Et stetit Phinees*, inquit Dauid, *& placauit, & cessauit quassa-*

Psal. 105. *Num.* 25.

tio. Et reputatum est ei in iustitiam in generationem, & generationem vsque in sempiternum. Qui locus euidẽter prodit & arguit inscitiam Hæreticorum: qui argumentantur nos per solam & nudam fidem iustificari coram DEO, quia dictum est: *Abram credidit* DEO, *& reputatum est illi ad iustitiam.* At enim de Phinees quoque idem est dictum; non quidem propter fidem, sed propter cædem Hebræi & Madianitidis, quam ille fecit zelo DEI honoris inflammatus, vt tantam DEI iniuriam vlciscereturr, & cladem populi sui auerteret, fœdissimumque Hebræi nominis dedecus & opprobrium aboleret.

Psal. 105. *Num.* 25.

SED hic aduertendum est, pro illo, *reputatum est illi ad iustitiam*, Hebraice sic esse ad verbum, *reputauit illi iustitiã*, vel, *reputauit sibi iustitiam.* Nam Hebræa dictio (Lo) vtrũque significare potest, tam sibi, quàm illi. Apud Hebræos enim non est vsus pro nominum reciprocorum. Et Latini quidem distinguũt hæc, *reputauit illi iustitiã*, & *reputauit sibi iustitiam.* Apud Hebræos tamen ea distinctio nulla est. Quapropter Latinus interpres Hebraicæ locutioni seruiens, promiscue vsurpat pronomina illa, suus, ille, ipse, & is, indifferenter dicens, animam suam, & animam eius: vt psalmo 24. *Libera* DEVS *Israel ex omnibus tribulationibus suis.* At Psalmo 129. *ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.* Cum tamen vtrumque eodem pronomine dictum sit Hebraice.

Apud Hebræos non est vsus reciprocorum nominum.

Admonet autem Oleaster, ex his verbis secundum Hebræam lectionem, duplicem sensum elici posse, vtrumque sanè verum ac pium. Nam si suppositum illius verbi (reputauit) intelligatur esse Abram; & pro illo pronomine (illi) legatur (sibi) vtroque enim modo, vt diximus, dictio Hebræa (Lo) verti potest: vt ita hæc sententia legatur: *Credidit Abram* DEO: *& ipse reputauit hoc sibi iustitiam*, huius lectionis hic erit sensus: Et si quod DEVS promisit Abræ, videbatur esse secundum rationem humanam incredibile, & secundum naturam impossibile; attamen id promptissime credidit Abram. Etenim se DEO quodlibet dicenti credere, rectum sibi & iustum reputauit. Quemadmodum enim prudentis est, non facile credere homini, siquidem verè dictum à quodam est: *Qui credit cito, leuis corde est*, DEO tamen qui non mutatur vt homo, nec mentitur vt filius hominis, & apud quem non est impossibile omne verbum; quidquid dixerit, protinus ei fidem habere pij, & iusti, ac sapientis viri officium est. At verò si suppositum illius verbi (reputauit) non Abram intelligatur, sed DEVS; & ita legatur hæc sententia, *Credidit Abram* DEO: *&* DEVS *hoc illi reputauit ad iustitiam*, existet alter huius loci sensus: Quoniam Abram rem humano sensu incredibilem atque impossibilem, solo diuinæ auctoritatis respectu sine vlla cunctatione aut dubitatione credidit; propter ea DEVS eam fidem ei ad perfectæ iustitiæ laudem & meritum imputauit.

Oleaster.

Eccles. 19. *Num.* 23. *Luca.* 1.

Atque hæc lectio non solũ priori anteferenda est, sed omnino etiam amplectenda. Hanc quippe lectionem refert translatio LXX. Interpretum; quam & B. Paulus in quarto capite Epistolæ ad Romanos, & Latinus interpres hoc loco secuti sunt. Certe mos est Hebræorum, non

nunquam præteritum actiuum ponere pro passiuo;vt Michææ 1.sic est hebraice:*De mercede meretricis congregauit.* Sed latinus interpres intelligens illud præteritũ actiuũ(Congregauit)habere vim passiui,ita vertit: *Quæ de mercede meretricis congregatasunt* ; Similiter in hebræa lectione huius loci; *Et reputauit hoc illi iustitiam,*tã LXX. Interpretes & S.Paulus, quam latinus interpres intellexerunt, illud præteritum actiuum(reputauit)habere vim præteriti passiui (reputatum est.) Quapropter bene verterunt:*& reputatum est*(scilicet à DEO) *hoc illi* (Abræ nimirum) *ad iustitiam.*

Philo in libro qui inscribitur, Quis rerum diuinarum sit hæres.

VERVM quia Philo hanc Mosis sententiam diserte admodum & 35
sapienter tractat, faciendum mihi esse duxi, quo gratificer Lectori, hìc eius non modo sententias, sed verba etiam apponere. Cum enim ille dixisset, animæ oculum, id est mentem, tantum corporeis oculis præstare,quantum lux Solis candelæ lumen antecellit;subdit hæc:Propterea in diuinis libris de Abram magna cum eius laude dictum est: *Credidit Abram* DEO *& reputatum est illi ad iustitiam.*Verum dicat fortasse aliquis:hoccine laude dignum iudicas?quis DEO loquẽti & pollicenti fidem non haberet, etiam si omnium mortalium esset iniustissimus? Huic respondebimus:Caue,ô bone vir,ne temere aut illum sapientem fraudes suis laudibus, aut indignis perfectissimã fidei virtutem tribuas, aut nostram super hac re incuses sententiam.Nam si rem ipsam non in superficie tantum cernere, sed penitius scrutari volueris ; comperies quam difficile sit soli DEO credere,renitente sensu,natura,ipsa etiam ratione prauis opinionibus occupata. Nimirum res mortales quibus circumdati sumus,suadẽt nobis,vt credamus & fidamus gloriæ,potentiæ, amicis, sanitati,& corporis robori, nostræque in primis prudentiæ ; ne certa incertis,præsentia futuris commutemus; neve,quod vetamur veteri prouerbio,spem pretio emamus. Has persuasiones penitus ex animo eluere,nulli creaturæ fidere,sed in solo DEO omnes suas & spes & opes habere collocatas,ex eoque totum,mente animoque pendere, res est animi magni & cælestis , nec inescati captique rebus terrenis.Idcirco fidei Abræ meritum & præconium subiungens Moses , dixit fidem illam fuisse imputatam Abræ ad iustitiã.Nihil enim tam iustum, quàm sincera fide credere DEO. Et quamuis id iustissimum sit, maximeque consentaneum naturæ ; insipienti tamen vulgo admirandum videtur. &c.Sic eo loco Philo.

Præclara Philonis sententia.

Idem in libro de Abram ad hunc modum scribit:Extat in sacris literis præclarum Abrahami elogium,testatũ Mosis oracuIo: dicitur enim credidisse DEO. Id , vt est dictu breuissimum , ita factu maximum est. Cui enim præter DEVM credere,aut iustum,aut tutum est? an principatui?an gloriæ?an diuitijs & nobilitati?an corporis bonis?Atqui omnis principatus res est lubrica , & innumeris insidiatoribus obnoxia. Rarò cõualescere & firmari potest,nec sine multis acceptis & illatis calamitatibus. Quid honores & gloria,plusne habent firmitatis?Minime;incertissima enim eorum possessio est, pendens ex moribus & rumoribus leuium

leuium atque improborum hominum. Diuitiæ porrò & generis nobilitas , etiam scelestissimis obueniunt : & vt bonorum virorum propria essent , laus tamen ista maiorum potius esset & fortunæ , quàm eorum qui habent ista. Bonis vero corporis efferri & gloriari,plane stultũ est; cum nec ista hominem attingant,ne dum ornent,qua homo est;& præstantiora sint in brutis.Quis enim aut viribus cum leone,aut celeritate pedum cum tygre,aut visu cum aquila, aut odoratu cum sagacitate canis , vel auditu cum tardissimo animalium asino comparari queat? Et quamuis hæc perfectissima homini contingerent , quia tamen mille casibus obnoxia,facile est corrumpi & deperdi,cuius est amentiæ istiusmodi tam infirmis & caducis bonis vehementer confidere? Sola igitur fides qua creditur DEO, solidum est certumque bonum,vitæ solatium, bonæ spei supplementum, depulsiuum calamitatum , felicitatum conciliatiuum,ablegatio superstitionis,pietatis assertio,posteritatis hæreditas,profectus demum in rebus omnibus DEO fultus vniuersorum auctore qui potest omnia,vult tãtum optima. Quemadmodum enim qui per lubricum incedunt,passim labuntur fallente vestigio;qui autem per viam siccam gradiuntur, stabili & in offenso gradu iter faciunt : ita qui per corporis & externa bona ducunt animum,sepius cadere necesse est, quippe cum sint decliuia & lubrica.At vero qui per virtutum contemplationem & exercitationem ad DEVM properant , rectum & tutum iter tenent:vt nihil verius dici possit , quam quisquis illis rebus credit, eum DEO non credere:contra qui DEO credit , minime illis credere. Hactenus ex Philone.

SECVNDA DISPVTATIO,

Cur dictum sit Abram potissimum hoc loco credidisse DEO, *& fuisse iustum,cum sæpe antea credidisset* DEO, *& vir iustus ac sanctus fuisset.*

36 ANTE id temporis Abram credidisse DEO & fuisse virum insignem iustitia & pietate , nemo , nisi euidenter Sacris literis repugnans,inficiari potest. Etenim nisi credidisset DEO,& vir eximie pius & iustus fuisset , quomodo deserta patria,domoque paterna, longinquas terras sibique ignotas magno labore & periculo adiisset,tantum vt diuinis iussis obtemperaret?Audiat Lector B. Paulum:*Fide,*inquit , *qui vocatur Abram obediuit in locum exire quem accepturus erat in hæreditatem,& exiit nescions quo iret.* Cum igitur Abram excellentem fidem suam & iustitiam antea declarasset , quæritur cur potissimum & primum hoc loco dicatur credidisseDEO, & id fuisse reputatum ei ad iustitiam,

Genes. 12.

*Ad Heb.*11.

Burgensis super cap. 15.Genes.

Hunc

Hunc nodum ita soluit Paulus Burgensis: Licet Abram iam tunc cum patriam iussu DEI dereliquit, fidelis esset; fides tamen eius præcipue hoc loco approbata est à DEO, tanquam fides iustificans: quia, vt inquit Paulus, contra spem in spem credidit; id est, contra spem naturæ, in spem gratiæ. Non enim solũ credidit futurum se patrem multarum gentium secundum carnem, cum esset ipse senex, & vxor eius sterilis; quod quidem credere, erat contra spem naturæ: verum etiam quia credidit se ac posteros suos consecuturos vitam æternam, quod est maxime contra spem naturæ, & omnino pertinet ad spem gratiæ. Cælestis enim beatitudo plane supernaturalis est; *Oculus enim non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparauit* DEVS *diligentibus se*. Eadem quoque beatitudo per gratiam DEI tribuitur homini: gratia enim DEI (vt ait Paulus) vita æterna. Quoniã igitur priora promissa non excedebant totam naturam, vt fuit illud, *Faciam te in gentem magnam*: & illud, *Dabo tibi & semini tuo terram hanc*: hoc autem promissum fuit omnino supernaturale: idcirco fides quam Abram huic promisso habuit, præcipue nominata & laudata est, & ob eam ipse singularem iustitiæ laudem meruit. Sic Burgensis.

Rom.4.

Esa.64.

1.Cor.2.

Ad Ro.6.

Genes.12.

Thomas Anglicus in cap.15. Genesis.

Consimilia, paulo tamẽ distinctius, tradit Thomas Anglicus: signate, inquit, hoc potissimum loco dicitur Abram credidisse DEO, & hoc ei reputatum esse ad iustitiam; non quod in præcedentibus promissionibus non ille credidisset DEO, aut quod prior fides eius non ei reputata esset ad iustitiam: sed id præcipue hic dictum ast triplici ex causa. Prima causa fuit, quia expresse credidit de proprio suo corpore generatum iri tantũ & tale semen, vt tam multitudine, quàm claritate stellis comparari posset: hoc vero longe maius fuit, quam credere indistincte atque indefinite de qualicumque semine. Secunda causa est, quia in subsequenti apparitione DEI, Abram circumcisus est. Voluit autem ostendere diuina scriptura, Abram iustificatum esse per fidem, & non per corporalem circumcisionem; eoque palam fieret, semen eius similiter quoque iustificatum iri; nec quicquam per se profuturam circumcisionem, sed propter fidem tantum quæ in ipsa Sacramentaliter includebatur. Tertia causa fuit, quia cum omnis fides Abræ quandam antonomasiam siue excellentiam iustitię haberet; conueniens profecto fuit, vt prærogatiua eius excellentiæ certo alicui eius actui credendi singulariter ac proprie attribueretur. Id vero conuenienter factum est circa hanc mediam apparitionem DEI: vt ea re significaretur, eum quasi per quosdam articulos & gradus profeciſſe in bono, atque in ipso medio cursu, iam perfectæ virtutis & iustitiæ fuisse. Ergo sententiã hanc Mosis sic interpretari oportet, *Credidit Abram* DEO, nẽpe excellenti quadam & perfecta fide: *Et reputatum est ei ad iustitiam*, scilicet ad singularem & eximiam iustitiam. Itaque his verbis, excellentis & perfectæ fidei ac iustitiæ laus denotatur. Sic Thomas.

Genes.17.

EGO quod ab istis Auctoribus quasi adumbrate tantũ & inchoate dictum est, expresse magis & absolute dicturus, latius exponam. Equi- 37

dem

dem arbitror ei fidei quam diuino huic promisso habuit Abram, præcipue ac singulariter laudem iustitiæ tributam esse tres ob causas: primo, quod ea fides perfectissima & præstãtissima fuerit: deinde, quod ad maximam DEI gloriam ea fides pertinuerit: ad hæc, quod ea fides Abram; clarissimum omnibus posteris suis, quemadmodum DEO credere deberent, documentum simul atque exemplũ præbuerit. Præstantia porrò & perfectio illius fidei Abræ, tribus ex rebus ex obiecto siue re quam credidit; ex modo quo credidit; ex comitatu & societate aliarum virtutum quibus cum fidem suam habuit coniunctam, liquido cognosci & iudicari potest. Res quam credidit Abram, fuit valde ardua & difficilis ad credendum, immo existimatione hominum incredibilis, & secundum vim ac potentiam naturæ impossibilis. Credidit enim DEO promittenti multiplicationem seminis sui istar stellarum: quo quidem promisso intellexit ipse, secundum historicũ sensum verborum DEI, contineri duas res; quarum altera fuit, licet ipse grauis iam annis esset, atque ætate minus quam antea generandæ proli idonea, licet vxor eius Sara esset sterilis: nihilominus tamen filium ex se procreatum iri, futurumque bonorum suorum hęredem. Illud præterea diuino promisso significatum sibi cognouit, prolem suam ad similitudinem stellarum multiplicatum iri, non solum numerosa multitudine; sed durationis perpetuitate, splendore, nobilitate, claritate nominis & famæ, potentiæ demum ac dignitatis sublimitate. Nec solum literalem eius promissi sensum intellexit Abram, sed etiam mysticum habuit perspectum & cognitum. Non enim latuit eum, illo DEI promisso significatum esse aliud quoddam semen suum spirituale, prorsus innumerabile; omnes dico pios & iustos viros, quotquot ex cunctis gentibus & mundi regionibus, omni tempore vsque ad mundi occasum futuri deinceps erant; atque in his multos Prophetas, Martyres, Apostolos, Doctores, Reges, Virgines, quin etiã Messiam ipsum DEI filium & Saluatorem mundi, qui filius ipsius secundum carnem futurus & appellandus esset. Cognouit iusuper illa DEI promissione tam sibi quàm semini suo promissam esse gloriam cælestem, & post hanc vitam, sempiternum in cælis domicilium. Ecce tibi quàm multa, quàm magna, quam alte super humanam fidem & intelligentiam posita, paucis illis DEI verbis & significata intellexit Abram, & præstanda sibi credidit.

Tres causæ cur hæc fides Abræ tantopere laudata sit.

Fides Abræ tripliciter perfecta.

Iam vero modus quo Abram credidit, perfectissimam eius fidem demonstrat. Credidit enim statim, nulla interposita cunctatione & mora; credidit firmissime, nulla trepidatione, aut dubitatione admixta; credidit pie ac religiose, vna cum fide pietatem & gratissimi erga DEVM animi affectum gerens; credidit constantissime & perseuerantissime, nunquam in ea fide vacillans aut deficiens. Illustrior porrò & admirabilior apparet hæc fides Abræ ex comparatione fidei aut Gedeonis, qui ad firmandam fidem suam signum à DEO requisiuit; aut fidei Mosis, qui iussus à DEO aquam ex petra educere, circa fidem titubauit;

Iudic.6. *Num.20.* *Luc.1.*

Fides Abræ fuit viuida, fertilis bonorũ operũ, aliisq; comitata & ornata virtutibus

aut fidei Zachariæ patris Ioannis Baptistæ,qui Angelo generationem prolis prænuncianti non credens, mutitatis pœna mulctatus est. Nec vero nuda fuit aut inornata fides Abræ, non fuit sterilis bonorum operum non vieta & flaccida,non mortua:sed viuida virensque ac florens, atque vbertim frugifera, pulcherrimarumque virtutum comitatu atque ornatu septa & ornata. Siquidem ex iisquæ de eo Moses hactenus commemorauit, explendescit præstantissima eius viri obedientia nihil periculi aut laboris detractãtis, & quodlibet iubentis DEI mandatum promptissimo ac libentissimo animo exequentis.Extat quoque aduersus DEVM excellens religio & pietas, multifariam excitatis altaribus ad inuocationẽ diuini nominis, & religiosum eius cultum;elucet item inuicta animi fortitudo, exiguis copiis amplissimos & validissimos regum exercitus adorientis atque profligantis. Emicat demum atque eminet admiranda terrenorum bonorum despicientia, maxima sibi à regibus oblata dona,propter DEI gloriam contemnentis.

DIXIMVS de prima laude fidei Abram,idest de triplici eius fidei 38
perfectione: sequitur vt de aliis duabus eiusdem fidei laudibus breuissime dicamus.Fuit igitur secunda laus,ea fide admodum fuisse illustratam DEI gloriam.Dum enim Abram promittenti DEO, quæ iudicio hominum incredibilia videbantur, atque omnem naturæ vim excedebant,tam prompte ac perfecte credidit;aperte testificatus est,nihil esse

Quomodo fides glorificat Deum.

impossibile DEO;quicquid promiserit,velle facere;quicquid vult,possa perficere: maiorem esse benignitatem eius votis hominum, atque omnibus naturæ viribus potentiorem esse virtutem. Facit ad horum

Ad Ro. 4. confirmationem,quod in eandem sententiam scripsit B. Paulus:*In promissione*, ait, DEI *non hæsitauit* (Abram) *diffidentia:sed confortatus est fide, dans gloriam* DEO:*plenissime sciens, quia quæcumque promisit,potens est & facere.*

De vera sane & perfecta fide rectissime dictum fuerit, ea plurimum clarificari & glorificari nomen DEI:siquidem ostendens fides infinitam DEI bonitatem,potentiam, sapientiam,iustitiam,misericordiam, & quàm præcipuum & singularem eorum qui perfecte credunt ipsi, amorem & curam habeat; vehementer nos excitat,&(quod in ipsa est) ad colendum & glorificandum DEVM adducit. Tertia demum huius fidei laus extitit, quod ea clarissimum omnibus posteris documentum simul & exemplum dederit, quemadmodum DEO credendum sit:tripliciter nempe;Credendum enim est DEO quodlibet dicenti,quamuis incredibile aut impossibile videatur. Tum incunctanter atque indubitanter, etiam constanter atque perseueranter credendum est. Ad hæc reputandum æstimandumque,eiusmodi fides quanti sit apud DEVM, cum ob talem fidem reputatus à DEO,iustus fuerit Abram; nec tantum iustitiæ encomium alij eius virtuti, quamquam plurimis & clarissimis excelleret,tributum sit. Denique hanc fidem Abræ propo-

Ad Ro. 4. sitam esse posteris in exemplũ,firmat Paulus illis verbis: *Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad iustitiam, sed & propter nos;quibus reputabitur credentibus in eum qui suscitauit Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM *à mortuis*

TERTIA DISPVTATIO,

An hæc Sententia Mosis, Credit Abram DEO & reputatum est illi ad iustitiam, *Adiuuet opinionem Hæreticorum aientium sola fide iustificari hominem coram* DEO.

39 NIHIL plane adiuuat.Nam neque Abrã per eam fidem ex peccatore factus est iustus, cũ antea iustus & sanctus fuisset,sicut initio proxime antecedentis disputationis ostensum est.Nec Moses dixit propter solam fidem fuisse iustificatum Abram: & quod hic dictum est de Abram propter fidem,idem prædicat Dauid psalmo CV. de Phinees propter Zelum diuini honoris,dicens:*Stetit Phinees & placauit,& cessauit quassatio: & reputatum est ei ad iustitiam.* Nisi forte quis in animum potest inducere admirabilem illam Abræ obedientiam, cum iubente DEO paratus fuit sacrificare filium suum Isaac, tantopere ipsiusmet DEI testimonio & præconio laudatam, non fuisse imputatam ei ad iustitiam. Quanquam id sentire omnes & confiteri cogit sacra scriptura,cuius illa sunt verba: *Abram in tentatione inuentus est fidelis, & reputatum est ei ad iustitiam.* Tentationem vocat diuinum præceptum immolandi filij, quo DEVS tentauit probauitque fidem & obedientiam eius,sicut patet ex capite 22.Geneseos.

Genes. 22.

1. Macab. 2.

40 AD hæc,iustificatio peccatoris duas res continet, diuersas quidem illas inter se,verum insolubili societate coiunctas;remissionẽ dico peccatorum, & donationem gratiæ ac iustitiæ DEI: atque in his spiritualis salus hominis posita est. Vtranque verò rem diuina scriptura, quemadmodum nonnunquam attribuit fidei, ita quoque aliis virtutibus sæpe assignat. Etenim B. Paulus de spe dixit: *Spe salui facti sumus.* De timore proditum est: *Timor Domini expellit peccatum.*De humilitate scriptum est:DEVS *superbis resistit;humilibus autem dat gratiam.*De Charitate tradit Salomon: *Vniuersa delicta operit caritas.* Eleemosynis purgari & remitti peccata, legimus apud Tobiam & Danielem. Non igitur quia per fidem quandoque dicitur quis iustificari, ex eo recte concludi potest, sola fide hominem iustificari apud DEVM, cum idem de aliis quoque virtutibus æque dicatur ac de fide.Et verò,naturalis etiam ratio persuader,in sola fide non posse iustitiã hominis consistere.Nam cum duæ sint facultates animæ rationalis,intellectus,& voluntas; necesse vtique est, quo rite ac perfecte iustificetur homo, secundum

Quia multa concurrunt ad hominis iustificationem,idcirco ea multis virtutibus tribui solet.

Ad Ro. 8. Eccl. 1. Prou. 10.

1. Pet. 4. Tob. 4.

vtramque iustum & rectũ fieri. Cum igitur fides sit in intellectu,nec perficiat voluntatem,quippe vsu sæpe venit vt bene sano rectoque intellectu, voluntas tamen ægra & praua sit;liquet sane completam hominis iustificationem ex sola fide nequaquam effici posse. Enimuerò scitum est illud Ignatij martyris dictum:Principium,inquit,vitæ Christianæ,fides est;finis autem, est caritas : ambæ verò inuicem iunctæ & in vnitatem factæ,hominem DEI perficiunt.

Daniel. 4. Ignatius Martyr in Epistol. ad Ephesios.

Tantum porro abest vt sola fides iustificet hominem, vt ad iustifi- 41
cationem eius,non modo necessaria sit caritas, verum etiam potiores ac præstantiores partes habeat. Paulus certe in prioris epistolæ quàm scripsit ad Corinthios Capite 13.triplici nomine Caritatem fidei præstare docet.Primo enim ait,licet quis habeat omnem fidem, si tamen charitatis expers fuerit,eam fidem nihil ei prodesse. Deinde ostendit caritatem esse quæ alias omnes virtutes viuificat, format ac perficit, easque non solum mouet ad agendum, sed facit vt actiones earum atque opera DEO sint accepta, & promereantur vitam æternam. Et ob hanc causam dixit ille Caritatem omnia credere,omnia sperare,omnia sufferre.Denique Caritatis encomium his verbis concluſit, *Nunc manent fides,spes,caritas,tria hæc:horum autem maior est caritas.* Idemque Paulus eam solum fidem docet proficere homini ad salutem, quæ per dilectionem operatur.Hoc etiam atque etiam roboratur auctoritate Domini;cui primum & maximum DEI mandatum,non credendi aut sperandi;sed diligendi DEVM & proximum esse declarauit.

Ad Gal. 5. Matth. 22.

ET vt diuinæ scripturæ auctoritati,ecclesiasticã quoque Patrũ auctoritatem iungamus,perbella sane illa B. Augustini sententia est:Caritas,inquit,ipsa iustitia est,qua vna iusti sunt,quicũque iusti sunt.Nãque inchoata caritas,inchoata iustitia est:prouecta caritas,prouecta iustitia est,magna caritas,magna iustitia est: perfecta caritas, perfecta iustitia est.Idẽ apertius atque enucleatius docet hoc ipsum in Enchiridio cap. 117.ad hũc modũ scribẽs:Caritas,quã fide & spe maiorẽ dixit Apostolus, quanto in quocũque maior est, tanto is melior est,in quo ipsa est. Cum enim quæritur,sit ne quispiam bonus,non quæritur quid credat aut speret,sed quid amet : nam qui recte amat, etiam recte credit & sperat.Qui verò non recte amat,inaniter credit,etiam si sunt vera quę credit; & inaniter sperat, etiam si ad veram felicitatem pertinere doceantur quæ sperat:nisi & hoc credat & speret, quod sibi petenti donari possit vt amet.Sic Augustinus.

Aug. in lib. De Natura & gratia, cap. 63. & vltimo.

CÆTERVM hæc legentem ac secum reputãtem illa fortasse sub- 42
ibit admiratio ; si fides nec solum, nec principaliter hominem iustificat,cur B. Paulus tam clare & expresse dixerit, iustificari hominem per fidem:cur item diuina scriptura multifariam,& sancti patres miris laudibus præstantiam fidei prædicent. Non pauci nec obscuri auctores, quæ Paulus de Iustificatione fidei docuit, quæque de eius excellentia sacri & ecclesiastici scriptores prodiderunt, ea interpretantur non de fide nuda & informi & quæ antecedit iustificationem ; sed de fide

Locus Pauli ad Romanos 5. Quomodo & cur iustificationẽ Paulus attribuat fidei.

fide viua & iam per gratiam & caritatem formata, scilicet quæ per dilectionem operatur.Sed illud verius dictu fuerit,& sacrarum literarum doctrinæ ac Patrum sententiæ congruentius,Paulum loqui de fide quę præcedit iustificationem:Per hanc vero Paulus ait nos iustificari,quòd ea sit idonea præparatio hominis, sufficiensque vna cum aliis quibusdam quæ tradit Concilium Tridentinum,percipiendę à DEO iustitię. Neque iustificari hoc loco significat iustitiæ infusionẽ,sed præcedentẽ præparationem,& vt ita loquar,velut tendentiam quandam ad perceptionẽ iustitiæ. Non secus ac nomen generationis apud Peripateticos non semper significat inductionem formæ substantialis in materiam; sed non rarò ponitur pro alteratione præuia productioni formæ substantialis,per quam nempe materia eatenus præparatur,dum iam idonea sit,in qua procreetur forma substantialis.

Atque hunc in modum sententiam illam Pauli intellexisse Patres, testis est,vt alios in præsens taceam, Beatus Augustinus ; cuius omnia quæ ad huius opinionis comprobationem valent, ex variis eius scriptis proferre in medium,& nimis longum esset, minimeque necessarium. Duobus igitur aut tribus eius testimoniis contenti,cętera Lectoris studio & diligentiæ remittemus.In libro de Prædestinatione Sanctorum capite vij.Fide, inquit,ideo Paulus dixit iustificari hominem, quia fides prima datur,quia impetrantur cætera.Et in Epistola 144. ad Anastasium, sic ait:Lex adducit ad fidem ; fides impetrat spiritum largiorem ; diffundit spiritus caritatem ; implet caritas legem. In Epistola quoque 105. ad Sixtum,& 106.ad Paulinum,disertis verbis docet hominem ideo per fidem iustificari,quia per fidem impetrat,& quodammodo meretur iustitiam.Ad hoc,Patres in Concilio Tridentino in Decreto de Iustificatione capite octauo decernunt,semper Ecclesiam intellexisse, propterea dixisse Paulum hominem iustificari per fidem, quod fides sit humanæ salutis initium,fundamentumque ac radix omnis iustificationis ; nempe sine qua impossibile sit placere DEO & ad filiorum eius consortium peruenire. Quæ Patrum verba videntur sumpta ex quodam sermone Augustini, qui numeratur trigesimus octauus inter sermones eius de Tempore. Atque ob hanc ipsam causam,quod fides sit principium,radix & fundamentum omnium bonorum, tantis eam laudibus Patres concelebrarunt. Audi ex illis vnum & alterum:Fides,ait quidam,lumen est animæ,otium vitæ,fundamentum salutis æternæ.Qui hac derelicta procedit ad alia,similiter facit ac si absque fundamento ædificet domum;aut si prætermisso ostio, velit introire per tectum;vel si noctu sine lumine inferat gressum, & se totum clausis oculis vrgeat in profundum.Hanc nobis fidem velut lampadem magnam CHRISTVS aduenies, errantibus monstraturus viam exhibuit;per quam possit DEVS ignotus requiri,quæsitus credi, creditus inueniri. Alius item similia de fide prædicat:Fides, inquit, est origo iustitiæ,sanctitatis caput,deuotionis principium, religionis fundamentum. Nullus vnquam sine hac Dominum promeruit ; nullus

B. August.

Ad Ro. 5.

Ad Heb. 11.

Eusebius Emissenus homil. 2. in Symbolũ,& Ambrosius lib. 2. De officiis cap. 2. Chrysostomus in sermone de Fide,Spe, & Caritate.

sine illa fastigium sublimitatis ascendit. Hæc excludit dubia, tenet certa, promissa consignat. Hanc qui tenet, felix est; qui deseruerit, miser. Hæc in Ecclesia signa ostendit, virtutes exercet, charismata complet.

QVARTA DISPVTATIO,

An hæc sententia Mosis: Credidit Abram DEO, & reputatum est illi ad iustitiam, *qua B. Paulus in quarto capite Epistolæ ad Romanos probare vult, neminem ex operibus suis iustificari coram* DEO, *sed gratis per fidem* CHRISTI: *bene accommodata sit ad id probandum, & an sit valida.*

CVM B. Paulus in tertio capite Epistolæ quæ ad Romanos 43
scripta est, disputasset, probassetque neminem iustificari coram DEO ex suis operibus, sed tantum gratis per fidem CHRISTI; quoniam id permagni erat momenti ad constituendam & stabiliendam Christianam religionem & disciplinam; & quia præfracte repugnantes huic veritati habebat Iudæorũ sapientes: voluit id ipsum vehementius vrgere exemplo simul & argumento fidei Abræ; quo, tanquam acerrimo telo, pugnat contra Iudæos fidem & gratiam DEI aspernantes, & ab operibus suis, præsertim autem ab obseruantia Circumcisionis & legis Mosaicæ, omnẽ iustitiæ laudem prouenire ac pendere arbitrantes. Ergo in quarto capite eiusdem Epistolæ afferens in medium fidei Abræ exemplũ, hunc in modum argumentatur Paulus: Abram nec propter legẽ aut circumcisionẽ, nec propter opera, sed propter fidẽ iustificatus est apud DEVM: ergo similiter alios omnes iustificari credendum est. Et huius quidem argumentationis consequentia, ipsa satis per se probabilis est. Nam si Abræ, cuius clarissima erant multarum excellentium virtutum opera, non propter vllum opus, sed propter fidem imputata est iustitia: quanto credibilius fuerit, idem contingere aliis hominibus; quippe qui vel mali sint, vel si boni sunt, certe non sunt cum Abram vel præstantia virtutũ, vel benefactorum & meritorũ gloria cõparandi. Prior autem supradictæ argumentationis propositio, quantum ad legem Mosis & circumcisionem, extra controuersiam vera est. Siquidẽ Abram quadringentis annis antecessit legem Mosis; & quatuordecim annis prius quàm circumcisus esset, iustus propter fidem suam reputatus à DEO est. Solũ igitur supererat probandum Paulo, Abram non ex vllis operibus suis, sed ex fide iustificatum esse. Hoc vero quemadmodum argumentetur Paulus,

quo

quo planius intelligat Lector, apponam hic eius verba, eaque interpretabor & expendam.

Locus Pauli ad Ro. 4.

Paulus cum sic orsus esset caput quartum: *Quid ergo dicemus inuenisse Abram patrem nostrum secundum carnem?* quasi diceret; si non per legem nec per circumcisionem, sed per fidem cõtingit homini iustitia, vt proxime antecedenti capite ostenderat: quam igitur, dicet aliquis, laudem & gloriam consecutus est Abrã, quod iussu DEI circumcisus sit, idemque posteris suis faciendum, exemplo suo, DEI que præcepto tradiderit? Posthæc subiungit Paulus ea verba, quæ ad præsens nobis valde perpendenda & consideranda sunt: *Si Abram,* inquit Paulus, *ex operibus suis iustificatus est; habet gloriam, sed non apud* DEVM. *Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham* DEO, *& reputatum est illi ad iustitiam. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei autem qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam, secundum propositum gratiæ* DEI. Probat his verbis Paulus, non fuisse Abram iustificatum ex suis operibus: & probatio quidem vnico illo Mosis testimonio trãsigi potuit: *Credidit Abraham* DEO, *& reputatum est illi ad iustitiam.* Euidenter enim Moses his verbis declarat, non propter opus vllum esse iustificatum Abram, sed propter fidem. Verum placuit Paulo probationem, quo esset apertior, & credibilior fieret, in duas argumentationes extendere: quanquam eas nec integre, nec expresse posuit; sed ita significauit, vt Lectori intelligendas & explendas reliquerit. Ac prior quidem argumẽtatio sic digerenda est. Si Abram iustificatus esset ex operibus, nõ habuisset gloriam apud DEVM: sed habuit gloriam apud DEVM; ergo non est iustificatus ex operibus. Posterior argumentatio sic est ordinanda: Aut Abram iustificatus est ex operibus, aut ex fide; non enim præter hæc, aliud quippiam reperire est: sed non ex operibus, vt iam ostensum est, ergo ex fide. Vtraque porro hæc argumentatio præcipuam fidem & robur capit ex illa Mosis sententia: *Credidit Abram* DEO; *& reputatum est illi ad iustitiam.*

Quid sit iustificari ex operibus legis.

44 CÆTERVM in supradictis Beati Pauli verbis quatuor subobscura sunt, & expositionis lumen desiderant. Ac primo quidem loco dubitari potest, quid sit illud, *Iustificari ex operibus legis.* Nam cum Abram non annis modo, verum seculis antiquior fuerit lege Mosis, ridiculum videtur probare eum non fuisse iustificatum ex operibus legis Mosaicæ. Quare vocabulo legis, intelligitur hoc loco in vniuersum quælibet lex, siue positiua, siue humana siue diuina; scilicet prout lex significat principium quoddam operandi distinctum à gratia DEI. quodcumque enim opus iustum fit ab homine, id quia cuipiam legi conuenienter factum est, propterea censetur iustum. Ergo quod dicit Paulus: *Si Abram ex operibus legis iustificatus est.* hanc habet sententiam: Si Abram iustus fuit propter opera sua bona bonitate morali & humana; non autẽ bonitate, quę ex gratia DEI accedit operi, &c. Iustificari vero ex operibus, est, ex conditione, virtute, dignitate ac merito suorum operum,

quæ

quæ proueniunt ex proprio hominis arbitrio citra peculiarem DEI gratiam ; esse & haberi iustum. Quemadmodum qui iustitiæ, temperantiæ ac fortitudinis opera plurimùm faciunt, boni & iusti ab hominibus nominantur ac prædicantur.

Cur bonum opus morale sine fide factum, habeat gloriã apud homines, sed non apud Deũ.

SECVNDO loco disquirendum est, quid significet id quod adiungit 45
Paulus, *Gloriam habet, sed non apud* DEVM. Vbi post illud, *Gloriam habet*, supplendum est, *apud homines*: non tamen apud DEVM. Et hoc quidem recte dixit Paulus. Qui enim bona faciunt opera moralia, hominibus conspicua; cum interiora eorum vitia lateant alios, existimantur boni, & ob eam causam laudantur & honorantur. Virtus præterea moralis iustè meretur gloriam & honorem apud homines; idq. conuenientissimum est virtutis præmium, non sane virtutis meritum explens ; sed quia maius & præstabilius aliud quippiam virtuti ab hominibus tribui non potest. Sed cur probitas & iustitia moralis non habet gloriam apud DEVM? Tres scilicet ob causas. Etenim gloria DEI, est quiddam ordinis supernaturalis, ad quem minime aspirat virtus moralis & eius opera, cum sint ordinis naturalis; ideoq. gloriam quæ est apud DEVM nequaquam merentur. Quid, quod qui caret fide & gratia DEI, quamlibet bona faciat opera moralia, cum peccatis maculatum, & inimicum DEO esse necesse est : talem vero quis dixerit dignum esse gloria apud DEVM? sed in Abram præcipue ac proprie id locũ & vim habet: namq. eum diuina scriptura non propter opera, sed propter fidem inuenisse ait apud DEVM iustitiæ laudem & gloriam. Sane Paulus hoc loco id solum spectare & vrgere videtur, ad id probandum afferens sententiam illam Mosis: *Credidit Abram* DEO, *& reputatum est illi ad iustitiam*. Hinc enim satis apparet, Abram non per opera sua, sed per fidem habuisse gloriam apud DEVM.

TERTIO loco circa illud: *Ei qui operatur, merces non imputatur secun-* 46
dum gratiam, sed secundum debitum, quæritur, quid intelligat hoc loco Paulus per operari, siue operantem esse ; & quo modo dicat, operanti mercedem reddi non ex gratia, sed ex debito; cum ipsemet doceat aliàs cælestem mercedem vitæ æternæ viris sanctis, qui bene operati sunt, reddi ex gratia. Sed sciendum est operantem hoc loco appellare Paulum, eum qui ex suo, & ex indebito talia facit opera, vt ex eorum conditione, virtute, dignitate ac merito, debitam sibi promereatur, & suo iure exigere possit mercedem; quam ei non dare, plane iniustum sit futurum. Taliter operantes videre est milites, agricolas, mercenarios, opifices: horum enim laboribus & operis merces tribuitur non ex gratia, sed ex debito. Quoniam autem Paulus operantem quasi opponit credenti, palam est loqui eum de operante sine fide. Credentem porro vocat in præsentia Paulus, nõ modo eum, qui nudos fidei actus efficit, verum etiam qui ex fide quodlibet bonum opus perficit, fide videlicet docente quid agendum sit, & inuitante ad agendum, atque in agendo moderante & regente. Quapropter Beatus Paulus aliarum virtutum munera & opera, quæ tamen ex insigni quadam fide profecta sunt,

Ad Ro. 2. & 6.

Ad Heb. 11.

assignat

assignat ipsi fidei: ait enim Abel per fidem obtulisse DEO plurimam hostiam: fide Abram obediuisse DEO, deserendo patriam, & volendo immolare filium suum Isaac: denique fide memorabiles illos DEI seruos affirmat operatos esse iustitiam, obturauisse ora leonum, extinxisse impetum ignis, victores fuisse in bellis.

Genes. 4. Infra 12. & 22.

47 QVARTO loco circa illa verba Pauli: *Ei qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam* ; quæritur quid hoc loco significet, imputari fidem alicui ad iustitiam. Respondeo his verbis non aliud significari, quàm credenti gratis dari iustitiam, idest, gratiam qua quis fit iustus coram DEO: non enim gratia datur homini propter bona eius merita; sed vt nomen eius indicat, gratis à DEO donatur. Nam si gratia est, vt ait Paulus, non est ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia. Ac licet per fidem impetrari & apprehendi iustitia dicatur; attamen nec fides proprie efficit aut meretur iustitiam ; & ipsa fides non opus hominis est, sed DEI donum ; Audi Paulum, *Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, DEI enim donum est.* Ergo gratiam antecedere debet fides, non vt eius causa, nec vt meritum, sed vt præparatio, qua idoneus existat animus ad recipiendam gratiam. Cumque gratia non detur sine remissione peccatorum ; hanc autem constet gratuitum esse DEI munus, sicut Paulus probat illo Dauidis testimonio, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum* ; gratis profecto dari homini iustitiam necesse est. Ecquid, obsecro, ante acceptum iustitiæ donum, potest ex se quispiam facere quo iustitiam & gratiam DEI promereatur? quicquid enim faciet, id humanum erit atque ordinis naturalis ; cum iustitia & gratia res quædam sit supernaturalis & diuina.

Ad Rom. 11.

Ad Ephe. 2.

Ad Rom. 4 Psal. 31.

48 HIS igitur quatuor quæstionibus ante declaratis, quo scilicet melius intelligeretur sententia & vis argumẽtationis Pauli vtentis exẽplo fidei Abræ ; deinceps aggrediamur explicationem principalis disputationis, quam initio posuimus. Quæritur an exemplum fidei Abræ, quo vtitur S. Paulus, ad id quod ille probare vult, aptum & firmum sit. Quatuor enim obiectiones videntur afferri posse, quas ordine tractabimus, vnamquamq. singulatim exponentes ac diluentes. Prima obiectio. B. Paulus eo loco disputat de prima iustificatione hominis, per quam ex peccatore fit iustus : sed Abram iam erat iustus & Sanctus, cum fides dicitur ei reputata ad iustitiam ; quocirca talis iustificatio eius non fuit prima, sed secunda, idest, prioris iustitiæ accretio, siue maior in iustitia processus atq. profectus : non igitur exemplum fidei Abrę facit ad propositum Pauli. Sed huic obiectioni ita respondeo. Ego vtrumq. concedo : & Paulum disputare de prima iustificatione hominis, & illam Abræ iustificationem non fuisse primam, sed secundam: sed nihilominus affirmo Paulum exemplo fidei Abræ ad id quod intendebat accommodatissime vsum esse. Videtur autem Paulus argumentari (vt in scholis dicitur) à minori ad maius, ad hunc modum : Si

Quatuor obiectiones

Solutio primæ obiectionis.

Abræ, licet is esset iustus & sanctus, propter fidem tamen iustitia ei imputata est: quis dubitare potest, quin peccatori non aliter quam per fidem donetur iustitia? Sane, vtriusque iustificationis tam primæ quam secundæ, quasi radix & origo est fides. Nãque in prima iustificatione, fides initium est eius motus, quo paccatoris animus tendit paulatim ad DEVM, & quo impetrat ab eo remissionem peccatorum, simulque gratiam eius atque iustitiam: secunda vero iustificatio, tametsi merito bonorum operum procedit; eam tamen ex fide docente, incitante, ac dirigente proficisci necesse est.

Fides quasi radix vtriusque iustificationis.

2. Obiectio & eius solutio.

SECVNDA obiectio. Paulus docet & probat eo loco hominem iustificari gratis, & non ex suis operibus aut meritis: at iustitia quam credendo consecutus est Abram, merito eius data illi est; siquidem actus ille credendi, cum esset gratia & caritate informatus, erat enim fidei per caritatem operantis, plane meritorius fuit eius iustitiæ quæ tributa ei dicitur. Respondeo, etiam ipsum iustitiæ auctum & incrementum esse gratuitum, si respiciamus primam causam & velut radicem vnde ipsum proficiscitur: tametsi debitum sit, habito respectu ad operationem hominis post acceptam gratiam cooperantis diuinæ gratiæ. Vnde enim bona opera principalem vim habent promerendi ampliorem gratiam & iustitiam, nisi quia facta sunt ex gratia? Gratiam autem accepit homo non suis meritis, quæ nulla esse possunt ante gratiam, sed gratuito DEI munere. Quare ob hanc ipsam causam cum Paulus dixisset, stipendium peccati esse mortem, & consequentia orationis postulare videretur, vt adiungeret, stipendium siue mercedem iustitiæ esse vitam æternam; non hoc dixit, sed illud potius, gratiam DEI esse vitam æternam. Nam, vt ait Augustinus hanc Pauli sententiam interpretans, Propterea Paulus dixit gratiam DEI esse vitã æternam, quia licet ea detur propter merita, attamen gratis data est iustitia, quæ est principium bonorum meritorum. Cum igitur Paulus pugnaret aduersus eos qui suis operibus & meritis omnia tribuebant, & neque in acquisitione iustitiæ, neque in eius actu & profectu gratiam DEI agnoscebant: vtrumque demonstrare voluit esse gratuitum, & ex fide proficisci; videlicet, si non immediate, saltem mediate; si non complete, saltem inchoate, siue, vt in scholis loquimur, initiatiue. Secunda enim gratia datur gratis mediate, quia datur ob merita primæ gratiæ, quæ gratis data est.

49

Ad Ro. 6.

Aug. in Enchiridio c. 107. in Epistol. 105. in lib. De Gratia & libero arbitrio cap. 6. & sequẽtibus.

3. Obiectio & eius solutio.

TERTIA obiectio. B. Paulus disputat eo loco & probat, neminem iustificari nisi per fidem CHRISTI: at fides propter quam dicitur iustificatus Abram non fuit de CHRISTO, sed de multiplicatione posteritus at suæ ad instar stellarum: ergo exemplũ fidei Abræ ad firmandam causam quam ibi agit Paulus, minime idoneum videtur & validum. Hanc quæstionem tractans super hunc ipsum locum Thomas Anglicus in breuibus Commentariis quos in librum Geneseos scriptos reliquit, sic eam soluit: Quæritur, inquit, quomodo Abram per fidem qua credidit se habiturum filium atque innumerabilem posteritatem, iustifi-

50

Thomas Anglicus.

iustificatus sit; cũ & id credere potuerit sine caritate, quæ vera est hominis iustitia: & cum sola fides CHRISTI hominem iustificet? Verum ad id responderi potest dupliciter. Primo enim dicitur, in fide seminis ex Abram propagandi, principaliter inclusam esse fidem eius seminis, qui erat CHRISTVS ex eo nasciturus; iam enim supra, Capite duodecimo, promissum ei fuerat à DEO, fore vt in ipso benedicerentur omnes familiæ terræ: In ipso, id est, in semine eius, qui est CHRISTVS. Id vero sacra scriptura, more veteris Testamenti; sub cortice figuralium & terrenorum significare voluit, cum DEVS scriptam proposuit mercedem eius dicens, *Ego protector tuus & merces tua magna nimis.* Secundò potest responderi; licet fides, vt de corporali semine vel de possessione terræ Chanaan aliarumque similium rerum, directe non iustificet hominem; attamen vt fides de istis rebus habetur DEO eas promittenti, & nititur bonitate, veritate, & fidelitate DEI, proculdubio iustificat hominem; si tamen includat, sicut & hic inclusit, fidem sufficientem in DEVM, respectu eorum quæ necessaria sunt ad salutem æternam. Sic iste Auctor.

Aſt ego breuius & expeditius ita respõderim: iustificationem illam Abræ non fuisse primam, id est, translationem ex peccato ad iustitiam, iam enim iustus & sanctus erat Abram: sed fuisse secundam, quæ est prioris iustitiæ amplificatio. Hæc porro cum per quemlibet actũ meritorium fiat, cumque DEO quodlibet promittenti & dicenti credere per fidem caritate informatam, meritum habeat auctioris & amplioris iustitiæ, manifestum profecto fit, Abrã DEO, sibi innumerabilem prolem promittenti credentem, vere dici iustificatum. Paulus autem illo loco loquitur de prima iustificatione, & post publicatum mundo Euangelium; antea enim satis erat fides CHRISTI implicita. Quanquam fuisse CHRISTVM expresse reuelatum Abræ, fas non est ambigere; cum Dominus apertis verbis dixerit; *Abram exultauit vt videret diem meum; & vidit & gauisus est.* Quare existimandum est, intellexisse Abram tam ampla & magnifica promissa, quæ sibi data fuerant à DEO propter Messiam ex se nasciturum esse data: & idcirco in clarissimis & nobilissimis eius factis præcipue viguisse fidẽ CHRISTI, & hac maxime nixam & fultam esse, quam ille semper habuit, DEI erga se misericordiæ ac benignitatis fiduciam.

Ioan. 8.

4. Obiectio & eius solutio. Locus Iacobi cap. 2.

51 Quarta obiectio. Videtur Paulus hoc loco dissentire cum Iacobo Apostolo: tum quia ille ait iustificari hominem ex fide, non autẽ ex operibus; hic autem contra, iustificari hominem ex operibus & no ex fide: tum quod ille exemplum Abræ affert pro astruenda fide, & excludendis operibus dicens, *Si Abram iustificatus est ex operibus, habet gloriam, sed non apud* DEVM. *Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham* DEO *& reputatum est illi ad iustitiam*: hic vero eodem exmplo Abræ vtitur ad ostendendum, in hoc negotio iustificationis, opera præponderare ac præualere fidei; sic enim scribit: *Vis scire ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster non ne ex operibus iustificatus*

Genes. 22.

est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operib. illius, & ex operibus fides consumata est? Et suppleta est Scriptura dicens: Credidit Abraham DEO *& reputatum est illi ad iustitiam, & amicus* DEI *appellatus est.* Videtur igitur inter Paulum & Iacobum dissonantia esse non verborum modo, sed etiam rerum & sententiarum. Verum nulla est, si vtriusque Apostoli spectetur consilium & propositum, discrepantia. Nam si Paulus pugnaret cum Iacobo, etiam secum ipse pugnaret. Nimirum ipse dixerat in capite secundo eiusdem Epistolæ ad Romanos: *Non auditores legis iusti sunt apud* DEVM, *sed factores legis iustificabuntur.* Itaque B. Augustinus luculenter tractans hanc quæstionem in Præfatione super Psalmum trigesimum primum, & in libro Octoginta trium Quæstionum quęstione 76. Iacobum cum Paulo facile conciliat breui adhibita distinctione operum. Aut enim sunt opera ante fidem & sine fide facta: aut post fidem acceptam, & ex ipsa fide sunt facta.. Paulus loquitur de operibus sine fide factis, propter quæ neminem iustificari posse coram DEO in confesso est. Iacobus vero loquitur de operibus ex fide factis ab homine iam iustificato, quibus iustificari hominẽ, id est, iustiorem reddi clarum est. Et ille laudat fidem quæ præparat hominem & deducit ad consecutionem iustitiæ, perceptaque iam iustitia per caritatem operatur: hic autem non præcise improbat qualemcumque fidem; sed otiosam & inornatam aliis virtutibus, nudatamque caritate, & sterilem bonorum operum, ac bene agendi negligentem atque incuriosam. Nam fidem actuosam & fœcundam bonorum operum satis approbauit & laudauit Iacobus cum dixit de Abram: *Vides quia fides eius cooperabatur operibus?*

B. August.

Quoniam igitur Paulo in scribenda Epistola ad Romanos id negotij fuit, vt doceret, nec Gentes nec Iudæos per opera sua moralia, vel per obseruantiam legis Mosaicæ ad veram iustitiam, quæ iustos facit coram DEO, peruenire posse; sed vnicam esse viam & rationem comparandi iustitiam, fidem CHRISTI; idcirco totus incumbit in eius fidei commendationem, demonstrans nihil sine ea posse fieri vere bonũ & acceptum DEO; & quæcumque sanctorum virorum facta DEO placuerunt, ex fide esse profecta. Atque eo vehementius vrget necessitatem fidei, quod tam Iudæi quàm Gentes ab ea maxime abhorrerent, fiducia suorum operum, vel obseruantia legis Mosaicæ, iustitiam sibi apud DEVM gloriamque promittentes. Iacobo autem præcipue fuit propositum, demõstrare fidem absque operibus ex fide & caritate profectis, esse inanem, infructuosam & quasi mortuam; & fidem Abræ tantopere laudatam in Scriptura fuisse solidam, viuidam, & feracissimam bonorum operum. Quapropter tria eo loco tradit de fide Abræ: vnum est, fidem eius cooperatam esse operibus, id est, excitasse ad operãdum, & operantem ipsum direxisse, ac ne deficeret, sustentasse; Alterum est, ex operibus consummatam esse fidem eius; siquidem fides refertur ad opera, tanquam ad finem & perfectionem, non secus ac fundamentum ad superstruendum ædificium, & radix arboris ad fructum. Tertium est, com

est, completam fuisse Scripturam quæ dixit: *Credidit Abraham* DEO *& reputatum est illi ad iustitiam:* quasi diceret, idcirco scriptura tam copiose ac diligenter enarrauit egregia opera Abrę, vt cum eadem alibi diceret, propter fidem fuisse iustificatum Abram, intelligeremus eam loqui de fide non otiosa & mortua; sed actuosa, viuida, & bonis operibus efficiendis intenta.

Dixitque ad eum, ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam. VERSV 7.

52 VOCABVLVM illud (Vr) duplicem habet significationem: potest enim sumi vt nomen appellatiuum', significans apud Hebræos ignem; potest etiam sumi vt nomen proprium vrbis seu regionis quæ erat in Chaldæa; atque ea ratione eam vocem interpretati sunt septuaginta interpretes tam hoc loco, quam Genesis XI. Quicumque igitur sequentes antiquam Hebræorum Traditionem opinantur, Abram esse à Chaldæis cõiectum in ignem, quod eum more illius gentis adhibito cultu diuino adorare noluisset; & inde fuisse mirabiliter à DEO ereptum; vocabulum (Vr) interpretantur ignẽ & incendium; & hanc esse volunt illorum verborum DEI sententiam: Ego sum DEVS qui magnò potentiæ meæ miraculo, & clarissimo meę erga te beneuolentiæ ac curæ argumento, è medio igne Chaldaico ereptum conseruaui. Similis enim hæc sententia est eius quæ legitur Exodi 20. *Ego sum* DEVS *qui eduxi te de terra Aegypti.* Quod autem hoc loco vox illa (Vr) significet ignem, sic isti argumentantur: DEVS ad roborandam in animo Abræ fidem suæ promissionis, in memoriam ei reduxit quemadmodum eum eduxisset ex Vr Chaldæorum: vt eius rei recordatione nequaquam dubitaret de promissione DEI, licet ea omnem humanam fidem prorsus excedere videretur. At si vocem (Vr) exponas vrbem vel regionem Chaldææ, quid, obsecro, magnum & memorandum erat, fuisse Abram eductum ex vrbe quadam Chaldęæ? Vult igitur potius Scriptura renouare memoriam diuini beneficij, quo Abram eductus fuerat ex (Vr) id est, ex igne Chaldæorum, vt miraculi illius liberationis memoria fidẽ astrueret miraculo diuinæ promissionis de generatione prolis, & de futura possessione terræ Chanaan. Verum isti dupliciter peccant: falsam enim esse traditionem illam Hebræorum de Abram coniecto in ignem & inde erepto, in secundo Tomo nostrorum Commentariorum in Genesim libro XVI, Disputatione XV, certis & manifestis argumentis addiximus. Deinde falluntur, rati vocem (Vr) significare hic ignem: nam esse proprium nomen vrbis siue regionis, patet quatuor argumẽtis. Supra enim Genesis XI. dicitur Thare eduxisse filium suum Abram, & nepotem Lot, atque nurum suam Saram ex Vr

Chaldæorum; perſpicuum autem eſt eum non eduxiſſe illos ex igne Chaldæorum, ſed ex quodam loco ſic nominato. Septuaginta quoque interpretes tam hic quàm ſupra Geneſ.xi.illud (Vr Chaldæorum) interpretati ſunt regionem Chaldæorum, quam interpretationem ſecutus eſt Iolephus libro primo Antiquitatum. Quin etiã apud Euſebium libro nono de Præparatione Euangelica capite quarto Eupolemus prodit natũ eſſe Abram in Camirine vrbe Babyloniæ, quã alij Vr appellãt.

Ioſephus. Euſebius.

ALIA eſt igitur, ac putant iſti huius loci ſententia. DEVS enim vt excitaret firmaretque in animo Abræ fidem ac fiduciam eius promiſſionis, quam tunc ei dabat de poſſeſsione terræ Chanaan, in qua ille per id tempus vt aduena verſabatur; renouare in eo voluit memoriam eius promiſsi quod ei dederat, cum primum iuſsit eum derelicta patria ire in terram Chanaan. Sic enim ei dixiſſe legimus: *Egredere de terra tua, & veni in terram quam monſtrauero tibi, faciamq. te in gentem magnam, & benedicam tibi & magnificabo nomen tuum.* Huius itaque primæ promiſsionis commemoratione voluit DEVS roborare animum Abræ, vt ſine vlla dubitatione fore crederet ac ſperaret, quod ſibi à DEO ſæpius promiſſum videbat: ſimul & aduerteret quanto ſuo bono iuſſus fuiſſet relicta Chaldæa venire in terram Chanaan, ſcilicet vt qui pro domo paterna, ampliſsimæ regionis poſsidendæ certum à DEO promiſſum acceperat. Poſſum hanc interpretationem comprobare auctoritate B. Chryſoſtomi, qui locum hunc explanans ſic DEVM Abræ loquentem facit: Num te ſine cauſa ex patria tua euocaui? num fruſtra in Palæſtinam veniſſe iuſsi? Ecce tibi, cur te in terram Chanaan ire volui, ſcilicet, vt eam tibi poſsidendam, & tanquã hæreditario iure poſteris tuis tranſmittendam & obtinendam darem. Cogitans igitur quantis nunc per meam prouidẽtiam ex eo tempore quo Chaldæam reliquiſti, fruare bonis; & quemadmodum ſingulari mea cura atque ope in dies clarior euadas; indubitanter crede verbis meis, promiſsiſque confide. Sic ex Chryſoſtomo.

Geneſ. 12.

53

Chryſoſtomus homil. 36. in Geneſim.

VERSV 8.

At ille ait, Domine DEVS, *vnde ſcire poſſum quod poſſeſſurus ſim eam?*

Num Abrã dubitauerit de promiſſo Dei.

DVBITABVNDI hominis hæc videntur verba, & ad firmandam promiſſionis diuinæ fidem, ſigna aliqua & argumenta expetentis: at ſecus eſt. Nam qui proxime ante maiora promittenti DEO ita crediderat, vt fides eius diuino teſtimonio laudata fuerit; minime conſentaneum eſt, fidem eius in minori promiſſione titubaſſe. Verba igitur illa: *Vnde ſciam quod poſſeſſurus ſim eam?* ne dubitationem aliquam de promiſſione DEI continere videantur, trifariam exponi poſſunt. Prima expoſitio eſt Auguſti-

54

Prima Expoſitio.

Auguſtini, Chryſoſtomi, Theodoreti: Abram non dubitabat de promiſſione DEI, ſed modum, ordinem, & tempus eius promiſſionis implendæ noſſe cupiebat. Quemadmodum, inquit Auguſtinus, non fuit diffidentia B. Virginis MARIAE, cum dixit Angelo: *Quomodo fiet iſtud, quia virum non cognoſco?* Sed quod futurum eſſe certa erat, modum quo fieret, inquirebat. Audi Chryſoſtomum: Tametſi, inquit, teſtata prius ſit Scriptura Abram credidiſſe DEO, & id fuiſſe reputatum illi ad iuſtitiam: attamen audiens ſibi denuo promitti illius terræ poſſeſſionem, modum conſequendi eam ſcire cupit, & ita loquitur: ijs quidem quæ à te dicuntur, Domine, impoſſibile eſt vt non credam: verumtamen rationem perueniendi ad effectum huius tui promiſſi doceri vellem, video enim me ab extrema ſenectute non procul abeſſe, & ad hunc vſque diem in hac terra peregrinari, & quaſi erronem huc illuc vagari. Quocirca non poſſum humana ratione comprehendere, quemadmodum hoc tuum promiſſum implendum ſit. Non enim dubito de veritate aut potentia tua, vt quem ſciam ex nihilo produxiſſe omnia, & poſſe quicquid velit, nec poſſe quicquam obſiſtere voluntati tuæ. Interrogo igitur, non vt incredulus; ſed quia iterum mihi poſſeſſionem huius terræ nominaſti, vellem equidem craſſius aliquod & clarius ſignum accipere, quod poſſit infirmas cogitationes meas ſolidare.

Aug. de Ciuit. Dei lib. 16. cap. 24. Chryſoſt. homil. 36. in Geneſim. Theodo. in Geneſ. quæſtio. 64. Luc. 1.

Theodoretus porro veram eſſe hanc interpretationem probat ex proxime adiuncto ſacrificio Abræ, & ſermone quem cum eo DEVS habuit, qui modum, ordinem, & tempus complendæ illius promiſsionis diſtincte ac dilucide oſtendit. Prædicit enim DEVS fore vt poſteri Abrę per quadringentos annos peregrinentur in terra aliena; quin etiam aſperrimo ſeruitutis iugo premantur: ſed inde mirabiliter erepti, & inſuper hoſtium ſuorum bonis ac ſpoliis locupletati veniant ad obtinendã eius terræ poſſeſsionem. Tempus autem explendi huius promiſsi fore docet poſt quadringentos annos. Itaque multo ante poſſeſsionem eius terræ deceſſurum Abram, ſed valde annoſum & felicem. Cauſam autem tantæ dilationis, eſſe longanimitatem DEI, expectantis dum habitatores illius terræ eo vſque procedant improbitate atque impietate, vt talem tantamque vindictam & pœnam mereantur. Ecce tibi modum complendi illius diuini promiſsi, quem noſſe cupiebat Abram.

55 ALTERA eſt expoſitio Ruperti & Caietani: Abram cupiuiſſe illud promiſſum firmari aliquo inſigni fœdere & pacto, ſignoue aliquo ac portento: non ſua quidem cauſa, vt qui iſtiuſmodi fidei adminiculis & fulturis minime indigeret; ſed propter ſuos poſteros, qui tum ob adipiſcendæ rei difficultatem, tum ob præſentes eorum calamitates dubitare poſſent de hoc promiſſo, niſi fides eius manifeſto DEI pacto & ingenti aliquo portento præmunita eſſet. Sed audiat Lector Rupertũ: Sicut dixit Abram, *Vnde ſcire poſſum, quod poſſeſſurus ſim terram hanc?* Cur' nõ antea ſimiliter dixit: vnde ſciam quod qui egredietur de vtero meo, ipſum habiturus ſim hæredem? ſed id ſimpliciter credidit DEO, & reputa

2. Expoſitio. Ruper. lib. 5. Cõm. in Geneſ. cap. 20. Caietanus in ca. 15. Geneſis.

reputatum est illi ad iustitiam. Quid enim plus est, hæreditatem possidere quæ iam erat, an hæredem accipere innumerabilem gentem quæ non erat? Non ergo tanquam incredulus infirmata fide dubitauit; sed tanquam pius pater futuris filiis prouidit, ne forte peccãtibus illis pœniteret DEVM huius sui promissi: & idcirco in promissione aliquod sibi dari optauit firmamentum fixæ stabilisque veritatis, & quasi interpositionem iuramenti. Nec moratus Dominus DEVS, quod optabat amicus fidelis, cũ petere non auderet, sponte obtulit. Continuo namque respondens: *Sume*, inquit, *mihi vaccam triennem &c.* Sacrificium enim quod sibi DEVS fieri iussit à seruo suo Abram, adumbrate significauit fœdus & pactum quod tunc DEVS pepigit cum Abram, de tradenda posteris eius possessione terræ Chanaan, vt mox in explanatione eius Sacrificij ostendemus. Hæc Rupertus. His & illa Caietani non sunt dissimilia, atque ad eiusdem expositionis approbationẽ pertinentia: Non increduli, ait Caietanus, nec tentantis DEVM fuit illa petitio Abram: sed consulens ille semini suo, supplicauit pro signo necessario, quo semen suum euidenter cognosceret, ac firme confideret hæreditaturum se terram Chanaan. Verebatur enim Abram ne forte non sibi crederet semen suum testanti, apparuisse sibi DEVM, & promisisse daturum se semini suo possessionem illius terræ. Propterea igitur petiit firmitatis signum, ex quo sciret pro suo semine hæredem se institutum à DEO illius terræ. Hæc Caietanus.

3. Expositio. Tertia expositio: dubitasse Abram vtrum illa DEI promissio esset absoluta, quæ scilicet omnino esset implenda, nec propter improbitatem posterorum Abræ futura inefficax & irrita: an vero esset promissio conditionalis, cuius generis multæ tam promissiones quàm comminationes DEI leguntur in sacris literis. Conditionalis autem promissio non habet effectum, nisi seruata conditione. Itaque dubitabat Abram, an illa promisio tantum complenda esset sub ea conditione, si posteri eius in cultu DEI & diuinorum præceptorum obedientia permanerent. Et vero, possessio terræ Chanaã, absolute & sine conditione promissa est posteris Abræ: at perpetua eius terræ possessio, non nisi sub ea conditione eis promissa est, si DEI cultores & legis eius obseruatores essent. Quam conditionem quia sæpe violarunt illi, idcirco terræ illius possessione deturbati sunt.

S. Thomas in 22. quæstio. 97. art. 2. BEATVS Thomas disputans an tentare DEVM sit peccatum; cum docuisset, tentare DEVM quasi dubitando de eius potentia & veritate, & ad id explorandum requirendo signum aliquod, esse peccatum: aduersus hoc affert exemplum Abræ ex hoc loco, & Gedeonis ex libro Iudicum, qui ad comprobandam promissorum DEI veritatem signum à DEO petiisse videntur: verum hanc ille diluens obiectionem ita scribit: Abraham signum petiit ex instinctu diuino; & ideo nõ peccauit: Gedeon vero ex debilitate fidei signum petiisse videtur, & ideo à peccato non excusatur, sicut ibidem Glossa dicit. Zacharias quoque peccauit dicens Angelo, *Vnde hoc sciam?* ideoque propter eam incredu- 56

Judic. 6.

Luc. 1.

litatem

litatem punitus est. Sciendum tamen dupliciter posse signum peti à DEO: vno modo ad explorandam diuinam potestatem, & veritatem dicti eius; & hoc ex se pertinet ad DEI tentationem: altero modo, vt quis instruatur & doceatur quid circa factũ aliquod sit placitum DEO; & hoc nullo modo pertinet ad DEI tentationem. Sic B. Thomas.

An Gedeon peccauerit petẽs signũ à D eo. Verum quod is putat peccasse Gedeonẽ in petendo signum à DEO, mihi certe id minime persuadet. Video enim nusquam in Scriptura ea de re Gedeonem esse reprehensum: neque existimo DEVM tam facile & sine vlla temeritatis eius significatione, satisfacturũ fuisse eius voto ac petitioni, si ea improba, & contra diuinæ maiestatis reuerentiam fuisset. Sane Caietanus negat Gedeonem in ea re peccasse: non enim petiisse illud signum sibi, tanquam diffidenti promissis DEI, sed populo quem congregauerat; quo scilicet is confirmatus & animatus eo signo, audentius & alacrius ad bellum procederet. Lyranus idem sentit ad hunc modum scribens: Quando petitur signum ex diffidentia post certificationem de nuncio DEI; peccatum est. Sed cum petitur ex quadam familiaritate diuina, & voluntate ac desiderio vt manifestetur aliis DEI gloria, tunc non est peccatum. Sicut Ezechias petiuit signum de sanitate sua futura; quam tamen ei nuntiauerat Esaias propheta, vt habetur 4. Regum 20. & Isaiæ 38. atque hoc modo Gedeon petiit signum de victoria sibi futura.

Caietanus in caput 6. Iudicum.

Lyranus in c. 6. Iudic.

Et respondẽs Dominus, Sume mihi, inquit, vaccam trienem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam, &c. VERSV 9. vsq. ad 13.

57 AD quem finem iusserit DEVS afferri istiusmodi animalia, non vna omnium est sententia. Iosephus & multi de nostris putant ista fuisse præscripta & comparata ad vsum Sacrificij, quod ex illis animalibus Abram erat oblaturus DEO. Sed aliis propterea id non placet, quod nullum hic verbum nullaque fit significatio, nullumque apparet vestigiũ aut præscripti à DEO aut ab Abram oblati Sacrificij. Censent igitur duas ob causas apparatum illum animalium esse designatum. Altera causa est, vt per illa animalia quasi per quoddam ænigma præfigurarentur quæ ventura erant posteris Abræ ante possessionem terræ Chanaan, partim aduersa, vt peregrinatio eorum in terra aliena, & dura seruitus atque afflictio; partim secunda, vt admirabilis eorum liberatio, & ex hostium suorum spoliis bonisque ingens opulentia. Et mala quidem, per tria animalia terrestria significata sunt, bona vero per aues, turturem & columbam. Altera causa fuit, ad percutiendum fœdus cum Abram: hoc enim ille expetierat, cupiens promissionem illam possessionis terræ

Iosephus lib. 1. Antiquitatum.

An illa animalia ad vsum sacrificij pertinuerint.

Chanaan insigni aliquo fœdere & notabili signo confirmari ad roborandam posterorum suorum fidem & fiduciam. Clarum huius rei indicium & argumentum est,quod exposito illorum animalium apparatu, Moses adiungit, in illa die DEVM pepigisse fœdus cum Abram.

Chrysost. homil.36.in Genes.

Et Chrysostomus locum hunc Mosis explanans,Vide, inquit, quemadmodum DEVS more humano init fœdus cum Abram. Quando nos aliquid promittimus,& volumus certum reddere eum cui promissio fit, ita vt de promissis nihil ambigat, signum aliquod damus & pignus; vt ad illud spectans scire queat promissa omnino euentura: ita misericors DEVS querenti Abræ,vnde sciam? respõdit,*Sume mihi vaccam trimam &c.* Attende obsecro in quantam crassitudinem, descendendum sibi duxerit bonus Dominus,quo Patriarchã argumẽtis copiosis certiorẽ redderet.Nã quia olim talis erat mos paciscendi, & pacta firmandi:ideo & ipse DEVS hac via ingressus est. Sic Chrysostomus.

Mos antiquus faciendi fœdera.

Mos igitur fuit antiquitus apud Hebræos,vt cum inirent fœdus,occiderent animal aliquod, atque inter partes eius diuisas & inter se oppositas transirent, tanquam talem sibi cædem & lacerationem imprecantes, si fœdus illud violassent. Huius antiqui moris illustre apud Hieremiam exemplum extat:namque reprehendens Propheta Iudæos de violato iureiurando, fractoque fœdere quod solemni ritu fecerant: *Dabo,*inquit,*homines qui transgressi sunt pactum meum,qui non steterunt verbis pacti quod pepigerunt coram me, vitulũ quem diuiserunt in duo, & transierunt per medium duorum membrorum eius &c.* Quæ verba exponens Theodoretus:Quondam, inquit, hoc ritu iurare & fœdera inire mos erat.Quin etiam cum DEVS fœdus iniret cum Abram, iussit arietem trimum,& vitulum & capram similis ætatis, in duas partes diuidi,easque ex aduerso collcari;transire item fecit clibanum fumantem & lampadem ardentem per medium ambarum portionum;hunc in modum paciscens cum Abraham,iuxta morem qui tunc vigebat.Sic Theodoretus.Non est igitur dubitandum quin mos hic Hebræorum traxerit originem ex eo fœdere, quod Moses hoc loco narrat DEVM pepigisse cum Abram. Nisi quod Abram quinque animalium genera capere iussus est:cætera autem fœdera vno tantum animali rite secto fiebant.Atque hæc est causa cur Hebræi fœdus facere, dicant diuidere aut dissecare fœdus;sicut Latini suum etiam repręsentantes ritum ineundi fœdera, dicebant percutere & ferire fœdus:nempe Fœcialis saxo vel silice feriebant porcum siue porcam,similiter à DEO feriri precatus eum,qui fœdus fregisset,vnde illud apud Poëtam.

Locus Hieremiæ cap. 34.

Theodoretus.

Virgilius Aeneid.8.

Et casa iungebant fœdera porca.

Apparet igitur,vt istis placet, apparatum illum animalium non sacrificij causa,sed fœderis esse factum. Quanquam nihil vetat credere,appositionem illorum animalium ad vtriusque rei vsum pertinuisse: & Abram peracto fœderis ritu, ex illis ipsis animalibus Sacrificium obtulisse DEO.Verum Mosis verba,quæ supra sunt posita perpendamus. SYME *mihi.*Hæc vigilanti Abræ mandata sunt,& ab eo sensibus vtente peracta.

paracta.Illud,*Sume mihi,*tria significare potest:primo sume ista ad vsum Sacrificij mihi ex istis animalibus offerendi. Tum *Sume mihi,* id est,in vsum fœderis,quod tecum,more & ritu vestro,paciscì & firmare volo. Demum,*Sume mihi,*id est,vt per ista tibi adumbrem & significem quæ posteris tuis euentura sunt,partim læta, partim tristia, ante possessionem terræ Chanaan à me promissam. *Vaccam* Oleaster putat hic vertendum fuisse Vitulam. Namque hebræa vox heglach, significat vitulam,sic dictam à rotunditate pedis,vel à via,quam sua vngula premit & signat.

Oleaster in cap.15. in Genesim.

At enim rectior est nostri Riberæ sententia, docentis nomen illud hebræum non tantum significare vitulam proprie dictam, sed etiam vaccam nouellã, siquidem apud Latinos vitulus & vitula proprie vocantur intra primum annum, post quem nominantur iuuencus & iuuenca;post id verò temporis taurus & vacca,siue nouelli sint, siue veteres. Audi Varronem: In bubulo genere, ait, ætatis gradus dicuntur quatuor:prima ætas vitulorum,secunda iuuencorum,tertia boum nouellorum, quarta vetulorum. Discernuntur in prima ætate vitulus & vitula,in secunda iuuencus & iuuenca,in tertia & quarta taurus & vacca.Sic Varro.Quod autem vox hebræa significet etiam vaccam, paret ex illis verbis Oseæ 10.*Ephraim vitula docta diligere triturам*:At quæ in tritura versatur,non vitula, sed vacca est. Idẽ declarant illa verba Samsonis Iudicum 14.*Si non arasseris in vitula mea*, neque enim vitulorum aut vitularũ, sed grandiorũ boum & vaccarũ in arando vsus est. *Triennem* vox hebręa significare potest & triennẽ & triplicatam,vt & ad ætatem & ad numerũ referatur. Oleaster putat hic legendũ esse triplicatam,atque ita vertit paraphrastes Chaldæus:secundum quã lectionem iussus esset Abram assumere tria genera animalium terrestrium, & ex quolibet genere tria indiuidua,id est,tres vaccas,tres arietes,& tres capras. Sed enim nostra lectio quæ habet *triennem* probabilior est. Sic enim verterunt 70. Interpretes;sic legit Iosephus; sic interpretatus est Rabbi Abram;hanc denique lectionem secuti sunt Patres; nec non & superuacanea videtur triplicatio eiusdem animalis tam ad vsum fœderis & sacrificij, quam ad significationem mysterij, quod per illa quodammodo figurabatur.

Ribera in ca. 10.Oseæ numero 15.

Varro lib. 2. De Rusti ca.cap.5.

Oleaster.

Iosephus.

Rabbi Abraham.

60 TVRTVREM *quoque & columbam.* Harum tantum auium vsus erat in sacrificiis legalibus,præter sacrificium pro emundatione leprosi, vbi passer adhibebatur. Turtur hebraice vocatur Thor, vt ab hebræo latinum nomen turturis tractum videatur.Dicitur autem Thor à thur; quod est cogitare siue meditari, quod intus loqui turtur videatur modo eorum qui meditabundi secum loquuntur. Pro columba vox hebræa Gozal, significans pullum columbæ siue paruam columbam, originem ducit à Gazal, quod est rapere;quod pullus columbæ ex ore matris cibum rapit: aut quod ita cicur sit, vt domi è manu cibum capiat. *Qui tollens vniuersa hæc,diuisit ea per medium,& vtraque partes contra se altrinsecus posuit;aues autem non diuisit.* Non solum Abram occidit

*Leuit.*14.

animalia illa vt fiebat in sacrificiis;sed diuisit vnumquodque à summo ad imum in duas partes, easq.inter se oppositas collocauit,tanto interiecto inter eas interuallo,vt illac transiri posset.Hæc autem omnis cæremonia pertinuit ad antiquum ritum faciendi pacti,vt paulo supra expositum est. Aues autem etsi occidit, non tamen dissecuit,quod in firmandis pactis,diuisio animalium non in auibus, sed in terrestribus solum fieri soleret. *Descenderuntque volucres super cadauera, & abigebat eas Abram.*Descensus ille auium,naturalis fuit: sunt enim aues carniuoræ, vt corui & vultures, pastum ex cadaueribus petentes. Apparatus vero illorum animalium extra tabernaculum Abræ, & in propatulo factus est,vt carniuoræ aues eo deuolare facile potuerint. Quamquã id quoq. deseruiebat mysterio quod hic adumbrabatur.Abrã vero abigebat eas, scilicet,ne carnes animalium illæ fœdarent,aut etiam deuorarent.

Cumque sol occumberet, sopor magnus irruit super Abram, & horror magnus & tenebrosus inuasit eum. Sequẽs igitur visio contigit extremo iam die qui proxime subsecutus est eam noctem in qua DEVS dixerat Abrę: *Suspice cælum & numera stellas si potes.* Vocabulum soporis denotat in Scriptura valde profundum sumnum qui aufert vsum sensuum: nam hebraice est vox, thardema, de cuius significatione disputauimus in primo Tomo horum Commentariorũ in Genesim, Libro quarto,cum exponeremus illa verba Genesis 2. *Immisit* DEVS *soporem in Adam.*septuaginta interpretes verterũt ecstasim, quæ vox non somnum denotat,sed excessum & auocationem mentis à sensibus, raptumq. ad diuinam contemplationem.Sed vtrumque cõtigit Abræ:namque & somno correptus est quantum ad corpus & sensus; & mens eius cœlitus illustrata,& de futuris rebus prædocta est.Itaque nec sopor ille nec horror naturaliter accidit Abræ,sed diuinitus est iniectus.Vocatur horror tenebrosus, quia talis erat, qualis contingit homini solitario & in tenebris:si quidem tenebræ,præsertim in deserto loco,per se horrorem incutiunt;& si quid horribile inibi contigit, ex ipsis insuper tenebris fit horribilius.Quid autẽ portẽderet horror ille, paulo infra ostendemus.

QVINTA DISPVTATIO

De veris rationibus & causis eorum quæ hic facta narrantur; & de multiplici, quod in illis rebus latebat, mysterio.

Philo. ALLEGORICAM superiorum verborum Mosis expositionem satis piam,eruditã,& elegantem petat Lector ex Philonis libro qui inscribitur,Quis rerum diuinarum sit hæres.non enim fert animus ad alia festinans, in ea commemoranda hic detineri.Illud potius hic disputemus,cur tot & 60

tot & talia animalilia,& cum talibus circumstantiis DEVS assumi iusserit.Ante omnia vero quærendum,de tam multis animaliũ generibus, cur illa quinque præ cæteris, tria de terrestribus,de volucrib.duo, assumpta sint.Communis est Doctorum responsio, voluisse DEVM ea re præmonstrare, & iam tunc quasi præscribere, quorũ animalium olim secundum legem Mosis futurus esset in sacrificiis vsus; horum nempe tantummodo, excepto sacrificio pro emundatione lepræ,in quo passer offerebatur. Sed cur ista solũ animalia voluit DEVS in sacrificiis legalibus immolari?Audi peridoneam & probabilẽ admodũ rationẽ à Philone allatã: Animalia,inquit Philo,quæ in sacris mactari solent,aut terrestria sunt aut volucria. Sed volucriũ cũ innumeræ sint species,præteritis cæteris omnibus,duas tantũ selegit Moses.Etenim colũba inter natura mãsuetas & gregatim volitãtes est mitissima, turtur vero inter solitarias cicuratu facillima.Terrestrium quoque,innumeris omissis, tria præcipua secreuit genera,boũ,ouiũ,caprarũ,vt mitiora & mansuetiora. siquidem magna boũ armenta,magniq.greges ouium & caprarũ, dum exeunt ad pascua,rursusque ad septa reducũtur,ab vno quouis non viro tantum, sed etiam puero aguntur. Illud etiam mitis eorum ingenij argumentum est,quod non carnibus,sed herbis vescuntur;nec vnguibus aduncis armata sunt, nec continua serie dentium. Præterea maxime vitam humanam hæc iuuant animalia. Arietes præter carnis esum, etiam vestitum præbent tegendis corporibus.Boues arando terram sementi præparant, & ipsas fruges tritura vtiles reddunt alimẽto. Ex caprarum (taceo hic lac & caseum) pilis ac tergoribus contextis consutisque fiunt penulæ viatorum,velaminaque militibus,& aliis, quos necessitas aliqua cogit extra vrbes sub dio degere. Sic Philo. *Leuit.* 14. Philo.lib. De victimis.

Lyranus hoc loco aliã exponit rationẽ,sed mysticã:ait enim,per sacrificia legalia testatam esse fidẽ CHRISTI venturi,sine qua vel explicita, vel implicita nulli vnquã hominũ salus contigit. In CHRISTO autẽ fuit diuinitas & humanitas: diuinitatẽ contestabãtur per ista animalia, quæ ad degendã & sustentandã vitã humanã maxime conferunt;significantes à DEO se vitã & omnia vitæ commoda habere.Humanitatem vero,quæ instrumentũ nostræ redẽptionis fuit,repræsentabant ista animalia;ouis, innocentiã eius;capra,similitudinem carnis peccati, quam Dominus induit, vt de peccato damnaret peccatum in carne, sicut ait Paulus; bos, robur & patientiam in perferendis laboribus;turtur,eius munditiã & castimoniã;columba,quę sine felle est,incomparabilẽ eius mansuetudinẽ,quam ille nos pręcipue amare & imitari voluit,cũ dixit: *Discite à me quia mitis sum,& humilis corde.*Ex Lyrano hæc dicta sunt. Lyranus. *Ad Ro.* 8. *Matth.* 11.

Theodoretus diuersam reddit rationem; sed magis historicam: Propterea,inquit,ex quadrupedibus mũdis tria iussit assumi,vt significaret tres generationes quæ transigendæ erant in peregrinatione Hebræorum: nam ipse dixit: *quarta generatione reuertentur huc.* Turtur autem quartam illam generationem denotabat, quæ ex Ægypto egressa velut euolauit & habitauit in deserto. Huiusmodi enim auis amans est Theodoret. in Genesim quæstio.65.

solitudinis. Columba autem generationem aliam indicabat, quæ terram promissam accepit: mansuetũ enim est hoc animal ac domesticum.

2. Quæstio. cur illa animalia fuerint triennia. Lyranus.

ALTERA quęstio, cur terrestrium animalium ætatem triennio definiuit. Lyranus & Thostatus hanc reddunt causam, quod ex quolibet illorum animalium, triplex secundum legem Mosis faciendum esset sacrificium, Holocaustum videlicet, & hostia pacifica, & Sacrificium pro peccato. Verum aliæ tres causæ similiores vero afferri possunt. Prima, quia tali ætate denotatur perfecta magnitudo & robur talium animalium; & Hebręi affligendi erant ab Ægyptiis tres ob causas, ob numerosissimam eorum multiplicationem, ob eximiam corporis proceritatem & robur ac pulchritudinem, & ob bonorum temporalium abundantiam: hinc enim & inuidere Hebræis, & metuere eos cœperunt. Secunda causa, quia fœdus illud de possessione terræ Chanaan, cum tribus Patriarchis, Abram, Isaac, Iacob ictum, sæpiusq. renouatum & firmatum est. Tertia causa, quia possessio illius terræ mansura Hebræis erat triplici tempore, & in triplici statu regiminis eius populi; tempus dico Iudicum, deinde Regum, postea Pontificum vsq; ad CHRISTI aduentum. De auium ætate nec hic, nec per legem Mosis quidquam perscriptum est; quod non ita longæuæ sint aues, nec ætas earum facile dignosci queat. 61

Dubitatio cur hic nihil præceptum sit de integritate & perfectione istorum animalium. Philo in libro de Victimis.

Illud potius inquirendum, cur nihil de istorum animalium integritate & perfectione mandatum sit, sicut lege Mosis seuere præceptum est, & ab Hebræis religiose admodum custodiebatur, vt animal offerendum in sacrificio, nec mutilũ esset nec maculosum. Oportet, inquit Philo, animalia quæ offerenda sunt, vsquequaq. integra esse, atq. illæsa omnibus partibus, & maculis næuisq. carentia. Tãta enim cautela vtuntur in hoc negocio, & qui offerunt victimas, & ipsi sacrifici: vt sacerdotum peritissimi, ab extremis pedibus exorsi per totũ corpus inquirãt, vt ne celetur vel minima labecula. Adhibetur porro tanta hæc cura non propter ipsas victimas, sed vt sine omni culpa sint qui eas mactandas offerunt. Submonentur præterea his symbolis, vt quoties accedunt ad altaria vel nuncupaturi vota, vel reddituri, nullũ vitium nullumq. morbum animo ferant; sed mundum ab omni scelere atq. immaculatum, velut in cõspectum DEI adducant; ne DEVS propter turpitudinem animi, sacrificia eorum auersetur. Hæc Philo. Sed lex, vt quæ in vniuersum populo Hebræo lata est, signate & expresse de hostiarum integritate ac munditia pręcipere debuit: multi enim futuri erãt, qui propter auaritiã, & irreligiosam mentẽ grauiter in eo peccarent. At pio & religioso viro Abræ, qui solitus erat lectissima quæq. omniũ quæ habebat atq. optima offerre DEO, nihil tali præscriptione aut cautione opus fuit.

Morale documentum

NEC vero locus hic non vtile nobis prębet morale documentũ. Etenim certus esse vult de adipiscenda Promissionis terra, idest, de perueniendo ad cælestem illam semper viuentium regionem: primum sumat Vaccã, idest, cũ primis humilitatẽ colat, quæ per vaccã significatur iugo assuetã. Ea vero trima sit; trifariã enim oportet esse recte ordinatã humilita- 62

militatem, erga superiores, erga pares, atque etiam erga inferiores. Sumat deinde capram, id est, amplectatur pœnitentiã, nobis qui diu multumque peccauimus, perneccssariam. Erat vero capra etiam triennis: & pœniteutia tribus ipsa quoque partibus constat, contritione, confessione, & satisfactione. Accipiat præterea trium annorum arietem, id est, fortitudinem atque constantiam; hęc autem in triplici malorum genere perferendo ac superando versatur, contumelias dico & iniurias, quæ contra honorem & famam sunt: damna item rei familiaris, detrimenta quoque corporis ac vitæ. His adiungat turturem, id est, virtutem Castitatis; siue studium meditationis & contemplationis, fugiendo turbas & tumultus seculi, & spirituali quadam solitudine gaudendo. His demum aggregetur Columba, animal scilicet mite, simplex, & vt ferunt, felle carens, appositissima nempe figura simplicitatis, mansuetudinis & Caritatis, qua in iuuandis aliis vti debemus. Sciat porrò rectis ipsius consiliis, studiis, & conatibus insidiaturos Dæmones, & varia opposituros impedimenta: sed ipse prædoctus artes eorum, vigilet, quantum in ipso est, præceptum illud Petri Apostoli diligenter obseruans: *Sobry estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Atque hoc sane est quod hic legitur, Abram aues ad fœdanda & corrumpenda animalia descendentes abegisse. Sed pergamus ad alia. 1. Petr. 5.

3. Quæstio. Cur animalia terrestria diuisa sint, non autem Aues.

63 CVR diuisit animalia terrestria, nec itidem diuisit aues? An quia in faciendis pactis, firmandisque fœderibus mos erat id temporis, non aues, sed terrestria animalia dissecare? An quod terrestria illa animalia labori & seruitio hominis addicta, significabant seruitutem Hebræorum in Ægypto, in qua filij separandi erant à parentibus, & in flumen proiiciendi? Aues autem significabant eorum liberationem, quam vt narrat liber Exodi, coadunati omnes adepti sunt. An hoc pulchram habet mystologiam? Namque aues significabant amatores superarum & cælestium rerum; terrestria vero animalia, homines terrenarum rerum cupiditatibus & curis affixos. Dissensiones autem, disidia & discordiæ inter illos nullæ sunt; apud hos frequẽtissimas, & grauissimas esse constat. Audiamus B. Augustinum luculẽte super hoc ipso, quem habemus in manibus, Mosis loco disputantem. Similitudo, inquit Augustinus, data est Abræ de tribus animalibus, Iuuenca, Capra, & Ariete, & de duabus volucribus Turture, & Columba: vt secundum hæc futurum sciret, quod futurum esse iam non ambigeret. Ergo per iuuencam significata est plebs posita sub iugo legis: per capram, eadẽ plebs peccatrix futura: per arietem, eadem plebs regnatura. Quæ animalia propterea trima dicuntur, quia cum sint tres insignes articuli temporum, ab Adam vsque ad Noe; Et inde vsque ad Abram; & inde vsque ad Dauid; in hoc ordine tertio qui tenditur ab Abram vsque ad Dauid, tanquam tertiam ætatẽ gerens ille populus adoleuit. Nec vllo modo dubitauerim, spiritales viros in eo populo præfiguratos additamẽto turturis & columbæ; ideoque dictum est, *Aues autem non diuisit*, quoniam carnales inter sẽ diui

August. de Ciuit. Dei. lib. 16. cap. 14.

diuiduntur;ſpiritales autem nullo modo,ſiue à negotioſis conuerſationibus hominum ſe remoueant,ſicut turtur:ſiue inter illos degant,ſicut columbę. Vtraque tamen auis eſt ſimplex & innoxia,ſignificans & in illo populo futuros indiuiduos filios promiſsionis, & hæredes regni in æterna felicitate manſuros. Sic Auguſtinus.

4. Quæſtio de Auium deſcenſu.

Quarta quæſtio:quid ſignificabant aues deſcendentes ad cadauera, 64
& Abram eas abigens ? Secundum hiſtoricam interpretationem, aues deuolantes ad fœdandas vel comedendas carnes animalium,portendebant Ægyptios partim inuidia,partim metu proſperitatis Hebræorum quoquo modo conaturos eam gentem deprimere, peſſundare ac perdere : ſed obſiſtente ac prohibente DEO, propter fœdus cum Abram percuſſum, & datam ei promiſsionem terræ Chanaan à poſteris eius poſsidendæ,omnes Ægyptiorum aduerſus Hebræos artes,conatus, atque impetus inualidos atque irritos fore. Sedenim ſecũdum myſticam expoſitionem,ita hæc interpretatur Auguſtinus:Aues,inquit, deſcendentes ſuper corpora quæ diuiſa erant,non boni aliquid,ſed ſpiritus indicant aëris huius, paſtum quendam ſuum de carnalium hominum diuiſione quærentes.Quod autem illis conſedit Abram, ſignificat etiam inter illas carnalium diuiſiones, veros vſque in finem ſeculi perſeueraturos fideles.Sic Auguſtinus : qui pro eo quod nos legimus iuxta veritatem hebraicam,*Et Abram abigebat eas*;ipſe legit ſecundum translationem ſeptuaginta interpretum,*& conſedit illis Abram* : quam lectionem memorat etiam Hieronymus in Traditionibus hebraicis in Geneſim. Quî autem factum ſit,vt ſeptuaginta interpretes tam diuerſe à ſententia lectionis hebraicæ locum hunc interpretati ſint, diſputat Eugubinus in ſuis Notationibus in Geneſim.

Auguſt. vbi ſupra.

B. Hieronymus.

Eugubinus.

Equidem non hic præteribo pulcherrimam huius loci explanationem myſticam, quæ eſt apud B. Gregorium libro 16. Moralium ſuper extremis verbis capitis 23.Iob.Docet Gregorius, ſæpe viros ſanctos in oratione verſantes, à Dæmonibus interturbari atque infeſtari ſuggeſtu terrenarum & turpium cogitationum;quas illi quamprimũ omni cura abigere debent.Sæpe,inquit, etiã corda iuſtorum ſubortæ cogitationes polluunt,cum terrenarum rerũ delectationibus tangunt.Sed dũ citius manu ſanctę diſcretionis abigũtur,feſtine agitur, ne cordis faciẽ caligo operiat, quæ hanc ex illicita delectatione tangebat. Nam ſæpe in ipſo orationis ſacrificio importunæ ſe cogitationes ingerunt,quæ hoc rapere vel maculare valeant,quod in nobis DEO flẽtes immolamus. Abram cum ad occaſum Solis ſacrificium offerret,inſiſtentes aues pertulit: ſed eas ſtudioſe,ne oblatum ſacrificium raperent,abegit.Sic nos cum in ara cordis ſacrificium DEO offerimus,ab immundis hoc volucribus cuſtodiamus:ne maligni ſpiritus & peruerſæ cogitationes rapiãt, quod mens noſtra offerre ſe DEO vtiliter ſperat.Hæc Gregorius.

Gregorius.

5. Quęſtio. Quid ſignificaret Occaſus ſolis, & ſopor atque horror Abræ.

Quinta quæſtio: Quid præmonſtrabat ille occaſus Solis;& quid ſo- 65
por ille atque horror qui contigit Abræ? Occaſus Solis ſignificabat obitum Ioſeph Patriarchæ. Nã eo viuente cuncta Hebræis in Ægypto proſpera

proſpera fuerunt:at poſt eius obitum cœpta eſt eorum ſeruitus,afflictio & oppreſſio : vel occaſus ſolis ſignificabat extremam partem illorum quadringentorum annorum; tunc enim ſeruitus Hebræorum in Ægypto multo quàm antea durior & acerbior extitit.Sopor ille Abrę,ſignificabat DEVM quaſi dormientem,& gentis Hebrææ oblitum, diſſimulaturum aliquandiu Hebręorum afflictionem,liberationemque eorum dilaturum.Vel ſopor ille ſignificabat,Abram minime futurum participem illius ſeruitutis & calamitatis ſuæ gentis ; ſed valde longæuum & fortunatum multo ante deceſſurũ.Horror verò ac tenebræ ſigna fuerũt grauiſsimorum malorum & calamitatum tam corporis, quàm animi, quas in illa ſeruitute perpeſſuri erant Hebræi. Verum hæc aliter exponit B. Auguſtinus ad hunc modum ſcribens: Quod circa ſolis occaſum pauor irruit in Abram & timor tenebroſus, ſignificat circa huius ſæculi finem magnam perturbationem ac tribulationem futuram fidelium:de qua Dominus dixit in Euangelio: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio.*

Auguſtinus vbi ſupra.

Matth. 24.

66 NON poſſum facere vt hic tacitus præteream eruditam Philonis ſuper hoc loco diſputationem, exponentis allegorice occaſum illum ſolis,& ſoporem illum Abrę ſiue ecſtaſim;ſic enim legit ille ſecutus ſeptuaginta interpretes.De ſolis occaſu diſputans, tradit, ſolem in ſacris literis quatuor allegoricas habere ſignificationes: nam & mentem hominis ſignificat,& ſenſum,& DEI ſermonem,& ipſummet DEVM:quas ille ſignificationes aptis è Scriptura ſententiis illuſtrat.Sed illud eius de occaſu ſolis ſane præclarum.Nonne vides,inquit,ſolem aliud oriẽtem, aliud occidentẽ efficere? Namque ortus eius illuſtrat quæ in terris ſunt omnia;at quæ in cælis ſunt aſtra occultat. Cõtra verò eius occaſus cœleſtia ſidera oſtentat;terreſtria autẽ corpora quaſi velo quodam caliginis & tenebrarum contegit. Ad eundem modum res noſtræ ſe habent: quoties enim ſenſuum & humanarum rationum fulgor in nobis oritur : tunc ſcientia & contemplatio rerum cæleſtium deficit : at in illorum occaſu, fulgentiſsimæ virtutum & contemplationum ſtellæ apparent, quando etiam mens ipſa, re nulla velante,ſit ſibi quaſi aſpectabilis & conſpicua.

Philo in libro de ſomniis.

Sol in ſacris literis quatuor habet allegoricas ſignificationes.

Idem Philo in libro de legitimo diuinarum rerum hærede,explanãs illam ecſtaſim ſiue exceſſum mentis qui contigit Abræ, quadruplicem facit ecſtaſim ſiue exceſſum mentis: vnus enim eſt afferens delirium & inſaniam,ex nimio videlicet ſenio vel atra bili,alioue morbo natus ; de quo in libro Deuteronomij mentio fit inter Maledictiones : *Deliratio*, inquit,*cæcitas & exceſſus mentis corripiet impios,vt nihil differant à cæcis meridie palpantibus tanquam in tenebris.* Alter exceſſus accidit ob magnum aliquem pauorem inopinatum atque repentinum ; ad quem pertinet quod legitur de Iſaac : *Correptus*,inquit, *ſtupore magno dixit : Quis igitur venationem mihi attulit priuſquam tu venires : & guſtaui & benedixi ei,eritque benedictus?* Et de Iacob legitur : *Cum nuntiarent ei filij eius Ioſeph viuere, & dominari in Aegypto* ; *exceſſit*, inquit Scriptura, *Iacob mente:*

Quadruplex Ecſtaſis ſiue exceſſus mentis.

Deut. 28.

Geneſ. 27.

Infra 45.

Universidad de Deusto Biblioteca

Genes. 2. *non enim credebat eis.* Tertius excessus fit in tranquillitate animi, cum is feriatus à sensibus, in placida & dulci comtemplatione versatur. Huius excessus significationem videre licet in creatione mulieris. *Immisit* DEVS *ecstasim in Adam*, inquit Scriptura, *& sopiuit eum*; vbi excessus pro quiete mentis ac tranquillitate accipitur: nam vt somnus mentis, est vigilia sensuum: ita & vigilia mentis, est sensuum vacatio & otium. Quartus excessus est omnium longe optimus, quando mens diuino afflatu & spiritu corripitur atque impletur, qualis est prophetici generis. Huius ecstasis clarum exemplum est, quod nunc versamus manibus. De eo namque hic scriptū est: *Et cum occidisset Sol, ecstasis incubuit in Abram*: Correptū scilicet numine, afflatūque diuino Spiritu. Fuisse enim eum prophetam diserte traditur hoc ipso libro. Quin & omnibus probis viris Sacra scriptura prophetiam tribuit. Et enim Propheta nihil ex se loquitur, sed omnia submonēte alio: est enim ceu instrumentū DEI resonans, ab eo contactum & pulsatum inuisibiliter. Proinde quotquot insignes admodum iustitia cōmemorantur in Sacris literis, eos videre est vt Prophetas induci plenos cælesti lumine, vt Noe, Abram, Isaac, Iacob, Mosem atque alios quamplurimos. Enimuero quod in mundo est Sol hoc ipsum in nobis est ratio: ambo.n. lucent, alter sensibilme mundo præbens lucē; altera nos illustrans radiis intelligibilibus. Siquidem donec mens nostra lucet, velut meridianum splendorē diffundens per totam animam, intra nosmetipsos manemus: at illa vergente ad occasum, merito ecstasis & diuinus furor incidit; exoriente enim diuino lumine, humanum occidit: contra occidente illo, hoc exoritur. Idque solet accidere prophetico generi. Quapropter hic legitur, occasum Solis & offusas tenebras, ecstasim & diuinum prophetiæ spiritum attulisse Abræ. Hactenus ex Philone.

Genes. 15. Infra 20.

6. Quæstio. Quid Clibanus fumans significet.

67 RESTAT vt de significatione illius Clibani fumantis, & lampadis transeuntis breuissime dicamus. Clibanus Græcà vox est, significans furnum paruum, & quocumque libitum fuerit, mobilem. Significabat autem Clibanus fumās durissimam seruitutem Hebræorum in Aegypto; solet enim Scriptura appellare eam, fornacem ferreā. Significabat item grauissimum laborem eorū in coquendis lateribus, de quo Exodi cap. 1. & 5. Lampas transiens inter partes animalium diuisas repræsentabat DEVM fœdus cum Abram pangentem, iuxta priscum morem ineuntium & firmantium pacta, vt dudum indicatum est. Vel significabat præsentiam DEI, certam ferentis opem & liberationem afflictis Hebræis: sæpe enim DEVS præsentiam suam per ignem significauit: sic enim apparuit in Rubo, in columna, in monte Sina: Vel indicabat sacrificium illud Abræ acceptum & gratum esse DEO: cuius diuina approbatio per ignem cælitus demissum declarabatur. Sanctus Augustinus lib. 10. de Ciuitate DEI capite 8. pro ingenti miraculo habet, lampadem illam transisse inter partes animalium, quasi à nemine latam, sed per seipsam motam. Verùm id postea, melius rem considerans, in libro secundo Retractationum capite 43. emendauit; quòd illud

Quid lampas transiēs.

Exod. 3. Infra 15. Infra 19. & 20.

illud non reuera factum fuerit, sed per visionē tantùm contigerit. Idem Augustinus in eiusdem operis libro 16. Cap. 24. ait: Quod in occasu Solis visa sit Abræ fornax fumibunda, & lampas ignis trāsiens per medium diuisorum animalium, significatum esse, in fine seculi per ignem iudicandos esse carnales. Sicut enim afflictio ciuitatis DEI qualis antea nunquam fuit, quæ sub Antichristo futura creditur, significatur tenebroso timore Abræ circa Solis occasum, id est, propinquante iam fine seculi: sic ad solis occasum, id est, ad ipsum iam mundi finem significatur isto igne dies iudicij dirimēs Carnales per ignem saluādos, & igne damnandos. Sic Augustinus.

SEXTA DISPVTATIO,

Super illa verba:

Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti & affligent quadringentis annis. An Hebræi manserint in Aegypto & seruierint Aegyptiis per quadringentos annos. VERSV 13.

68 MAGNAM hic locus habet difficultatem, siue per se consideratus, siue comparatus cum aliis Scripturæ locis. Si enim per se consideretur, in his paucis verbis perspicue falsa & pugnantia continere videbitur. Siquidem hic æquale ponitur tempus habitationis Hebræorum in Aegypto, atque seruitutis; vtrique enim assignantur quadringenti anni: cum tamen liquido constet multo breuiorem fuisse seruitutem. Namque eorum seruitus non est cœpta nisi post mortem Ioseph patriarchæ, vt traditur Exodi 1. Ioseph autem post ingressum Iacob & omnis familiæ eius in Aegyptum, vixit annos vnum & septuaginta, vt colligitur ex tribus huius libri locis inuicē coniunctis, ex cap. 41. 45. & 50. Cū. n. ex carcere Ioseph eductus est, & præfectꝰ Aegypto, annorū erat 30. Gen. 41. Nouē annis, post ingressus est Iacob cum omni familia sua in Aegyptū Gen. 45. post id tēporis superuixit Ioseph vnum & 70. annos; totum enim eius vitæ tempus definitur centū decē annis Gen. 50. Hebræi verò quoad vixit Ioseph, quiete ac feliciter fuerunt in Aegypto, imperātes magis quàm seruientes Aegyptiis. Apparet igitur multo longius fuisse tempus habitationis Hebræorum in Aegypto, quàm seruitutis. Deinde si locus hic comparetur cum aliis locis Scripturæ, non videbitur cum illis congruere. Siquidem hic dicitur, peregrinatio

Hebræorum in terra non sua, id est, in Aegypto, futura quadringentorum annorum; in libro autem Exodi cap. 12. scriptũ est habitasse Hebræos in Aegypto annis quadringentis triginta. At B. Paulus recẽsens quadringentos triginta annos à promissione quæ data est Abræ, vt legitur Genes. 12. vsque ad tempus quo lata est lex in monte Sina; satis indicat mansionem Hebræorum in Aegypto fuisse paulo amplius ducentos annos.

Ad Galat. 3.

Quo igitur enucleatius res hæc declaretur, tria nobis disputanda & explicanda sunt: primo, post descensum Iacob in Aegyptum, quamdiu inibi manserint Hebræi: tum, quamdiu seruierint Aegyptiis: deinde, quomodo interpretandus sit hic locus de quadringentis annis habitationis & seruitutis Hebræorum: & computationis illorum quadringentorum annorum, vnde sumendum sit initium. Illud porro præmonendus est Lector, tempus habitationis Hebræorum in Aegypto, concessu omnium auspicandum esse ab eo tempore quo Iacob cum omni familia sua descendit in Aegyptum, annum ætatis agens centesimum trigesimum, vt habetur Genes. 47. Iosephi autem agebatur tunc annus trigesimus nonus, vt colligitur ex cap. 41. & 45. Geneseos.

Prima quæstio. Nõ habitasse Hebræos in Ægypto per 400. annos B. Aug. Beda.

69 Primo igitur loco quæritur, quandiu Hebræi habitauerint in Aegypto. Primùm ostendam non habitasse eos quadringentis annis: tum, habitasse eos tantum ducentis quindecim annis. Non habitasse Hebræos in Aegypto totos quadringentos annos, concluditur eo argumento quo ad id probandum vsi sunt B. Augustinus quæstione 47. in Exodum, & Beda libro De sex ætatibus mundi, eodemque vtuntur Hebræi in sua maiori Chronologia. Etenim Caath auus Mosis ingressus est in Aegyptũ vna cum auo suo Iacob, Gen. 46. & ibi vixit vsque ad annum 133. Exod. 6. ex hoc natus est Amram pater Mosis, qui vixit annos 137. Exod. 6. huius filius fuit Moses, qui cum octoginta esset annorum, Hebræos eduxit ex Aegypto, Exod. 7. supradicti autem trium personarum anni coniunctè sumpti non amplius trecentos quinquaginta annos efficiunt. Ex qua tamen annorum summa demere oportet annos Caath ante ingressum eius in Aegyptum; & item annos quos idem vixit postquam genuit filium suum Amram. Similiter detrahendi sunt anni, quos vixit Amram post generatum à se Mosem: nam si separatim illi ab annis Mosis numerarentur, bis idem tempus computaretur. Manifeste igitur hac ratione concluſum est Hebræos multo minus quadringentis annis habitasse in Aegypto.

Genebrardus refellitur.

Verum huic rationi dupliciter occurrere conatur Genebrardus in sua Chronologia. Ait primum, cum dicitur annos vitæ Amram fuisse centum triginta, septem, non esse intelligendum de annis totius vitæ, sed de annis vitæ quam agebat, cum amisit patrem, aut cum genuit filios. At quis non videt nimis duram, & violentam hanc esse interpretationem? Cum enim commemoret annos vitæ simpliciter & præcise, haud dubie loquitur de omnis vitæ annis; præsertim cum similiter alibi soleat loqui Scriptura, cum aliquorum vitam omnem certo annorum

rum numero determinat. Ait præterea Genebrardus inter Caath & Amram; & inter Amram & Mosem fuisse alios intermedios prætermissos à Scriptura: sicut Matthæus in describenda genealogia Saluatoris nostri dicens Ioram genuisse Oziam, intermisit tres alios reges intermedios, Ochoziã, Ioam, & Amaziam. Sed enim gratis id dicitur à Genebrardo: talis enim coniectura vel suspicio eius, nulla re fit probabilis: maxime verò cum nusquam Scriptura inter Caath, Amram, & Mosem aliquos interponat, ne in libris quidem Paralipomenon, in quibus alibi derelicta supplentur. Nam tres illos reges prætermissos esse à Matthæo, propterea verè dicitur, quia id liquido constat ex libris Regum & Paralipomenon, vbi illorum regum perscripta est historia.

Matth. 1.

Hebræos mansisse in Ægypto annis tantum 215.

70 Deinde affirmo, mansisse Hebræos in Ægypto annis duntaxat ducẽtis quindecim: ita sensit Iosephus, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Beda, Rupertus, & est cõmunis opinio: quæ probatur auctoritate Pauli. Is enim in Epistola ad Galatas cap. 3. ait legem Mosis latã esse quadringentis triginta annis post eam promissionem quam dedit DEVS Abræ, cum iussit eum proficisci ex Mesopotamia in terram Chanaan; quo tempore agebat Abram quintum & septuagesimum annum, vt legitur Genes. 12. sed à septuagesimo quinto anno ætatis Abræ vsque ad ingressum Iacob in Ægyptum effluxerunt anni ducenti quindecim: nempe, vsque ad ortum Isaac viginti quinque, Genes. 21. hinc vsque ad ortum Iacob sexaginta, Genes. 25. hinc vsque ad ingressum Iacob in Ægyptum centum triginta, Genes. 47. Restant igitur vsque ad legem latam tertio mense post egressum Hebræorum ex Ægypto, anni ducenti & quindecim. Non sum ignarus, conatum esse Genebrardum aliorsum detorquere verba illa Pauli; sed eius nos interpretationem supra confutauimus super caput duodecimum, in secunda Disputatione numero 42. & sequentibus.

Tres opiniones falsæ. 1. Opinio Chrysostomi. 2. Opinio Hebræorũ, Lyrani, Caietani.

71 HINC liquet, falsas esse tres opiniones; vnã S. Chrysostomi qui homilia 38. in Genesim, tempus mansionis Hebræorum in Ægypto breuius facit ducentis annis. Altera est opinio Hebræorum quã sequuntur Lyranus & Caietanus, qui tempus illud determinant ducentis decem annis. Nam ipsi pro certo sumunt, ab ortu Isaac vsque ad exitum Hebræorum ex Ægypto præteriisse annos solum quadringentos, vt hic significatur. Hoc posito, cum ab ortu Isaac vsque ad ingressum Iacob in Ægyptum putẽtur anni centum nonaginta; necesse est supersesse annos ducentos decem habitationis Hebræorum in Aegypto. Sed enim illud fefellit istos, quod putant ab ortu Isaac vsque ad egressum Hebræorum, excurrisse annos præcise quadringentos, cum fuerint quadringenti & quinque. Nam si à promissione Abræ vsque ad legem Mosis transacti sunt anni quadringenti triginta, vt docet Paulus; ab illa vero promissione vsque ad ortum Isaac numerantur viginti quinque anni; necesse est ab ortu Isaac vsque ad legem Mosis computari annos quadringentos & quinque. Verum Scriptura magno & pleno numero quadringentorum annorum contenta, paruum illum quinque annorum excessum,

3. Opinio Genebrardi.

more suo, tacitum præteriuit. Tertia opinio est Genebrardi arbitrantis habitasse Hebræos in Aegypto quadringentis annis, aut etiam quadringentis triginta, vt perspicuis verbis traditur Exodi 12. sic enim ibi legitur: *Habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum & triginta annorum,* At enimuero Eusebius, Augustinus & Beda interpretati sunt locum illum Exodi de habitatione Hebræorum tam in Aegypto, quam in terra Chanaan, scilicet post aduentum Abræ in eam terram ex Mesopotamia. Quam expositionem translatio LXX. Interpretum comprobauit, sic enim illi supradictum locum Exodi verterunt: *Habitatio filiorum Israel, qua ipsi & patres eorum habitauerunt in Aegypto & in terra Chanaan, fuit quadringentorum triginta annorum.* Improbant sanè Genebrardus & Eugubinus hanc interpretationem: verum recte, nam nec esse eam septuaginta interpretum negari potest; & ea fuit ab antiquis & magnis Doctoribus approbata.

Eusebius. Augustinus. Beda.

Eugubinus super ca. 12. Exodi.

2. Quæstio. Quandiu Hebræi seruierint Aegyptiis.

SECVNDO loco quæritur, quandiu Hebræi seruitute oppressi & 71
afflicti sint ab Aegyptiis? Respondeo seruitutem illam breuiorem fuisse centum triginta annis. Etenim ex ducentis quindecim annis, quibus Hebræi habitauere in Ægypto, demere oportet vnum & septuaginta annos, quos viuit Ioseph post ingressum patris sui in Ægyptum; toto enim eo tempore gens Hebræa floruit in Ægypto. Demptis hisce annis, reliqui sunt centum quadraginta quatuor. Verum his præterea detrahendi sunt viginti duo anni, quibus Leui filius Iacob superuixit fratri suo Ioseph. Nam cum ingressus est Iacob in Ægyptum, Ioseph erat triginta nouem annorum, vt colligitur ex cap. XLI. & XLV. Geneseos: Leui autem erat quadraginta quatuor annorum, vt tradunt Hebræi in sua maiori Chronologia; idque satis consentaneum est iis quæ narrantur Geneseos trigesimo. Leui porrò vixit centum triginta septem annis Exodi 6. ergo fuit in Ægypto annis nonaginta tribus: sed Hebræorum seruitus post eius mortem incœpit, scriptum est enim Exodi primo seruitutem Hebræorum cœptam esse aliquanto post obitum Iosephi & omnium fratrum eius. Minimum igitur seruitus illa non incœpit, nisi post annos nonaginta tres quam Hebræi habitare cœperant in Ægypto. Hos annos si demas ex supradictis ducentis quindecim habitationis Hebræorum in Ægypto, supererunt anni duntaxat centum viginti duo assignandi Hebræorum seruituti & afflictioni. Immo verò Hebræi arbitrantur asperam illam seruitutẽ non duraſse amplius octoginta septem annis. Putant enim cœpisse eo ipso anno, quo nata est Maria soror Mosis: quin etiam appellatam esse aiunt Mariam ab amaritudine tunc incipientis seruitutis: erat autem Maria natu grandior septem annis quàm Moses; Moses verò octoginta natus annos eduxit Hebræos ex Aegypto Exodi 7.

3. Quæstio. Quomodo intelligẽda sit illorum quadringẽtorũ annorum summa.

TERTIO loco suboritur quęstio: si habitatio Hebręorũ in Aegypto 72
fuit tantum ducentorum quindecim annorum, seruitus autem breuior centũ triginta annis: quomodo dixerit Abrę DEVS, vt hic narrat Moses, semen eius mansurum in Aegypto, & ibi seruiturum quadringentis annis?

annis? Quæritur igitur quemadmodum hic locus interpretandus sit, ne falsam continere sententiam videatur. B. Chrysostomus tangit duos modos recte interpretandi hunc locum, vnus modus est, vt istos quadringentos annos computemus ab eo tempore quo Abram ex Mesopotamia venit in terram Chanaan. Sic enim plenam & integram illorum quadringentorum annorum rationem & summam constare. Sed illud hunc modum refellit, quod paulo supra docuimus ex sententia B. Pauli numerantis ab illo tempore vsque ad legem Mosis quadringentos triginta annos. Alter modus est, DEVM à primo statuisse vt Hebræi manerent in Ægypto per quadringentos annos; sed cum videret Hebręos supra modum affligi & opprimi ab Ægyptiis, detestatum horum crudelitatem, illorumque calamitatem miseratum, plus ducentos annos mansionem eorum breuiasse. Verum nec iste modus videtur probabilis; nam cum talis mutatio prioris sententiæ nullo modo probari queat, videtur gratis dici; immo vero videtur aperte refelli eo quod proxime adiungitur: *Quarta autem generatione reuertentur huc.* Quid est, *Quarta generatione?* Nempe quarto seculo & quarto centenario annorum iam exacto. Adde; quod si DEVS tempus illud peregrinationis, & seruitutis plus dimidio breuiaturus erat, id tempus breuiatum potius denuntiasset Abræ, tum quia id vere futurum erat; tum quia id lætius auditu ac iucundius fuisset Abræ.

Chryſ homil. 38. in Geneſim.

Ponam hic verba ipsa Chrysostomi, vt sententiam eius fideliter à me commemoratam, vereque confutatam Lector agnoscat. Sic ille scribit: Sed quis dubitet, quomodo quadringentis annis dicat semen Abræ seruiturum in Ægypto, cum ne dimidio quidem eius temporis inibi fuerit? Sed DEVS nõ dixit peregrinaturos eos in Ægypto, sed in terra non sua; quo nomine etiam terra Chanaan significatur, in quam terram ex mandato DEI primum venit Abram ex Mesopotamia. Si quis igitur inde computet tempora vsque ad exitum Hebræorum ex Aegypto, numerum hunc quadringentorum annorum saluum & integrum inueniet. Dici etiam potest aliter: quod cum DEVS sit misericors, & respondentes imbecillitati nostræ statuat pœnas, quia vidit Hebræos nimio labore oppressos, & præter modum ab Aegyptiis afflictos; ante definitum tempus & vltum esse Aegyptios, & in libertatem Hebræos vindicasse. Mos enim DEI est, saluti nostræ omnibus in rebus consulentis, vt etiam cum graues minatur pœnas, si tamen ad eum conuersi pœnitentis & resipiscentis animi specimen demus, priorem reuocare sententiam. Contra verò, tametsi magnum aliquod promiserit bonum, si nos eo indignos præstemus, non implere promissum suum ne deteriores nos faciat eius indulgentia. Hactenus ex Chrysostomo.

Auguſtinus.

73 BEATVS Augustinus duas alias exoluendi huius nodi rationes affert, priorem quidem libro XVI. de Ciuitate DEI cap. XXIIII. posteriorem vero in libro Quæstionum in Exodum quæst XLVII. Ac prior quidem eius ratio hanc habet sententiam: cum dicitur semen Abræ peregrinaturum & seruiturum quadringentis annis, non significatur totos

istos

istos quadringentos annos esse transigendos in illa seruitute; sed quod in ea seruitute complendi & finiendi essent. Sicut Genes. xi. legitur, secundum translationem LXX. Interpretum, dies Thare in Charra fuisse ducentos & quinque annos; non quod omnes ibi acti sunt, sed quia ibi completi sunt. Augustini verba hæc sunt: Non quod in seruitute sub Ægyptiis affligentibus quadringentos annos populus ille esset peracturus; sed quod in illis quadringentis annis futura esset illa seruitus. Quemadmodum enim scriptum est de Thare patre Abræ: *Et fuerunt dies Thare in Charra quinque & ducenti anni*, nó quia ibi omnes acti sunt, sed quia ibi completi sũt, ita & hic seruitus & afflictio dicitur quadringentorum annorum, quoniam hic numerus in ea afflictione completus est, non quia ibi vniuersus peractus est.

Altera eiusdem Augustini ratio explicandi eandem difficultatem sic habet: Cum his verbis duæ res denuntientur, & peregrinatio in terra non sua, & seruitus atque afflictio: quod subtexitur de quadringentis annis, referri debet ad peregrinationem, non autem ad seruitutem. Peregrinatio enim durauit totos quadringentos annos, seruitus autem minime: quanquam & ipsa seruitus intra illos annos fuit; quin etiam idem fuit & seruitutis & illorum annorum terminus. Audiat Lector Augustinum: Quod dixit DEVS Abræ, semen eius peregrinaturum, & seruiturum, & afflictum iri quadringentis annis; non sic accipiendum est, tanquam in illa durissima seruitute quadringentos annos DEI po-
Genes. 21. pulus fuerit. sed quia scriptum est: *In Isaac vocabitur tibi semen.* Ex anno natiuitatis Isaac vsque ad annum egressionis ex Aegypto computantur anni quadringenti quinque, quos appellari hic quadringentos tãtum, non debet mirum videri. Etenim Scriptura contenta solida annorum summa, solet ita nuncupare tempora, vt quod de summa perfectioris numeri paululum excrescit aut infra est, non computetur. Non itaque quod dicitur de seruitute & afflictione ad quadringentos annos referendum est; sed referri debet ad peregrinationem in terra non sua, id est, siue in terra Chanaan, siue in Aegypto. Est itaque hyperbaton in his verbis: & sic ordinanda est oratio: *Scito quia peregrinum erit semen tuum in terra non sua quadringentis annis: & subijcient illos seruituti: & affligent eos:* vt hoc quod interpositũ fuerat de seruitute & afflictione, non pertineat ad illos quadringentos annos, nisi quatenus id contigit in extrema parte illius temporis. Post mortẽ nempe Ioseph dura illa seruitus Hebræorum cœpit in Aegypto. Hæc ex Augustino.

Auctoris sententia. Posterior hæc Augustini ratio mihi quidem præ cęteris placet. Verum quo res hæc, omni discussa dubitationum obscuritate, clarius intelligatur, subiiciam hic quinque propositiones, quibus breuissime huius quæstionis enodatio continebitur. Prima Propositio: Hæc prædictio siue oraculum DEI, non pertinuit ad personam Abræ, sed ad semen siue posteritatem eius. Non enim dixit DEVS, tu peregrinus eris in terra non tua, & seruies, & affligeris: sed hoc totum dixit de semine eius. Quare ratio huius oraculi non ex persona Abræ, sed ex semine

semine eius. Quare ratio huius oraculi non ex persona Abræ, sed ex semine eius quærenda & spectanda est. Primum autem semen Abræ, fuit Isaac. Nam licet Ismael, qui filius etiam fuit Abræ, quatuordecim annis prior natu fuerit quam Isaac, non ipse tamen, sed Isaac, & posteri eius censentur semen Abræ: sic enim illi dixit DEVS: *In Isaac vocabitur tibi semen.* Genes. 21. & Genes. 17. pollicetur se benefacturum Ismaeli propter Abram; ait tamen promissa & pacta sua cum Isaac & posteris eius firmaturum. Ex quo apparet computationem illorum quadringentorum annorũ ab ortu Isaac qui primũ fuit Abræ semen, repeti oportere. *Genes.* 16 Quomodo Isaac fuerit primũ semẽ Abræ.

75 Secunda Propositio: Cum dicitur semen Abræ peregrinaturum in terra non sua, per terram non suam intelligi debet non solum terra Ægypti, sed etiam terra Chanaan. Siquidem in terra Ægypti non fuerunt Hebræi vltra ducentos quindecim annos, vt supra ostensum est: priusquam autem semẽ Abrę descenderet in Ægyptum, nusquam alibi peregrinatum est, nisi in terra Chanaan, vt de Isaac & Iacob manifestum est ex libro Geneseos. Non placet igitur quod dixit Oleaster, per terram non suam, non posse intelligi terram Chanaan: quia, inquit, illa fuit vera patria Isaac & Iacob, vt pote in qua nati sunt ambo, & in qua ille quidem ex toto, hic vero maxima in parte vitam exegit. Verum non aduertit Oleaster, hic appellari terram non suam, quod eius illi non essent possessores & domini, sed incolæ tantum, aliis gentibus eam terrã possessione dominationeque obtinentibus. Quamuis igitur in ea essent nati; nihilominus tamen peregrini dicti sunt, quod eius possessores & domini nequaquam essent. Miror equidem ausum dicere Oleastrũ, neque Isaac, neque Iacob fuisse peregrinos in terra Chanaan, cum id aperte & asseueranter professus sit Iacob. Nam quærenti Pharaoni de ætate eius respondit: *Dies peregrinationis vitæ meæ, centum triginta annorum sunt: parui & mali, & non peruenerunt vsque ad dies patrum meorum quibus peregrinati sunt.* Ecce tibi, Iacob & se, patremque suũ Isaac peregrinos fuisse confessus est. Idem confirmat B. Paulus: *Fide*, inquit, *demoratus est Abram in terra promissionis tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem.* Denique illud exponere debuisset Oleaster, cum semen Abræ non fuerit in Ægypto nisi ducentis quindecim annis, vt probatum est supra: vbinam locorum antea, extra terram Chanaan, priores centum nonaginta annos peregrinatum fuerit: certe Isaac numquam ex terra Chanaan discessisse, historia huius libri euidenter ostendit. Oleaster. *Genes.* 15. & *Exo.* 12. *Genes.* 47. *Ad Heb.* 11

76 Tertia Propositio: seruitus & afflictio de qua hic dicitur, cõtigit Hebræis tantum in Ægypto. Namque antea in terra Chanaan neque seruierunt neque afflicti sũt: & quod subiungit DEVS, se gentem cui seruierint insigni vindicta puniturũ, plane denotat Ægyptios, non autem Chananæos. Cœpta est porrò seruitus & afflictio post mortem Ioseph & fratrum eius, id est, vt supra docuimus, plus nonaginta annis post descensum Iacob in Aegyptum. Quare durauit ea seruitus paulo amplius centũ viginti annos, & incœpit annis circiter quadraginta ante ortum

Erratum Ioſephi priori lib. cõtra Apionem.

Moſis. Non eſt hic diſſimulandum Ioſephi erratum, quod ei, opinor, non ex inſcitia, ſed ex incogitantia ſiue incuria ſubrepſit.

Refellens enim Cheremonem aientem, æquales fuiſſe Ioſeph Patriarcham & Moſem, affirmat inter obitum Ioſeph atque ortum Moſis interceſſiſſe annos centum ſeptuaginta. At enim, ſi quis accuratam eius temporis rationem ſubducat, non vltra ſexagintaquatuor annos interfluxiſſe comperiet. Si enim ex numero ducentorum quindecim annorum quibus Hebræi habitarunt in Ægypto, demas vnum & ſeptuaginta annos quos ſuperuixit Ioſeph poſt deſcenſum Iacob in Aegyptum; & item octoginta quos natus erat Moſes cum eduxit Hebræos ex Aegypto: non amplius quatuor & ſexaginta annos ab obitu Ioſeph vſque ad ortum Moſis præteriiſſe reperies.

Quarta Propoſitio: Numerus quadringentorum annorum qui hic 77
ponitur, referendus eſt tam ad peregrinationem ſeminis Abræ in terra non ſua, quam ad ſeruitutem & afflictionem eius in Aegypto, non quidem diſiuncte, ſed coniuncte. Non enim in vtrumlibet iſtorum ſeparatim competit numerus quadringentorum annorum: nam etſi peregrinatio vere fuit quadringentorum annorum, non tamen ſeruitus & afflictio, vt ſupra oſtendimus. Ergo ſenſus eſt; ſemen tuum erit peregrinum, & ſeruiet, & affligetur: tempus autem comprehendens iſta tria erit quadringentorum annorum.

Quinta Propoſitio: Licet hic nominentur tantum quadringenti anni, reuera tamen fuere quadringenti quinque. Patet hoc: nam cum à prima promiſsione Abrę, ſiue ab anno eius ſeptuageſimoquinto vſque ad legem Moſis B. Paulus numeret quadringentos triginta annos: cumque à ſeptuageſimoquinto anno Abræ vſque ad centeſimum, quo generauit Iſaac præterierint vigintiquinque anni: neceſſe profecto eſt ab ortu Iſaac vſque ad egreſsionem ex Aegypto ſiue legem Moſis, computari annos quinque & quadringentos. Scriptura tamen, vt ſolet, magnum illum & integrum numerum quadringentorum nominans, paruum illum quinque annorum exceſſum declarare minime curauit.

Locus. *Actor.* 7. Rabanus & Caietanus. *Actor.* 7. S. Tho. in c. 11. Epiſtolæ ad Galatas.

VERVM difficultatem affert quod legitur in Actis Apoſtolorum 78
cap. vij. Beatus enim Stephanus commemorans hunc ipſum locum Moſis, numerat annos quadringẽtos triginta; verba Stephani hęc ſunt: *Locutus eſt Abrahæ* DEVS, *quia erit ſemen eius accola in terra aliena, & ſeruituti eos ſubiicient, & malè tractabunt eos annis quadringentis triginta: & gentẽ cui ſeruierint, ego iudicabo: & poſt hæc exient & ſeruient mihi in loco iſto.* Hanc lectionem habuere olim nonnulli codices Latini, quos ſecutus eſt Rabanus & B. Thomas, necnon & Caietanus. Verum ſine dubitatione dixerim lectionem illam fuiſſe mendoſam, & triginta illos annos tractos ex ca. xij. Exodi, falsò verbis illis B. Stephani eſſe adiectos. Etenim plerique codices Latini, quos Beda & Lyranus, aliique quãplurimi ſunt ſecuti, non habent eo loco illos triginta annos. Omnes præterea codices Græci conſtanter habent illic annos duntaxat quadringentos: nec aliter legerunt eum locum Græci patres & expoſitores. Sed eſſe remo

Beda. Lyranus.

remouendos ab ea Oratione Stephani illos triginta annos, duobus conuincitur argumentis. Beatus enim Stephanus hunc ipſum locum Moſis ibi commemorat, & ipſamet verba citat: ſed in hoc loco Moſis eſt numerus ſolum quadringẽtorum annorum: adiectionem vero aliorum triginta, nec Hebræi libri hic habent, nec Græci, nec Chaldaici, nec Latini: ergo nec in Oratione Stephani additio illorum triginta annorum habere locum poteſt. Deinde cum verba quæ eo loco B. Stephanus citat, non ſecus ac loci huius verba, minime pertineant ad perſonam Abræ, ſed ad ſemen eius; ſi illi triginta anni adiungantur numero quadringentorum, verba Stephani plane falſam redderent ſententiam. Namque ab ortu Iſaac, qui fuit primum Abræ ſemen, præterierunt anni vſque ad egreſſionem populi Hebræi ex Aegypto, quinque & quadringenti: quare alij vigintiquinque ſuperuacanei ſunt, & omnino ab ea ſumma remouendi. Illud quoque firmat ſententiam noſtram, quod in Bibliis editionis vulgatæ, nuper iuſſu ſummorum Pontificum Romæ correctis & publicatis, ita locus ille Actorum 7. vt nos hic docuimus, emendatus prodiit.

SEPTIMA DISPVTATIO

Circa illa verba: Generatione autem quarta reuertentur huc. VERS. 16.

DVPLICEM ferunt hæc verba difficultatem; alteram, quid ſignificet hoc loco vocabulum generationis: alteram, quomodo hic dictum ſit, Hebræos quarta generatione ituros ad poſſidendam terrã Chanaan, cum Exodi 12. trãslatio LXX. interpretum habeat, quinta generatione Hebræos aſcendiſſe in terram Chanaan. A primo igitur exorſi, dicimus, tres eſſe voces, Græcam, Hebræam, & Latinam idem plane ſignificantes. Græca vox eſt γενέα, quam Latini ſcriptores reddere ſolẽt progeniem ſiue ætatem. Vox Hebræa eſt, Dor, proprie ſignificans habitationem ſiue peregrinationem; & frequenter vſurpatur in Scriptura pro vita quam degit homo dum habitat ſiue peregrinatur in terris. Latinus interpres diuinæ Scripturæ tam veteris quam nouæ, Græcam illam vocem γενέαν, & Hebræam Dor, interdum vertit progeniem, ſed plerumque generationem. Ante omnia igitur excutiamus quam variam & multiplicem in Sacris Literis vocabulum Generationis habeat ſignificationem.

Vox hæc Generatio quatuor habet in Sacris Literis ſignificationes.

79 Ego quatuor eius vocis reperio ſignificationes. Primo ſignificat certam quandam gentem ſiue certum quoddam genus hominũ: quemadmodum Numerorum 32. legitur DEVM quadraginta annis circumduxiſſe Hebræos per Deſertũ donec conſumaretur vniuerſa generatio

quæ fecerat malum in conſpectu DE I,id eſt, donec penitus interiret gens illa ex Hebræo populo,quæ reuerſis exploratoribus terræ Chanaan,murmurauerat contra DEVM,vt habes Numerorum 14.Similiter legitur Pſalmo 94.*Quadraginta annis offenſus fui generationi huic:* & Prouerbiorum 30. quater hac ipſa ſignificatione vſurpatur nomen Generationis. Verum hæc ſignificatio nihil facit ad rem præſentem. Altera ſignificatio eius vocis eſt pro ſpatio decem annorum. Legimus enim Baruc 6.Hebræos manſiſſe in captiuitate Babylonica ſeptem generationes: manſiſſe autem eos illic ſeptuaginta annos,ex aliis Scripturæ locis manifeſtum eſt. Verum neque huic ſignificationi locus eſſe poteſt in hac Diſputatione. Si enim ſecundum eam interpretari vellemus quatuor generationes hic à Moſe poſitas, efficeretur non amplius quadraginta annos fuiſſe Hebræos in Aegypto. Significat præterea vocabulum Generationis vniuerſam ætatem & vitam hominis, quæ in terris degitur: atque ita ſumi videtur apud Iſaiam 38. in Cantico regis Ezechiæ illis verbis:*Generatio mea ablata eſt, & conuoluta eſt à me quaſi tabernacula paſtorum:* & hoc planius declarans ſubdit:*Præciſa eſt velut à texente vita mea;dum adhuc ordirer,ſuccidit me.* Aetas porrò & vita hominis definitur in Scriptura centum annis. Sic enim Eccleſiaſtici 18. legimus: *Numerus dierum hominis,vt multum,centum anni:* à quo non diſcrepat illud Dauidis Pſalmo 89.*Dies annorum noſtrorum in ipſis,ſeptuaginta anni:ſi autem in potentatibus,octoginta anni:& amplius eorũ,labor & dolor.* Verum hæc menſura ætatis humanæ,ad tẽpora Moſis qui ſcripſit hunc librum, aut etiam iis poſteriora tempora referri debet;non autem ad tempus Abræ,quo tempore longior erat humanæ vitæ menſura. Siquidem vixit ille vltra centum ſeptuaginta annos:filius eius Iſaac attigit centeſimum octogeſimum:nepos Iacob,centum quadraginta ſeptem;pronepos Leui, centum triginta ſeptem. Atque hæc ſignificatio Generationis ad planam & rectam huius loci expoſitionẽ mirifice quadrat. Nam quod dicitur,*quarta generatione reuertentur huc*,non aliud ſignificat,niſi exacto iam quarto ſeculo,ſiue quarto annorum centenario iam peracto.Quatuor itaque generationes idem ſpatium temporis denotant,ac quadringenti anni de quibus dixerat.

Quid apud Græcos ſignificet vox γενέα. Euſebius. Herodotus.

Diodorus. Cenſorinus. Dionyſius Halicarnaſſeus.

Apud Græcos porrò ſcriptores vox γενέα, de qua paulo ſupra diximus,ſignificat etiam ſpatium quoddam annorum, ſed non idem apud omnes.Apud Euſebium libro x. De præparatione Euangelica cap.vltimo γενέα (quam Latinus eius interpres vertit generationem) ponitur pro ſpatio viginti annorum.Herodotus primo quidem libro ei aſſignat viginti tres annos: Libro autem ſecundo definit eam tribus & triginta annis.Sicut eam determinat triginta annis Diodorus libro 3.cap. 13.& Cenſorinus in libro de Die natali Romanorum. At verò Dionyſius Halicarnaſſeus libro primo Romanarum antiquitatum ad centum annos extendit:ſtetiſſe enim ait Medorum Imperium prope quatuor Geneas,id eſt,ad quadringentos annos.

Quarta & vltima eſt ſignificatio, quam vox Generationis habet in 80

Sacris

Sacris Literis,cum ſignificat procreationẽ vnius perſonæ ex alia: quam videre licet cum in deſcribenda alicuius progenie ſiue genealogia, multę ac varię generationes recenſentur.Hac ſignificatione vſus eſt B. Matthæus, cum in genealogia Saluatoris noſtri quam percenſuerat, duas & quadraginta generationes nominauit. Pleriq.autem ſcriptores ſecundum hanc ſignificationem exponunt hoc loco vocabulum Generationis.Verum vnde aut quemadmodum quatuor hasgenerationes putare ac percenſere oporteat, nec in aperto eſt,nec facilem habet explicatum.Lyranus,& Caietanus computant has generationes, initium earum repetentes à Iacob qui ingreſſus eſt Ægyptum:Iacob,inquiunt, genuit Iudam,hæc eſt prima generatio: Iudas genuit Phares, hæc eſt ſecunda generatio:Phares genuit Eſron,hæc eſt tertia generatio: Eſrõ genuit Caleb, vt ſcriptum eſt primi Paralipomenon ſecundo, & hæc eſt quarta generatio.Caleb vero intraſſe terram Promiſſionis,ex capite 14. tam libri Numerorum quàm Ioſue manifeſtum eſt.Sic iſti.

Matth. 1.

Lyranus. Caietanus.

An Eſrõ filius Phares & nepos Iudæ,fuerit pater Caleb.

Sed ego nõ poſſum inducere in animum,Eſron patrem Caleb fuiſſe eum ipſum qui filius fuit Phares & nepos Iuda. Siquidem inde ſequeretur, Eſron maiorem centeſimo & octogeſimo anno genuiſſe filium ſuum Caleb, quod eſt prorſus incredibile;neminem enim per ea tempora,id eſt,ab ipſo Abram vſq.ad Moſem, vltra centeſimum & octogeſimum annum vixiſſe legimus. Itaq.fuiſſe quempiã qui per id tempus,etiam idoneus & validus fuerit ad generandum, vt omnem excedens fidem, reſpuit animus credere. Sequi vero id quod diximus,euidenter oſtẽdi poteſt. Etenim Caleb biennio poſt egreſſionem Hebræorum ex Aegypto, cum miſſus eſt à Moſe vnà cum aliis ad ſpeculandam terram Chanaan,erat quadraginta annorum, vt ipſemet affirmat Ioſue 14.Natus igitur fuerat Caleb annis triginta octo ante exitum Hebræorum ex Aegypto,id eſt,anno centeſimo ſeptuageſimoſeptimo,poſtquã in Aegypto cœperant Hebræi habitare: namque vniuerſam eorum in Aegypto habitationem annis ducentis quindecim paulo ſupra definiuimus.Eſron porro quem Scriptura tradit Geneſ. 46.intraſſe vna cum Iacob Aegyptũ,iã aliquot erat annorum; ponamus fuiſſe non amplius quinque; hos quinque annos ſi addas ad illos cẽtum ſeptuagintaſeptẽ, quo tẽpore diximus natum eſſe Caleb,conficiesannos centũ octoginta duos,quos natũ fuiſſe Eſrõ cũ genuit Caleb,neceſſe eſt.Cõcluditur igitur nõ fuiſſe Caleb filiũ eius Eſron qui filius Phares fuit,& nepos Iuda.

S. Hieronymus.

Sanctus Hieronymus in Epiſtola cẽteſima vigeſimaquinta quã ſcripſit ad Damaſum Papam,reſpondẽs ad ſecundã eius quæſtionẽ,deducit has generationes per tribũ Leui,incipiens à Leui qui ingreſſus eſt Aegyptum,& terminans in Eleazaro qui intrauit terram Promiſſionis;ſic eas percenſens:Leui genuit Caat,Caat genuit Amram,Amram genuit Aaron,Aaron genuit Eleazar. Verum dicat aliquis,cur iſtæ generationes computentur à Leui potius,quam vel à patre eius Iacob, vel à filio eius Caat, cum iſti tres eodem tempore ingreſſi ſint Aegyptum? non igitur iſtiuſmodi computatio ratione aliqua probabili niti videtur.

Quadruplex modus cõputandi illas quatuor Generationes.

Sciat igitur Lector, harum quatuor Generationum computationem quatuor modis iniri posse. Primus modus: vt initium earum petatur ab Isaac, quemadmodum ab eodem sumptum est principium illorum quadringentorum annorum. Verum hic modus minime probabilis est: siquidem ab Isaac vsque ad introitum in terram promissionis numerantur per tribum Leui, non quatuor, sed sex generationes; per tribum autem Iuda, octo. Per tribum quidem Leui ad hunc modum, Isaac genuit Iacob, Iacob Leui; Leui Caat; Caat Amram; Amram Aarõ; Aaron Eleazarum qui intrauit terram Promissionis. Per tribum autem Iuda, ita pertexuntur: Isaac genuit Iacob; Iacob Iudam; Iudas Phares; Phares Esron; Esron Ram siue Aram; Aram Amniadab; Amniadab Naasson; Naasson Salmon, qui intrauit terram Promissionis, & in ea vxorem duxit Rahab: nam pater eius Naasson videtur fuisse de iis qui periere in Deserto; cum Iosue solum & Caleb nominentur ingressuri in terram Promissionis. Secundus modus: vt computatio incipiat à Iacob qui ingressus est Aegyptum. Sed non constabit quaternarius numerus generationum, siquidem à Iacob vsq. ad reuersionem in Terram promissionis numerantur per Leui quinque generationes, per Iudam autem septem, vt ex proxime dictis patet Lectori. Tertius modus: vt incipiat computatio ab iis qui ingressi sunt Aegyptum, & fuere capita ac principes Tribuum, vt fuit Iuda & Leui. Et à Iuda quidem vsque ad Salmon, non quatuor, sed sex generationes recensentur: at vero si computatio ducatur à Leui, probe constat numerus harum quatuor generationum. Namque Leui genuit Caat; Caat genuit Amram; Amram genuit Aaron; Aaron Eleazar, qui vna cum Iosue introduxit populum in terram Promissionis. Hoc igitur tertio modo generationes illas computando, facile est intelligere quemadmodum semen Abræ reuersum sit quarta generatione in terram Promisionis. 81

Naasson nõ videtur intrasse terrã promissionis.

Auctoris sententia.

Quartus modus qui multo mihi probabilior cęteris videtur: vt non computentur hic generationes quæ factæ sunt ante descensum in Aegyptum; sed eæ solum quæ factæ sunt in Aegypto post descensum Iacob, & ante exitum populi ex Aegypto. Vt hic sit rectus & planus sensus verborum DEI: semen tuum peregrinabitur & seruiet in Aegypto: sed post quatuor generationes ibi factas, reuertetur huc. Has porro quatuor generationes cernere licet in tribu Iuda incipiendo eas ab Esron qui pronepos fuit Iacob, & ingressus est cum eo in Aegyptum, Genes. 46. Esron enim genuit in Aegypto Ram, hæc est prima generatio; Ram Anmiadab, hęc est secunda: Amniadab Naasson, hęc est tertia: Naasson genuit Salmon, hæc est quarta. At in tribu Leui secundũ hunc modum tres tantum generationes reperies: nam prima generatio fuit, qua Caat genuit Amram: secunda, qua Amram genuit Aaron; tertia, qua Aaron genuit Eleazar. Quamquam posset etiam hic adiungi quarta generatio, qua Eleazar genuit Phinees; nam hunc etiam vnà cum patre suo terram Promissionis intrasse legimus: nisi quod non liquet an Phinees natus sit in Aegypto, an in Deserto. 82

RESTAT

RESTAT breui explicanda altera difficultas, quæ initio huius disputationis proposita est. Cum enim hic dicatur, Hebræos quarta generatione reuersuros in terram Promissionis; quæritur quomodo LXX. interpretes Exodi 12. posuerint, quinta generatione filios Israel ascendisse de terra Ægypti? sed vtrumque verũ esse intelligitur, si per varias tribus ducatur illarum generationum computatio. Si enim generationes istas computes per tribũ Iuda, incipiẽs ab ipso Iuda, qui caput fuit eius tribus, reperies quinque generationes vsque ad Naasson, quo duce ac principe tribus Iuda egressa est ex Ægypto. Nã Iuda genuit Phares; Phares Esrõ; Esron Aram; Aram Aminadab; Aminadab Naasson: qui licet Promissionis terrã nõ creditur intrasse, haud dubie tamẽ ex Ægypto egressus est, cũ eum Scriptura Numerorũ 7. principẽ trib. Iuda in Deserto fuisse tradat. Nec sane LXX. interpretes dixerunt, Hebræos quinta generatione intrasse terram Promissionis, sed ascendisse, siue exiisse de terra Ægypti. Docet porro B. Hieronymus epist. CXXV. respondẽs ad secundã quæstionem Damasi Papę, pro eo quod Septuaginta verterunt, *quinta generatione*, in Hebræo esse vocabulum (hamisim) quod significat armatos vel accinctos, vel instructos siue munitos. Quanquã idẽ vocabulũ iisdẽ scriptũ literis significare etiã potest, quinque: verũ quinque numero plurali, nõ autem quinta numero singulari, vt septuaginta posuerunt. Ipsi præterea de suo addiderunt vocabulum generationis: non enim eo loco est vox Hebræa, dor, significans generationem. Verum hæc vt minuta & leuia omittamus. 83

S. Hieronymus.

Allegorica expositio harum quatuor generationum ex Philone.

SIT quasi clausula huius disputationis, allegorica Philonis expositio, docte atque elegãter tractãtis Oraculũ hoc DEI de reuersione posterorũ Abrę in terrã Promissionis post quartã generationẽ. Putat enim Philo terrã illã Promissionis fuisse tanquã imaginẽ quandã status hominis secundũ perfectã & absolutã virtutẽ. Is enim status, exterminatis Chananæis, id est, vitiis omnibus, atque improbis affectibus, antiquis nẽpe animi nostri habitatoribus atque possessoribus; dulcissimã continet pacẽ & tranquillitatẽ, vberrimisque voluptatibus refertus est: quẽadmodum diuina scriptura terram illam Promissionis fuisse ait lacte ac melle affluentẽ, aliorũque terrenorũ bonorũ cõmodis & iucũditatibus abundantẽ. Quomodo autẽ intelligendũ sit, quarta generatione ad hũc præstãtissimũ virtutis statũ peruenire, philosophicè super ea re disputãs Philo, ita declarat: Dixit DEVS Abrę: *quarta generatione reuertentur huc*, quibus verbis nõ solum docere eũ voluit tẽpus post quod ad possessionẽ illius terrę posteri eius essent perducendi; verũ etiã indicare quęnam esset, & quãdo contingeret perfecta virtutis absolutio. Hæc autẽ, quarta generatione, vt ita dicã, contingit homini: hoc vero quemadmodũ fiat, pauliſper consideremus. Infans per septenniũ ab ortu proximũ, in ętate illa puerili puram naturã sortitur, leui tabulæ similem nullis bonis aut malis signatæ formis: quidquid enim imprimitur, propter mollitiẽ deletur aut cõfunditur. Secunda generatio siue ætas quæ puerilẽ excipit, cum vitiis habere incipit commercium, ea vitia, vel secũ ipsa ferens, vel aliunde 84

Philo in libro, Quis diuinarũ rerũ sit hæres.

aliunde libenter accipiens. Complures enim habet magistros nequitię, nutrices, pędagogos, parentes, publicos insuper mores & leges receptas in singulis ciuitatibus; vnde discunt mirari, quæ ridere debuerãt: etiam absque ijs, sponte sua procliues ad crimina, adeo vitiorũ feraces, vt his vbertim scateant. *Prona est enim,* inquit diuina Scriptura, *mens hominis ad malum iam inde ab adolescentia sua,* hoc enim tempore tum corpus quod pro fundamento est, tum animus turgescit, incensus affectibus sese efferentibus, & segetes atque campos & obuia cuncta exurentibus. Hanc morbidam generationem siue ætatem sequitur tertia, quæ philosophiam ei ceu medicinam adhibet, profitentem ac promittentem curaturum se morbos eius, salubribus præceptis & sermonibus, per quos exhauriatur vitiorum nimietas, & suppleto quod ad virtutem deerat, voluptas ablegetur quam longissime. Post hanc curationem, quarta aduenit generatio, in qua solidum animus noster prudentiæ robur capit, & constantiam in omnibus virtutibus. Et hoc est quod dicitur, *quarta generatione reuertentur huc.* Nam circa hunc quartum numerum à peccatis auersus animus, declaratur hæres sapientiæ. Primus enim numerus nec malorum, nec bonorum capax est, nondum formata anima: in secundo vbertim vitia proueniunt: tertio sanitatem recipimus, deferuescentibus affectibus: in quarto confirmamur & roboramur, intentique honestarum rerum studiis & officiis, ad sapientiæ virtutisque perfectionem contendimus. Hactenus ex Philone.

Genes. 8.

OCTAVA DISPVTATIO,

VERSVI6. *Circa illa verba:* Nec dum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum.

HIS verbis occurrit DEVS tacitæ cogitationi, quæ Abrę 85
animum subire poterat, cur possessionem illius terræ posteris suis dare tam diu vellet differre: ait DEVS, causam dilationis esse, quod illarum gentium peccata, propter quæ exterminandæ erant ex illa terra, nondum peruenerant ad eum gradum & mensuram, vt talem mererentur vindictam. Hæc porro mensura siue complementum peccatorum, post quadringentos annos futurum erat: & ideo vsque ad id temporis exterminationem eius gentis, & introductionem Hebræorum in terram illius differri. Audiat Lector Theodoretũ: Didicit ex his verbis Abram rationem dilationis; ne quis suspicaretur ob numerosam incolarum non potuisse DEVM tradere Hebræis possessionem & dominium illius terræ. Idcireo dixit DEVS Abrę, *nondum impleta sunt peccata Amorrhæorum vsque nunc*, id est, nondum illi digna tali exitio perpetrarunt. Non decet autem ante peccatum, ex pręscientia futuri peccati, pœnam infligere.

Theodoretus quæst. 64. in Genesim.

infligere. Quod autem tempore illo Abræ, fuerint in ea gente probi aliqui & pij homines, constat ex Melchisedech & Abimelech, & tribus fratribus inhabitantibus Hebron, cum ipso Abram tum fœdere, tum amicitia coniunctis. Sic Theodoretus.

86 Scribit Philo putasse nonnullos astrui his verbis Fatum: quasi propterea non potuerint tunc gentes illæ puniri, quod nondũ aduenisset tempus puniendi eas, vi & necessitate fatali constitutum. Hinc, ait Philo, quidam infirmiores occasionem arripiunt, vt suspicentur Mosem Fatum ac necessitatem, tanquam causas illorum quæ fiunt inducere. Sciendum autem est, consequentiam seriẽque causarum inuicem implexarum & connexarum non fuisse ignotam Mosi, viro scilicet philosopho, & diuinis colloquiis assueto: sed eum tamen istiusmodi causis euentum rerum attribuendos esse nequaquam censuisse. Videbat enim maius aliquid esse & antiquius, quod huic præsidet vniuerso tanquam auriga vel gubernator, quique cõmunis nauis in qua omnes nauigant, mundum dico, quasi clauo assidens, volucrem cæli currum agitat, omnemque mundi cursum regit pro imperio. Itaque complementum iniquitatis earum gentium, & tempus eas puniendi, non fatali necessitate definitum erat, sed prouidentiæ ac voluntatis diuinæ decreto destinatum ac præstitutum. Sic Philo.

Philo in libr. De legitimo rerũ diuinarũ hęrede.

Caietanus super hæc verba quatuor breuissime annotauit, Lectori minime contemnenda: vnum est, si DEVS differt punire peccata vsque ad certum terminum; non igitur DEVS est prius vltor, quã homo peccator, culpa præcedit, pœna sequitur, verum non semper continuo, sed quando definitum à DEO est. Alterum est, quòd DEVS differat iniquorum punitionem in hac vita; non enim sicut in altera vita statim homo recipit digna factis suis vel præmia vel supplicia, ita fit in præsenti vita; sed differtur sæpe vindicta etiam in longum tempus, tum quo spatium detur resipiscendi & pœnitendi; tum ob alias causas mortalibus abditas & ignotas. Tertium est, DEVM non pensare merita pœnarum quæ sumuntur in hac vita, secundum grauitatem peccatorum, quatenus sunt offensæ DEI; sic enim minimum peccatum mortale mereretur exterminationem; sed secundum rationes diuinorum iudiciorum quæ sunt nobis ignotæ: secundum quas rationes nondum Amorrhæorum iniquitates ad eum terminum peruenerant, in quo DEVS eas punire, per exterminationem eius gentis decreuerat. Quartum est, si peccata & mala quæ cernimus in rebus humanis, perpendamus non relatiue ad hominum malitiam & merita; sed ad occulta DEI iudicia, qui omnia facit in numero, pondere & mensura, procul erimus à murmurando contra DEI iustitiam & prouidentiam. Sic ex Caietano.

Caietani obseruanda annotatio.

Sap. 11.

87 Verum quærat fortasse aliquis, quænam fuerint iniquitates propter quas, cum venisset earum complementum, gentes illæ patriis sedibus exterminandæ erant. Respõdeo, eas iniquitates commemorari in sacris literis, vt Leuitici 18. Deuteronomij 9. & 12. videre est. Et vt summa-

Tria genera iniquitatum gentis Chananæorum.

tim eas Lectori indicem, triplex earum iniquitatum genus fuit; primum, promiscua & differens matrimonialis coniunctio cum mulieribus, nullo habito discrimine, nulloque respectu cognationis & affinitatis. Altetum fuit peccatum nefandum & contra naturam, id est, commixtio non solum marium cum maribus, sed etiam cum bestiis. Tertium fuit, multiplex, eaque fœdissima & impietatis plenissima superstitio; præsertim autem quod proprios filios igni comburendo, diis immolarent. Atque hisce tot tantisque sceleribus gentes illæ adeo factæ sunt abominabiles, vt eas terra, sicut Scriptura loquitur, sustinere amplius non potuerit, sed coacta fuerit euomere ac prorsus ab se abiicere.

Leu. 20.

Cur hoc loco soli nominentur Amorrhæi.

Illud etiam Lector mirari posset, cur hic vnius tantú gentis Amorrhæorum mentio fiat; cum manifestum sit ex aliis Scripturæ locis, septem fuisse gentes quæ terrã illam habitauerint & possederint, & quibus exterminatis DEVS; in eorum terram Hebræos introduxerit: sed facilis responsio. Aut enim per Synecdochen posita est pars pro toto, id est, vna gens Amorrhæorum pro omnibus gentibus quæ terram illam possidebant: sicut etiam Iosue capite primo, nominantur tantum Hethæi, pro aliis omnibus. Aut, quod propius vero est, ob eam causam præcipue ac singulariter nominati sunt Amorrhæi, quod isti & amplitudine gentis, & proceritate corporis ac robore, & crudelitatis atque impietatis immanitate cęteris eius terræ habitatoribus insigniores ac celebriores futuri essent. Nãque Amorrhæi dispersim & confuse vniuersam fere Chananitidem habitasse videntur. Cum enim ea natio primo regnum Seon & Og quod erat trans Iordanem occupasset; postea numerosissima prole aucta, multas colonias emisit in diuersas Chananæ partes. Siquidem circa Antilibanum consederunt, vt legitur Deuteronomij primo. Alios non procul Cades Barne & Amalecitis sedes tenuisse, proditum est Genes. 14. Alios denique in Iudææ montanis habitasse, ex relatione speculatorum Mosis, Numerorum 13. cognoscere licet. Non igitur mirum si Amorrhæorum appellatio pro vniuerso eius terræ incolarum genere nonnunquam ponatur in Sacris Literis. Proceritas certe & robur corporis eius gentis non potest expressius declarari, quam declaratum est per hyperbolicam locutionem ab Amos propheta cap. secundo illis verbis: *Ego exterminaui Amorrhæum; cuius altitudo, cedrorum altitudo eius; & fortis ipse, quasi quercus.* Tanta porro erat Amorrhæorũ immanitas morum, & crudelitas atque impietas, vt olim prouerbio locum fecerit: quo enim improbitas alicuius exaggeraretur, solebat ille appellari Amorrhæus: quemadmodũ Ezechiel 16. de Iudaico populo dixit; *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chetæa.*

Quales fuerint Amorrhæi.

Cæterum hæc sententia DEI differentis exterminationem illarum 88
gentium, quoad iniquitates earum completæ essent, quæstionem habet, arduam sane, quodnam sit illud peccatorum complementum, ante quod DEVS non vult peccata punire: vbi autẽ illud venerit, continuo exercet vindictam. Ego quod in re perobscura ad intelligẽdum, multo studio & commentatione assequi potui, benigne cum Lectore communicabo;

municabo; & de re ad explicandum perdifficili, enitar quod visum mihi est simillimum vero, dilucide ac breuiter exponere. Verum ante omnia sciendum Lectori est, vocabulum iniquitatis siue peccati, præter vulgatam notamque omnibus significationem, improbitatis, vitiositatis, demum culpæ; sæpe in Sacris Literis vsurpari pro pœna, vindicta, & punitione ipsius peccati seu culpæ; sic ponitur 2. Regũ 12. cum enim Dauid de admisso adulterio & homicidio grauissimis DEI verbis accusatus esset à Nathan propheta; & continuo ille vehementer pœnitens sceleris dixisset: *Peccaui Domino*; protinus adiunxit Nathã, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris; sed filius qui natus est tibi, morte morietur*, quasi diceret, pœnam mortis quam pro tanto scelere merebaris, DEVS tibi condonauit, & trãstulit in filium tuum, quem per adulterium generasti. Hac item significatione vsus est Hieremias Trenorum 4. cum dixit. *Maior effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum: quæ subuersa est in momento, & non ceperunt in ea manus*, id est, atrocior fuit punitio & vindicta Iudęorum, quàm Sodomorum. & post hęc cap. v. *Patres nostri peccauerunt, & non sunt; & nos iniquitates eorum portauimus*, id est, Peccatis eorum debitas pœnas persoluimus. Simile est illud Ezechielis 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris*, id est, Non luet pœnas peccatorum quæ admisit eius pater. Vtrauis autem significatione hic sumi potest vocabulum iniquitatis, & pro ipso peccato & culpa, & pro peccati vindicta & pœna.

Iniquitas & peccatũ, & pro culpa, & pro culpæ pœna sumitur.

Locus 2. Reg. cap. 12.

89 Si vocabulum igitur iniquitatis, interpretari hoc loco velimus supplicium, vindictam, pœnam iniquitatis & peccati, illorum DEI verborum, *Nondum completæ sunt iniquitates*, hic erit sensus: Nõdum completum est illud tempus, vsque ad quod decreui differre vindictam istarũ gentium: eo autem tempore completo, puniam earum gentium peccata exterminando eas ex hac terra. Sed quod est illud tempus, vsque ad quod DEVS differt vindictam? Non est idem atque vnius modi in omnibus peccatis & gentibus. Duplex autem tempus iam maturum, destinatumque puniendis peccatis coniectari potest ex Sacris Literis. Solet enim interdum DEVS vltionem hominum impiorum differre, quoad per eos, quasi per flagellum quoddam, peccata populi sui castigauerit; aut etiam bonos viros, purgatione tamen aliqua & correctione indigentes purgauerit & emendauerit: quorum peccatorum castigatione peracta, flagellum ipsum proiicit in ignem, id est, impios, quorum ministerio & opera ad castigandum populum suum vsus est, meritis plectit suppliciis. Perillustre huius rei Lector habet exemplum in rege Assyriorum & Chaldæorum; per quos DEVS primo decem tribus, denique etiam tribum Iuda vehementer afflixit & puniuit; postea vero ipsos Assyrios & Chaldæos grauissimis calamitatibus, extremisq. malis percussit & contriuit. Audiat Lector verba quæ dixit DEVS de rege Assyriorum: *Væ Assur: virga furoris mei & baculus ipse est: in manu eius indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in concul-*

Quando sit tempus vt DEVS dilatã aliquãdiu peccatorum vindictam tandẽ exerceat.

Locus Isaiæ cap. 10.

cationem quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius, non ita existimabit: sed ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum. Post hæc autem, interiectis quibusdam, subdit: *Et erit cum impleuerit Dominus cuncta opera sua in monte Sion & in Hierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius.*

Hac item puniendi ratione vsum esse DEVM cernimus in populo Christiano & in Ecclesia Catholica: siquidem per Hæreticos, maxime autem Arrianos, diu multumque Catholicam Ecclesiam exercuit & afflixit: & hoc nostro seculo per Lutheranos & Caluinistas valde CHRISTI Ecclesia vexata est. Sed isti, vt superiorum Hæreticorum facta imitantur: ita similes quoque habebunt exitus. Similiter Christianos circa Fidem ac studia pietatis languentes ac frigidos, olim per Gothos, Hunnos, Alanos, Vandalos, & Longobardos castigauit, & hoc ac superiori seculo per Turcas. Quare, qualē illarum barbararum gentium finem & interitum fuisse legimus; talem futurum etiam Turcarum, cum eorum completæ fuerint iniquitates, sperare debemus.

Ezech.18. & 33. Solet etiam DEVS in longum prorogare scelerum vindictam, quo 90
plus temporis det homini ad resipiscendum & pœnitendum; non enim vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Quod si noluerit ille à peccato desistere, inde tamen & DEI patientia & clementia tandiu expectantis eum ad pœnitentiam, & obdurata eius malitia tandiu bonitate DEI abutentis, illustrior existit. Verū post diutinam peccatorum dissimulationem DEI, longamque vltionis dilationem, cum peccator longanimitatem DEI vertit in maiorem peccandi licentiam, tunc demum procedit DEVS ad puniendum, & sane eò grauius, quo tardius. Verum hæc appositis diuinæ Scripturæ sententiis illustranda sunt. *Dedit ei* DEVS, inquit Iob, *locū pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiā. Eleuati sunt ad modicū, & non subsistēt, & sicut summitates spicarum conterentur.* In Libro Sapientiæ cap. xij. scriptum est, non statim DEVM nec simul vindictam scelerum effundere; sed lente ac per partes punire, dantem locum & spatium pœnitentiæ, etiam iis quos inflexibiles atque inemendabiles fore nouit: *Poteras eos*, ait Scriptura, *verbo tuo simul exterminare: sed partibus iudicans, dabas locum pœnitentiæ: non ignorans quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Quod si homines iam morti debitos, cum tanta cruciasti attentione, dans tempus & locum, per quæ possent mutari à malitia*: & cætera quæ deinceps ibi sequuntur.

Locus Iob. 24.

Exod.5. Exemplum huius rei habes in Pharaone & Aegyptiis, quos DEVS paulatim per nouem priores plagas puniens, ad obediendum voluntati & mandato suo de dimittendis Hebræis, quasi cōpellere voluit; sed cum ea non solum ad emendationem eorū non proficerent, sed magis contumaciam & peruicaciam eorum aduersus DEVM augerent; denique *Infra.14.* per vltimam plagam parere sibi coëgit; & postea demersos mari deleuit.

Ponam

PONAM hic grauissimam, & perseuerantibus in peccando, atque in dies magis obfirmantibus animum, valde tremendam B. Gregorij sententiam. Explanans enim ille verba illa Ezechielis 3. *Si conuersus iustus à iustitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo*, Ad hunc modum scribit: Hoc nobis cum tremore considerandū est, quemadmodum iustus & omnipotens DEVS, cum irascitur precedentibus peccatis, permittat vt cæcata mens etiam in alia delabatur. Vnde Moses ait: *Nondum completa sunt peccata Amorrhæorum*: & Paulus inquit, *Vt impleant peccata sua semper*, & Ioannes in Apocalypsi, *Qui nocet, noceat adhuc; & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Et hoc loco per Ezechielem ait, ponere se offendiculum corā eo qui auertit se à iustitia. Ac si aperte dicat: quia videre pœnitendo noluit, vbi iam impingit; iusto eum iudicio deserens, ponam ei offendiculum, vt & alibi impingat. Sed DEVM ponere offendiculum homini, non est eum premere ad peccandum: sed nolle à peccato liberare, sicut etiam de Pharaone dicitur: *Ego indurabo cor eius*: non enim cor peccantis DEVS obdurat; sed obdurare dicitur, quia eum ab obduratione non liberat. Misericors enim DEVS tempus nobis ad pœnitentiam relaxat; sed cum eius gratiæ patientiam nos in augmentum vertimus culpæ; hoc ipsum tempus quod ad parcēdum pie disposuit, districtius ad feriendum conuertit: vt quia reuerti quis, etiam spatio temporis accepto, noluerit, per hoc mala sua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, si conuerti maluisset. Vnde scriptū est: *Ignoras quoniam benignitas* DEI *ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij* DEI. Ergo omnipotentis DEI iram sibi reprobus thesaurizat, dum tempus quod ad pœnitendum accepit, ad peccandum exhibet, & ipsum remedium gratiæ vertit in augmentum culpæ. Vnde quia collata à se remedia conspicit DEVS ad culpæ augmentum trahi, ipsam benignitatem quam contulit, in iudicij districtionem conuertit: vt inde post amplius feriat, vnde modo amplius expectat. Et quia homo deserere malum non vult vt viuat, auget vnde moriatur. Hactenus ex B. Gregorio.

Notabilis. B. Gregorij. sententia contra eos, qui nō pœnitentes in dies peccatis peccata cumulant. Locus Ezechielis c.3. *Gene.15.* *1.Tim.2.* *Apoc.vlt.*

Exo.4. & 14.

Ad Ro.2.

92 Thomas Anglus eundem hunc Mosis locum explanans, ponit quæstionem, quomodo hic dicatur DEVS exigere vel expectare complementum & consummationem iniquitaris, cum contra potius exigat ab homine ne peccet; quod si iam peccauit, ne vlterius pergat, sed quam primum à peccando desistat? Ad hanc ille quæstionem, ita respondet, voluisse DEVM his verbis ostendere, quàm ipse mirabili mensura & moderatione iudicet vniuersos. Esse autem inter cætera duplex in hac vita iudicium DEI: Vnum esse iudicium iustæ permissionis, quo DEVS hominum peccata vsque ad condignum malitiæ & demeritorū cumulum aggrauari permittit. Prima enim peccata merentur præcipitiū sequentium peccatorum; & illa iterum aliorum & plurium & grauiorum vsque ad certū cumulū à DEI iustitia & sapientia cōmensuratum. Alterum esse DEI iudiciū exterminationis tēporalis hominū propter

Thomas Anglus in cap.15.Gen.

Duplex Dei iudicium in hac vita.

peccata. Ac licet omnem mortaliter peccantem iuste DEVS exterminare posset; decet tamen bonitatem eius, vt mensuram aliquam misericordis expectationis apponat; saltem respectu multitudinis populorum, & respectu suorum vniuersalium iudiciorum: præsertim vero cum in ipsa multitudine sunt aliqui boni, & aliqua sunt bona temporaliter à DEO remuneranda. Secundum vtrumque autem hoc genus iudiciorum DEI, debet intelligi quod dicitur: *nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum*: neque enim peccata eorum eo tempore ad tantam peruenerant multitudinem & grauitatẽ; & inter eas gentes multi erant tunc viri boni & sancti; vt supra ex Theodoreti sententia docuimus. Sic ille. Verum quia de priori significatione vocabuli iniquitatis & peccati pro ipsa pœna & vindicta satis dictum est; de altera significatione eius, cum proprie sumitur pro ipso peccato & culpa, deinceps dicamus.

Theodoretus.

Quodnam fit & quãdo fiat complementũ peccatorũ mouens DEVM ad vindictã.

SI vocabulum iniquitatis & peccati proprie hoc loco positum esse 93
volumus pro ipso peccato & culpa; verba illa DEI: *Nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum*, hanc reddẽt sententiam: Nondum eorum peccata ad eam peruenere mensuram, quam cum impleuerint, decreui ego insigniter ea punire, exterminando eas gentes ex hac terra. Nimirum sæpe DEVS cõstituit permittere peccata alicuius gentis impune fieri quantum ad multitudinem, grauitatem, & tempus vsque ad certum tamen quendam terminum, quem vbi attigerunt, tunc publicam & notabilem de ea gente vindictam sumit. Quisnam porro sit ille terminus multitudinis, grauitatis & durationis peccatorũ, mortalium nemo scire potest; vt qui in occultis atque impenetrabilibus diuinæ prouidentiæ iudiciis & decretis penitus abstrusus, lateat omnes. Veruntamen memoria repetentibus antiqua exempla publicæ & horribilis vindictæ, qua DEVS in varias gentes, post longam impietatis earum dissimulationem, dilationemque supplicij, seueriſſime animaduertit, eiusque vindictæ causas solerter rimantibus ac perpendentibus, quatuor in primis occurrent causæ, propter quas DEVS tandem ad huiusmodi vindictam solet accedere. Prima causa: cum in aliqua gente viget graue aliquod peccatum; nec illud est paucorum, sed adeo totius gentis commune, vt vix vnus & alter eius peccati expers reperiatur. Talis fuit gens illa Sodomorum: quorum excidio pareiturum se DEVS promisit Abræ Genes. 18. si vel decem homines iusti essent in ea gente: & cap. 19. narrat Moses, cum Lot duos Angelos iuuenili hominis forma & ætate hospitio accepisset; vniuersum populum Sodomorum, à puero vsque ad senem, concurrisse simul ad ædes Lot, dari sibi iuuenes illos vehementer flagitantem & compellentem.

Quatuor causæ cur DEVS puniat in hac vita alicuius gẽtis peccata.

Altera causa est, cum grauissima peccata non modo non sunt pudenda, aut occulte fiunt, sed inuerecunde publicantur, & de iis tanquam de præclaris facinoribus gloriantur; &, sicut ait Scriptura: *Lætantur cum maleficerint, & exultant in rebus pessimis.* Propter hoc Isaias supremo minatus Iudæis mala: *Peccatum*, inquit, *suum quasi Sodoma prædicauerunt*

Prou. 2.
Isaiæ. 3.

nerunt, nec absconderunt; væ animæ eorum, quoniã reddita sunt eis mala. Tertia causa: cum gentis alicuius peccata diu multũque vsitata & inueterata, fiunt plane inemendabilia, nullaque amplius remedia & curationem admittunt. Quam ob causam de populis Chananæorum, siue Aegyptiorum in libro Sapientiæ capite xij. scriptum est, naturalem fuisse eorum malitiam, atque immutabilem in perpetuum. Nam quia longa consuetudo euadit quodammodo in naturam, peccata etiam diu multumque consueta, quasi naturalia efficiuntur: Naturam autem expellas furca, vt ille dixit, tamen vsque recurret. Ob eandem causam de Iudæis dixit Hieremias, *Si mutare potest Aethiops pellem suam, & Pardus varietates suas; & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum*, & alio loco: *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, in vngue adamantino exaratum super latitudinem cordis eorum.*

Hiere. 13.

Infra. 17.

Quarta causa, huiusmodi est: Quando improbitas & impietas alicuius gentis eo vsque procedit, vt sit admodũ exitialis humanæ societati, ipsam hominum communitatem ac societatem peruertens ac destruens. Humana verò societas tribus maxime rebus & initio coalescit, & deinceps continetur atque conseruatur; ante omnia religione pietateque aduersus DEVM; tum erga homines æquitate ac iustitia; ac demum recta viuendi disciplina, & rationabili quadã morum institutione & compositione. Contra primum facit atheismus & fœda ac pestilens idololatria: qualis fuit olim quarundam gentium, quibus vel proprios suos filios, aut iugulando aut igni comburendo, Diis immolare moris erat. Quod si hæc scelera in ipsum etiam DEI populũ inuaserint, mirum dictu, quantum iram DEI prouocent, & contra se vindictam eius accelerent. Huius criminis sæpe accusatos esse Iudæos à Prophetis, legimus in Sacris Literis. Alterũ humanæ societatis vinculum, iustitiam dico, plane dissoluunt frequentes & immodicæ bonorum rapinæ, tyrannicæ oppressiones, frequentes bonorum & innocentium cædes: tale fuisse legimus peccatum Aegyptiorum aduersus Hebræos; idem crimen sæpenumero Hebræis ipsis exprobrarunt Prophetæ, extrema eis mala ob eam causam cõminantes. Contra tertium humanæ societatis caput faciunt promiscuæ atque indifferentes virorum atque mulierum coniunctiones, nulla distinctione ac respectu cognationis vel affinitatis: vt patris & filiæ, filij & matris, fratris & sororis: & quod multo detestabilius est, nefandæ commixtiones marium cum maribus, & hominum cum iumentis. Atque hoc fuisse complementum iniquitatum Chananæorum, ad quod vbi peruenere, punitos esse eos à DEO & eiectos de terra sua; nec obscure, nec vno tantum loco docet Scriptura.

Tribus rebus cõtineri cõmunitatem & societatem hominum.

94 LVBET carptim hoc loco exponere sex valde insignia & horrenda exempla diuinæ vindictæ, quam DEVS propter varia scelera, & contra varias gentes ac populos diuersis temporibus exercuit. Prima fuit vindicta qua DEVS omne genus hominum & animaliũ, paucis exceptis, generali aquarum eluuione deleuit, propter effusam & enormem

Sex diuinæ vindictæ in hac vita, in varias gẽtes ob varia peccata, exẽpla.

Genes. 6.

mem in omni libidinis genere intemperantiam, immanemque crudelitatem. Altera vindicta fuit Sodomitarum,cum tota illa regio & gens Pentapolitana, misso cælitus igne penitus deflagrauit, propter scelus nefandum, Genes.19. quam item ob causam tribus Beniamin penè redacta est ad internecionem. Tertia fuit vindicta decem plagarum quibus petcussit DEVS Ægyptios,ob tyrannicam vexationem & afflictionem Hebræorum,& propter impiam eorum contumaciam, & peruicaciam aduersus DEVM,vt paret Exodi 6.vsque ad 13. Quarta fuit vindicta,ipsorum Iudæorum, ob multiplicem idololatriam,ob cædes,innocẽtium & Prophetarum,ac super omnia, propter impiissimam Messiæ necem:Ob hæc illi variis sæpe captiuitatibus, magnisque calamitatibus attriti sunt;denique perpetua regni eorum desolatione,gentisque exterminatione, nec nõ & per omnes terras disipatione ac misera seruitute puniti sunt. Quinta fuit vindicta Babyloniorum & Chaldæorum,propter fœdissimas omnis generis superstitiones,nimiamque contra populum DEI crudelitatem.Quarum gentium atrocitatem vindictæ, eiusque causas Isaias & Hieremias prophetando disertis verbis enarrarunt.

Iudicum cap. 19.

Quæ sit causa præsentis calamitatis & seruitutis miserrimæ Græcorum.

Sexta fuit Græcorum vindicta, gentis quondam & regionis florentissimæ,nec solum abundantia bonorum & opulentia,sed virorũ etiam illustrium frequentia, bellica fortitudine, sapientia, eloquentia, imperij etiam amplitudine ac potentia, toto orbe terrarum celeberrimæ. Hæc multos iam annos, hodieque iacet vsquequaque vastata & penè desolata;nec modo bonarum artium & disciplinarum, quarũ olim fuit inuentrix & altrix,ornamentis spoliata,verum etiam terrenorum bonorum commodis priuata,& sub barbaro Tyranno, grauissimo seruitutis iugo pressa,atque omnibus miseranda. Sed cur hæc passa est? propter pullulantes subinde in ea gente gliscentesque hæreses & schismata; propter superbam aduersus Pontificem Romanum,vniuersalem Ecclesiæ pastorem,& CHRISTI Vicarium in terris contumaciam, peruicaciam atque inobedientiam; propter incredibilem perfidiam & malignitatem,atque implacabile odium erga Latinam gẽtem & Ecclesiam. Ergo si cuius forte animum subeat interdum mirari, cur DEVS sæuissimam Catholicorum in Anglia persecutionem, & Anglicani principatus potentiam tandiu vigere ac pollere patiatur; is profecto continuo mirari desinet,si reputet secum quod hic dictum est à DEO,*Nondum completa sunt iniquitates Amorrhæorum*:Veniet etiam aliquando tandem Anglicæ iniquitatis complementum;veniet tempus diuinæ vindictæ,serum fortasse nobis; verum secundum occultas diuinæ sapientiæ ac prouidentiæ rationes,maxime tempestiuum & opportunum.Quod tempus si quis dixerit non longe nunc abesse, (in tantam illius gentis persecutio rabiem & crudelitatem iam excesit) is à vero,vt mea fert coniectura,minime aberrauerit.

Cur DEVS tandiu patiatur impune regnare persecutores Catholicorũ in Anglia.

95

In illo

In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram dicens, semini tuo dabo terram hanc. VERSV 18.

97 ILLVD, *Pepigit fœdus*,satis indicat supradictum apparatum occisorum animalium, eorumque diuisionem in partes ex aduerso inuicem locatas, transitumque lampadis per medium eorum, spectasse ad pangendum firmandumque huiusmodi fœdus cum Abram, vt nos supra pluribus verbis exposuimus. Et antehac quidem promissa fuerat Abræ terra Chanaan,sed fuerat simplex & nuda promissio;nũc autem inito fœdere inter DEVM & Abrã omnino firmata est,factaque tanquam inuiolabilis & immutabilis.Videlicet id facere DEVS voluit,ad ingenerandam animis posterorum Abræ certam eius terræ possidendæ atque obtinendę fiduciam.Non caret mysterio,inquit Caietanus,quod DEVS, qui nominatur hic nomine Tetragrammaton, id est, primum essendi principium,sua prouidentia & cura eo vsque descenderit, vt ad similitudinem hominis paciscentis cum altero homine, ipse quoque paciscí voluerit cum Abram; atque ea ratione, tanquam ex contractu obligatum se illi exhibuerit. Obmutescant igitur dicentes, supremo DEO fas non esse, vt in curã ipse singularum nostrarum actionum incumbat. Sic Caietanus. Illud autem quod adiungitur, *Dabo semini tuo terram hanc*, hoc habet dubitationis;quod supra, hoc ipso capite xiij. adiecit DEVS,*dabo tibi & semini tuo*; cur igitur nunc omisit illud, *dabo tibi?* Verum vt hic tantum dicitur,*dabo semini tuo*, itidem supra dictum est capite xij. Vtrumque igitur, si recte intelligatur, veram habet sententiam. Etenim terram illam dedit DEVS Abræ quantum ad proprietatem & ius eam possidendi:non dedit eam illi,sed tantum eius semini, quantum ad vsum plenæ & pacificæ possessionis eius terræ. Vel cum dicitur:*Dabo tibi & semini tuo*,illa coniunctio,*&*,vt sæpe alias,etiam hic habet vim causalem,& ponitur pro,quia,vel,eo quod,vt sit sensus, dabo tibi,eo ipso quia dabo semini tuo. Nam cum filius sit aliquid patris,quod filio datur, etiam quodammodo confertur in patrem.Vel illud(tibi)hoc sonat,tuo merito,in tuam gratiam, quia dilexi & elegi te, quia inuenisti gratiam in oculis meis, & beneplacitum est mihi in te: propter hãc,inquam,causam,dabo semini tuo.Nimirum apertis verbis Moses affirmat in libro Deuteronomij, terrã illam Hebræis esse traditam,non propter eorũ pietatem & iustitiam,aliaue præclara in DEVM merita;sed quia DEVS maiores eorum dilexerat & elegerat;ante omnes vero ipsum Abram, cum quo etiam fœdus pepigerat de danda posteris eius terra Chanaan.

Caietanus in cap. 15. Geneſis.

Deuter. 7.

Universidad de Deusto Biblioteca

VERSV 19.

A *Fluuio Aegypti vsque ad fluuium magnum Euphratem.*

HIS verbis magnitudinem terræ, quam promisit Abræ, definit DEVS quantum ad eius terræ longitudinem, scilicet à meridie ad septentrionem. Nam fluuius Ægypti, erat terminus eius terræ ad meridiem, siue à parte Australi, versus tamẽ occasum: Euphrates vero, eiusdem terræ erat terminus ad septentrionem, paululum tamen vergendo & declinando ad Orientem. Fines autem latitudinis eiusdem terræ inter occasum & ortum hic prætermissi, multis aliis Scripturæ locis exponuntur. Sed Lectorem scire conuenit, diuinam Scripturam interdum angustiores statuere fines eius terræ, videlicet ab introitu Emath vsque ad riuum siue torrentem Ægypti, vt 3. Regum 8. Amos 6. & fere Numerorum 34. Namque vltra Emath, vsque ad Euphratem magnus est terrarum tractus. Quin etiam breuiores aliquanto fines eius terræ designantur, cum ea circumscribitur à Dan vsque Bersabee, vt primo Regum 3. & tertio Regum 4. At vero alias amplissimis ea regio finibus describitur, vt cũ ea pertinuisse dicitur à fluuio Aegypti vsque ad Euphratem, quemadmodum hoc loco & Exodi 23. & Iosue 1. scriptũ est. Causam vero huius varietatis in determinanda ea regione, paulo infra exponemus in disputatione decima & vltima huius capitis. 98

Sed cur Euphrates, qui statuitur hoc loco terminus terræ promissionis, & hic, & Iosue 1. appellatur fluuius magnus? Quin etiam Exodi 23. & Iosue 24. præcise nominatur flumen; vnde, trans flumen, sæpe in Scriptura idem significat quod trans Euphratem. Respondeo, appellari magnum, vel quia vnum est de maximis & celeberrimis quinque fluminibus totius terræ olim cognitæ: sunt autem hæc, in Europa Danubius; in Africa Nilus; in India Ganges & Indus; in Asia Euphrates; nam licet inibi quoque fluat Tigris, hunc tamen multis rebus Euphrati concedere, testatur Strabo. Vel fortasse magnus vocatur, non tam aquarum copia, quàm dignitatis præstãtia, quod sit vnus de quatuor fluuiis ortis ex Paradiso. Et quia id commune est illi cum Tigre; propterea & ipse magnus nominatur Danielis 10. Nam quod Hebræi Talmudici tradiderunt, eò vocari Euphratem magnum, quod terminus fuerit Terræ Sanctæ; id profecto ridiculum est: namque ista ratione Iordanis Terram Sanctam perluens, irrigans, fœcũdans ac nobilitans, multo maximus fluuius censeri ac nominari debuisset. 99

Strabo li. 16.
Genes. 2.
Ibidem.

NONA

NONA DISPVTATIO

Quis fuerit ille fluuius Aegypti, quem DEVS *hic statuit terminum terræ Promissionis.*

HIc fluuius Ægypti non est Nilus, Ægyptum non modo irrigans & fœcundans, sed quodammodo etiam faciens: creditur enim Ægyptus, magnam partem, opus esse Nili. Si enim terra Promissionis vsque ad Nilum porrecta fuisset, bona vtique pars Aegypti, & item Arabia, nec non & Madianitis, aliæque regiones & gentes ad possessionem Hebræorum pertinuissent. Quod esse falsum, nemo, opinor, negabit: cum nec istas ab Hebræis possessas esse regiones, nec fuisse eis à DEO promissas, ex descriptione terræ Promissionis, quæ variis Scripturæ locis traditur, planissime intelligitur. Non me fugit, duos Hebræorum nobilissimos doctores Salomonem & Chimhi, hunc Aegypti fluuium qui terminus australis ponitur terræ Promissionis, interpretatos esse Nilum: sed confessos tamen, id non proprie nec ad veritatem esse dictum; sed figurate ac per locutionem hyperbolicam, quo significaretur terram Promissionis longissime prolatum iri versus Aegyptum, vt quasi ad Nilum vsque porrigenda dici posset. Verum licet hyperbolica locutione nonnusquam vtatur Scriptura; ea tamẽ, cum serio & proprie, cum subtiliter & distincte fines alicuius regionis designantur, valde aliena est, minimeque conueniens: hic enim propria & cum vero maxime congruens oratio esse debet. 100

RR. Salomone & Chimhi.

Quisnam igitur est ille fluuius Aegypti qui terminat terram Promissionis? Est paruus fluuius ex Nilo deriuatus, inter Pelusium & Palæstinam, per latissimam decurrens solitudinem, & mare intrans Mediterraneum, quod Aegyptiacum siue Phœnicium appellatur: & est australis terminus Iudææ; cui ex aduerso respondet septentrionalis terminus, quem Scriptura vocare solet introitum Emath, cũ ait, *ab introitu Emath vsque ad fluuium siue torrentem Ægypti.* Hunc fluuium B. Hieronymus breuibus ita describit: Est riuus Nili de eremo veniens, atque inter Rhinocoluram & Aegyptum, in mare ingreditur Mediterraneum. Hunc fluuium variis admodum nominibus insignitum ac nuncupatum legimus in Sacris Literis Primo enim dicitur fluuius siue riuus Aegypti, vt hic, & Exodi 23. & 3. Reg. 8. aut etiam torrens Aegypti, vt Numerorum 34. & Iosue 15. Sed cur dicitur esse Aegypti? vel quia fluit in confinio Aegypti & Palæstinæ, quà tamen Aegyptus vergit ad Occasum. Quam ob causam, & quia desinit in mare Mediterraneum quod est Occidentale Iudææ, septuaginta interpretes, Amos 6. appellauerunt eum, torrentem Occidentis: quo loco, vt refert Hieronymus, Theodotio vertit torrentem Arabiæ; Aquila vero, Torrentem qui est 101

3. Reg. 8. Hierony. in 6. cap. Amos Fluuius, riuus, torrens Aegypti.

Torrens Occidentis vel Arabiæ vel Planiciei vel Deserti.

in planitie. Vel dicitur fluuius Ægypti; quia ortũ habet in Ægypto, id est Nilo qui Ægyptum perluit. Præterea vocatur torrens deserti, vt Amos 6. quod per vastissimam solitudinem interiacentem inter Pelusium & Palæstinam defluat in mare. Verum cur nominatur torrens? est quidem ille fluuius, nunquam defectus aquis, perennemque habens cursum, cum ex Nilo capiat & deuehat aquas: sed vocatur etiam torrens, ob subita & varia aquarum incremẽta, aut ex imbribus, liquatisue niuibus, aut aliarum aquarum affluxu. Ad hæc, nuncupatur fluuius turbidus, vt Iosue 13. quod turbidas ferat aquas. Quare prodit originem suam ex Nilo, qui Hebræis Sihor, id est, turbidus, vt patet Hieremiæ 2. sicut Græcis μέλας id est, niger appellatur, quod aquas ferat multo limo turbidas & quasi nigricantes.

Fluuius turbidus.

Locus Isaię 27. Quid sit Rhinocolura, vbi sita, vnde ducta. S. Hieronymus.

POSTREMO hunc fluuium LXX. interpretes appellarunt Rhinocoluram. 102 Nam pro eo quod nos legimus Isaiæ 27. *In die illa percutiet Dominus ab alueo fluminis, vsque ad torrentem Aegypti*, Ipsi eum locum sic verterunt: *Et erit in die illa, concludet Dominus à fossa fluminis, vsque ad Rhinocoluram.* Ad hunc locum LXX. interpretum spectans Sanctus Hieronymus, ita scribit in libro de locis Hebraicis: Rhinocolura est ciuitas Ægypti, cuius meminit Isaias cap. 27. Sciendum autem quod hoc vocabulum in libris Hebraicis non habetur: sed à septuaginta interpretibus propter notitiam loci additum est. Sic Hieronymus. Quanquam autem Septuaginta fluuium appellauerint Rhinocoluram; id tamen non est nomen fluuij, sed vrbis, iuxta quam ille fluit: verum nomen vrbis, ob vicinitatem, tributum est fluuio, vt inde magis ille notesceret. Quę fuerit autem, & vbi Rhinocolura, & cur sic dicta, ex Diodoro, Strabone, Ptolemæo cognosci potest. Ptolemæus enim libro 4. Geographiæ cap. 5. ab extremis Iudææ terminis australibus distantem facit Rhinocoluram, quatuor circiter Leucis. Et Strabo lib. 16. Iudęam extendit Casium vsque montem, cui adiuncta est Rhinocolura: vnde Pelusium Ægypti vrbs (quæ nunc vulgo Damiata appellatur) diei vnius ac dimidij itinere abest. Dicta est Rhinolocolura à narib. abscissis, vt refert Strabo, quod facinorosi quidã homines, supplicij causa præcisis naribus, à rege quodam Ætiopũ qui Ægyptum occupauit, in eo loco habitare coacti sunt; inde nomen vrbi accidit; nam Rhinocolura sonat narium abscissionem. Enucleatius historiam huius rei narrat Diodorus libro 2. Actisanes, inquit, Aethiopum rex, Aegypto occupata partim vi, partim Aegyptiorum voluntate, latrocinia nouo more compescuit; fontes neque morte plectens, neque dimittens impunitos: eorumque constituto iudicio, omnes qui conuicti sunt, in vnum coactos, miti supplicio effecit. Amputatis enim naribus, in vltima deserti ire cumpulit: ibique ciuitatem condidit ab excisis naribus Rhinocoluram appellatam. Hæc vrbs in Aegypti Arabiæque finibus non procul mari sita, omnibus vitæ commodis caret. Nam omnis vicina regio salsa est; & intra mœnia vnicus est puteus, atque is inutilis, vtpote aqua gustu amara. Hæc Diodorus.

Ptolemæus.

Strabo.

Diodorus.

Summa

Summa igitur eorum quæ ad præsens disputauimus super hoc fluuio Aegypti, hæc sit: riuum esse deriuatum è Nilo, per vastissimam solitudinem, & iuxta Rhinocoluram vrbem profluentem, atque inter Pelusium & Gazam siue Palæstinam intrantem mare Mediterraneum; quique à parte australi claudit Iudæam, eamque disterminat ab Aegypto. Strabo sane supra magnum Pelusiacum Nili ostium, paruum aliud facit versus Iudæam, trecentis ab illo distans stadiis. Et ab iis qui ea loca curiose peragrarunt proditum est, vt refert Masius, à Gaza itinere quinque dierum versus Aegyptum, paruum quoddam Nili brachium excipi à mari, vulgoque Carabum vocari: & ab eo vsque Pelusium (quæ nunc, vt dixi, Damiata vocatur) vię tantum intercedere, quantum quis viginti horis pedes conficere possit. Hortor Lectorem, vt legat etiam quæ de hoc fluuio scripsere Andreas Masius in cap. 13. Iosue, & noster Ribera in cap. 6. Amos prophetæ, sunt enim recta, erudita, & cum iis quæ nos hic docuimus, valde congruentia.

Strabo li. 16.

Andreas Masius in ca. 13. Iosue.

Franciscus Ribera.

Cinæos, Cenezæos, Cedmonæos, Hethæos, Pharezæos, Raphaim quoque & Amorrhæos, & Chananæos & Gergesæos & Iebusæos.

VERSV 20.

103 NVMERANTVR his verbis decem Gentes habitantes id temporis, & obtinentes terram quam promisit DEVS semini Abræ. Greci codices habent hic vndecim gentes, supradictis addentes gentem Heuæorum. Verũ Heuæos hoc loco nec Hebræi, nec Latini codices habent. Sed exoritur quæstio, quo modo hic memorentur decem populi habitatores terræ Promissionis, cum alibi tantum nominentur vel sex, vt Exodi 3. & 33. vel septem, vt Deuteronomij 7. Iosue 3. & Actorum 13. Mihi sane fit admodum verisimile, fuisse istas decem gentes tempore illo Abræ in terra Chanaan; postea vero in pauciores euasisse, aliis vel extinctis, vel sub aliarum potestatem atque dominatum redactis. Possem illud etiam dicere, habitasse quidem decem gentes in terra Chanaan, vt hic dicitur; alibi tamen numerari tantum septem, quod hæ aut numero, aut robore, aut ditione & potentia præstarẽt, cęterarumque gentium principes essent. Nam quod ait Thostatus, hic numerari gentes quarum terras assignauit DEVS non solum Israelitis, sed etiã Idumæis, Moabitis & Ammonitis: alibi vero recensери tantum septem gentes, quarum scilicet regionem solis Hebræis DEVS attribuit; hoc, inquam, Thostati dictum, tres ob causas minime videtur probabile. Etenim aperte DEVS hic promisit semini Abræ terram istarum decem gentium: at nomine seminis Abræ, nusquam appellantur nisi Hebræi: nec hoc promissum soli Abræ datum est; sed idem postea cum Isaac & Iacob fuit iteratum atque firmatum. Deinde cur per semen Abræ

An decẽ vel septẽ gẽtes fuerint quæ tenebãt terram Promissionis.

Refellitur Thostatus in cap. 15. Geneseos.

Thostatus vult intelligi etiam Ammonitas & Moabitas, qui non ex Abram; sed ex Lot genus duxerunt; ac non potius Ismaelitas & Madianitas, qui ex Ismaele & Madian naturalibus verisque filiis Abræ orti sunt? Nec sane Thostatus posset ostendere, quæ de istis decē gentibus significent vel Idumæos, vel Ammonitas, vel Moabitas; cum nusquam in Scriptura talibus illi nominibus nuncupentur. Quid quod hæc ipsa DEI promissio quæ hic datur semini Abræ, solis datur Israelitis Exodi 23. & Iosue 1. B. Augustinus libro Quæstionum in Iosue Quæst. 21. duplicem terram distinguit promissam Hebræis; vnam, quam reuersi ex Aegypto tenuerunt deletis eius habitatoribus; & in hac habitabant septem illæ Gentes, quas alibi commemorat Scriptura. Altera vero fuit terra, quam hic promisit DEVS semini Abræ à fluuio Aegypti, vsque ad Euphratem; quam Hebræi nunquam tenuerunt, nisi regnantibus Dauide ac Salomone: atque in hac terra fuerunt decem illæ gentes (siue vndecim, vt ille numerat) quæ hoc loco recensetur.

Genes. 16. & 25.

S. Augustin.

Illud præterea nonnihil habet dubitationis, quæ gens fuerit Raphaim, quæ hic nemoratur inter habitatores terræ Promissionis; cum ea nusquam alibi, vbicumque numerātur gentes huius terræ, inter eas recenseri soleat? Thostatus putat, Raphaim hoc loco eandem esse gentem, atque eam quam proxime post vocat Amorrhæos: vt cum dicitur, *Raphaim quoque & Amorrhæos*, illud, &, sonet, id est; vt si legeretur, Raphaim quoque, id est, Amorrhęos. Hanc ille coniecturā suam eo probat, quod rex Ogerat de stirpe Raphaim, & erat rex Amorrhæorū, & tota illa terra, erat terra gigantū, vt patet ex c. 3. Deuteronomij. Certe vocabulo illo Raphaim sæpe in Sacris Literis significantur gigantes. Secundum hanc Thostati opinationem, non decem, sed nouem tantum gentes hoc loco recenserentur. Nonnullis placet, vocabulo illo Raphaim intelligi debere Heuæos; hic quidem omissos, sed alibi fere nominatos inter gentes, quarum terram Hebræi possederunt. Quomodo autem nomen Raphaim competat in Heuæos, exposuimus in secundo Tomo horum commentariorum in Genesim libro 15. & numero 118. quemadmodum in eodem libro ac numero 109. disputauimus, cur inter has gentes quæ terram Promissionis habitabant, non sit commemorata gens Philistæorum; cum illi obtinuerint præcipuam terræ Promissionis partem, possessioni Hebræorum assignatam, vt ex capite 13. libri Iosue Lectori perspicuum esse potest.

Quæ Gens fuerit Raphaim. Thostatus in cap. 15. Geneſis.

104

***

DECI

DECIMA DISPVTATIO

An hoc DEI *promissum de terra à posteris Abræ possidenda à fluuio Aegypti vsque ad Euphratē, impletum vnquam fuerit: & an Hebræi vllo tempore ditionem suam & imperium protulerint vsque ad Euphratem.*

IN contrarias huius quęstionis partes suppetunt argumenta. Nam fuisse hoc DEI promissum aliquando impletum, satis videtur argumenti esse, quod DEVS id promiserit non solum hoc loco Abræ, sed postea Mosi, Exodi 23. & post Mosem, ipsi Iosue, vt habet in libro eius ca. 1. Diuinum igitur hoc promissum, toties renouatum firmatumque; idemque sine vlla exceptione, nec sub aliqua conditione, sed præcise ac simpliciter datum; non videtur fuisse cassum & irritum, sed suum aliquo tempore exitum & effectum habuisse. Ex aduerso autem, illud contrariam sententiam adiuuat, quod in libro Numerorum cap. 34. vbi terra ab Hebræis possidenda, valde subtiliter ac distincte omni ex parte determinatur, ea terra non vltra Emath extenditur; id autem est longissime citra Euphratem. Immo vero vniuersa Hebræorum habitatio, quà longissime patebat, solet in Scriptura definiri à Dan vsque Bersabee. Hæc igitur in Disputatione, quam nunc proponimus, & suscipimus tractandam, versatur difficultas: de qua, primo quid alij senserint; tum quod sit nostrum iudicium & sententia, Lectori aperiemus.

105 Caietanus, cuius adstipulator est Oleaster, cēset hoc DEI promissum de terra ab Hebræis possidenda vsque ad Euphratem, fuisse impletum tempore Dauidis, vt patet ex libro 2. Regum capite 8. & 1. Paralipomenon cap. 18. Illic nempe proditum est de Dauide, eum profectum esse cum exercitu, vt dilataret imperium vsque ad Euphratem, & dominaretur super flumen Euphratis. Tunc dicitur subegisse imperio suo, sibique seruos fecisse Philistæos, Idumæos, Moabitas, Ammonitas, regnum quoque Soba, omnemque Syriam pertinentem vsque ad Euphratem. Nec ab istis auctoribus diuersus videtur S. Augustinus; nisi eo tantum, quod effectum huius promissi non refert ad tempora Dauidis, sed Salomonis. Scribit enim libro Quæstionum in Iosue quæstione 21. Salomonem habuisse sub imperio & ditione sua omnes gentes omnemque terram à flumine Euphratis vsque ad terminos Ægypti: de eo namque 3. Regum cap. 4. ita scriptum est: *Salomon erat in ditione sua, habens omnia regna secum, à flumine vsque ad terram Philistijm, & vsque ad terminum Aegypti offerentium sibi munera, & seruientium cunctis diebus vitæ eius*, & quibus-

Caietanus & Oleaster in cap. 15. Geneſis.

S. Augustinus.

quibuſdam aliis interpoſitis adiungit hæc: *Ipſe obtinebat omnem regionem quæ erat trans flumen, quaſi à Taphſa vſque ad Gazam, & cunctos reges illarum regionum; & habebat pacem ex omni parte in circuitu.*

Duplex terra Hebræis promiſſa.

Verum Auguſtinus bifariam diſtinguit terram Hebræis promiſſam: alteram, in qua ſeptem illæ gentes Chananæorum habitabant; & in hac voluit DEVS Hebræos habitare deletis penitus illis ſeptem gentibus, antiquis eius terræ habitatoribus. Hæc terra in vniuerſum vocari ſolet terra Chanaan; non ſane amplior quam à Dan vſque Berſabee; vel ab introitu Emath vſque ad fluuium ſiue torrentem Aegypti. Alteram terram Hebræis promiſſam putat Auguſtinus fuiſſe, quæ vltra modo dictam terram Chanaan extendebatur vſque ad Euphratem: ſed hanc ita promiſſam eſſe Hebræis, vt eam illi ſuo imperio ſubiicerent, & habitatores eius tributarios ſibi facerent; non autem vt eam ipſi, veteribus eius incolis exterminatis deletisque incolerent. Hanc diſtinctionem terræ à DEO promiſſæ Hebræis elicit Auguſtinus ex capite 20. Deuteronomij, vbi ſic eſt ſcriptum: *Si quando acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres eis primum pacem; ſi receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea eſt, ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam. Cumque tradiderit* DEVS *illam in manu tua, percuties omne quod in ea eſt generis maſculini, in ore gladij; abſque mulieribus & infantibus, iumentis & cæteris quæ in ciuitate ſunt. Sic facies cunctis ciuitatibus quæ à te procul valde ſunt; & non ſunt de his vrbibus quas in poſſeſſionem accepturus es. De his autem ciuitatibus quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes viuere, ſed interficies in ore gladij, Hethæum videlicet & Amorrhæum, Chananæum, Pharezæum, Heuæum & Iebuſæum, ſicut præcepit tibi Dominus* DEVS *tuus.*

Verba S. Auguſtini. 3. Reg. 4.

Ponam hic partem orationis Auguſtini; eam ſcilicet quæ magis ad rem præſentem facit, & qua non parum, quæ nos ſupra diſputauimus, illuſtrari poſſint. Ad hunc igitur modum ſcribit ille: De Salomone ſic ait Scriptura: *Et erat dominans in omnibus regibus à flumine vſque ad terram Philiſtiim, & vſque ad fines Ægypti.* Ecce adimpletum eſt, quod in Geneſi cap. 15. DEVS ad Abram loquens promittenſque prædixerat. A flumine quippe hic intelligitur ab Euphrate: magnum enim flumen in illis locis, etiam proprio nomine non addito, poteſt intelligi. Neque enim de Iordane hoc accipi poteſt; cum ante regnum Salomonis, multas & citra & vltra Iordanem terras iam Hebræi obtinuiſſent. Ergo à flumine Euphrate ex parte Orientis, vſque ad fines Aegypti quæ Hebræis erat ad Occidentem, Scriptura dixit regnum Salomonis fuiſſe porrectum. Tunc ergo amplius ſubiugatum eſt, quàm ſeptem illæ gentes tenebant, ac per hoc tunc in ſeruitutem redactæ ſunt non ſeptem, ſed vndecim gentes. Quod autem dictum eſt tertio Regum 4. *A flumine vſque ad fines Aegypti:* idem ſignificatum eſt in Geneſi cap. 15. cum eſt dictum: *A fluuio Aegypti vſque ad flumen Euphratem.* Flumen vero Aegypti determinans regnum Iſrael ab Aegypto, non eſt Nilus, ſed alius, & non magnus fluuius.

fluuius qui fluit per Rhinocoluram ciuitatem, vnde iam ad Orientem verſus incipit terra Promiſsionis. Sic ergo fuerat conſtitutum filiis Iſrael, vt ſeptem gentium terras, exterminatis & perditis illis gentibus, ipſi inhabitarent: aliis autem regnarent ſubditis atque tributariis vſque ad Euphratem. Et quamuis in hoc, DEO non obtemperaſſent; quia etiam ex illis quas penitus exterminare debuerant, obedientes ſibi aliquas fecerant: DEVS tamen tempore Salomonis, fidem ſuæ promiſsionis impleuit. Hactenus fuere Auguſtini verba.

Aduerſus Auguſtinũ Obiectio Andreæ Maſij in ca. 1. Ioſue. Verſu 4.

106 VERVM ſine Lectorem conuenit, quid huic ſententriæ Andreas Maſius opponat: ait enim terram, quæ vltra Chananitidem ad Euphratem vſque protendebatur, ita promiſſam eſſe Hebræis, vt non ſolum eis foret ſubdita & vectigalis, vt vult Auguſtinus; ſed etiam tanquam hæreditaria eorum poſſeſsio. Idque diuinam Scripturam planiſsime Deuteronomij 19. tradidiſſe. Verba Maſij ſic habent: Auguſtini ſententia eſt, reliquum illud ſpatium quod vltra Chananitidem ad Euphratem vſque pertingit, vectigale quidem facere permiſſum eſſe Hebræis; ſed non ſuæ ipſorum hæreditati adiungere, nec veteres colonos eliminare. Verum ei ſententiæ non ſatis conſentanea videntur ipſa DEI verba dum ait: *Omnẽ locum quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam, à Deſerto & Libano vſque ad fluuium magnum Euphratem.* Et aperte pugnant illa quibus in Deuteronomio cap. 19. agitur de tribus aliis aſylis olim, ſi vſus ſit, conſtituendis. Sic enim loquitur Moſes: *Cum dilatauerit* DEVS *terminos tuos, ſicut iurauit patribus tuis, & dederit tibi cunctam terram, quam eis pollicitus eſt; (ſi tamẽ cuſtodieris mandata eius, & feceris quæ hodie præcipio tibi, vt diligas Dominum* DEVM *tuum, & ambules in vijs eius omni tempore) addes tibi tres alias ciuitates, & ſupradictarum trium vrbium numerum duplicabis: vt non effundatur ſanguis innoxius in medio terræ, quam dabit tibi* DEVS *poſſidendam, ne ſis ſanguinis reus.* Ex his verbis, inquit Maſius, duo conficiuntur; alterum, laxiores illos fines nequaquã Iſraelitas initio poſſeſſuros fuiſſe; ſed tunc demum, vbi diutina in DEVM obſeruantia atque amore, ſe ipſi maiore DEI liberalitate dignos præſtitiſſent. Alterum indidem colligitur, illud terræ auctarium, ſi quidem aliquando prioribus poſſeſsionibus adiunctum eſſet; non minus atque Chananitidem, proprium & hæreditarium eſſe futurum, non autem vectigale. Sunt enim explicatiſsima illa Scripturæ verba; *Quam Dominus* DEVS *tuus dabit tibi hæreditatem*; ſiue, vt habet vulgata tranſlatio Latina eius loci: *Quam Dominus* DEVS *tuus dabit tibi poſſidendam*. Hæc Maſius aduerſus Auguſtinum diſputat: quæ, ſatis ne firma ſint ad eum refellendum, infra indicabimus.

Ioſue 1.

S. Hieronymus de magnitudine terræ Promiſſionis.

107 B. Hieronymus in Epiſtola 129. quam ſcripſit ad Dardanum, affirmat, Hebræos ex Aegypto reuerſos in terram Promiſsionis, poſſediſſe eam terram tantum à Dan vſque Berſabee; quæ eſt lõgitudo eius terræ centum ſexaginta mille paſſuum non excedens: latitudo autem eius non vltra quadraginta ſex mille paſſus extenditur, à Ioppe videlicet, vſque Bethleem: namque vlteriora fuere ipſis inhabitata. Regiones porro

vltra hanc ditionem & Euphratem vsque, tenuisse quidem legimus Dauidem & Salomonẽ; sed eas illi tamen non vt propriã possessionem suam, sed vt amicas tantum & confœderatas tenuerunt. At dices, terram possidendam ab Hebræis, ampliorem describi Numerorum 34. Ita est: & tantam vtique possedissent, si quidem mandata DEI seruassent, præsertim autem illud de non seruiendo diis alienis, exterminandisque ac delendis cunctis eius terræ habitatoribus. Hoc illi quia præstare neglexerunt, merito amplissimis illis DEI promissis frustrati sunt. Audiat Lector ipsa Hieronymi verba, plane Hieronymiana. Respondeant mihi, ait S. Hieronymus, qui hanc terram (quæ nunc nobis CHRISTI passione & resurrectione, vere terra Promissionis effecta est) possessam putant à populo Iudæorum, postquam reuersus est Aegypto; quantum ille populus tunc possederit? Vtique non amplius quam à Dan vsque Bersabee; quæ vix centum sexaginta mille passuum in longum spatio tenditur. Neque enim Dauid & Salomon potentissimos reges, exceptis iis quos post victoriam, in amicitiam receperũt, plus tenuisse Scriptura testatur. Et hoc dico, vt taceam quoque Palæstinæ ciuitates, Gazam, Ascalonem, Geth, Accaron, & Azotum: Idumæos quoque à meridiana plaga, vix septuaginta quinque millibus ab Hierosolyma separatos: nec non Arabas & Agarenos, quos nunc Saracenos vocant, in vicinia vrbis Hierusalem. Pudet dicere latitudinem terræ Promissionis, ne Ethnicis occasionem blasphemandi dedisse videamur. Ab Ioppe vsque ad nostrum viculum Bethleem, quadraginta sex millia sunt: cui succedit vastissima solitudo, plena ferocium Barbarorum, de quibus dicitur: *Contra faciem omnium fratrum suorum habitabit*, & quorum facit poeta eloquentissimus mentionem: Lateque vagantes Barcæi, à Barcæ oppido quod in solitudine situm est: quos nunc corrupto sermone Afri Barcianos vocant. Hi sunt qui pro locorum qualitatibus, diuersis nominibus appellantur, & à Mauritania per Aegyptum, Aphricam, Palæstinam, Phœnicem, Cœlen Syriam, Mesopotomiam, atque Persidem tenduntur ad Indiam. Hæc est Iudææ tuarum longitudo & latitudo terrarum: in his gloriaris: super his te per diuersas prouincias ignorantibus iactitas; Ad populum phaleras: ego te intus & in cute noui. Quod si obieceris, terram Promissionis dici, quæ amplioribus terminis in Numerorum volumine describitur; & ego fatebor hæc tibi promissa, non tradita: si obseruasses mandata DEI, & in præceptis illius ambulasses; si non pro omnipotenti DEO coluisses Beelphegor, & Baal, Beelzebub, & chamos: quos quia præstitisti DEO, omnia quæ tibi promissa fuerant, perdidisti. Et mihi in Euangelio promittuntur regna cælorum, quæ instrumentum vetus omnino non nominat. Sed si non fecero quæ præcepta sunt; nequaquam erit culpa in promittente, sed in me, qui promissum accipere non merui. Vbi enim optio proponitur ad eligendum, qui operari renuis, frustra cupias quod promissum est. Hæc Hieronymus. Cuius illud mihi quidem certe non admodum placet, gentes quas rex Dauid

Verbas Hieronymi.

Genes.16.

In vetere Testamẽto regnũ cœlorum non nominatur.

vsque

vsque ad Euphratem debellauerat, postea non aliter sub eo fuisse, nisi fœdere quodam societatis & amicitiæ. Scriptura quippe libro secundo Regum capite 8. aperte tradit, Dauidem bello cepisse Syriam; eamque seruisse Dauidi sub tributo. Et de Salomone libro tertio Regum cap. 4. scriptum est, habuisse eum in ditione sua omnia regna à Flumine vsque ad terminum Aegypti, offerentium sibi munera, & seruientium cunctis diebus vitæ suæ. Aliud profecto est, gentes illas fuisse tantum amicas Dauidi & Salomoni, vt ait Hieronymus: & aliud est (quod aperte testatur Scriptura) eas gentes seruisse illis, & tributa pendisse.

108 Restat commemoranda quoque hoc loco Andreæ Masij sententia: quam ego ponam propriis eius viri expressam verbis: est enim scriptor non minus elegans & desertus, quàm eruditus & accuratus. Masius igitur disputans de quæstione quam nunc tractamus, ad hunc modum scribit: Difficilis hic nascitur quæstio, Quorsum spectet tam amplæ regionis diuina promissio, quæ ad Euphratem vsque pertineat: quando certum est, longe citra Euphratem ab ipso DEO alibi definitam esse Israëlitarum hæreditatem, quam sortito inter se partiri iubentur. Immo ne hanc quidem angustiorem aduersus priscos incolas obtinere totam illos potuisse, vt est in Iudicum historia multis comprobatum exemplis. Sed responderi verissime, nisi fallor, potest, DEVM despondisse atque destinasse Israëlitis fines diuersos duos: alteros, qui non vltra eum locum, qui aditus siue introitus ad Emath appellatus est, extendebantur in Septentrionem: alteros vero, qui vlterius ad Euphratem vsque excurrebant: & illis quidem angustioribus primum contentos viuere, sorte inter se distributis voluisse DEVM; vsque eo, dum magis magisque augescentes, spatio ampliore opus haberent. Cum vero freti DEO illos vniuersos occupauissent; neque barbaris, DEO quæ inuisis gentibus quicquam illic reliqui feciissent; tunc demum fore tempus, quo possent vltra progredi, & ad Euphratem vsque, omnia sub ditionẽ suam loca, exactis possessoribus pristinis, subiungere; sibique, vt hæreditatem, suo iure vendicare; si tamen perpetua sua aduersus DEVM pietate, dignos se ampliori eius liberalitate præstitissent. Non igitur periclitatur veritas promissorum diuinorum, etiam si Hebræos nunquam hæreditarias suas possessiones protulisse ad Euphratẽ vsque fateamur: quando illi plerumque ita parum pij erga DEVM fuerint, vt miranda potius sit DEI indulgentia, qui tandiu eos in illa ipsa Chananæa manere passus sit.

Andreas Masius in 1. cap. Iosue versu 4. *Numerorum* 34.

3. *Reg.* 8.

MVLTI tamen existimant, Dauidis & Salomonis principatu, Hebræos omnia vsq; ad Euphratẽ possedisse: propter ea quæ de Dauide 2. Reg. 8. & de Salomone 3. Reg. 4. (quæ nos paulo supra retulimus) Sacris Literis prodita sunt. Verum & si negari non potest, Dauidẽ & Salomonẽ, vltra fines à Iosue designatos, multis prouinciis partim subactis, partim voluntariis imperasse: probari tamen non posse puto, eis prouinciis potitos esse Hebræos vt suis possessionibus, coloniasque suę

gentis illuc emisisse:&,quod DEVS iusserat, noua in illis asyla, vt in terra sua instituisse. Quippe permiserat illis DEVS eorum populorum dominationem; at nondum tamen excidium. Sane post illa quæ de Salomonis imperij amplitudine scripta diximus, mox subditur. Iuda & Israel à Dan vsque Bersabee, quiete ac feliciter vixisse omni tempore Salomonis. Et paruo interuallo subiungitur, dedicato tẽplo, egisse festum omnem Israel, qui illuc conuenerat ab aditu Emath vsque ad flumen Ægypti.

Quis, quęso, non videt, etiam in illo amplissimo Salomonis imperio, Hebræos non vltra terminos à Iosue definitos habitasse? Ad hæc, si quis duodecim præfecturas, quas instituit Salomon, quo tempore imperij gloria florebat maxime, nominatorum locorum obseruatione peragret, nullas fuisse extra Chananæam institutas videbit. Externum igitur illud Dauidis & Salomonis vsque ad Euphratem imperium, securitatem modo Israelitis, non item ampliores possessiones pariebat. Neque vero absurdum est, si quæ sub conditione promittuntur, (vt forensibus vtar verbis) ea, non extante conditione, nunquam præstentur. Nec propterea irritum fuisse DEI consilium, vanaque promissa putandum: quippe quæ in veris Israelitis, veroque semine Abræ, id est, in CHRISTI Ecclesia cumulatissime expleta & perfecta sint. Hactenus ex Andrea Masio.

Auctoris sententia.

Expectat Lector, aut etiam fortasse requirit iudicium & sententiam nostram. Equidem Masij opinionem etsi probabilem esse non abnuo, præsertim cum ei, quæ paulo supra retuli, Sancti Hieronymi verba suffragari videantur: ad veritatem tamen, sententiam B. Augustini propensiorem iudico: non solum tanti viri commotus auctoritate, verum bona etiam, nisi fallor, ratione persuasus. Cum enim diuinum hoc promissum de terra vsque ad Euphratem à posteris Abræ possidenda, sicut illud quoque de terra Chanaan ab eisdem obtinenda, non semel à DEO datum & confirmatum fuerit; consentaneum profecto est id fuisse aliquando, sicut illud etiam de possessione terræ Chanaan, si non in toto, certe aliqua in parte; si non ad longum tempus, certe ad breue aliquod tempus præstitum atque impletum. Cumque legimus, tempore Dauidis & Salomonis imperium Iudaicum ad Euphratem vsque productum ac dilatatum esse; quis, obsecro, non agnoscit tunc diuinum illud promissum impleri cœptum esse; foreque vt deinceps perfecte atque omnino compleretur, si quemadmodum tunc populus Hebræus pietatem erga DEVM studiose coluit, ita consequentes & posteri reges vna cum populo, in eadem pietate colenda perseuerassent? Sed expendamus duas aduersus hoc, Masij obiectiones. Ait ille, dominationem illam Dauidis vsque ad Euphratem, non fuisse hæreditariam possessionem, cum in illis terris non habitauerint Hebræi: sed Hebræorum modo securitati deseruisse. At ego non possum satis intelligere, cur illa dominatio non potuerit vere dici possessio hæreditaria, cum ita Dauid regionibus illis atque gentibus dominaretur, vt eas imperio suo regeret, teneret

Obiectionum Masij contra Augustinum solutio.

præsidio, sibique seruire & tributa pendere cogeret. Neque officit, vt putat Masius, quod in eas regiones nunquam Hebræi colonias emiserint, aut inibi habitauerint ipsi: id enim ad constituendam hæreditariam alicuius terrę vel regionis possessionem minime necessarium est. Nisi forte Masius negare ausus esset, imperiũ quod Rex Hispaniarum habet tum in Italia, tum in amplissimis noui Orbis regionibus, hæreditariam esse possessionem Regni, siue, vt appellant vulgo, Coronæ Hispaniæ; propterea quod earum regionum habitatores & indigenæ, non sint Hispani. Illud porro quod secundo loco Masius de Asylis opposuit, nihil negotij fuerit expedire: & dupliciter quidem dilui potest. Non enim tunc opus erat nouis Asylis; nondum enim gens Hebræa in tantum numerosa propagatione aucta erat, vt eam commode terra Chanaan non caperet, sed in exteras regiones, ductis coloniis, diffundi necesse esset. Fuit prætereà illud ad Euphratẽ vsque imperium Hebræorum, perquam breue: quod si longo tempore bene stabilitum & roboratum perdurasset, tunc Hebræi de nouis asylis instituendis egissent, nec DEI iussa exequi prætermisissent. Summa igitur nostræ opinionis hæc sit; arbitrari nos, diuinum illud promissum, tempore Dauidis & Salomonis impleri cœptum esse; idemque omnino fuisse implendum, nisi gentis illius imbrobitas atq; impietas obstitisset. Quemadmodum nec Chananitidem quidem vniuersam obtinere illi potuerunt; non solum propter ignauiam & auaritiam, sed ob eam maxime causam quod à vero DEI cultu & obedientia sæpius recesserunt.

Verum hic finis esto huius Disputationis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA SVPER CAPVT Decimumsextum Geneſis.

De Coniugio Abræ, & Ancillæ eius Agar Ægyptiæ.

VERSV 1. 2 GITVR *Saraï, vxor Abram, non genuerat liberos; ſed habens ancillam Aegyptiam nomine Agar, dixit marito ſuo, Ecce cōcluſit me Dominus ne parerem: ingredere ad ancillam meam, ſi forte ſaltem ex illa ſuſcipiam filios.* 3 *Cumque ille acquieſceret deprecanti; tulit Agar Aegyptiam ancillam ſuam poſt annos decem quam habitare cœperant in terra Chanaan: & dedit* 4 *viro ſuo vxorem. Qui ingreſſus eſt ad eam. At illa concepiſſe ſe videns, deſpexit dominam ſuam.* 5 *Dixitque Saraï ad Abram, Inique agis contra me: ego dedi ancillam meam in ſinum tuum, quæ videns quod conceperit, deſpectui me habet. iudicet Dominus inter me & te.* 6 *Cui reſpondens Abram, Ecce, ait, ancilla tua in manu tua eſt, vtere ea vt libet. Affligente igitur eam Saraï, fugam iniit.*

Cumque inueniſſet eam Angelus Domini iuxta fontem aquæ in ſolitudine quæ eſt in via Sur in deſerto, 7 *dixit ad illam, Agar ancilla Saraï, vnde venis, aut quo vadis? Quæ reſpondit, A facie Saraï Dominæ meæ ego fugio.* 8 *Dixitque ei Angelus Domini, Reuertere ad dominam tuam* 9 *& humiliare ſub manu illius. Et rurſum: Multiplicans, inquit, multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ* 10 *multitudine. Ac deinceps, Ecce, ait, concepiſti, & paries filium, vocabiſque nomen eius Iſmahel, eo quod audierit* 11 *Dominus afflictionem tuam. Hic erit ferus homo: manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, & è regione* 12 *vniuerſorum fratrum ſuorum figet tabernacula. Vocauit autem nomen Domini qui loquebatur ad eum:* 13 *Tu DEVS qui vidiſti me. Dixit enim, Profecto vidi poſteriora videntis me. Propterea appellauit puteum il-* 14 *lum: Puteum viuentis & videntis me. Ipſe eſt inter Ca-* 15 *des & Barad. Peperitque Agar Abræ filium: qui vocauit nomen eius Iſmahel. Octoginta & ſex annorum erat* 16 *Abram, quando peperit ei Agar Iſmahelem.*

NARRAT Moſes hoc decimoſexto capite, quemadmodum Abram, cum iam ex Sara prolem nequaquam ſperaret, alteram duxerit coniugem, Agar Ægyptiam ancillam ſuam; Sara ipſa non modo ſuadente ac rogante, verum etiam incitante atque impellente. Nimirum cupiebat Sara, quando ipſa parere filios viro ſuo non poterat; ſaltem ex ancilla, quam ſui vice vxorem ei dabat, filios ei præbere, quos ipſa pro ſuis haberet. Hoc autem coniugium, decem annis, quàm ex Meſopotamia venerant in terram Chanaan, contractum eſt: quo ſcilicet tempore octogeſimumquintum ætatis annum agebat Abram; Sara verò ſeptuageſimumquintum; liquet enim ex capite decimoſeptimo Geneſis, decennio poſteriorem natu Saram fuiſſe quam Abram. Verum Agar vbi ſe concepiſſe ſenſit, inſoleſcens, & contemptui habens Saram, cum ab ea dure tractaretur & affligeretur, domo profugit: ſed errabundam in ſolitudine Angelus redire domum iuſſit;

& reuerenter ac demisse subesse dominæ suæ : pollicitus fore vt filium parerer perquam ferocem & bellicosum,auctoremque numerosissimæ ac validissimæ posteritatis. Quanto autem tempore post historiam præcedentis capitis contigerit quod hic traditur, incompertum est : nisi quod mihi quidem satis fit verisimile,aliquot post annis euenisse. Cum enim DEVS Abræ(vt superiori capite proditū est) promisisset ex ipso generatum iri filium, qui non solum bonorum eius hæres esset; sed amplissimæ & clarissimæ gentis sator & parens : credibile est, Saram eius promissionis spe sustentatam, aliquandiu postea sperasse prolem: verum multis iam sine illa exactis annis,multumque iam ingraueſcentem atque prouectam ætate,diuini illius promissi effectum non per se, sed per aliam quampiam mulierem Abræ præstandum existimasse; ideoque de alia coniuge viro tradenda, vt compos ille diuini promissi fieret,deliberasse.

VERSV 2. *Ecce, concluſit me Dominus ne parerem : ingredere ad ancillam meam, ſi forte ſaltem ex illa ſuſcipiam filios.*

ORATIONEM qua voluit Sara viro suo persuadere, ne coniugium Agar detrectaret,his paucis verbis perstrinxit Moses : sed eam latiori narratione luculenter expositam tradit Philo,cuius verba, quod nonnihil attingant noui ad expressiorem historiæ huius cognitionem pertinens, lubet hic apponere:Saræ, inquit Philo, cum multas & egregias laudes memorare possim; vnam non silebo, quæ velut cæterarum specimen quoddā esse queat. Cum enim prole careret, vt quæ sterilis esset, vereta ne tam cara DEO domus ob id deserta deficeret, sic maritum allocuta est ; Iam dudum vna viuimus in caritate mutua:sed quæ præcipua coniugij causa est, propter quam vtique natura virum iunxit mulieri,desunt nobis liberi; immo propter meam vergentem iam ætatem,ne in posterum quidem spes vlla prolis reliqua est.Non est autem æquum, vt te quoque tangant meæ sterilitatis incommoda : licet tibi,salua nostra caritate,patrem fieri. Absit enim à me zelotypia, quando à te abest bruta concupiscentia,necessitati naturæ satisfacturo. Quamobrem non differam nouam adornare nuptā,quæ,quod mihi deest,suppleat. Quod si res ex voto succesſerit,tui natiui liberi,mei erunt adoptiui. Et vt absit omnis Zelotypiæ suspicio, meam, si libet,duc famulam, corpore seruam, sed ingenio liberali ac generoso fœminam, iam dudum mihi expertam probatamque,ex quo primum ædes meas intrauit,genere quidem Ægyptiam,sed Hebræam religione.Est nobis ampla possessio, & opes nostra sorte & conditione maiores; iam enim ne locupletissimis quidem indigenis cedimus. Et adhuc quidē hærede caremus:sed hunc quoque

Philo in libro De Abram.

quoque licet comparare,si tu monitis meis parere animum inducas. Ille miratus tantam vxoris caritatem, & de futuro tempore curam & prouidentiam, duxit liberorum causa,eam quam illa commendauerat: vsurus eius coniunctione(vt ferunt qui se aiunt certiora prodere) donec efficeretur grauida. Quod vbi non ita multo post contigit, aiunt abstinuisse ab eius congressu ; vel propter innatam viro continentiam, vel propter honorem quem vxori habebat mutuum. Itaque mox è famula nascitur filius;& aliquanto post alius è Sara legitimus, nihil tale iam sperantibus,honestatem ac virtutem eorum remunerante DEO,& munus omni spe maius vltro largiente. Hoc igitur Saræ probitatis exemplum, tanquam illustre quoddam cæterarum eius virtutum specimen esto.Sic Philo.

Sara voluit filium Agar suum facere per adoptionem.

In hac Philonis oratione tria Lector attendat : vnum est, cogitasse Saram, filios Agar, si quos illa procreasset ex Abram, suos facere per adoptionem. Alterum est, Agar abiecta superstitione atque impietate suæ gentis,imbutam esse vera fide & religione, quam à Sara & Abram perceperat:itaque coniugium illud fuit inter homines diuersi quidem generis & gentis, non tamen diuersæ fidei ac religionis. Tertium est, tantam fuisse continentiam Abræ, tamque alienum eius animum ab improba voluptatis libidine, vt simul grauidam ex se cognouit Agar, ab ea se in posterum omnino abstinuerit.

Abrā semel Agar grauida a in posterū ab ea se abstinuit.

SED expendamus verba Mosis:*Concluſit me Dominus ne parerem*,Hebraismus est,pro sterilem me fecit,siue bonum fœcunditatis mihi denegauit. Esse naturales sæpenumero causas sterilitatis muliebris,nemo inficiabitur. Has Philosophi & Medici tres præcipuas tradere solēt. Prima causa est, defectus vel praua qualitas sanguinis muliebris, qui materia est corporando fœtui necessaria. Altera causa est,mala conformatio vel affectio matricis, vbi concipitur & continetur fœtus. Tertia causa est, dissociatio quædam, &, vt ita loquar, inconuenientia corporum & seminum viri ac mulieris. Sed vt hoc verum est, ita verissimum est,non raro sterilitatem atque infœcunditatem mulierum ex singulari consilio & voluntate DEI accidere, vel in pœnam & supplicium eius cui contingit ; vel in maius eius bonum, illustrioremque diuinæ potentiæ ac benignitatis declarationem. Prioris causæ sterilitatis exemplum habes infra Geneſis 20.vbi sic est: *Orante Abram sanauit* DEVS *Abimelech,& vxorem ancillasque eius:& pepererūt. Concluſerat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram vxorem Abræ*. Exempla posterioris causæ multa & nobilia extant in Sacris Literis, vt in Elisabeth matre Ioannis Baptistæ;in Anna quæ genuit Samuelem, & in hac ipsa de qua nunc loquimur Sara. Religiosi porrò animi & piæ mentis est, omnium bonorum quibus fruitur, pariterque malorum omnium quæ patitur, supremam eorum causam DEVM agnoscendo,æquum & moderatum se in aduersis æque ac secundis rebus gerere. Tali animo fuit Iob,cuius sunt illa nunquam satis laudata;*Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſcipiamus?* Et,*Dominus dedit,Dominus abstulit,sicut Domino pla-*

Tres causæ naturales sterilitatis mulierum.

Sæpe sterilitas mulierū singulariter prouenit ex DEO, duas ob causas.

Luc.1.

1.Reg.1.

Iob 2.

cuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.

Chrys. homilia 38. in Genesim.

Sara igitur causam sterilitatis suæ referens ad DEVM: *Ecce*, inquit, *conclusit me Dominus, ne parerem.* Vide prudentem animam, ait Chrysostomus, quo modo nihil asperum loquitur, nec suam deplorat sterilitatem: sed solum hoc nobis declarare vult, quod naturæ domino & opifici suam adscribens sterilitatem, fortiter & leuiter eam ferat: malens quod DEO placebat, quàm quod ipsæ concupiscebat: vnum illud præcipue & satagens, vt virum suum quoquo modo consolaretur. Magnam porrò emphasim habent illa verba. *Conclusit me Dominus ne parerem,* ijs enim mirifice declaratur ineffabilis DEI potentia & prouidentia. Et enim significare voluit Sara, quemadmodum nos operimus & claudimus domos; ita & DEVM in natura operari, eius vires & potentiam vel claudendo cum libet, ne operari quicquam possit; vel aperiendo, vt

Dan. 3. operetur. Ecce tibi in vno eodemque Babylonico illo igne, potentiam eius adurendi, & clausit erga tres illos iuuenes, & aperuit aduersus Babylonios eorum hostes & tortores.

Chrysost in dicta hom.

Sequitur: *Ingredere ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiã filios.* Putat Chrysostomus subdubitasse Saram, num ipsa solum esset sterilitatis causa; an verò ea proueniret ex Abram: idque voluisse explorare, & certum facere experimento coniugij Agar cum Abram. Illud profecto non incogitanter legendum est quod à Iosepho traditur: scribit enim, Saram DEI monitu suasisse illud coniugium Abrę, & ad id diuina auctoritate impulisse eum. Quod Iosephi dictum fidem ex eo capit, quod scriptum est infra Genes. 21. quod Sara dixerat Abræ de eiicienda Agar & Ismahele, etsi durum Abræ visum est, id tamẽ mox diuino oraculo comprobatum & imperatum Abræ est. S. Augustinus item lib. 10. Contra Faustum, cap. 32. ait Abram credidisse Saram nutu DEI suasisse sibi illud coniugium.

Iosephus lib. 1. Antiquit.

Augustinus.

Caietanus in explanatione huius loci, quasi occurrere volens admirationi vel obiectioni eorum, qui mirari fortasse possent, aut etiam tanquam flagitium damnare coniugium hoc Abræ cum Agar ancilla, viuente priori ac principali vxore Sara, ad hunc modum scribit: Vide Lector priscorum morem: vxor impotens generare, subrogabat marito ancillam vice sui; vt nati ex ancilla subrogata & marito, essent tanquam filij sui. Perpende quoque nihil indecentis habuisse tunc huiusmodi pluralitatem vxorum; sed solitam & communi more probatam fuisse. Non enim Sara ausa esset alteram offerre marito suo vxorem, nisi communi more vidisset huiusmodi bigamiam comprobatam. Nihil hic de diuina dicitur dispensatione: nihil in hoc Abræ facto insinuatur reprehensibile. Et quia hic primo Sacra Scriptura pluralitatem vxorum apud viros iustos fuisse aperit; annotabis prudens Lector & quæ diximus, & consequenter, non esse contra ius naturæ pluralitatem vxorum: neque enim credere fas est, Abram contra ius naturæ alteram voluisse vxorem ducere. Hæc Caietanus. Qui duo hic dicit; vnum aperte; pluralitatem vxorum non fuisse contra ius naturæ: alterum subindicando, non fuisse ad id

Caietanus ia cap. 16. Genesis.

Expendẽda Caietani sententia.

ad id aliqua dispensatione opus; sed eò fuisse licitum, quod eo tempore communi gentium more & instituto vsitatum esset, & honestũ haberetur. Hæc vera sint nec ne, ex Disputatione quam paulo infra tractabimus, Lector intelliget.

Hieronymus in Additionibus in Genesim.

4 Non est in præteritis relinquenda notatio in hunc locum B. Hieronymi admonentis, pro eo quod nos legimus, *Si saltem ex illa suscipiam filios*; in Hebræo esse, *Si forte ædificer ex illa.* est autem Hebraismus, ædificare aliquem, pro, dare ei filios; & mulierem ædificari ex viro, pro, suscipere ex eo filios. Hinc quoque factum est, vt ipsa proles, progenies, & posteritas appelletur domus: vnde est illud, ædificare domũ alicuius vel alicui, pro, dare alicui prolem & numerosam florentemque posteritatem. Quare quod scriptum est Exodi 1. DEVM obstetricibus Aegyptiis, pro pietatis officio quod Hebræis prestiterant, ædificasse domos, hunc habet intellectum, dedisse eis numerosam florentemque prolem ac posteritatem. Similiter in Scriptura pro eodem vsurpantur duo illa, suscitare semen fratris; id est, ex vxore fratris sine liberis demortui, generare filios, qui ad fratris familiam & posteritatem adscribantur. Et vero, hic Hebraismus etiam in alias linguas deriuatus videtur: quippe tam Italice, quàm Hispanice, genus, progenies, familia, appellatur, casa: quin etiam Poeta Domum Assaraci nominauit.

Locus Exodi cap. 1.

Virgilius Æneid. 6.

Cumque ille acquiesceret deprecanti: tulit Agar Aegyptiam ancillam suam, post annos decem quam habitare cœperant in terra Chanaan: & dedit eam viro suo vxorem: Qui ingressus est ad eam.

VERSV 3.

Plutarchus.

HIVS facti Saræ perquam simile fuit quod Plutarchus in libro de Virtutibus Mulierum narrat de Stratonica. Ea cum sterilis esset, & maritum legitimos liberos, quos regni hæredes relinqueret, desiderare sciret; persuasit ei, vt alia ex muliere prolem susciperet, sibique eam subderet. Deiotaro vxoris animum & sententiam admirante, ciusque arbitrio rem totam permittente, formosam illa ex captiuis virginem, Electram nomine, adornauit, & Deiotaro copulauit; natosque ex ea liberos, tamquam suos amanter ac magnifice educauit. Sic Plutarchus. Sed perpendamus verba Mosis.

Hebræi, vt refert hic Lyranus & Thostatus.

5 Sed quorsum spectat signatum hic à Mose tempus decem annorum habitationis Abræ ac Saræ in Terra Chanaan? quid enim hoc facit ad narrationem coniugij inter Abram & Agar? Nugantur hic more suo Hebræi, aientes tantum spatium temporis fuisse quondam obseruatum in experienda explorandaque vxoris sterilitate, priusquam altera duceretur vxor. Verum isti neutiquam probant hoc, sed ex suo sensu suaque

libidine fingunt. Quin etiam falsum esse, patet exemplo Isaac, qui viginti annos vxorem tulit sterilem, Genes. 25. Nec verum est non plus decem annos Abram vxorem habuisse sterilem: siquidem non eam primum habuit cum venit in terram Chanaan; sed iam eam vxorem duxerat cum esset in Chaldæa, & priusquam veniret in ciuitatem Haran: atque eo ipso tempore iam compertum Abræ fuerat, Saram esse sterilem, vt supra tradidit Moses Genes. 11.

Caietanus.

Quæramus igitur alias eius rei causas magis idoneas & probabiles. Caietanus hanc satis bonam tradit. Putat eo denotatum esse tempus decem annorum habitationis eorum in Terra Chanaan, vt inde notesceret ætas Saræ eo tempore; erat enim annorum septuagintaquinque, decennio scilicet minor quam Abram, Genes. 17. Abrā verò cum primum venit in terram Chanaan, fuisse septuagintaquinque annorum, supra posuit Moses Genes. 12. Moses igitur signando illud tempus, significauit iam tunc Saræ desperatam fuisse prolem; quippe quæ iam experta fuerat, se nec puellam, nec iuuenem, nec prouectioris ætatis concipere ex viro suo potuisse. Sic Caietanus.

Chrysost. hom. 38. in Genesim.

Chrysostomus autem tres alias eiusdem rei rationes affert: primam, vt ostenderet mirabilem Abræ continentiam & modestiam; qui decem iam annos expertus sterilitatem vxoris, non modo nihil in eam fecerat dixeratue graue & asperum, nec desiderio prolis alterum coniugium appetierat; sed perinde quasi multam egregiamque prolem ex ea suscepisset, summa concordia & amore cum ea semper vixerat; nec nisi ea suadente, rogante, & quodammodo cogente, ad alteram vxorem adiecit animum. Altera ratio, vt appareret quam constans fuerit Abram in fide diuinorum promissorum. Nam statim vt venit Abram, vocatu & iussu DEI, in terram Chanaan, non semel ei promisit DEVS numerosum, potens, & clarum semen: ab eo verò tempore

Ad Ro. 4. iam decem annos sine prole vlla exegerat Abram: *Nec propterea tamen infirmatus est fide, nec hæsitauit diffidentia, certissime sciens quia potens est* DEVS *reddere, ac præstare quæcumque repromisit.* Tertia ratio, non solum decem annos, sed viginti quinque distulit DEVS promissum dare semen Abræ; annis quippe viginti quinque post primam DEI promissionem natus est Isaac: non enim ad Ismahelem, sed ad Isaac solum DEI promissio pertinuit. Sed cur tandiu protraxit DEVS sui effectum promissi? Nempe vt ea dilatione perfectior redderetur, & illustrior existeret virtus Abræ, tanto tempore nunquam in DEI promissis vacillantis: simulque vt generatio promissi seminis, quanto magis naturaliter videbatur impossibilis; tanto magis postea fieret admirabilis, & ad diuinæ omnipotentiæ commendationem, omni sæculo & apud omnes gentes prædicabilis.

PRI

PRIMA DISPVTATIO

An coniugium Abræ cum Agar, licitum & legitimum fuerit.

6 VERVMENIMVERO, quia coniugium hoc Abræ cum Agar ancilla, siniſtre à multis interpretatum, maleque acceptum est; Manichæi enim contumelioſe id vituperabant, criminoſeque damnabant; & à quibuſdam Catholicis non recte intellectum nec bene defenſum videtur: exigit hic locus vt quod de eo coniugio antiqui Doctores & Patres ſenſerunt, & ſcriptis prodiderunt, ſolita nos perſpicuitate ac breuitate commemoremus: ad hæc, vt eadem de re ſubtiliter & accurate diſputemus, quo veritas eius rei omni ex parte clareſcat. Theodoretus refellens eos qui hoc facto & exemplo Abræ, intemperantiam ſuæ libidinis ac laſciuiæ cohoneſtare volebant, ſimulque reſpondens iis qui coniugium illud Abræ cum Agar, tanquam libidinoſum atque interdictum vituperare ac damnare non dubitabant, hunc in modum ſcribit: Vnumquodque opus iudicatur ex facientis intentione. Quare ſi attendamus Patriarcham quaſi concupiſcentiæ inſeruientem, rem profecto dignam reprehenſione vocabimus. Si verò vxor naturæ ſuæ infirmitatem declarans, ſeque ſterilem à DEO factam eſſe agnoſcens, flagranſque deſiderio ſuſcipiendi quocumque modo liberos ex viro ſuo; rogauit ea de cauſa Abram vt cum Agar coniungeretur, quò ipſa liberos inde ſuſciperet; quid, quęſo, in ea re peccauit Abrā? maxime cum neque natura, neque lex vlla tunc ſcripta plures ducere vxores prohiberet? Ac fidem quidem eius rei faciunt quæ mox ſecuta ſunt. Cum enim Agar propter fœcunditatem, procaciter aduerſus Saram inſoleſceret, idque illa cum Abram grauiter expoſtulaſſet; non ferens ille petulantiā ancillæ, neque expectans dum illa peperiſſet, permiſit eam vxori puniendam. Hæc Theodoretus. Qui coniugium illud tripliciter videtur vindicare à crimine: Primo, quod nulla lege vel ſcripta vel naturali id fuerit tunc vetitum: tum, quod non vltro & ſponte ſua apperierit Abram illud coniugium, ſed ad id vxoris ſuaſu, rogatu, atque impulſu adductus ſit: deinde quod non ad ancillam acceſſerit vt indulgeret libidini ac voluptati; ſed vt tam diu optatam, nec amplius iam ex Sara ſperatam prolem, tali ratione habere poſſet.

Theodoret. quæſtione 66 in Geneſim.

7 IN eandem ſententiam diſertiſſime B. Auguſtinus diſputat libro 16. de Ciuitate DEI cap. 25. Nullo modo, inquit Auguſtinus, de coniugio cum Agar ancilla inurendum eſt crimen Abræ. Vſus quippe ea eſt ad generandam prolem, non ad explendam libidinem, non inſultans, ſed potius obediens coniugi; quæ ſuæ ſterilitati credidit eſſe ſolatium, ſi fœcundum ancillæ vterum, quoniam natura non poterat, voluntate faceret ſuum; & eo iure, quo dicit Apoſtolus; *Similiter & vir* 1. ad. Cor. 7.

Auguſtinus.

non habet potestatem corporis sui, sed mulier; vteretur mulier ad pariendum ex altera, quod non poterat ex seipsa. Nulla est hic cupido lasciuiæ, nulla nequitiæ turpitudo: ab vxore, causa prolis, ancilla marito traditur; à marito causa prolis accipitur; ab vtroque non culpæ luxus, sed naturæ fructus exquiritur. Denique cum ancilla grauida dominæ sterili superbiret, & hoc Sara suspicione muliebri viro potius imputaret; etiam ibi demonstrauit Abram non se amatorem seruum, sed liberum fuisse genitorem; & in Agar, Saræ coniugi pudicitiam custodisse: nec voluptatem suam, sed voluntatem illius impleuisse: accepisse, non petiisse: accessisse, non hæsisse: seminasse, non amasse. Ait enim, *Ecce ancilla tua in manibus tuis, vtere ea quomodo tibi placuerit.* O virum viriliter vtentem fœminis, coniuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter. Sic Augustinus. Qui præter ea quæ similiter Theodoreto hic posuit ad illius coniugi defensionem, tangere præterea videtur rationem illam, quod Sara vtens ea potestate, quam Paulus dixit habere mulierem in corpus viri sui, recte inducere potuerit Abram ad illud coniugium: & ipse Abram morem gerens vxori, tale coniugium sine crimine ac vitio inire potuerit. Quæ ratio probabilis sit nec ne, infra iudicabitur.

Idem August. lib. 22. Contra Faustum Manichæum, ca. 30. graui disputatione confutat Faustũ: qui propter coniugium illud Agar, duplici crimine vehementer accusabat & damnabat Abram; altero, turpis ac nefariæ libidinis, quod prolis insana flagrans cupidine, cum pellice volutatus sit; altero infidelitatis, quod DEO iam sibi semen de Sara pollicito, minime credens, filios ex alia muliere suscipere concupierit. Sed Augustinus prio rem Fausti calumniam repellens, eadem dicit quæ disseruit in libris de Ciuitate DEI, eo quem modo posui loco. Posteriori verò eiusdem criminationi respondens, Faustum manifesti arguit mendacij. Nam quo tempore Abram vxorem duxit Agar, nec dum euidenter declaratum ei fuerat, num semen ipsi promissum à DEO, ex Sara suscipiendum esset, an ex alia quapiam muliere: id enim postea Gen. 17. cum præceptum circumcisionis ei datum est, proprie ac perspicue patefactum fuit. Itaque primo DEVS promisit Abræ semen, Gen. 12. & 13. Sed non expresit quale semẽ; poterat.n. esse vel semen naturale, vel adoptiuum. Verũ hæc ambiguitas deinde præcisa est, cum DEVS Gen. 15. promisit Abræ semen naturale, ex ipso videlicet per naturalem generationẽ procreandum. Sed adhuc tamen supererat dubitatio, an illud semen ex Sara procreaturus esset Abram, an ex alia muliere: quæ dubitatio in dies eo magis crescebat, quo Sara magis ætate procedens, minus ad generandum habilis videbatur. Atque hæc fuit causa cur Sara ad coniugium Agar, ob quærendam ex eo prolem, virum suum impulerit. Sed hæc quoque dubitatio denique sublata est, cum DEVS, Genes. 17. & 18. Abræ denuntiauit fore vt Sara ipsa conciperet & pareret filium, in quo amplissima, quæ data ei fuerant, promissa præstanda & complenda essent. Hactenus ex Augustino.

SANCTVS

8 SANCTVS Ambrosius hoc ipsum argumentum tractans, tribus modis coniugium Agar à calumnia & reprehensione asserit. Primo enim, etsi fuisse illud adulterium significat, propterea tamen minime culpandum putat, quod ante legem Mosaicam & Euangelicam factum sit. Quapropter cum nulla tunc lege vetitum, & damnatũ esset, extra crimen & reprehensionem videtur ponendum. Deinde ait, non esse crimini dandum Abræ, quod is fecit non intemperantia libidinis, nec indulgendo voluptati; sed consulendo posteritati, & prolem habere cupiendo, quò diuinis promissis nequaquam frustraretur. Addit ad hæc Ambrosius, auctorem ineundi eius cõiugij, non fuisse Abram, sed Saram, cuius obsecundando voluntati, precibus acquiescendo, atque vtilibus vtrique monitis & cõsiliis parendo, ad coniugium illud animum applicuit Abram. His adiicit, illud coniugium fuisse mysterium Veteris & Noui Testamenti, quod mysterium diserte Paulus exponit ad Galatas capite quarto. Hæc est Ambrosij sententia. Verum adscribam hic quoque verba eius. Mouere aliquos posset, inquit Ambrosius, quomodo Abram vir tam carus & familiaris DEO, ingressus sit ad ancillam. Sed consideremus primum, quod Abram ante legem Mosis, & ante Euangelium fuit; nondum interdictũ adulterium videbatur. Pœna criminis ex tẽpore legis est, quæ crimen inhibuit: nec ante legem vlla rei damnatio est. Non ergo in legem commisit Abram, sed legem præuenit; DEVS in Paradiso, licet cõiugium laudauerit, adulterium non damnauit. Non vult enim mortem peccatoris; ideo quod præmij est, pollicetur; quod pœnæ, non exigit; mauult enim mitibus prouocare, quàm seuerioribus terrere. Et tu peccasti cum Gentilis esses, habes excusationem; veniſti ad Ecclesiam, audisti legem, *Non adulterabis*, iam excusationem non mereris. Habes vnam Abrahæ defensionem. Secunda illa est; Non ardore aliquo vagæ succensus libidinis; non petulantis formæ captus decoræ, ancillæ contubernio coniugalem posthabuit torũ: sed studio quærendæ posteritatis & propagandæ sobolis. Adhuc post diluuium raritas erat humani generis: erat etiam religioni, ne quis non reddidisse debitum videretur naturæ. Nec otiosum est, quod vxor auctor facti inducitur, vt excusetur maritus, ne vago raptus errore credatur. Hæc Ambrosius. Similia tradit Chrysostomus homilia 56. in Genesim: eademque fuit aliorum Patrũ sententia, quos, ne in re manifesta longior sim, in præsens commemorare supersedeo. Atque in hanc quoque sententiam vno ore consonant Theologi Scholastici 4. sentent. Distinct. 33.

S. Ambrosius.

Ambrosius lib. 1. De Abrahã cap. 4. Caute hoc legendum, simpliciter enim, verum non est, vt infra ostendetur. Exec. 18. & 33. Exod. 20.

Chrysostomus.

9 APPARET igitur, istorum Patrum & Theologorum sententia, coniugium illud Agar & Abræ fuisse licitum & honestum. Sed enim multa ex aduerso disputari, multæque rationes afferri possunt, quibus coniugium illud nec licitum, nec à crimine vacuũ fuisse probari videatur. Videtur enim tale coniugium esse contra primam Matrimonij institutionem. Etenim DEVS in exordio mundi condens matrimonium, vnum inter virum atque vnam mulierẽ instituit. Adamo enim nonnisi vnam

Quinque rationes quę contra illud coniugium Agar & Abræ afferri possunt,

vnam dedit coniugē; quasi talis esset veri matrimonij ratio & natura. Hoc autē significare volens Scriptura: *Creauit*, inquit, DEVS *hominem: masculum & fœminam fecit eos*, id est, vnum marem, & vnam fœminam; videlicet propter coniugium eorum, quod aliter nisi inter duos, verum esse non potest. Huc facit etiam illud: *Erunt duo in carne vna*, signate dictum est *duo*, quasi copulatio viri & vxoris in vnam carnem per matrimonium facta, inter duos solum esse debeat. Eodem adde, quod Dominus noster redigere volens matrimonium ad eam rectitudinem & decorem, cum quo fuerat à principio constitutum à DEO, sustulit omnino polygamiam, quasi primæuæ institutioni matrimonij contrariam. Cum enim vetet, dimissa vxore propter fornicationem, virum ducere alteram; quanto magis eum, duas simul habere vxores, vetuisse putandum est? Secunda ratio. Idē comprobatur vsu & consuetudine omnium piorum & sanctorum virorum qui è stirpe Seth fuerunt vsque ad Abram, per annos prope duo millia; quorum nullum polygamia esse vsum legimus: non ipsum Adam, neque Noe; quorum tamen tempore, summa cum esset hominum paucitas, maximaque multiplicandi generis humani necessitas, maxime quoque licita fuisset polygamia, quando ob eam ipsam causam licita fuisse dicatur Abræ.

Gene. 1. & 2.

Matth. 9.

Tertia ratio. Vel polygamia per se licita & bona erat, vel solum ex certa quadam & singulari dispensatione diuina. Non fuisse per se bonam, testis est Chrysostomus affirmans consuetudinem eius fuisse malam; verum ad tempus permissam, & idcirco abolitam postea fuisse à CHRISTO per legem Euangelicam. Et vero, si polygamia per se bona & licita fuisset, semper omnique æuo & apud omnes gentes, atque nunc etiam, licita censeri deberet. Nec sanè idonea & probabilis est polygamiæ defensio, quæ petitur ex diuina dispensatione super tali coniugio facta cum Abram & quibusdam aliis: nusquam enim in sacris Literis apparet talis dispensatione, nec quando primum aut cui facta sit ostendi potest. Si cui porrò esset facta, is haud dubie fuisset Abram: si quidem primus ipse de piis & sanctis viris polygamia vsus legitur. At enim Moses historiam hanc enarrans, nullam mentionem aut significationem facit dispensationis diuinæ, quæ facta fuerit Abræ ad coniugium illud contrahendum: sed illud tantum ait, Abram suasu & rogatu Saræ ingressum esse ad Agar, vt ex ea prolem susciperet. Præterea B. Augustinus, aliique Patres ad eius coniugij defensionem nunquam obtendunt specialem aliquam DEI dispensationem & reuelationem, immo vero nullum de ea verbum faciunt: sed alias rationes afferunt, non fuisse illud eo tempore contra naturam, nō contra morē gentium, non contra legem aliquam, nec fuisse imtemperantia libidinis, sed honesta prolis cupiditate susceptum. Audiat Lector B. Augustinum Fausto Manichæo polygamiam pro magno crimine sanctis illis Patriarchis obiicienti hoc modo respondentem: Quando mos erat, crimen non erat: & nunc propterea crimen est, quia mos non est. Alia enim sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta.

10

Chrysost. homil. 56. in Genesim.

Augustin. lib. 22. Contra Faustum cap. 47.

Quæ

Quæ cum ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus simul habitis vxoribus obiicitur sancto viro Iacob? Si naturam consulas, non lasciuiendi, sed gignendi causa illis mulieribus vtebatur: si morem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur: si præceptum, nulla lege prohibebatur. Nunc verò cur crimen est, si quis hoc faciat, nisi quia & moribus & legibus non licet? Quæ duo quisquis contempserit, etiam si tantummodo causa generandi vti possit pluribus fœminis; peccat tamen, & ipsam violat humanam societatem, cui necessaria est procreatio filiorum. Sic Augustinus. Liquet igitur defensionem illius coniugij, Patres non ex diuina dispensatione aut reuelatione, sed aliis ex causis, atque iis quidem variis petiisse.

11 Quarta ratio. Concubina non est vxor, sed Agar fuit concubina (sic enim appellatur Genes. 25.) vera igitur vxor illa non fuit. Quare neque coniugium eius licitum Abræ esse potuit. Agar verò non fuisse veram vxorem, magno est argumento, quod eam Abram vna cum filio Ismahele à suo contubernio remouit, domoque eiecit. Genes. 21. Valde hanc rationem corroborat auctoritas Magni Leonis Papæ; is enim distinguens mulierem liberā ab ancilla, & verā vxorem à concubina, ponit exemplum Saræ & Agar; illius, vt liberæ & vxoris; huius, vt ancillæ & concubinæ. Verba Leonis ita se habent: Non omnis mulier iuncta viro, vxor est viri; quia nec omnis filius, hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales: multo prius hoc ipsum Domino constituente, quàm initium Romani iuris extitit. Itaque aliud est vxor, aliud concubina; sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apostolus ad manifestandum harum personarum discretionem, testimonium ponit ex Genesi, vbi dicitur Abrę: *Eiice ancillam & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ.* Vbi cum societas nuptiarum ita sit ab initio constituta, vt præter sexuum coniunctionem, haberet in se CHRISTI & Ecclesiæ sacramentum; dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Sic Leo.

Magnus Leo epist. 92. cap. 4.

Ad Gal. 4. Genes. 21. Ad Ephe. 5.

12 AD superiores quatuor rationes addenda est quinta, quæ vt latior illis & copiosior, ita robustior & neruosior videtur. Si coniugium illud fuisset licitum, id sane fuisset propter causas & rationes à Patribus allatas & à nobis supra expositas; at rationes ille videntur admodum infirmæ, minimeque probabiles; quod manifestum erit Lectori singulatim eas percensendo & ponderando. Prima ratio B. Ambrosij: adulterium primo vetitum fuit lege Mosis, tum lege Euangelica: Abram igitur tot sæculis antegressus vtramque legem; id committendo, fecit quod nulla erat lege prohibitum; & ideo nullius fuit criminis reus. Concedit igitur Ambrosius illud coniugium fuisse adulterium: sed adulterium etsi non erat tempore Abram diuina aliqua lege scripta prohibitum, erat tamen contra Legem naturalem, à DEO in hominum animis mentibusque naturaliter impressam. Enimuero prohibitio adulterij, est in præceptis Decalogi, qui non à Mose, nec ab eius tempore, sed ab

Excutiuntur quinque rationes Patrum pro defensione polygamiæ Abræ.

Adulterium esse contra legem naturalem. Exod. 20.

exordio mundi, & simul creatus homo est, vim habet obligandi omnes atque omni tempore. Præsertim autem cum adulterium sit contra omne ius naturale matrimonij; quippe omnes matrimonij fines, omniaque eius bona destruit ac funditus euertit. Nec solum erat id temporis contra legem naturalem; verum etiam contra morem & consuetudinem gentium, vt Aegyptiorum & Philistinorum exemplo infra, Numero 16. indicabimus. Si ratio Ambrosij valeret, eadem profecto ratione concluderetur, nullum fuisse peccatum ante Legem scriptam Mosis, vel Euangelicam. Cur igitur missum est generale diluuium? Cur Pentapolis misso cælitus igne deflagrauit? Quo modo Paulus dixit: *Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt*? Et rursus: *Vsque ad legem peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur, cum Lex non esset*: Id est, quia nondum erat scripta Lex aliqua diuinitus lata prohibens adulterium, eiusque reos puniens: idcirco quamuis esset peccatum adulterij aliaque crimina; non tamen imputabantur, id est, non per legem aliquam diuinam constitutis suppliciis plectebantur. Beatus igitur Ambrosius dum non negauit illud coniugium fuisse adulterium, satis ostendit esse inexcusabile, nec à vitio & crimine purgari posse.

Genes.7. & 19.

Ad Rom.1. & 5.

ALTERA ratio, quæ ab omnibus fere Patribus tractata est: propterea non peccasse Abram, quia id fecit non ardore libidinis, sed amore prolis. Atqui non sunt facienda mala, vt eueniant bona. Nec satis est bonum esse finem agentis, sed præterea quod agitur, bonum & honestum esse necesse est; ad bonum enim finem per mala media contendere ac peruenire nefas est. Nam si aliter, etiam nunc liceret per fornicationes & adulteria prolem ambire. Tertia ratio qua omnes item vsi sunt: non id fecit Abram proprio consilio & voluntate, vltro appetens tale coniugium, sed vxoris Saræ non consensu modo, sed insuper suasu atque impulsu. At enim, si illud per se bonum & licitum non erat, non debuit Abram assentiri vxori, nec ad id vllis eius consiliis aut precibus adduci. Consimili enim ratione excusari posset peccatum Adami, quòd ille blanditiis & precibus vxoris Euæ commotus, edendo vetitum sibi à DEO fructum, admisit. Quarta ratio, quam vsurpare solet B. Augustinus. Sara, inquit, vxor Abræ, secundum potestatem quam habebat in corpus viri (non enim vir habet potestatem corporis sui, sed mulier, vt ait B. Paulus, neque mulier potestatem habet corporis sui, sed vir) facultatem dedit Abræ ineundi aliam fœminam, prolis generandæ gratia. Sed hæc ratio est inualida: non enim talem potestatem habet vxor in corpus viri sui, vt congressum viri cum alia muliere possit assensu vel impulsu suo facere licitum. Sed illam duntaxat habet potestatem, vt debitum à viro petere possit, nec vir possit ei petenti denegare, aut cuiquam alij mulieri, præter illam, reddere.

13

Ad Ro.3.

Genes.3. Supra 2. 1.ad Cor.7.

Quinta ratio; Illud coniugium esse factum non solum propter generationem prolis, sed præcipue ob mysterium; illud dico mysterium quod luculenter exponit B. Paulus in Epistola quam scripsit ad Galatas capite quarto: & infra super caput 21. à nobis fuse tractabitur. Hanc ratio

14

rationem tertio loco B. Ambrosius adhibuit ad illius coniugij defensionem, ita scribens: Duabus vsi sumus defensionibus, tertia quoque est quam nobis Pauli tribuit auctoritas; qui ait, ea quæ gesit Abram, vt de ancilla susciperet sobolem, in figuram esse facta, & secundū allegoriam dicta. Allegoria est cum aliud geritur, & aliud figuratur. Præfigurabat autem duplex Abræ coniugium, vnum cum Sara libera, alterum cum Agar serua, duo testamenta, vnum vetus, alterum nouum: duos item populos de Abræ generatione manantes, vnum Iudæorum, qui legis syllabis seruiat, quasi de ancilla in seruitutem generatus: alterum Christianum, qui ad remissionem peccatorum, cælestis gratiæ libertatem acceperit. Quod ergo putabas esse peccatum, aduertis esse mysterium, quo ea quæ in posterioribus erant futura temporibus, reualabantur. Agnoscamus ergo, quod hæc quæ in figuram contingebant, illis crimini non erant. Sic Ambrosius. Verumenimuero, ratio mysterij vel mysticæ figuræ non facit rem quampiam esse bonam vel malam: siquidem potest esse aliquid non benefactum, aliorum figura tam in bene quam in malefactis. Immo verò scelus aliquod potest assumi tanquam vtile quoddam exemplum ac documentum prudenter iusteque aliud quiddam agendi; quemadmodum de villico iniquitatis docuit Saluator noster in Euangelio. Palam igitur est rationes ad illius coniugij defensionem proditas à Patribus, neutiquam firmas & probabiles videri; nec eas efficere, vt coniugium illud fuisse licitum & honestum existimare debeamus.

Ambrosius lib.1. De Abrahã, cap.4. *Ad Gal.4.* Quid sit allegoria.

1.ad Cor. 10.

Luc.16.

15 VERVMTAMEN ea quæ ad presens contra coniugium Agar cum Abram disputauimus, licet similia vero cuipiam fortasse videri possint, vera tamen non sunt: sed veram & certam indicare oportet sententiam Patrum, qui illud coniugium fuisse licitum, atque omni à crimine vacuum censuerunt. Ac præter Patrum sententias quas supra retuli, id firmari etiam potest auctoritate B. Hieronymi ad hunc modum scribentis: sciebat Paulus Apostolus lege concessum, & exemplo Patriarcharum familiare fuisse populo Hebræo nouerat, in multis vxoribus liberos spargere; ipsis quoque sacerdotibus huius licentiæ patebat arbitrium. Hæc Hieronymus. Latius vero atque enucleatius docet hoc ipsum Sanctus Augustinus libro tertio de Doctrina Christiana capite duodecimo, cuius hæc sunt verba: Sufficiendæ prolis causa, erat vxorum plurium simul vni viro habendarum inculpabilis consuetudo: & ideo vnam fœminam maritos habere plurimos honestū non erat; non enim mulier eo est fœcundior, sed meretricia potius turpitudo est, vel quæstum vel liberos vulgo quærere. In huiuscemodi autem moribus, quidquid illorum temporum sancti non libidinose faciebant, quamuis ea facerent quæ hoc tempore nisi per libidinem fieri non possunt, non culpat Scriptura. Et quidquid ibi narratur, non solum historice ac proprie, sed etiam figurate ac prophetice acceptum, interpretandum est vsque in finē illum caritatis siue DEI, siue proximi, siue vtriusque. Sicut enim talares & manicatas tunicas habere, apud Romanos

Auctoris sententia, nouis rationibus cõiugiũ Abræ cum Agar cõprobantis. S. Hierony. epist.83. quæ est ad Oceanum. S. Augustinus.

Vsus tunicarum talariũ & manicatarum, olim apud Romanos flagitiosus erat. Vide Gellium lib.7.c.12.

veteres flagitium erat: nunc autem honesto loco natis, non has habere, flagitium est: sic animaduertendum est in cętero quoque vsu rerum abesse oportere libidinem: quæ non solum ipsa eorum inter quos viuit consuetudine nequiter abutitur, sed etiam sæpe fines eius egressa, fœditatem suam, quæ intra claustra morum solennium latitabat, flagitiosissima eruptione manifestat. Hactenus ex Augustino.

Addam ego tres rationes, quæ ad confirmationem huius sententiæ multum ponderis & roboris habere videntur. Et vna quidem ratio sit hæc: Si coniugium illud Abræ cum Agar non fuit licitum, ergo fuit adulterium cognoscere Agar, scilicet viuente vxore cognoscere mulierem, quæ vxor non erat: sed non fuit adulterium, ergo nulla ratio est negare ipsum fuisse licitum. Non fuisse autem adulterium, possum, hoc modo argumentari: Abram vir erat sapiens, & super omnes eius temporis mortales, humanarum iuxta diuinarumque rerum intelligens. Non igitur potuit Abram ignorare, adulterium per se malum & nullo modo licitum esse; vtpote quod euidenter lege naturali vetitum esset, omnemque veri matrimonij legem, finem, fructumque peruerteret ac perderet. Quin etiam nouerat esse id more, instituroque gentium inter quas ipse peregrinabatur, damnatum detestatumque. Audi regem Philistinorũ Abimelech his verbis expostulantem cum Abram, quod non indicasset ei Saram esse vxorem suam, quam ob rem periculum fuerat vt quispiam cum ea adulteratus esset: *Quid fecisti nobis? quid peccauimus in te, quia induxisti super me & super regnũ meum peccatũ grande?* Minatus enim ei DEVS fuerat mortem, quod Abræ vxorem abstulisset. Itaque grande peccatum vocauit adulterium, quod cum aliena vxore commissurus fuerat, nisi fuisset à DEO prænonitus. Nec vero Abram sciuit adulterium non esse licitum, & nihilominus tamen vel ardore libidinis inflammatus, vel insana prolis cupidine impulsus id admittere non dubitauit: hoc enim de tali viro cogitare, ne dum sentire nefas est. Vbique enim diuina Scriptura prædicat Abram, vt virum sanctissimum DEOque charissimum & familiarissimum; & quasi perfectum sanctimoniæ, omnisque virtutis exemplum omnibus proponit imitandum. Quare à tanto viro tanti flagitij ac turpitudinis vel suspicionem propulsare æquum est. Immo verò aperte declarat Moses non libidine ad illud coniugium esse adductum Abram, sed vxoris Saræ monitis ac precibus assentientem & acquiescentem. Et verò, si illud fuisset adulterium, insignis admodum fuisset Abræ intemperantia libidinis, & detestabilis infamia; quippe qui non semel tantum adulteratus esset, sed (quod fœdissimum est crimen) adulteram, viuente videnteque vxore, apud se non minus viginti annis habuisset: erat enim octoginta quinque annorum Abram, cum ingressus est ad Agar, vt traditur hoc capite: eum verò eam domo eiecit vna cum Ismahele, quintum & centesimum annum agebat: tunc enim Isaac quinquennis fuisse creditur. 16

Genes.20.

ALTERAM rationem, ad idem firmandum minime inualidam, breuibus expediam. Polygamia licita fuit tempore legis Mosaicæ; ergo multo 17

multo magis licitam fuisse eam ante Legem Mosis putandum est. Et enim de ijs quæ pertinebant ad rationem diuini cultus & religionis, ad disciplinam moralem & ciuilem, ad coniunctiones contractusque matrimoniales, ad præscriptionem demum eorum quæ facienda fugiendaue sunt, multa restrinxit Lex Mosis, quæ antea magis laxa, soluta & libera fuerãt. Deinde, causa cur tempore legis Mosaicæ concessa fuerit polygamia, multiplicationẽ dico humani generis, præsertim autẽ fidelis populi, & item propagationem diuini cultus & religionis; hęc, inquam, causa concedendi polygamiam, multo sane iustior & vrgentior fuit ante legem Mosis, cum longe angustioribus terminis ac regionibus & populus fidelis, & cultus DEI contineretur. Licitam porrò fuisse polygamiam tempore legis, constat tum auctoritate diuinæ Scripturæ, tum exemplis sanctorum virorum qui ea sine crimine vsi fuint. Præ cæteris autem ad id probandum valet exemplum Dauidis, qui multas simul vxores habuit; cuius sanctitati locupletissimum perhibet Scriptura testimonium, vocans eum virum secundum cor DEI; de quo item præclarum est illud elogium libro 3. Regum cap. 15. *Fecit Dauid rectum in oculis Domini, & non declinauit ab omnibus quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ Hethæi.* Sacra quoque historia Mosis in libro Deuteronomij, polygamiam, vt eo tempore licitã, non vno loco commemorat. Audi quid capite 21. eius libri scriptum sit. *Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam, & alteram odiosam; genueritque ex eis liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque substantiam inter filios suos diuidere; non poterit filium dilectæ præferre filio odiosæ: sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de ijs quæ habuerit, cuncta duplicia: Iste enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita.* Viden vt coniugium vnius viri cum duabus vxoribus narret Moses tanquam licitum & honestum, earumque filios, tanquam legitimo susceptos matrimonio, vt paternorum bonorum hæredes? In eodem libro paulo supra cap. 17. de Rege futuro populi Hebræi præcipit DEVS, ne is plurimas habeat vxores. *Non habebit*, inquit, *vxores plurimas quæ alliciant animum eius, neque argenti & auri immensa pondera.* Non vetat DEVS habere regem multas vxores, sed plurimas; non modica vxorum multitudo, sed immodica & nimia prohibetur. Quem locum Deuteronomij tractans B. Augustinus, ita scribit; Quæritur vtrum Dauid contra hoc præceptum fecerit, non enim vnam tantum habuit vxorem. Nam de Salomone manifestum est quod transgressus fuerit hoc præceptum tam in fœminis, quàm in auro & argento. Sed hinc potius intelligitur permissum fuisse regibus plures vna vxores habere, plurimas autem habere prohibitum. Quæ quidem prohibitio non habebat transgressionem in paucis vxoribus, sicut Dauidi fuerunt, sed in pluribus, vt fuerunt Salomoni. Quamuis cum addidit, *Vt non discedat cor eius*; hoc magis videtur præcepisse, ne multiplicando nimis vxores, deueniret etiam ad alienas, per quas factũ est vt cor Salomonis discederet à DEO. Multiplicatio tamen generaliter ita prohibita est, vt etiam si ex Hebræis solis

Polygamia & in lege Mosis & ante fuit licita.

3.Reg.13. Act.13.

Locus Deuteronomij cap.17.

Augustin. lib. Quæstionũ in Deuteronomiũ quęstion.27.

3.Reg.11.

eas valde multiplicasset, contra hoc præceptum fecisse merito argui posset. Sic Augustinus. Quemadmodum igitur non voluit DEVS habere regem aurum & argentum, sed immensam vim & pondus auri & argenti: ita non multitudinem vxorum, sed nimiam multitudinem interdixit.

Tertia ratio non parum etiam huic sententiæ firmitatis addit, Promisit DEVS benefacturum se Ismaheli, quia semen erat Abræ: sic enim ei dixit, vt legimus Genesis 21. *Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.* At si Ismahelem per adulterium, id est, damnato concubitu, execratoque satu generasset Abram, fas non est credere voluisse DEVM, tam liberaliter & prolixe Ismaheli benefacere propter Abram, qui in eo generando tanto se flagitio & crimine obstrinxisset. Nec sane Sara mulier admodum pudica & sancta, tanti sceleris turpitudinem, tamque insignem DEI offensam suasisset viro suo; nec adulterã tot annos apud se, & cum viro suo habitare passa esset. His adde, quòd non fuit diuersæ rationis & conditionis coniugium illud Abræ cum Agar, atque coniugiũ Iacob cum duabus ancillis Bala & Zelpha: namque hoc etiam iniit Iacob vxorum instinctu, & prolis gratia: sed hoc fuit verum ac legitimum matrimonium; ergo similiter & illud Abræ. Certe filij Iacob ex illis ancillis, vt legitimi filij Iacob nominantur in Scriptura, & habiti sunt in populo Hebræo; & vt tales, partem Terræ promissionis, tanquam hæreditario iure, non secus ac filij Liæ & Rachelis acceperunt. 18

Genes. 30.

Solutio rationũ cõtra coniugium Abræ & Agar.

RESTAT extrema pars huius Disputationis, in qua cõtrarias huic sententiæ rationes suprapositas, dissoluere oportet. Prima ratio hæc fuit; polygamiam esse contrariam primæ institutioni matrimonij à DEO factæ in Paradiso. Respondeo, non esse contrariam; siquidem assequitur & obtinet primarium matrimonij finem; is autem est procreatio & educatio prolis: namque vnus vir bene sufficit multis fœcundandis mulieribus, earumque liberis alendis atque educandis. Degenerare tamen aliquantulum non inficior polygamiam ab ea perfectione, qua matrimonium à principio constitutum est, nempe quantum ad alios minus principales eius fines, quos aut non assequitur, aut ægre & imperfecte; tranquillam dico societatem & cohabitationem vxoris & viri, pacificamque domus & familiæ gubernationem; ad hæc, esse in remedium camque domus & familiæ gubernationem; ad hæc, esse in remedium mitigandæ concupiscentiæ, quod remedium vnus vir multis vxoribus nequaquam plene atque efficaciter prębere potest; habere demum mysticam significationem coniunctionis CHRISTI cum Ecclesia, vnius nempe cum vna. Quocirca B. Paulus primam illam matrimonij institutionem commemorans, adiungit: *Sacramentum hoc* (siue vt est Græca, *mysterium*) *magnum est: ego autem dico in* CHRISTO *& in Ecclesia.* Cæterum ad substantiam matrimonij continendam, satis est obtineri posse in polygamia primarium & principalem finem matrimonij. 19

An Polygamia sit contra primæuam matrimonij institutionem.

Genes. 2.

Ad Eph. 5.

Secunda ratio erat: non fuisse licitam eo tempore polygamiam, satis argumenti esse debere, quod ante Abram nemo proborum & piorum 20

An quisquã piorũ hominũ ante Abrã vsus sit Polygamia.

virorum ea sit vsus. Verùm hæc ratio nititur re admodum obscura & dubia. Nam vtrum Seth, Enos, Enoch, aliique deinceps vsque ad Noe; & an post Noe Arphaxad, Salem, Heber atque alij vsque ad Abram, plures simul vxores habuerint nec ne, nequaquam certe ac liquido ex Sacris Literis vel aliunde cognosci potest. Non enim omnia eius temporis Moses scribenda susceperat, vt quæ ille non scripsit, ea non fuisse affirmari possit. Sed esto, non habuerint illi multas vxores: fuit tamen præcipua quædam & iusta causa cur eas habuerit Abram; quippe futurus erat pater populi DEI, in quo vno omnium terræ gentium veri DEI fides & cultus propagandus erat, & vsque ad Messiæ aduentum custodiendus. Eidem quoque singulariter à DEO innumerabilis multiplicatio posteritatis in multas gentes & reges promissa fuerat. Audi promittentem ei DEVM multiplicem posteritatis propagationem: *Multiplicabo te vehementer nimis, nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham; quia patrem multarum gentium constitui te. Faciamque te crescere vehementissime, & ponã te in gentibus, regesque ex te egredientur.* Sed enim illud hoc loco aduertendum, Abram & Iacob viros sanctissimos, vnicam solum appetiuisse vxorem (vt liquet ex historia, quam de illis hoc libro scripsit Moses) vnaque futuros, quantum erat in ipsis, fuisse contentos: nec sumpsisse plures, nisi ex honesta causa, probabilique occasione; nec vltro, sed principalium vxorum suasu & impulsu; DEO præterea eiusmodi polygamiam magnis quibusdam sacrisque mysteriis velatam cohonestante & adornante. Isaac certe vnica vxore, tametsi eam per viginti annos sterilem expertus, tota vita contentus est. Ergo exẽplo Isaac & Noe discere licet, quale matrimonium illo etiam tempore iudicatum sit perfectum: exemplo autem Abræ & Iacob intelligere oportet, polygamiam fuisse id temporis, ex diuina dispensatione honestas ob causas licitam.

Genes. 17.

Genes. 25.

21 Tertia ratio hanc vim habebat: polygamiam nec per se bonam esse, quia etiam nunc bona & licita esset: nec fuisse eo tempore licitam ex diuina dispensatione; talis enim dispensatio nusquam in Sacris Literis apparet: nec eius à Patribus vlla mentio facta est; nec ostendi potest, quando primum, aut cui ea dispẽsatio sit facta. Respõdeo, polygamiam per se non esse licitam; sed ad tempus, priscis illis hominibus per diuinam dispensationem, iustasque ob causas fuisse concessam. Bene hoc declarat Chrysostomus, qui loquens de Iacob, cui duæ sorores matrimonio copulatæ sunt, ad hunc modum scribit: Sed audiens quod Iacob accepit maiorem natu, & postea minorem, ne turberis, neque iuxta statum qui nunc est, opera tunc facta iudices. Tunc enim quia principia erant, permissum fuit cum duabus vel tribus, vel etiam pluribus vxoribus misceri: vt humanum genus propagaretur, & pietas incrementum acciperet. Aduenies autem CHRISTVS, & virtutem in hominibus plantauit, & Angelos (vt ita dicam) ex hominibus fecit; omnemque illam veterem consuetudinem aboleuit. Vides quomodo non oportet consuetudinem prætexere; sed quod iustum est, inquirere? Ecce

Chrysost. homil. 56. in Genesim.

Genes. 29.

enim quoniam mala erat illa consuetudo, explosa est,& nulli amplius licet eam prætendere.Nusquam igitur consuetudinem spectemus ; sed vbique quod vtile & honestum est, etiam si nō fuerit in consuetudine, faciamus:quicquid autē pernicioſum & turpe est , tametsi multorum, longi temporis consuetudine roboratum atque inueteratum fuerit, fugiamus & auersemur.Hæc Chrysostomus. Appellat autem Chrysostomus vsum polygamiæ malum;quia per se,remotoque DEI concessu & indultu, non esset bonus nec licitus. Quemadmodum autem lex matrimonij non erat eo tempore consignata literis , sed in hominum animis mentibusque tantum impressa & scripta:ita dispensationem in ea lege non scripto expressam testatamque esse necesse fuit ; sed interiori monitu,instinctu,atque inspiratu tradi primum alicui conueniens fuit:tum eius traditione , aliorumque proborum & DEI cultorum hominum exemplo ac consuetudine comprobatam , vulgo & in vniuersum habitam esse licitam.

Cui primū facta sit dispensatio super polygamia.

22 CVI autem primum hæc dispensatio sit data , nec omnino conueniunt auctores,nec quicquam certi afferri potest.Putant nec pauci nec obscuri scriptores,eam dispensationem primo esse datā Abræ ; ob eam fortasse causam,quod primus ipse de iustis & piis viris,legatur vsus polygamia.Sed eum eam Sara sine religione aliqua & dubitatione,non vt rem nouam & inusitatam, persuaserit Abræ viro suo : videtur eius dispensatio fuisse antiquior, & multo ante nota & vsitata. Mihi quidem probabilis admodum fit coniectura , eiusmodi dispensationem esse factam Noæ statim post diluuium,in vsum posteritatis suæ.Itaque sicut ei tunc DEVS indulsit esum carnium, cum antea oleribus tantum terræque fructibus vesci essent soliti,cum eis dixit Genes.9. *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum:quasi olera virentia tradidi vobis omnia:* ita existimari potest cum benedixit eis DEVS dicens,*Crescite & multiplicamini,& replete terram* : tunc vel per exteriorē aliquam reuelationem, vel per interiorem solum inspirationem , docuisse Noe, vsum polygamiæ vsque ad id temporis nemini concessum , fore deinceps licitum. Patres verò licet non explicate nominent istam dispensationem ; satis tamen eam significant , cum aiunt , polygamiam esse concessam antiquis Patribus ad tempus quoddam ob fidelis populi & diuini cultus propagationem ; atque inde manasse vsum eius & consuetudinem per id tempus inculpatam.Non sum insciius Durandum in Quarto sententiarum Distinct. 33. & Thostatum super caput 19.Matthæi, opinatos esse,polygamiam non esse contrariam legi naturali,nec aliter , nisi per legem positiuam Euangelicam esse prohibitam : quare ante promulgationem Euangelij , nulla fuisse opus dispensatione in eo,quod nulla erat lege interdictum. Nec displicuisse videtur Caietano hæc opinio, quātum coniicere licet ex iis quæ scripsit super hoc caput Genesis 16. & supra commemorata sunt à nobis. Verumtamen sententia Theologorum contra sentientium & decernentium in Quarto , Distinct. 33. plane sequenda est:quæ magnā habet fidem ex auctoritate Innocentij

Durandus. Thostatus.

Caietanus.

Tertij,in cap. Gaudemus de Diuortiis , optima ratione probantis, nemini vllo tempore polygamiā,sine dispensatione diuina fuisse licitam.

Quo modo sit intelligēdum Agar fuisse cōcubinā Abræ

23 QVARTA ratio erat hæc:Agar fuisse concubinam Abræ,sic enim appellari Genes.25.& vt talem,domo eiectam esse cum filio suo Ismahele Genes. 21. non igitur veram fuisse vxorem Abræ , idque tradere etiam B. Leonem. At enim ratio hæc ducta ex vocabulo concubinæ, nihil valet. Etenim cōtra licet argumentari,eam fuisse veram vxorem, quia Genes.16. vocatur vxor:*Tulit Sara* , inquit Moses , *Agar ancillam suam,& dedit eam viro suo vxorem.* Bala quoque vera vxor,appellatur cōcubina Genesis 35.*Abiit Ruben,* ait Scriptura, *& dormiuit cum Bala concubina patris sui Iacob, quod illum minime latuit.* Balam verò fuisse legitimam vxorem Iacob , supra ostensum est. Et in libro Iudicum cap. 19. eadem mulier cuiusdam Leuitę coniux,appellatur prius vxor,& paulo post concubina. Ergo sciendum est, morem fuisse tam apud Hebræos quàm apud alias gentes , vt si quis multas haberet vxores , vna tamen earum primaria ac principalis esset, quæ materfamilias sola dicebatur, sociaque viri erat in gubernatione familiæ, atque eius vnius liberi bonorum viri heredes censebantur.De qua re non est hic tacendū quod à Gellio annotatum legimus : Matronam esse dictam propriè , quæ in matrimonium cum viro conueniisset, quoad in eo matrimonio maneret;etiam si sibi liberi nondum nati forent: dictamque esse ita à matris nomine non adepto iam, sed cum spe & omine mox adipiscendo;vnde ipsum quoque matrimonium dicitur.Matrem autem familias appellatam esse ait eam solam,quæ esset in mariti manu mancipioque : aut in eius , in cuius maritus manu mancipioque esset : quoniam non in matrimonium tantum ; sed in familiam quoque mariti , & in sui hæredis locum veniisset. Sic illē. Concubinam porrò appellabant eam,quæ licet quantum ad veritatem & substantiam matrimonij , legitima esset vxor ; non tamen admittebatur ad æqualem cum viro societatem in victu & administratione domus , nec ad eius filios viri hæreditas pertinebat ; sed assumebatur tantum ad concubitum , generandæ prolis gratia : & idcirco ad differentiam primariæ vxoris & matrisfamilias, ferè non vxor,sed concubina nominabatur.Et ad hoc,opinor , significandum,narrat Moses Genes. 25. Abram dedisse cuncta quæ possederat filio suo Isaac,filiis autem concubinarum largitum esse munera; & separauisse eos ab Isaac,dum adhuc ipse viueret.

Quid apud vteres significaret nomē concubinæ & Matrisfamilias. *Gell. lib. 18. cap. 6.*

Exponitur sententia B. Leonis significātis Agar nō fuisse veram vxorem Abræ.

24 Iam verò sententiam illam B. Leonis improbantis matrimonium contractum cum ancilla & concubina tanquam minime legitimum;& tale fuisse significantis coniugium Abræ & Agar; in bonam vtique partem accipere & interpretari conuenit:non enim credibile sit , eum fœdissimi adulterij insimulare Abram voluisse. Significat igitur B. Leo , coniugium illud Abræ cum Agar , ad perfectam matrimonij rationem exactum, cum qua scilicet fuerat à DEO institutum,non fuisse verum ac legitimum matrimonium. Nempe , præter defectus polygamiæ supra enarratos , erat item dispar admodum vtriusque coniugis

conditio; siquidem Abram erat dominus, Agar verò ancilla & serua. Quod si non hæc fuit Leonis mens sensusque; dicam eum exemplo coniugij Agar ad id, quod volebat, probandum, minime idoneo & accommodato esse vsum. Separatio porrò Abrę & Agar, & huius iectio ex domo illius, DEI monitu & iussu facta esse dicitur Genes. 21. nec sane facta est quantum ad dissolutionem vinculi matrimonialis, sed quantum ad dissociationem tori & contubernij.

Quinta ratio fuit B. Ambrosij, significantis illud coniugium fuisse quidom adulterium, sed propterea extra crimen fuisse, quod eo tempore nulla esset adulterium lege prohibitum. Respondeo, istam rationem non esse veram, & bene supra esse confutatam. Excidit autem illud Ambrosio, multa super illius coniugij defensione commentanti atque disputanti. Sextam verò & reliquas tres rationes, quibus omnes fermè Patres vsi sunt, eo defendentes illud coniugium, quod Abram non ardore libidinis, sed amore prolis, nec vltro, sed vxoris impulsu ad id accesserit, vnica licet eaque breui responsione dissoluere. Affirmamus eas rationes vsurpatas esse à Patribus, non quasi facerent illæ legitimum & licitum coniugium Abræ & Agar: sed quò refellerent Manichæos, alioque impios Abræ calumniatores; criminantes eum, ardore libidinis inflammatum, contra ius omne fasque, cum serua sua turpiter esse cómixtum. Ad hanc igitur calumniam depellendam spectant rationes illæ Patrum. Illud denique Lectorem hoc loco ignorare nolo, quæstionem hanc de coniugio Agar & Abræ, præter Patres & Theologos supra nominatos, etiam nostræ memoriæ scriptores aliquot accurate docteque tractasse: atque inter hos, copiose ac diligenter, eruditeque nostrum Bellarminum: cuius scripta, quod plenam & rite distinctam atque ordinatam omnium controuersiarum inter Catholicos & Hæreticos huius temporis doctrinam continent, magnoque sunt vsui & adiumento Catholicis aduersus Hæreticos decertantibus, merito leguntur & laudantur.

Robertus Bellarmin° in 2. Tomo, vbi de Matrimonio.

VERSV 4. *At illa concepisse se videns, despexit dominam suam.*

ENSIGNIS profecto fuit arrogantia, & fœdissimum ingrati animi crimen, Agar seruam contemptui habuisse Saram dominam suam, à qua tantopere honorata fuerat, permisso ei viri sui toro & coniugio. Enimuero sic plerumque vsu venit, vt iis rebus insolentes & inhumani simus aduersus eos, quorum eas res munere ac liberalitate accepimus. Præclare igitur S. Gregorius: Quidam, inquit, Prælatorum Sanctæ Ecclesiæ magisterio subditi, dum adhuc rudes sunt, obediunt: sed cum paulo altius per conuersationem proficiunt, in eadem obedientię humili

Gregor. lib. 21. expositionis in cap. 3. primi Regũ.

humilitate nequaquam persistunt. Quos bene Agar Saræ ancilla designat: quæ cum de Abram viro eius concepisse se vidit, dominam despexit. Agar quippe concipit, quando reproba mens subditi, aut per eruditionem scientiæ se proficere, aut per vitæ conuersationem credit. Quæ profecto prægnans dominam suam despexisse dicitur; quia iam præpositi sui voluntati per obedientiam subdi dedignatur. Sed quæ dominam despicit, ancilla esse perhibetur: quia superbi, subditi & infimi sunt per elationem, & ad filiorum DEI numerum non pertingunt. Sic Gregorius.

Affligente igitur eam Saraï, fugam iniit. VERSV 5.

CEPIT Saram Ambrosius tanquam intemperantem iræ; putans eam nimia vlciscendi cupidine, modum in castigando excessisse. Accepit à viro potestatem, inquit Ambrosius, irata vxor, & immoderatius vltione permissa vtitur. Quod si Sara moderationem non tenuit, quæ tenebit? Ideoque scriptum est, *Et afflixit eam Saraï, & fugit à facie eius.* Duo sunt quæ comprehendit Scriptura, vt & dominæ grauem indignationem exprimeret, & ancillæ tumorem ac superbiam. Quod afflixit eam Sara, ad affligentis iracundiam refertur; quod Agar fugit, contumeliam seruili patientia non ferebat, quæ sibi hærilis contubernij vindicabat fastigium: indignata est iniuriam, quę induerat insolentiam. Hæc Ambrosius. Verumtamen moderatam fuisse ac iustam Saræ castigationem, satis indicauit Angelus, iubens Agar reuerti domum, & Saræ subiectam atque obedientem esse: *Dixitque ei Angelus Domini; Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius.* Gen. 16.

Ambrosius lib. 1. De Abrahã ca. 4. putat Sarã in castiganda Agar modum excessisse, sed refellitur.

26 Certè B. Augustinus hoc Sarę exemplo iuste atque vtiliter affligentis Agar, probat iuste ac salutariter à Catholicis Principibus castigari & puniri Hæreticos, non solum quia fidem Catholicam, quam à principio professi erant, & Sacramento se ad eam obseruandam obligauerant, infideliter abiecerunt; sed etiam quia nisi secularis gladij metu coerceantur; multifariam infectentur & perturbent, vehementerque diuexent & afflictent Catholicos. Et Augustinus quidem à primo in ea fuerat sententia, vt neminem putaret ad Catholicam vnitatem compellendum. Verum cum hæc sententia, nimium quantum alteret Donatistarum furorẽ, amplamque eis, permissa impunitate, ad infectandos vexandosque Catholicos fenestram aperiret: idem postea Augustinus, mutata sententia, Principum edicta & Magistratuum in Hæreticos animaduersiones, vtiles esse cẽsuit ad Ecclesiã Catholicã tuendam atque propagandam. Refert igitur Augustinus Saram ad Catholicam Ecclesiam; Agar vero ad Hęreticos, qui à Catholicis Principibus affliguntur non odio aut crudelitate, verum sanandi, & ad meliorem mentem reuocandi studio. Ponam hic Augustini nonnulla verba ad hanc

Hæreticos iuste puniri à Catholicis, Augustini egregia sententia.

Aug. Ep. 48. & 50.

sententiam pertinentia. Sic autem scribit ille: Putas tu nullam vim adhibendam esse homini vt ab erroris pernicie liberetur? Cum ipsum DEVM, quo nemo nos vtilius diligit, certissimis hoc exemplis facere videas: & CHRISTVM audias dicentem; *Nemo venit ad me, nisi quem Pater attraxerit.* Quod fit in cordib. omnium qui se ad eum diuinæ iræ timore conuertunt: & noueris, aliquando furem auertendis pecoribus pabulum spargere; & aliquando pastorem flagello ad gregem pecora errantia reuocare. Nonne contumacem ancillam, data sibi potestate, Sara potius affligebat? Et vtique non eam, quam antea beneficio suo matrem fecerat, crudeliter oderat: sed in ea superbiam salubriter edomabat. Non autem ignoras, quod istæ duæ mulieres Sara & Agar, & duo filij earum Isaac, & Ismahel, pro spiritualibus & carnalibus figurantur. Et cum legamus ancillam & filium eius à Sara passos graues molestias, Paulus tamen dicit quod ab Ismahele persecutionem sit passus Isaac: *Sicut tunc,* inquit, *ille qui erat secundum carnem, persequebatur eum qui erat secundum spiritum; ita & nunc*; vt qui possunt, intelligant magis Ecclesiam Catholicam persecutionem pati superbia & impietate carnalium, quos temporalibus molestiis atque terroribus emendare conatur. Quicquid ergo facit vera & legitima mater, etiam si asperum amarumque sentiatur, non malum pro malo reddit, sed bonum disciplinæ, expellendo malo iniquitatis apponit, non odio nocendi, sed dilectione sanandi. Idem alio loco, aduersus Donatistas propterea sibi arrogantes nomen & gloriam Martyrum, quod Catholicorum Principum legibus, perfidiosè & inique agentes plecterentur, ita scribit: Fallaciter iactant isti innocentiam suam, & quam non possunt à Domino accipere, ab hominibus quærunt Martyrum gloriam. Sed veri martyres illi sunt, de quibus Dominus ait: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Non igitur qui propter iniquitatem, & propter Christianæ vnitatis diuisionem, vt isti; sed qui propter iustitiam, persecutionem patiuntur, hi martyres veri sunt. Nam & Agar passa est persecutionem à Sara; & hæc tamen sancta erat quæ faciebat; illa verò iniqua quæ patiebatur. Hæc Augustinus. Quæ propterea hic commemoraui, vt ostenderem, afflictionem Agar moderate ac iuste factam esse à Sara, nec fuisse, vt putauit Ambrosius, iracundiæ atque indignationis excessu vitiosam.

Ioan. 6.

Ad Gal. 4.

Epist. 50.

Matth. 5.

VERS. 10. *Multiplicans multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine.*

AMPLITVDINEM progeniei ac posteritatis Ismahelis indicatam hic ab Angelo, expressius declarauit DEVS infra Genesis 17. illis verbis: *Super Ismahel quoque exaudiui te: ecce, benedicam ei, & augebo eum, & multiplicabo eum valde: duodecim Duces* 27

Duces generabit, & faciam illum in gentem magnam. Illos porrò duodecim Duces ab Ismahele generatos, nominatim recensens Moses Genes. 25. addit, eos fuisse principes duodecim tribuum, id est, gentium, diuersitate linguarum & regionum inter se differentium. Ismahelitæ porrò, dicti postea sunt Agareni, ab Agar matre Ismahelis: deinde Arabes, denique Saracæni; vtique mentito nomine, vt non ex Agar serua, sed ex Sara libera & domina progeniti viderentur. Quanquam Stephanus qui de vrbibus scripsit, aliam nominis Saracænorum originem & rationem tradit: Saraca, inquit, est regio Arabiæ post Nabathæos, cuius habitatores Saracæni vocantur. B. Hieronymus Epistola 129. quam misit ad Dardanum, significat nomen Saracænorum fuisse nouum sua ætate, ita scribens: Arabes & Agareni, quos nunc Saracænos vocant, in vicinia vrbis Hierusalem habitarunt. Verum antiquius esse nomen Saracænorum, satis argumenti est, Plinium & nominasse Saracænos, & iuxta Nabathæos, sedes eis assignasse. Nabathæi porrò vt nomen, ita genus & originem duxerunt à Nabaioth primogenito Ismahelis, vt videre est Genes. 25. Iosephus vtique de posteris loquens Ismahelis, præsertim autem de Nabathæis, quorum gentis caput & parens fuit Nabaioth, sic ait: Hi quicquid terrarum est Euphratē inter & rubrum mare habitant, Nabathææ nomine regioni indito. Sunt autem hi à quibus Arabes gentem suam eiusque tribus denominauerunt; tum propter ipsorum virtutem, tum propter Abram auctoritatem. Ita Iosephus.

Stephanus.

B. Hieron. Quādo cæptum nomē Saracēnorū. Plinius li. 6. cap. 28. Iosephus 1. lib. Antiquitatum.

Si gens igitur Saracēnorum, Ismahelis fuit soboles, satis vtique apparet, quantopere Ismahelis posteritas robore ac potentia, non solum numero aucta fuerit. Saracēnos namque, post annum Domini sexcentesimum, quo tempore, principatu Heraclii Romanorum Imperatoris, ea gens caput extulit mirandum in modum, maximo, cum aliorum regnorum, tum Romani Imperij malo & exitio, fuisse non solum gente multiplicatos, sed etiam imperio auctos, ex multis illorum temporum scriptoribus notum Lectori esse potest. Quorum vnus quidam vocat Saracēnos perniciosam gentem, & quos nec amicos habere, nec inimicos optabile sit. Ex Ismahelis quoque stirpe fuisse creditur magnus ille Pseudopropheta Mahometes, pestis humani generis, & funesta populi Christiani calamitas. Cuius innumerabiles fuere sectatores; iique partim armorum violentia, partim spurcissimæ ac teterrimæ legis quasi pestilenti afflatu, magnam orbis terrarum partem corripuerunt atque corruperunt. Sed his, de multiplicanda Ismahelis posteritate cursim expositis, pergamus ad alia.

Ammianus lib. 14. Mahometes Pseudopropheta.

VERSVII.

Ecce concepisti, & paries filium: vocabisque nomen eius Ismahel, eo quod audierit DEVS afflictionem tuam.

Hebræorũ fabula. Lyranus.

PRo illo, *Ecce concepisti*, refert Lyranus Hebræos quosdam 28
legisse in futuro, *Ecce concipies*, & huiusmodi quandam fabulam tradidisse, Agar partim ex labore itineris, partim in pœnam eius quod superbe Saram contempserat, cum grauida esset ex Abram, feciisse abortum: sed quia obtemperauit Angelo monenti vt rediret domum, DEVM viuificasse iterum in ventre eius fœtum iam extinctum, eamque viuificationem, hic esse appellatam nouam cõceptionem. Miror hanc fabulam non displicuisse Lyrano, cum merum sit commentum. Quale enim est, nullam tanti miraculi significationem in hac historia dedisse Mosem? Esse autem legendum in præterito, Concepisti, non autem futuro, concipies, præter auctoritatem omnium interpretum sic ex Hebræo vertentium, satis ostendit quod proxime antecessit; dictum enim est, Agar concepisse ex Abramo, & ob id contempsisse Saram; à qua cum affligeretur, fugisse eam in solitudinem. Hæc igitur Angeli verba ad illum spectant primum Agar conceptum. Nec sanè patitur consuetudo loquendi, vt extincti fœtus viuificatio, appelletur conceptio, nihil enim habet conceptionis; sed est vera eius quod mortuum fuit, resuscitatio. Non indignum consideratione iudico, quod obseruauit Caietanus, ponderans illa verba; *Et vocabis nomen eius Ismahel.* Nulli hominum, inquit, ante Ismahelem, DEVS, ante ortum eius, nomen dedit; siquidem ipse primus inter homines sortitus est ante ortum suum nomen à DEO. Et cum hac tamen noua nec parua gratia, nihil scitur, bonus ne an malus fuerit Ismahel: vt de diuina gratia gratis data nullus glorietur, nullus laudetur, nullus certo speretur bonus. Vere hoc profecto, & sapienter Caietanus.

Caietanus in cap. 16. Genesis.

Lyranus. Thostatus. Quinque tantum viris, in Scriptura legi mirabiliter ante eorum ortum præ nuntiatum fuisse nomẽ.

Lyranus vero & Thostatus magnum fuisse affirmant Ismahelis pri- 29
uilegium, quòd diuinitus ante nominatus fuerit quàm natus: id verò in quinque viris, tribus veteris Testamenti, & duabus Noui Testamenti factum esse legimus; in cuiuslibet autem eorum vel denuntiatione nominis, vel in ipsa eorum conceptione ac natiuitate animaduertere licet miracula aliqua contigisse. Primus eorum fuit Ismahel, cuius conceptum semel iam mortuum, iterum fuisse viuificatũ, Hebræi opinantur. Sanè quidem mira de eius ingenio, moribus & posteritate per Angelum prænuntiata sunt Genes. 16. Alter fuit Isaac, cuius nomen prænuntiatum est Genes. 17. cuius generatio ex sterilibus parentibus, omnino admirabilis fuit. Tertius in Veteri Testamento numeratur rex Iosias; in cuius aliquot post secula nascituri prænuntiatione, duplex contigit miraculum; nam & altare Idolorum vltro discissum est, diffusique cineres;

cineres; & brachium regis Ieroboam arefactum, vt narratur 3. Regum cap. 13. In Nouo Testamento fuere duo, eo nomine longe insigniores: *Luc. 1.* vnus fuit Ioannes Baptista, cuius generationem denuntianti Angelo cum non credidisset pater eius Zacharias, repente mutus est factus; mater autem eius Elisabeth cum plane sterilis esset, eum concepit: & audita salutantis se Virginis MARIÆ voce, prophetico spiritu impleta est; & ipse Ioannes maternis adhuc inclusus visceribus, quasi præsentem Dominum agnoscens, exultauit præ gaudio in vtero matris suæ. Ac demum nato Ioanne, patri eius & facultas loquẽdi restituta, & noua prophetandi gratia donata est. Vltimus fuit, sed ante omnes hoc nomine *Luc. 1. & 2.* admirandus, Dominus noster IESVS CHRISTVS, cuius annuntiatio, conceptio, natiuitas, multis atque incomprehensibilibus fuere nobilitata miraculis. Circa id quod subditur: *Eo quod audierit Dominus afflictionem tuam*, aduertat Lector triplicem hoc loco indicari à Mose afflictionem Agar: primam à Sara eius domina: alteram sumptam ab ipsamet Agar fugiendo ex domo Abram, & vagando errandoque per solitudinem: tertiam, quam ipsa deinde exhibuit voluntarie, ex mandato Angeli reuertendo domum Abræ, & à Sara veniam petendo, eique se humiliter subiiciendo. Nulla harum trium excludenda est à verbis Angeli, cum earum nulla excludatur ab exauditione Domini. Prima enim quamuis iustissima fuerit, quatenus tamen erat pœnalis, clamabat ad DEI misericordiam; & multo magis reliquæ. Exauditio autem afflictionis Agar vsque ad tempus ortus Ismahelis extensa, & tunc demum, quantum ad effectum, completa est.

Hic erit ferus homo: manus eius cõtra omnes, & manus omnium contra eum: è regione vniuersorum fratrum suorum figet tabernacula. VERSVI2.

30 PRo illo vocabulo *ferus* monet Hieronymus in Hebræo esse vocem (pere) quæ significat onagrum, id est, asinum siluestrem; eaque voce significari posteros Ismahelis habitaturos in eremo vagos incertisque sedibus; qui vniuersas gentes, quibus desertum illud ex latere iungitur, incursant, & impugnantur ab omnibus: talesque suo tempore fuisse Saracænos, haud dubie posteros Ismahelis. Oleaster super hunc locum disputãs de significatione illius vocis Hebrææ (pere) quam reddidit Latinus interpres (ferus) verbum, inquit, (para) à quo (pere) significare videtur in Sacris Literis fructificare. Sed Hebræi dicunt (pere) significare asinum syluestrem, & per translationem hominem siluestrem, id est, inurbanum, inciuilem atque ingenio moribusque ferinis. Verum si alluſio debet esse nominis ad verbum suum princi

Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim super hunc locum.

Oleaster in cap. 16. Genesis.

principale & originale; existimarem (pere) potius significare animal fœcundum,aut crescens. Vnde(par)significat iuuencum,quod eiusdem significationis esse videtur. Dupliciter igitur hic locus verti potest: primo sic: *Ipse erit syluestris homo*; cui interpretationi concordant proxime sequentia: *Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* Sin autem significet fructificans animal,tũc sensus erit,ipse erit homo fructificans.Certe Agareni,præ cęteris gentibus fructificare videntur, propter multitudinem vxorum,eis lege sua permissam; iidemque hostiliter infectantur omnes,vtpote quibus persuasum & præceptum sit, legem suam non ratione, sed gladio tueri ac propagare. Sic Oleaster. Apud LXX. interpretes hoc loco est vox ἄγροικος, significans hominem agrestrem & rusticum. Quanquam,auctore Suida,ea vox significat,imprudentem, difficilem, durum,rudem,aut in agro habitantem. Scite igitur Latinus interpres,vna illa voce Latina(ferus) significauit hominem & more ferarum in deserto habitantem, & ferino ingenio atque moribus præditum.

Suidas.

VERVM quia multis & claris auctoribus placuit, eandem fuisse 31
gentem Saracænorum, Agarenorum, & Ismahelitarum, atque eos omnes ex vna Ismahelis stirpe prodiisse: lubet ostendere in Saracęnis, quam vera fuerit hæc Angeli prædictio de barbarie ac feritate posterorum Ismahelis. Ac ne sim longus,cõtentus ad præsens ero iis quę quodam loco Ammianus Marcellinus de Saracęnorum ingenio,habitatione, victu, moribus atque institutis plane barbaris & ferinis breuiter prodidit.Omnes,inquit ille,pari sorte sunt bellatores, seminudi,coloratis sagulis pube tenus amicti,equorum adiumento pernicium graciliumque camelorum per diuersa reptantes, in tranquillis æque ac turbidis rebus. Nec eorum quisquam aliquando stiuam apprehendit, vel arborem colit,vel arua subigendo quæritat victum;sed vagantur semper, errantque per spatia longe lateque distenta,sine lare,sine sedibus fixis,aut legibus,nec idem perferunt diutius cælum, nec tractus vnius soli illis vnquam placet.Vita est illis semper in fuga, vxoresque mercenariæ,& conductæ ad tempus ex pacto:atque vt sit species aliqua matrimonij,futura coniux,dotis nomine, hastam & tabernaculum offert marito,post statum diem,si elegerit,discessura: & incredibile est, quo ardore apud eos in venerem sexus vterque soluatur.Ita vero, quo ad vixerint,late palantur,vt alibi mulier nubat,in loco pariat alio,liberosque procul deducat, nulla copia quiescendi permissa. Victus vniuersis caro ferina est, lactisque abundans copia qua sustentantur, & herbæ multiplices, & si quæ alites capi per aucupium possint: & plerosque nos vidimus frumenti vsum vinique penitus ignorantes. Vltro citroque discurrant;quidquid inueniri potest, momento temporis vastant; miluis rapacibus similes,qui si prædam despexerint celsius, volatu rapiunt celeri.Hæc Ammianus.Simile quippiam de Ismahelitis sui temporis narrat Sanctus Hieronymus. De Beria, inquit,ad Essam pergentibus, vicina est publico itineri,solitudo, per quam Saracæni incertis sedibus

Ammianus Marcellinus li.14.de studiis, moribus & institutis Saracęnorum.

S. Hierony. in Malcho Monacho.

sedibus huc atque illuc semper vagantur.Quæ suspicio frequentiam in illis locis viatorum congregat, vt periculum imminens mutuo auxilio declinetur.Erant in comitatu meo viri,fœminæ, senes, iuuenes, paruuli, numero circiter septuaginta. Et ecce, subito equorum, camelorumque sessores Ismahelitæ irruũt,crinitis vittatisque capitibus, ac seminudo corpore,pallia & latas caligas trahentes.Pendebant ex humero pharetræ,laxos arcus vibrantes,hastilia longa portabant; non enim ad pugnandum,sed ad prædam venerant.Rapimur, dispergimur, & in diuersa trahimur.Sic eo loci B.Hieronymus.

32 Diximus paulo supra,pro illo quod nos legimus, *Hic erit ferus homo,* Onager qua le animal.
Hebraice legi, (erit onager) id est asinus siluestris. Sciat porrò Lector, vbicumque Scriptura nominat onagrũ, significari ab ea animal quoddam syluestre, gaudensque solitudine ac libertate, atque idcirco immansuetum & insociabile homini.Licet hoc intelligere ex duobus locis libri Iob;vno,capitis vndecimi:*Vir*, inquit, *vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat:* Altero autem loco ex capite trigesimonono,vbi sic est:*Quis dimisit onagrum liberum,& vincula eius quis soluit?cui dedi in solitudine domum, & tabernacula eius interra salsuginis..Contemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit.* Cæterum de natura, moribus & proprietatibus onagri diximus in secundo Tomo horum commentariorum libro 11.numero 66. Apparet igitur quàm apte comparata sit onagro gens Ismahelitarum, habitans nempe in solitudine,agrestis & fera,externique impatiens imperij.

33 RESTAT illud: *E regione vniuersorum fratũ suorum figet tabernacula.* Quid sæpe in Scriptura significet, Facies alicuius. *Iob.1. Genes.1. Psal.147.*
Pro illo (è regione) Hebraice ad verbũ est *ante*,vel *iuxta*, vel *super facies fratrum suorum*,& est Hebraismus: nam illud, ante vel iuxta facies fratrum suorum,idem est atque, ante vel iuxta fratres suos. Sæpenumero enim vocabulum faciei appositum alij nomini substantiuo,nihil ab eo diuersum significat:vt fugere à facie DEI,id est, fugere DEVM:& *venit ventus à facie deserti*)id est,ex deserto;&,*Tenebræ erãt super faciẽ abyssi*, id est, super abyssum:quale est illud etiam; *Ante faciem frigoris eius quis substinebit?* id est, Quis sustinere ac ferre poterit vehementissimam frigoris vim tempore niuis ac gelu? Illud verò, *Figet tabernacula*, proprie admodum & accomodate positum est ad denotandum genus habitationis Ismahelitarum:Non enim extructas lapidibus domos colebant, nec stabiles habebant,vnoque loco fixas sedes: sed pro domiciliis vtebantur tabernaculis confectis ex pellibus; quocumque vellent, (nunquam enim eodem in loco diu insistebant)facile transferendis.Verum illud*E regione fratrum suorum*,dupliciter exponi potest.Aut enim significat situm habitationis Ismahelitarum. habitarunt enim Ismahelitæ in Deserto Pharan,iuxta quod erant sedes Hebræorum, Idumæorum, Madianitarum, Moabitarum, & Ammonitarum: Hos autem constat fuisse fratres siue cognatos Ismahelis,vtique vel ex eius patre Abram, vel ex fratre Isaac, vel ex Loth consobrino ipsius progenitos. Aut illud,*Eregione fratrum suorum*, demonstrat ingentem confidentiam fero-

Universidad de Deusto Biblioteca

cesque animos Ismahelitarum. Nam cum infensi essent atque infesti omnibus vicinis populis & gentibus, etiam cognatione propinquis; cumque ab illis omnibus ob eam causam vicissim infestarentur, tantum abest vt formidantes eorum vim & potentiam, longe ab illis recesserint, vt iuxta illos & coram illis habitare ac versari voluerint: tanta illis erat animi ferocia, suique fiducia. Sunt qui putent illud, *E regione fratrum suorum*, siue, *contra fratres suos*, significare tantam fore Ismahelitis feritatem, vt etiam aduersus fratres suos inhumani & feri essent futuri: & tam potens tamque numerosum fore Ismahelis semen, vt nemo eis se opponere & aduersari posset. Angelum vero qui hæc locutus est cum Agar, existimat Thostatus fuisse eum in cuius tutela & erat Abram, & eius familia: quare cum Agar esset grauida ex Abram, & per eius filium late multiplicandum esset semen Abræ, Angelus ille merito curam gessit ancillæ Agar, ne proles eius periret. Obseruarunt præterea quidam, hoc primum loco induci Angelum manifestantem se homini sed nomine Angeli simul & DEI; idque fecisse eum vt Agar fugientem errantemque ad obsequium & seruitutem dominæ suæ reuocaret. Qua quidem re significatur, generalem & primariam causam descensus Angelorum ad homines, non aliam esse, nisi vt homines quasi seruos DEI fugitiuos errantesque, ad DEVM ipsum reducant.

Thostatus.

Obseruatio.

VERSV 13 *Vocauit autem Agar nomen Domini qui loquebatur ad eam, Tu* DEVS *qui vidisti me. Dixit enim, Profecto vidi posteriora videntis me.*

Paraphrasis Chaldaica.

HVNC locũ sic expressit paraphrasis Chaldaica: *Et orauit in nomine Domini, qui locutus est cum ea, dicens; Tu es* DEVS *ille videns omnia.* Quod igitur nos legimus, *Vocauit Agar nomen Domini*, Chaldæus significat non fuisse simplicem vocationem, sed inuocationem atque orationem ad DEVM, huius autem orationis principium fuit illud: *Tu Domine qui vidisti me*, Cætera verò eius orationis tacuit Moses. Illud autem quod habet Chaldæus, *Etiam ego cœpi videre postquam reuelauit se mihi*, hunc habet sensum: Non tantum Saræ dominæ meæ per Angelos suos se DEVS manifestauit, verum etiam mihi ancillæ suæ, & id quidem in deserto. Et quia per se non sunt homini visibiles Angeli, sed assumpta visibili aliqua forma se aspectabiles illi faciunt, ideo adiunxit; *Postquam reuelauit se mihi.* 34

Quadruplex lectio huius loci.

SED locus ille, *Hic vidi posteriora videntis me*, & variam admodum lectionem habet, & sententiam satis obscuram, nec facilem ad intelligendum. Multis hæc placet interpretatio: Angelum illum apparuisse Agar in specie humana, verum auersa facie, ita vt illa dorsum tantum 35

tantum eius & posteriora cerneret, faciem autem minime: idque fecisse Angelum, vel quod indigna esset Agar cernere faciem Angeli, quæ sanctis tantum viris & DEO familiaribus ostenditur; aut mysterij alicuius denotandi causa. Et enim qui non ex facie sed ex dorso tantum cognoscitur, is non definite ac distincte cognoscitur. Significatum igitur est, cognitionem Angelorum, quam in terris habent homines, non esse definitam, distinctam & propinquam; sed per communia quædam & accidentaria, & valde vmbratilem atque imperfectam. Simile quippiam legimus contigisse Mosi, vt traditur Exodi 33. ei namque vehementer cupienti videre faciem DEI, dictum à DEO est: *vide his posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Tales autem apparitiones frequenter fic fiunt exterius, vt denotent interiorem animi affectionem, & statum eus hominis cui fit apparitio. Cum nostra huius loci lectione consentit interpretatio Pagnini; quæ sic habet: *Non ne etiam hic vidi quæ sunt post videntem me?* nam illud, *quæ sunt post videntem me* simile est illi, *posteriora videntis me.* Verum præter nostram hanc lectionem, duas alias huius loci ex Hebræo erutas Lyranus & Thostatus commemorant. Altera igitur Lectio huius loci est hæc: *Hic vidi post videntem me*, quæ lectio duos parit sensus: si enim illa præpositio (post) iungatur cum participio, *videntem*; erit sensus: Vidi videntem me ex parte posteriori, siue vidi posteriora eius, vt habet nostra lectio. Sin autem illud (post) iungatur cum verbo, vidi, erit sensus: vidi iterum Angelum quẽ ante iam videram; quasi Agar prius viderit Angelos in domo Abræ: vel erit sensus: *Vidi post videntem me*, id est, me quidem prius vidit Angelus, & ego postquam ab eo visa sum, ipsum vidi. Tertia lectio huius loci est hæc, *Vidi post visum meum*: cuius lectionis idem est sensus ac secundæ modo expositæ. Significatur enim Agar vidisse tunc Angelum à se iam antea visum. Quartam lectionem huius loci hanc memorat Vatablus: *An hic vidi post videntem me?* Interrogatio hæc, inquit Vatablus, responsionem negatiuam postulat, quasi dixisset, Vidi ne illum abeuntem qui vidit me, siue apparuit mihi? & subaudiendum est; Non vidi. Vnde cognoui esse Angelum Domini; nam quandiu loquebatur mecum, videbam illum: mox autem ita disparuit, vt videre eum non potuerim; quem abeũtem videre potuissem, si homo fuisset. Vere igitur cognoui DEVM ad me consolandũ misisse Angelum suum. Ex subita igitur disparitione, collegit Agar illum esse Angelum Domini. Simile videtur quod in libro Iudicum cap. 12. proditum est de Angelo qui apparuit parentibus Samsonis: *Cum ascenderet flamma altaris in cælum*, ait illic Scriptura, *Angelus Domini pariter in flamma ascendit. Quod cum vidisset Manue & vxor eius, proni ceciderunt in terram: & vltra eis non apparuit Angelus Domini. Statimque intellexit Manue Angelum Domini esse.*

Qualis homini in hac vita contingat cognitio Angelorum.

Locus Exodi cap. 33.

Lyranus. Thostatus.

Vatablus.

Locus libri Iudicũ cap. 13.

Cum hac lectione Vatabli plane concordat lectio huius loci ex Hebræo, quam tradit & exponit Caietanus; est autem hæc: *Si etiam vidi post videre meum*: illud enim (si) iunctũ cũ verbis iurandi vel affirmandi

Particula,si, quam vim habeat.

Locus Marci cap. 8.

siue expressis siue subauditis, vim habet negationis, vt est illud primo Regum cap. 14. *Viuit Dominus si ceciderit capillus de capillis eius in terram.* id est, iuro per DEVM, quia nihil ei accidet mali. Sed illud est apertissimum exemplum. Marcus capite octauo dixit: *Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum.* Hoc ipsum narrans Matthæus capite 12. expressam posuit negationem, ita dicens: *Generatio praua & adultera signũ quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ.* Similiter igitur in hac lectione Caietani, illud *Si vidi*; habet vim negandi, id est, non vidi. Vt autem sensum verborũ rationemque redditam percipiat Lector, imaginari eum conuenit, Angelum inter loquendum cum Agar, finitis proxime scriptis verbis, repente ex oculis Agar euanuisse. Itaque nec ille mansit illic, nec inde recessit ambulando aut volando, sed subito ac penitus euanescendo; vt quem Agar præsentem videbat, & audiebat loquentem, subito is non sit ab ea visus amplius. Atque hoc repentinum non vidisse eum post sermonem eius, explicat Agar cum Emphasi dicendo, *Si hic vidi*; declarãs subito ereptam sibi fuisse eius visionem. Siquidem illud, si, ex communi loquẽdi consuetudine vim habet negandi, & quidem cum magna emphasi. Hic autem subitus & incomprehensibilis Angeli abscessus, fuit ratio, quæ fecit Agar cognoscere illum fuisse DEVM vel nuncium DEI: & propterea Moses hæc verba Agar commemorauit, vt indicaret cur Agar dixerit, *Tu* DEVS *qui vidisti afflictionem meam.*

VERSVI4. *Propterea appellauit puteum illum, Puteum viuentis & videntis me, Ipse est inter Cades & Barad.*

36 DVPLICEM dedit Agar grati erga DEVM animi significationem, tum gratias agens DEO propter beneficium ab eo acceptum; tum quò memoria illius beneficij esset immortalis, nec in præsens modo, sed in omne posterum tempus extaret, appellationem illius loci ex beneficio quod ipsa acceperat, insigniri atque omnibus notescere voluit, appellans Puteum viuentis & videntis me. Verum quia præcise dictum est, *appellauit*, fit dubium, quis appellauerit, nũ Angelus, an potius Agar, an ipse Abram? an illud, appellauit, absolute positum, etiam absolute interpretandum & intelligendum est? Vt hic sit sensus: Propterea vocatus est puteus ille, &c. Vel Propterea qui nomen ei puteo deinde imposuit, appellauit eum Puteum viuẽtis & videntis. Sed proculdubio illud *appellauit*, referri debet ad Agar, idenim ostẽdit ac postulat ipsius narrationis contextus. Atque hunc locum deinceps fuisse celebrem, & à Sancto Isaac adamatum honoratumque, satis argumenti est, quod eum ille habitauerit & coluerit; sic enim legitur infra Genes. 25. *Post obitum Abram*

Abram benedixit DEVS *Isaac filio eius; qui habitabat iuxta puteum nomine Viuentis & videntis.*

Esse viuentẽ & videntem simpliciter & absolute dicta, vnius DEI propria sunt. *Eccl.* 18. 4. *Reg.* 2. *Psal.* 35. *Ioan.* 14.

Porrò hæc duo participia *Viuentis & videntis*, si ad DEVM referantur (& videntur vtique referenda) denotant duas res maxime proprias DEI, viuere & videre. Ipse enim solus ex se viuit, & vitam habet æternam, & est causa cur viuant, quæcumque viuunt. Hinc illa in Sacris Literis: *Viuo ego*; &, *Viuit Dominus*; &, *Apud te est fons vitæ*; &, *Ego sum via, veritas, & vita.* Similiter proprium DEI est videntem esse: siue id absolute significet esse scientem, ipse enim scit omnia, non solum quæ sunt, aut fuerunt, aut erunt; sed etiam quæcumque fieri possunt, aut etiam non possunt: siue illud videre DEI significet, misericorditer respicere in periculis & angustiis atque calamitatibus versantes. Hunc enim diuinæ misericordiæ respectum super afflictos & calamitosos homines, vt proprium DEI, multis locis refert & prædicat diuina Scriptura. Sin autem illud *Viuentis & videntis*, referatur ad Angelum, is dicitur viuens & immortalis, non comparatus cum DEO, sed cum homine, cuius nomen est mortalis; appellatur item videns, id est, sciens, nempe cuius comparatione homo est quasi cæcus & ignorans, vel quia viderat afflictionem Agar, eamque consolatus fuerat.

37 CIRCA illud: *Ipse est inter Cades & Barad*, Sciat Lector hæc loca fuisse in deserto Sur, in quo soliuagam & errantem Agar inuenit Angelus. Sic enim paulo supra dixit Moses, *Cùm inuenisset eam Angelus Domini iuxta fontem aquæ in solitudine quæ est in via Sur in deserto.* De hoc Sur ita scribit Hieronymus: Sur est locus vbi inuenit Angelus ancillam Saræ Agar inter Cades & Barad. extenditur autem desertum Sur vsque ad Mare Rubrum, quod ad Ægypti confinia peruenit. Porrò Cades solitudo est super vrbem Petram. Sed & Scriptura desertum Cades contra faciem Ægypti extendi memorat: ad quod primum venere Hebræi Rubro mari transuadato. Sic Hieronymus. Ergo in deserto Sur erant ista duo loca Cades & Barad, inter quæ erat Puteus viuentis & videntis. Cades verò fuit is locus in quo fons erupit de petra, virga Mosis percussa, quæ dicta est Aqua contradictionis, vel propter incredulitatem Mosis & Aaron, DEI mandatum nequaquam fideliter exequentium: vel potius quia, vt ait Scriptura Numero 20. ibi filij Israel iurgati sunt contra Dominum, & sanctificatus est in eis, videlicet magno potentiæ suæ miraculo, ex durissima & siccissima petra largissime aquam eis præbendo; vnde nomen ei loco contigit; nam vox, Cades, sanctitatem vel sanctificationem sonat.

Sur. Hierony. De locis Hebraicis. Cades.

Matth. 17.

Nec moueat Lectorem, quod qui paulo ante dictus fuerat fons, hic appelletur puteus: vere enim fons erat, sed quia in profundo terræ latebat, nec nisi per funem & situlam aut alio quopiam modo hauriri ex eo aqua poterat, propterea appellatus est puteus. Vera enim est sententia illa B. Augustini: Omnis puteus fons est, non omnis fons puteus. Vbi enim aqua de terra manat, & vsui ptæbetur hauriẽtibus, fons dicitur: sed si in prõptu & in superficie sit, fons tantũ dicitur: Si autẽ in alto

Augustin. Tract. 5. in Ioan.

Philonis de quinque fontibus in Scriptura celebratis, allegorica disputatio.

& profundo sit, ita puteus vocatur, vt fontis nomen non amittat. Philo allegorice hanc historiam more suo tractans, quinque genera fontium celebrari ait in Sacris Literis, è quibus præclara & salutaria reconditæ sapientiæ præcepta ac documenta haurire liceat: Fontis, ait Philo, crebra fit mentio in Sacris libris. Fons enim vno modo mẽs nostra intelligitur: altero, habitus rationalis & eruditio: tertio, praua mentis dispositio: quarto, bona huic contraria: quinto, rerum omnium pater & conditor DEVS. Horum probationes extant in Sacris Literis. Verum cæteram Philonis super ea re bene longam disputationem, in extremo libri eius qui inscribitur de Profugis, quærat Lector.

VERSVS 15. & 16.

Peperitque Agar Abræ filium, qui vocauit nomen eius Ismahel. Octoginta & sex annorum erat Abram, quando peperit ei Agar Ismahelem.

SVPRA dixerat Angelus Agar, *Vocabis nomẽ eius Ismahel*: hic autem dicitur Abram hoc ei nomen im posuisse; sed vtrumque verum est. Namque moris erat, nõ matres, sed patres filiis suis nomina imponere; & idcirco rite dictus est Abram vocasse filium suum Ismahelem. At enim tali nomine eum fore appallandum, cognouerat Abram ex Agar, quæ id ab Angelo in mandatis acceperat. Quoniam igitur Agar denuntiauit Abræ quo nomine filius eius vocandus esset, etiam ipsa recte dicitur sic vocasse filium suum.

CÆTERVM vt gratificer curioso Lectori, & nonnunquam obse- 38
cundem quorundã auiditati, quodlibet, dummodo nouum & admirabile sit, nosse cupientium; concludam expositionem huius capitis, appositione cuiusdam vaticinij Methodij martyris (vt refert hoc loco Thostatus) de Ismahelis progenie ingentem orbi terrarum aliquando calamitatem ac perniciem importatura. Vaticinium autem illud Methodij hisce verbis commemorat Thostatus: De isto Ismahele prædixit Methodius Martyr, qui Chiliades sæculorum in Arcanis quibusdam descripsit, prædixit, inquam, ex genere Ismahelis quatuor fuisse Principes qui vocati sunt Vineæ filij, fortasse propter insaniã ex ebrietate; hos autem fuisse Zeb, Zebee, Oreb, & Salmana, qui egressi de solitudine contra filios Israel, victique à Gedeone, retrusi sunt in eandem solitudinem. Prædixit etiam fore vt Ismahelis posteri (significat autem Saracẽnos) semel è sedibus suis egressi occupent imperium orbis terræ per octo hebdomadas, id est, annos quinquaginta sex. Tunc vocabitur via eorum, via angustiæ: in Sacris locis interficient sacerdotes: & ibidem cum mulieribus dormient: Et ad Sepulchra Sanctorum religabunt iumenta sua: idque propter nequitiam Christianorum eueniet.

Vaticinium de exitiosa gente Ismaelitarum, id est Saracænorũ ad scriptũ Methodio martyri. *Iudic. 7.*

De

De hoc ait Dominus per Ezechielem: *Voca bestias agri, & exhortare illas dicens: Congregamini & venite, eo quod sacrificium magnum immolo vobis: manducate carnes fortium, & bibite sanguinem excelsorum.* Sic Methodius. Subdit autem Thostatus: Hæc omnia, inquit, ab isto viro sancto prænuntiata, ad literam venerunt super nos in miserabili Hispania, quando tempore Roderici Regis, Arabes totam Hispaniam inuaserunt, vastauerunt, multoque tempore tenuerunt: atque hæc omnia perspicua sunt ex vulgatis Chronicis Hispanorum. Hæc Thostatus.

Tale igitur fuisse perhibent vaticinium Methodij de Ismahelis progenie, hoc est, de Saracẽnis, quorum ex Ismahele genus atque originem fuisse supra ostendimus. Non sum inscius, multas olim, huius Methodij nomine, reuelationes & vaticinia vulgo iactata & celebrata esse: quorum nonnulla, hodieque partim in Scholastica historia, partim quibusdam aliis in libris extant. Sed ea profecto talia sunt, vt mendaciter fuisse cõficta, falsoque, attributa sanctissimo illi viro & clarissimo martyri minime ambigendum sit. De nonnullis disputatum à nobis est in primo Tomo horum Commentariorum in Genesim in principio libri septimi, vbi primum versum capitis quarti Geneseos explanauimus. Hoc porrò quod vocant Methodij vaticinium à Thostato commemoratum, falsum esse, dupliciter cõuincitur: facit enim quatuor illos Principes Zeb, Zebee, Oreb & Salmana; facit, inquam, eos Ismahelitas, tanquam ex Ismahelis stirpe progenitos: at ex historia libri Iudicum ca. 7. & 8. patet, istos fuisse Madianitas; Madianitæ autem genus ducebant non ab Ismahele, sed à Madian quem genuit Abram ex Cethura, plus quinquaginta annos post generatum ex se Ismahelem; quod perspicuum fiet Lectori conferenti caput 16. Geneseos cum 23. & 25. Deinde illud aperte falsum est, magnum illud imperium Saracænorum non vltra quinquaginta sex annos stetisse. Siquidem ex probatis historiis explorate cognitum est, amplam & potentem illam Saracẽnorum in Europa, Africa, Syria, & Asia dominationem, multo longiorem ac diuturniorem fuisse. Hispanias verò non modo pluribus quàm quinquaginta sex annis, sed aliquot etiam seculis, Saracænorum imperio subiugatas fuisse atque oppressas, etiam vulgo notum est, non modo viris doctis manifestum & certum.

* * *

BENE

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA SVPER CAPVT Decimumseptimum Geneſis.

De Lege Circumciſionis.

VERSV 1. POSTQVAM verò nonaginta & nouem annorum eſſe cœperat, apparuit ei Dominus, dixitque ad
2 eum, Ego Dominus omnipotens: ambula coram me, & eſto perfectus. Ponamque fœdus meum
3 inter me, & te: & multiplicabo
4 te vehementer nimis. Cecidit Abram pronus in faciem. Dixitque ei DEVS, Ego
5 ſum, & pactum meum tecum, eriſque pater multarū gentium. Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram: ſed
appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium
6 conſtitui te. Faciamque te creſcere vehementiſſime, &
7 ponam te in gentibus, regeſque ex te egredientur. Et ſtatuam pactum meū inter me & te, & inter ſemen tuū poſt
te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno: vt ſim DEVS
8 tuus, & ſeminis tui poſt te. Daboque tibi & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaā in poſſeſſio

ſeſſionem æternam, eroque DEVS eorum. Dixit iterum 9
DEVS ad Abraham, & tu ergo cuſtodies pactum meum,
& ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis. Hoc eſt pa- 10
ctum meum quod obſeruabitis inter me & vos & ſemen 11
tuum poſt te: Circumcidetur ex vobis omne maſculinum: 12
& circumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit in ſignum
fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circumcidetur 13
in vobis, omne maſculinum in generationibus veſtris: tam
vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, & quicumque
non fuerit de ſtirpe veſtra: eritque pactum meum in carne
veſtra in fœdus æternum. Maſculus cuius præputij caro 14
circūciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo: quia
pactum meum irritum fecit. Dixit quoque DEVS ad 15
Abraham, Saraï vxorem tuam, non vocabis Saraï, ſed Sa-
ram. Et benedicam te, & ex illa dabo tibi filium, cui bene- 16
dicturus ſum, eritque in nationes, & reges populorū orien-
tur ex eo. Cecidit Abraham in faciem ſuā & riſit in cor- 17
de ſuo dicens, Putaſne centenario naſcetur filius, & Sara
nonagenaria pariet? Dixitque ad DEVM, Vtinam Iſmahel 18
viuat coram te. Et ait DEVS ad Abrahā, Sara vxor 19
tua pariet tibi filium, vocabiſque nomē eius Iſaac, & con-
ſtituam pactum meum illi in fœdus ſempiternum, & ſemi-
ni eius poſt eum. Super Iſmahel quoque exaudiui te: ecce be- 20
nedicam ei, & augebo, & multiplicabo eum valde. duo-
decim Duces generabit, & faciam illum in gentem ma-
gnam. Pactum verò meum ſtatuam ad Iſaac, quem pa- 21
riet tibi Sara in tempore iſto, in anno altero. Cumque fi- 22
nitus eſſet ſermo loquentis cum eo, aſcendit DEVS ad
Abraham. Tulit autem Abraham Iſmahel filium ſuum, 23
& omnes vernaculos domus ſuæ, vniuerſosque quos eme-
rat, cunctos mares ex omnibus viris domus ſuæ: & cir-

cumcidit carnem præputij eorum ſtatim in ipſa die, ſicut
24 *præceperat ei* DEVS. *Abraham nonaginta & nouem erat*
25 *annorum, quando circumcidit carnẽ præputij ſui. Et Iſma-*
hel filius ſuus tredecim annos impleuerat tempore circumci-
26 *ſionis ſuæ. Eadem die circumciſus eſt Abraham, & Iſma-*
27 *hel filius eius. Et omnes viri domus illius tam vernaculi,*
quàm emptitij & alienigenæ pariter circumciſi ſunt.

PRAEFATIO.

HOc decimoſeptimo capite commemorat Moſes quintam DEI apparitionem factam Abræ, multis ſanè rebus, quàm fuere priores quatuor, inſigniorem atque præſtantiorem. Hic namque DEVS ad ſummum perfectæ virtutis ac ſanctimoniæ faſtigiũ incitauit & promouit Abram dicens: *Ego Dominus omnipotens: ambula coram me & eſto perfectus.* Hic renouauit duas promiſsiones ſuas iam antea ei datas, de multiplicatione ſeminis eius, & de poſſeſsione terræ Chanaan. Hic nomen eius commutat ex Abram in Abraham; & vxoris eius nomen Saraï, vertit in nomen Sara; ad declarandam vtique fœcunditatis eorum atque poſteritatis exuberantiam. Hic primum lata homini à DEO eſt lex, vt vocant poſitiua, non vnum aut paucos homines, vel ad breue tempus obligans; ſed omnes Abræ poſteros, quotquot conſequentibus deinde ſæculis futuri erant vſque ad Meſsiæ aduentum; dato nempe Circumciſionis præcepto, graui quidem illo & duro propter teneræ carnis, magno cum doloris ſenſu reſectionem; quo ſcilicet probatior & illuſtrior Abræ pietas & obedientia exiſteret. Hic, verus & naturalis ex Sara filius, præter omnem parentum ſpem, omnemque naturæ ordinem & poteſtatem promittitur: iſque ante ortum prænominatur Iſaac, quod nomen riſum ſignificat; ingentis videlicet ex eius ortu prouenturi genitoribus gaudij præſagium. Hic demum magna & mira de amplitudine & claritate poſteritatis Iſmahelis (quòd ſemen eſſet Abræ) prædicuntur atque promittuntur. Eſt igitur hæc DEI apparitio, gaudiorum, miraculorum, myſteriorumque pleniſsima. Quinque porrò inſignes & notabiles res traduntur hoc capite: Primo, fœdus initum inter DEVM & Abram: DEO promittente ei multiplicationem ſeminis, & poſſeſsionem terræ Chanaan; exigente autem viciſsim ab Abram & poſteris eius, perpetuum numinis ſui cultum, & præceptorum ſuorum obſeruationem, illis verbis: *Ponam fœdus meum inter me & te.* Verſu 2. Deinde huius fœderis ſignum & monimentum eſſe voluit Circumciſionem, cum de ea præcepit:

cepit: *Circumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit in ſignum fœderis inter me & inter vos.* Verſu 11. Præterea capitalis pœna ſancitur aduerſus præcepti huius violatores: *Maſculus*, inquit, *cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo.* Verſu 14. Adhæc promittitur Abræ naſciturus ex Sara filius: *Dixit quoque* DEVS *ad Abraham, Non vocabis vxorem tuam Saraï, ſed Saram: & benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium.* Verſu 15. & 16. Extremo demum hoc capite, valde commendatur obedientia Abræ, promptiſſime, illo ipſo die, datum ſibi à DEO de Circumciſione mandatum, tam in ſe, quàm in ſuis, exequentis.

Poſtquam verò nonaginta & nouem annorum eſſe cœperat, apparuit ei Dominus, dixitque ad eum, Ego Dominus omnipotens, ambula coramme, & eſto perfectus. VERSVS 1.

HInc apparet inter hiſtoriam proxime antecedentis capitis, & apparitionem DEI ac ſermocinationem cum Abram, quæ narratur hoc capite, non minus tredecim annos interceſſiſſe. Siquidem in extremo illius capitis ſcriptum eſt, fuiſſe tunc Abram ſex & octoginta annorum: Idem vero in principio huius capitis nonaginta nouem annorum fuiſſe dicitur. Mirum igitur, in tot annorum ſpatio, nulla fuiſſe ipſius Abræ digna commemoratione dicta fact aue, nullos memorabiles caſus, nulla demum exempla virtutum, quæ ad eruditionem atque imitationẽ poſteritatis, viſa ſint Moſi memoriæ ac literis prodenda.

1 Illud certe aduertat ac ſecum reputet Lector, quanta diligentiæ hiſtoricæ ſubtilitate vſus ſit Moſes, in enarrando varia ætatis Abræ tempora. Etenim tempus ortus eius denotauit Geneſis 11. ſcribens natum fuiſſe eum ſeptuageſimo anno patris ſui Thare. Aetatem eius, qua erat, cum ex vrbe Haran deceſſit, primumque venit ad terram Chanaan, indicauit Geneſis 12. dicens fuiſſe eum ſeptuagintaquinque annorum. Cum autem ex Agar ancilla genuit Iſmahelem, ſextum & octogeſimum agebat annum, vt Moſes tradit Geneſis 16. Idem porrò commemorat hoc cap. 17. ingreſſum eſſe eum nonageſimum nonum annum, cum Legem Circumciſionis à DEO accepit. Iam vero ei centenario natum eſſe filium Iſaac, proditum eſt à Moſe Geneſ. 21. Denique omne vitæ eius ſpatium, centum ſeptuaginta quinque annis circumſcripſit ac definiuit Moſes Geneſ. 25. Quid igitur ſibi vult tam accurata & diligẽs annorum Abrę notatio & deſcriptio? videlicet electorum & ſanctorum hominum omnia ſunt apud DEVM diſpoſita, ordinata, numerata, & ſuis quæque finibus deſtinata; omnia dico facta, dicta, labores, merita, aduerſa æque ac proſpera, annos & dies, etiam capillos capitis: adeo tales homines cordi & curæ DEO ſunt. Contra vero impiorum *Luc. 21.*

Cur annos vitæ atque ætatis Abræ tam ſubtiliter ac diſtincte annotauerit Moſes

atque improborum hominum omnia sunt in despectu, & quasi oblitione,& pro nihilo apud DEVM.

Apparuit ei Dominus. Qualis fuerit hæc apparitio DEI, in somno ne, an in vigilia, sensibilis ne, an imaginaria & spiritualis, non declarauit Moses. Verum ex narratione eius solerter collegit Caietanus esse factam in vigilia,& sensibilem fuisse;id autem est, per Angelum aliquem corporali & aspectabili hominis specie ac figura conspicuum Abræ, & cum eo sermocinantem. Caietani de hac re coniecturas, paucis verbis eius hic adscriptis, Lectori exponam. Qualis fuerit hæc visio, ait Caietanus, ex descriptione eius non est omnino clarum: ex subiuncta tamen bis adoratione Abræ, prosternendo se super terram, significatur visionem fuisse sensibilem, & corporeis oculis obiectam. Sensuũ enim exteriorum vsus ad prostrationem, testatur non fuisse Abram abstractum à sensibus. Et secundæ quidem prostrationi Abræ in terram adiunctus est risus eiusdem, dicente Scriptura: *Cecidit Abraham in faciem suam, & risit in corde suo.* Actus vero ridendi iunctus prostrationi super faciem suam, indicium facit non fuisse tunc Abram in ecstasi, sed in vsu sensuum & mẽbrorum externorum. Idem quoque patet ex fine huius capitis, vbi dicitur, finita apparitione & sermone DEI cum Abram, DEVM ascendisse ad Abram, siue super Abram; quo significatur absessus DEI ascendentis per aëra in cælum. Sic Caietanus. 2

Caietanus.

Magnũ esse Fidei firmamẽtum, credere DEVM omnipotentem.

Ego Dominus omnipotens. Breue verbum, sed plenum mysterij: nam credere DEVM esse omnipotentem, quasi fundamentum & firmamentum est totius fidei nostræ. Siquidem quæ videntur incredibilia, si humano modo pensentur, ijs omnibus persuadendis vnica hæc ratio sufficiens est, DEVM, cui ea facienti & dicenti credimus, esse omnipotentem. Sapienter igitur Apostoli in principio Symboli præposuerunt, *Credo in vnum Deum, patrem omnipotentem.* Credere autẽ DEVM, quem colimus, esse omnipotentem, tres in animis hominum erga DEVM generat motus siue affectus; vnum summæ reuerentiæ ac venerationis tantæ DEI maiestatis: alterum ingentis fiduciæ, quod nullum sit bonum quod non ille præstare nobis, nullumue malum quod non idem facile propulsare à nobis queat: tertium maximi timoris, ne quid peccando tam potentem Dominum offendamus; cuius nempe punire volentis, non sit effugere vindictam. Dicitur autem DEVS omnipotens, non solum quia potuit facere omnia quæcunque in mundo continentur; verum quia nihil ei factu impossibile est nisi quod vt fiat & sit, contradictionem implicat. Illud quoque declarat omnipotentiam DEI, quod ex nihilo, nullaque mora, nulloque labore, sed sola voluntate (adeo eius voluntas omnium quæ vult, efficax est) quodlibet efficere possit. 3

Sciat Lector pro illis duobus Latinis verbis, *Dominus omnipotens*; esse in Hebræo duo item verba (El Saddaï) quæ sunt duo nomina ex decem nominibus DEI frequenter vsurpatis & celebratis in Scriptura,& à B. Hieronymo breuiter expositis in epistola 136. quam scripsit ad Marcellam: 4

cellam. Vbi nomen, El, tradit Hieronymus septuaginta vertisse θεόν, id est, DEVM, Aquilam vero ἰσχυρὸν, id est, Fortem, quemadmodum & ipse hoc loco interpretatus est. Nomen verò, Saddaï, nos, inquit Hieronymus. Robustum & sufficientem ad omnia perpetranda, accipere possumus. Caietanus id nominis ex Hebræo interpretans, appellat Victorem seu vincentem: Apte, inquit ille, dixit DEVS de se, Ego fortis victor: ad differentiam scilicet cuiuscumque fortitudinis creatæ. Angeli enim & homines fortes, non ita fortes sunt, vt omnia possint efficere: immo multa offendunt obstantia sibi, quæ vincere ipsi non possint. DEVS autem ita fortis est, vt habeat potentiam vincentem omnia: nullaque indispositio receptiuorum, nulla vis agentium aut mediorum, efficientiæ eius obstare vllo modo potest. Conuenienter porro ijs promissis quæ dedit hic Abrahæ DEVS, nominauit se fortem victorem; quò certum atque indubitatum faceret, fortem ac potentem fore se ad debellandos hostes Abræ ac seminis eius, vt res ipsa declarauit in egressu Hebræorum ex Ægypto, ingressuque in terram Promissionis.

De significatione nominis DEI, Saddaï, qꝫ hic vertitur omnipotẽs. Caietanus.

Oleaster super origine ac germana significatione nominis, Saddaï, in hunc modum disputat: Multa pendent ex cognitione significationis nominis (*Saddaï*) quod nostri vertunt Omnipotentem: quapropter bene in præsens examinanda est nominis eius significatio. Sunt inter Hebræos, qui eam vocem compositam putãt ex (*sin*) id est, cui, & (*daï*) quod est sufficientia: vt idem sit (*Saddaï*) quod, cui ad omnia est sufficientia. Alij vnicam esse dictionem arbitrantur, eamque omnipotentem vel Fortem aut Vastatorem interpretantur. Sed miror cur isti Omnipotentem exponant, cum radix eius nominis nihil habeat conueniens Omnipotentiæ. Nam si radix sit (*Sad*) quod est mamma, significabit DEVM, prout ex eo bona profluunt, sicut ex mamma lac; vel, prout DEVS est dulcis & delectabilis, quemadmodum lac. Si verò radix eius sit verbum, Saddad, quod est Sugere vel prædari: quod qui prædatur, eius quem deprædatur, bona sugere videatur: eo profecto nomine significabitur DEVS vt prædator est. Mihi videtur potius significare DEVM vt est benefactor, & vt ex DEO bona omnia proueniunt, veluti ab vbere lac. Siue enim sit radix eius nominis *Sad*; siue *Saddad*; vtrouis modo significat vbertatem, aut cui est sufficientia. Videtur igitur hic locus ita vertendus: Ego fortis beneficus siue liberalis: id est, bonis omnibus exuberans, vt nihil boni sit quod à me sperare non possis, si perfecte mihi obtẽperare, ac seruire volueris: nam id est, quod subiungit, *Ambula coram me & esto perfectus.* Sic Oleaster. Ego vt ad cętera eius dicta nunc connueam, illud certe non possum sine animaduersione præterire. Negat vocabulo *Saddaï*, significari Omnipotentem. Sed enim, cum ea vox, vt tradit B. Hieronymus, & fatetur ipse, significet DEVM vt cui sufficientia est ad omnia perpetranda; quis non videt cum eiusmodi notione ac significatione coniunctam necessariò esse omnipotẽtiam? Neque enim DEVS vere dici posset simpliciter & absolute sufficiens sibi ad omnia, nisi esset omnipotens: si quid enim esset quod non posset, ad id pro- 5

Oleaster.

Animaduersio in Oleastrum.

fecto non esset sibi sufficiens. Equidem affirmate dixerim, istam DEI sufficientiam ad omnia, non posse vel commodius explicari, vel planius intelligi, quàm vocabulo Omnipotentis.

B. Augustin. B. Ambros. Quid sit placere DEO. B. Chrysost.

Ambula coram me, & esto perfectus. Græcè sic est ad verbum: Place in 5
conspectu meo, & esto inculpabilis. Augustinus etiam lib. 16. de Ciuitate DEI cap. 26. legit, *Place, & esto sine querela.* Ambrosius lib. 1. de Abraham, cap. 4. pro illo, Place, legit, Emerere, quasi nondum, inquit, emeruisset, quia sterilis partum desperaret vxoris. Certe 70. interpretes illud, ambulare cum DEO siue coram DEO, interpretati sunt, placere DEO, vt videre est & hic, & supra cap. 5. & 6. vbi id scriptum est de Enoch & de Noe. Placere autem DEO, exposuit Chrysostomus Homilia in Genesim 23. diuino calculo, suffragio, & testimonio commendari; & placere oculo diuino, qui omnia videt, nec falli potest. Equidem reperio, in Sacris Literis hæc omnia dici: Ambulare in nomine DEI, Ambulare in viis Domini: Ambulare post Dominum: Ambulare cum DEO: Ambulare coram DEO vel in conspectu DEI, sicut hoc loco dixit DEVS Abræ: *Ambula coram me.* Idque obseruasse ac præstitisse Abram, profitetur ipsemet infra Genesis 24. dicens: *Dominus in cuius conspectu ambulo, mittet Angelum suum tecum,* & Iacob cap. 48. DEVS, inquit, *in cuius conspectu ambulauerunt patres mei, Abraham & Isaac.*

Quid sit Ambulare cũ DEO, corã DEO, post DEVM, in nomine DEI, in viis DEI.

Psalm. 5.

Atque hoc ipsum quasi magnum hominis bonum optabat & postulabat à DEO Dauid, cum dixit: *Dirige in conspectu tuo viam meam.* Ambulare in nomine DEI, est DEVM colere atque in eo sperare. Ambulare in viis Domini, est præcepta DEI inuiolate sancteque custodire; & ad viuẽdi rationem ab eo præscriptam, actiones suas vitamque omnem dirigere ac conformare. Ambulare post DEVM, est tamquam seruum humilem & fidelem, DEO inseruire, & vestigia eius sequi, id est, benignitatem eius erga homines, clementiam, misericordiam, longanimitatem & iustitiam imitari. Ambulare cum DEO, est cum DEI voluntate ac sententia, omnibus in rebus concordem & consentientem esse; vt id ipsum sentiat & sapiat, idemque sit DEI atque hominum velle & nolle. Ambulare coram DEO, est semper intueri DEVM quasi præsentem sibi, & idcirco cautissimum, modestissimum, & deuotissimum DEO semper incedere: vel semper esse paratum, expeditumque atque intẽtum ad id, quodcumque velle ac iubere DEVM nouerit, prompte & alacriter exequendum; vt solent esse ministri ac serui in conspectu dominorum suorum.

Quid sit hominem esse perfectum.

Et esto perfectus. Hæc hominis perfectio latissime patet, & vi sua com- 6
prehendit omnia virtutum officia, omnesque probitatis implet numeros. Etenim perfectus est, qui nihil prętermittit eorũ quæ DEVS facienda præcepit; qui omnem implet iustitiam; qui non modo bonũ facit, sed etiam bene; nec quocumque modo bene, sed quanto maximo potest studio, cura, & diligentia: quique obliuiscens quæ retro sunt, & sese ad anteriora semper extendens, meliorem se in dies fieri studet & contendit. Græca vox . sonat inculpabilem, & sine querela, & re

Philipp. 3.

& reprehensione; quales vtique descripsit Lucas Zachariam & Elisabeth: *Erant*, inquit, *ambo iusti ante* DEVM, *incedentes in omnibus iustificationibus Domini sine querela.* An verò possit in hac vita quispiam appellari & esse perfectus, non attinet hoc loco disquirere, cum super ea re satis à nobis disputatum sit in secundo Tomo horum Commentariorum libro nono Disputatione secunda, num. 23. *Luc. 1.*

Caietanus putat verba illa DEI, *Ambula ante me & sis perfectus*, sic enim ea ipse legit ex Hebræo, ad tria referri posse: vel ad moralem vitam ipsius Abræ, vel ad conditionem fœderis inter DEVM & Abram facti, vel ad rationem Circumcisionis, de qua mox præcipitur. Si referantur ad moralem disciplinam Abræ, hic erit sensus eorum verborum: Promoue magis ac magis & profice in studio virtutis atque in honestis actionibus, quasi ambulans ante oculos meos. Nullum enim maius frænum, nulla efficacior ratio cõponendi gestus, motus, verba, actionesque hominis, esse alia videtur, quàm ambulare ante faciem Principis. Nec tacetur hic eiusmodi ambulationis fructus, quando subditur: *Et eris perfectus.* Talis enim ambulatio ante DEVM, ducit hominem ad perfectionem. Vnde scriptum est: *Beatus vir qui in sensu cogitabit circumspectionem* DEI. Contra verò de improbis atque impiis hominibus dictum est: *Non est* DEVS *in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore: auferuntur iudicia tua à facie eius.* Si autem verba illa DEI referantur ad fœdus quod pepigit DEVS cum Abram, significabitur istis verbis conditio seruanda ab ipso Abram & posteris eius, quò pactum DEI constaret, & promissa eius præstarentur. Et hic erit sensus: Ambula tam tu quàm semen tuum, quò ad fidem & mores, tanquam coram me: *Et eris perfectus*, id est, nihil tibi tuisque deerit tam spiritualium quàm corporalium rerum conducẽtium ad vestram felicitatem. Quare mox subditur: *Et dabo pactum meum*, quasi diceret, si tu & semen tuum non ambulaueritis ante me, non erit locus pacto meo, id est, inefficax & irritum ac prorsus inane futurum est. Et id sanè ita contigit, vt res ipsa declarauit. Sin verò illa DEI verba referantur ad rationem Circumcisionis, cuius legem proxime sequentibus verbis sanciuit DEVS, intelligitur ex istis verbis, propterea mandari Abræ & posteris eius vsum Circumcisionis, quòd inde sumpturus erat carnem DEVS fortis omnipotens. Etenim dicens, *Ambula ante me*, simile est vt si dixisset, tum insignitus Circumcisione, antecede me venturum in carne, & ex tuo circumciso semine carnem sumpturum. *Et eris perfectus*, id est, tunc demum cum ego factus homo venero in mundum, omnino perfecta & completa futura sunt quæ tibi fuerant promissa. Siquidem per aduentum Messiæ constat esse completa omnia tam Patriarcharum, quàm Prophetarum desideria, prædicta, promissa. Hæc à Caietano super illis verbis prodita, mihi quidem neque contemnenda, nec hoc loco non commemoranda visa sunt. *Caietanus.* *Eccl. 14.* *Psal. 9.*

Ego

Universidad de Deusto Biblioteca

VERSV 4. vsque ad 10.

Ego sum, & ponam pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium. Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te. Daboque tibi & semini tuo post te terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroque DEVS *eorum. Et tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis.*

NON est nouum hoc fœdus, nec ab eo diuersum quod supra capite 15. narrauit Moses pepigisse DEVM cum Abram: sed est plane idem, cum eadem illic atque hic DEI promissa commemorentur. Illud igitur renouatur hic; & causa renouandi eius fuit, noua institutio Circumcisionis, quam DEVS huius sui fœderis illustre quoddam signum ac perpetuum monumentum esse voluit. Sic enim docet ipse paulo infra dicens: *Circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos.* In omni autem icto inter aliquos fœdere, necesse est vtrinque extare aliquod promissum, & mutuam ad aliquid obligationem: quod etiam in hoc fœdere cernere est. Etenim duas res promisit DEVS Abræ, multiplicationem seminis, & possessionem terræ Chanaan: duas item res ab ipso Abram & posteris eius vicissim exegit, vt vnum ipsum pro vero DEO colerent; eiusque pacta, mandata & præcepta sancte custodirent. Huius porrò fœderis signum esse Circumcisionem voluit: nam & ipse promissa sua non nisi posteris Abræ circumcisis præstaturus erat; & qui Circumcisionem accipiebant, ea re denotabant, se DEI, quem coluerat Abram, fidem & cultum profiteri, & ad eius mandata exequenda se ipsos obligare. 7

Illud, *eris pater multarum gentium*; duplicem habere potest intellectum; nam & de paternitate carnali, & de spirituali potest accipi. Per carnalem enim generationem, multæ gentes ex Abram proseminatæ sunt, Hebræos dico, Idumæos, Ismahelitas & Madianitas. Atque in hanc sententiam veteres Iudæi vsque ad legem euangelicam hoc DEI promissum intellexerunt. Alter eius promissionis intellectus de paternitate spirituali, pertinet ad omnes mundi gentes aliquando ad DEVM per Euangelij prædicationem conuocandas & conuertendas, & propter fidem CHRISTI, qui filius secundum carnem fuit Abræ, simulque propter probitatis atque pietatis eius imitationem, spirituales verosque filios Abrę appellandos. Et hic quidem diuinæ istius promissionis intellectus, magis quàm prior ille principalis, & à SPIRITV 8

Abræ paternitas spiritualis quæ fuerit, & quę ignota Iudæis.

Sancto

Sancto) intentus est. Diuini namque consilij ac sententiæ conscius & interpres B. Paulus, ita exposuit hanc DEI promissionem, dicens, illis DEI verbis: *Et eris pater multarum gentium*, hæredem mundi factum esse Abram, scilicet propter fideles ex omni mundo, cunctisque gentibus ad DEVM Abræ, & ad semen eius, qui est CHRISTVS, conuertendos. Verùm etsi maxime germana & propria hæc est sententia & interpretatio diuinæ illius promissionis, ea tamen fere latuit veterem illam Synagogam, nec ante legem & doctrinam Euangelicam, mysterium hoc vocationis gentium mundo patefactum est. Equidem non auderem hoc dicere, nisi eius sententiæ auctorem & doctorem haberem B. Paulum; cuius illa sunt verba; *Vt impleam verbum* DEI, *mysterium quod absconditum fuit à seculis & generationibus; nunc autem manifestatum est sanctis eius, quibus voluit* DEVS *notas facere diuitias Sacramenti huius in Gentibus.* Verum expressius alio loco id ipsum affirmat: *Secundum reuelationem*, inquit, *notum mihi factum est Sacramentum quod in aliis generibus non est agnitum, filiis hominum, sicut nunc reuelatum est Sanctis Apostolis eius & Prophetis in Spiritu, Gentes esse cohæredes & concorporales & comparticipes promissionis eius in* CHRISTO IESV *per Euangelium.* *Ad Rom. 4.* *Ad Coloss. 1. & ad Eph. 3.*

9 NEC *vltra vocabitur nomen tuum Abram: sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te.* Dicunt Hebræi (verba sunt hęc B. Hieronymi) quod ex nomine suo DEVS, quod apud illos Tetragrammaton est, He, Literam Abræ & Saræ addiderit. Dicebatur enim primò Abram, quod interpretatur Pater excelsus; & postea vocatus est Abraham, quod transfertur, Pater multarum; nam quod sequitur, gentium, non habetur in nomine; sed subauditur. Nec mirandum, quare cum apud Græcos & Latinos litera, a, videatur addita; nos, he, literam Hebræam additam dixerimus: Idioma enim linguæ illius est, per, He, quidem scribere, sed per, a, legere: sicut è contrario, literam, a, sæpe per, He, pronuntiant. Sic Hieronymus. Sed Lippomanus & Ioannes Ferus alterum quoddam in mutatione nominis Abræ mysterium agnoscunt. Ornatum est, inquiunt, nomen Abræ interpositione literæ, He, quæ inter sacratiores literas, quibus nomina DEI scribuntur, principalis est; & bis in nomine illo DEI Tetragrammato & ineffabili scripta est. Quam literam de suo nomine communicari voluit DEVS cum nomine Abraham, primò quidem vt ostenderet non modo se bona sua impertiturum ei, verum etiam seipsum: adeo enim probos viros diligit DEVS, & in tantam euehit gloriæ præstantiam, vt diuinæ faciat consortes naturæ. Deinde litera He, adiecta nomini Abraham, indicat singularem quandam eximiamque datam ipsi Abrahæ prærogatiuam, fore aliquando vt ipsemet DEVS ex semine Abraham nasceretur; iamque tunc præsignificabatur factum iri, quod iam factum admirabundus prædicauit Paulus, *Nusquam Angelos*, inquiens, *apprehendit* DEVS, *sed semen Abrahæ apprehendit.* Ad hoc, quarto loco in nomine Abraham posita litera, He, subindicauit quartum annorum millenarium, quo post orbem conditum transacto, FILIVS DEI carnem ex semine Abraham

Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim. De mutatione nominis Abram in Abraham. Lippomanus, Ioãnes Ferus.

2. Petr. 1.

Ad Heb. 2.

sumpturus erat: natus est enim Dominus IESVS finito quarto millenario, quintoque paucis annis inchoato. Mem quoque clausum sequēs literam, He, interminabile CHRISTI regnum, & fidelium, quorum pater fuit Abraham, Ecclesiam præsignabat. Ergo mutatio nominis Abraham ad hunc modum facta est: prius ille vocabatur Abram, id autem est Latine, Pater excelsus; Ab, enim, est Latine, Pater; ram, verò, est excelsus. Postea verò huic nomini adiecit DEVS particulam, hamon; verum quo vox ea pronunciatu mollior, audituque acceptior esset, ex nomine Abram dempta est vltima litera, m, & item ex adiectitia illa particula, hamon, vltima syllaba, on, detracta est, & ita factum est nomen Abraham.

Nec vacat mysterio, quod Abraham, mutato nomine declaratus sit pater futurus gentium, prius quam à DEO Circumcisionis præceptum acciperet. Si quidem ea re significatum est, eas gentes, quarum ille pater erat futurus, eos dico, qui per Euangelicam prædicationem ex omni gente conuertendi erant ad DEVM, non propter Circumcisionem, immo sine ea futuros Abrahæ filios; sed propter fidem, per quam dum incircumcisus esset Abraham, adeo placuit DEO, vt de eo supra dixerit Moses: *Credidit Abram* DEO, *& reputatum est ei ad iustitiam*. Ex quo recte argumentatur B. Paulus, similem fidem, etiam Gentibus sine Circumcisione reputatum iri ad iustitiam.

Genes. 15. Ad Ro. 4.

Cæterum ex iis quæ dudum diximus de mutatione nominis Abraham, satis apparet non esse rectam eius nominis interpretationē quam tradit B. Chrysostomus. Putat ipse vetus illud nomen Abram significare transitorem, idque nominis impositum ei fuisse à parentibus, per spiritum propheticum (quamuis illi essent infideles) futuram eius aliquando transmigrationem ex Mesopotamia in terram Chanaan prænoscentibus. At enim, nomen Abram non significat transitorem, sed, vt diximus, patrem excelsum. Videtur autem Chrysostomus vocem Abram accepisse pro voce, Hebræus, quasi nulla sit inter eas significationis differentia. Vocabulo autem, Hebræus, multi putant significari transitorem vel transfluuialem: sic enim eam vocem supra capite decimoquarto reddiderunt LXX. interpretes, atque itidem complures de Græcis ac Latinis auctoribus eam ipsam vocem interpretati sunt.

Chrys. hom. 32. in Genes.

Philo paulum diuersam mutati nominis Abraham, interpretationem tradit: ait enim vocabulum Abraham significare, patrem electum vocis, siue soni. Namque antiquum nomen Abram sonat patrem electum, siue excelsum, vt nos exposuimus, illa verò particula, ham, quæ ei nomini adiecta est, significat sonitum siue vociferationem. Hanc porrò suam interpretationem trahit Philo, vt fere solet, ad intelligentiam quandam allegoricam, minime sane inelegantem, & ineruditam, in hanc sententiam scribens: Abram quandiu hærebat in terra & opinionibus Chaldæorum, & nondum mutato nomine vocabatur Abraham, homo cæli erat, sublimis, & æthereæ naturæ scrutator, in effectibus, eorumque causis philosophando: ex quo studio etiam appellationem sibi

Philo in lib. de Gigantibus & iterū in lib. de Abrahamo.

sibi quæsiuit vt Abram diceretur, quippe id nominis significat patrem sublimem, appellatione scilicet homini considerāti sublimia & cælestia perquam accommodata. Verum quando iam seipso melior, nomen erat mutaturus, ex homine cæli, factus est homo DEI, iuxta redditum sibi oraculum: *Ego sum* DEVS *tuus, da operam vt te mihi probes, & esto inculpabilis*. Quod si vnus totius mundi DEVS, singulariter dictus est, DEVS Abram; necesse quoque est, prēcipua quadam & propria ratione hominem DEI fuisse ipsum Abram. Neque id non indicauit mutatum eius nomen: appellatus enim est Abraham, quod interpretatur, pater electus soni, seu vocis. Id autem est, intellectus probi viri, est enim electus, purgatus, & pater vocis, qua & DEI laudes personamus, eique in omni vita, dictis, factisque nostris, quoad eius fieri potest, consonamus. Sic eo loci Philo. Idem alio loco: Proditum est, inquit, cum Abraham discessisset ex Chaldea, venissetque in terram Chanaan, tunc primum ei DEVM apparuisse: cui scilicet antea in Chaldæa versanti, & more Chaldæorum nihil esse supra naturam corpoream æstimantium, philosophanti, manifestus non fuerat. Testatur & hoc mutatio nominis: prius enim Abram vocatus, cœpit deinde appellari Abraham; vnius tantum duplicatione vocalis, a; sed ea tamen res, magnum quid significabat. Prius enim nomen Abram, interpretatur pater sublimis: Abraham verò Pater electus vocis. Et prius quidem nomen indicat virum Astrologicum; posterius verò sapientem. Nam per vocem significatur sermo qui foras profertur: per patrem mens ipsa principatum hominis tenens. Siquidem sermo qui concipitur intus, naturaliter pater est, quasi generans & pariens verba quæ foras eduntur. Dicitur electus, id est, egregie bonus: malum enim, confusum & indigestum est: bonum eligitur vt præcipuum inter omnia. Itaque homini Meteorologico nihil maius videtur mundo, quem etiam supremum existimat rerum auctorem. At vir sapiens certioribus oculis videns illum perfectiorem mundi rectorem; ac Principem cuius dominium agnoscunt cętera, & imperata faciunt; sæpe anteactam suam vitam incusat, in qua velut cæcus tenebras palpans nitebatur rebus sensibilibus suapte natura infirmis atque caducis. Ergo mutatio nominis ex Abram in Abraham significauit, fuisse eum mutatum ex homine philosopho, in virum sapientem & plane diuinum. Hæc ex Philone.

Genes. 17.

Genes. 12.

* * *

Universidad de Deusto Biblioteca

VERSVII. vsque ad 15.

Circumcidetis carnem præputij veſtri vt ſit in ſignum fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis: omne maſculinum in generationibus veſtris, tam vernaculus, quam emptitius, & quicumque non fuerit de ſtirpe veſtra: eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum. Maſculus cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo: quia pactum meum irritum fecit.

HIS verbis ſancitur à DEO lex Circumciſionis; qua lege non ſolum Abraham & filij eius ac ſerui, ſed omnes deinceps poſteri, ad quos ſcilicet promiſſa DEI pertinebant, & qui vnum in DEI populum congregandi & coaptandi erant, tenerentur atque obligarentur. Quinque autem res de Circumciſione præcepit DEVS hoc loco: Primo, ad vnum modo ſexum pertinere Circumciſionem, nempe ad mares, dicens, *Circumcidetur ex vobis omne maſculinum.* Tum cuius conditionis homines eſſent circumcidendi; præcipiens non modo ipſum Abraham, & filios eius; verum ſeruos quoque tam vernaculos quàm emptitios circũcidi debere. *Omne maſculinum in generationibus veſtris, & tam vernaculus quàm emptitius circumcidetur.* Præterea docet qua ætate fieri debet Circumciſio, præfiniens octauum ab infantis ortu diem; cum ait, *Infans octo dierũ circumcidetur in vobis.* Deinde partem corporis deſignat cui adhibenda erat Circumciſio, dicens, *Circumcidetis carnem præputij veſtri.* Ad hæc, finem indicat & vſum ad quem inſtituta ſit Circumciſio, cum ait, *Vt ſit in ſignum fœderis inter me & vos.* Statuit præterea hanc legem Circumciſionis non ad breue quoddam tempus, ſed in perpetuum duraturam: id enim ſignificauit illis verbis, *Eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum.* Ac demum capitalem pœnam conſtituit aduerſus huius legis violatores, *Maſculus*, inquit, *cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo: quia pactum meum irritum fecit.* Hæc igitur de obſeruanda Circumciſione hic præſcripta & conſtituta à DEO ſunt. 11

Quibus rebus Circũciſio, alias omnes Veteris Teſtamenti cæremonias præcelluerit.

Verum hoc loco faciendum mihi eſſe duxi, vt ſuper hac lege Circumciſionis diligenter copioſeque diſſererem; non ſolum quod nos ad pleniorem eius rei tractatum præſens hæc Moſis hiſtoria vocet, aut etiam impellat; verum eo maxime, quod ſacramentum Circumciſionis, multis nominibus anteſtat cæteris omnibus Moſaicis & legalibus cæremoniis atque Sacramentis. Præcellit enim vetuſtate: plus enim quadringentos annos legales ritus & cæremonias anteceſſit. Illud etiam decla-

declarat ſingularem eius dignitatem, quòd ſolum & ſeparatim ab alijs cæremonialibus inſtitutis, conditum & imperatum fuerit. Neque non id ipſum demonſtrat ratio Circumciſionis; quod erat ipſa præparatio quædam & introductio ad legem diuinam, quæ aliquot erat poſt ſæcula per Moſem ferenda: immo verò Circumciſionis ſuſceptio, erat manifeſta quædam obſeruandæ legis Moſaicæ profeſſio, & proteſtatio, atque obligatio: nam qui circumcidebatur, debitor erat, vt Paulus ait, vniuerſæ legis faciendę. Circumciſionis porrò effectus, fructuſque, talis erat, qualem nempe aliud nullum Moſaicæ legis ſacramentum præſtare poterat. Sacramento quippe Circumciſionis abolebatur peccatum Originale, & ſi quæ alia eſſent cum eo coniuncta peccata actualia; donabaturque rite ac digne Circumciſo gratia, qua iuſtus eſſet, DEO que gratus. Illud poſtremo ad commẽdationem Circumciſionis facit, quod in ea multiforme continebatur myſterium, quod nos in Diſputationibus infra ſubiectis explicabimus. *Ad Gala. cap. 5.*

PRIMA DISPVTATIO.

Ad quem finem & vſum inſtituta ſit Circumciſio.

Super illis verbis: *Circumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit in ſignum fœderis inter me & vos.*

Verſu XI.

12 PHILO perbreuem ſcriptam reliquit de Circumciſionis vſu diſputationem: in quam ſex rationes, pauciſſimis verbis indicatas potius & numeratas, quàm expoſitas, coarctauit. His ille rationibus probare voluit, ſanctiſſimam fuiſſe, & commodiſſimam hominum animis iuxta corporibuſque iuuandis, Circumciſionis inſtitutionem & vſum. Sed audiamus Platonem hunc Iudæum eleganti dulcique breuitate haſce rationes enarrantem. Ridetur, inquit, Maiorum noſtrorum Circumciſio: at ea non in mediocri honore habita eſt etiam apud gentes alias, præſertim verò Ægyptiacam, præcellentem nõ minus hominum ſapientia, quàm frequentia. Itaque conuenientius erat, abſque cauillis puerilibus, prudenter & ſeriò quærere cauſas cur is mos inoleuerit, quàm præpropera ſententia, tot nobilium gentium quaſi leuitatem damnare. Cum veriſimile ſit, non temere circumcidi tot hominum millia; & perpeti velle cruciatus mutilationis in ſuis, ſuorumque cariſſimorum pignorum corporibus. Et verò, ſunt complures, & oppido quam graues cauſæ, quæ ſuadeant ab hoc priſcorum inſtituto non diſcedere. Verum quatuor earum præcipuas ad præſens commemorare lubet. Vna fuit Philo exponit ſex vſus atque vtilitates Circũciſionis.

causa, quo facilius caueretur morbus ægre curabilis, quem vocant Carbunculum; sic opinor appellatum, quòd vrat inflammatione: hic autem morbus præputiatis quàm Circumcisis facilius & frequentius contingit. Altera causa, vt totum corpus esset purius, nec impediret officia sacerdotalis ordinis: quamobrem Ægyptij Sacrifici, etiam radunt corpora, ne quid sordidum vel sub pilis, vel sub præputiis hæreat, quod puritati sacris debitæ officere vllo modo possit. Tertia causa, pars hæc corporis circumcisa, cordis similitudinem quandam habet: vtraque sane generationi seruit: si quidem ab altera spiritus animales, ex altera genitales spiritus procreantur & profluunt. Quocirca prisci homines æquum censuerunt, occultæ illi potiorique parti, ceu fonti sensuum animi, assimilare visibilem hanc partem, vnde crassiorum sensuum corporis origo est. Quarta causa, fuit bonum maioris fœcunditatis & numerosioris sobolis. Aiunt enim, Circumcisos integrum semen directo ciaculari, non autem diffluens per sinus præputij: & ideo circumcisas gentes, esse fœcundissimas atque populosissimas. Hæc sunt quæ ad aures meas peruenerunt, tradita per manus à diuinis viris maioribus nostris, qui Mosis placita diligentissimis interpretationibus explicauerunt. Equidem præter dictas rationes, duo insuper alia per Circumcisionem significari arbitror, cum ad cognitionem, tum ad vsum valde necessaria. Etenim eius membri Circumcisio, excisionem significat voluptatum quæ mentem fascinant. Et quia inter voluptatum illecebras, principatum tenent quæ illam corporis partem titillant & afficiunt; idcirco legislatores eam partem mutilari iusserunt; significando resecandas esse voluptates superfluas, non vnius tantum huius generis, sed alias omnes, per vnam hanc subindicantes. Deinde monuerunt ea re, abiiciendam esse penitus arrogantiam, exitialem animi morbum. Quidam enim, quod se videant posse generare hominem animal pulcherrimum, inflati hac superbia, se quasi deos æstimant & iactant, impie dissimulato vero generationis humanæ auctore. Quem tamen errorem facile possent corrigere, consideratis tot millibus hominum sterilium atque infœcundorum in orbitate consenescentium & morientium. Hæc igitur praua opinio excidenda est ex animo, sicut & cætera quæcumque pietati repugnant. Hactenus Philonem de vsu Circumcisionis, non minus scite & docte, quàm restricte presseque disputantem lector audiuit. Verum ea Disputatio Phlilonis, & rationes ab eo commemoratæ declarant, fortasse causas institutionis & vsus Circumcisionis apud Ægyptios, aliasque gentes, quibus iste ritus solemnis erat: non tamen aperiunt germanam & propriam causam cur instituta fuerit à DEO Circumcisio, & indicta Iudæis.

Moses Aegyptius in libro Directoris Dubiorum.

MOSES Ægyptius, celebris inter Iudæos doctor, huiusmodi quandã exponit institutæ Circumcisionis causam. Non est dubium, inquit ille, quin Circumcisio debiliter vim fornicationis, & diminuat concupiscentiam prauam, quæ plus expetit ac requirit quàm necesse est. Siquidem cum illud membrum vulneratum fuerit vsque ad sanguinis effusionem, 13

sionem, & amputata ei fuerit pellis, qua iam inde à principio suæ creationis obductum & contectum fuerat; necesse profecto est vnà quoque debilitari concupiscentiam, quæ in eo membro deflagrat. Hæc ille. Sed haud scio, an quod dicit iste Rabbinus falsum sit. Video enim & olim Iudæos, Ægyptios, Saracænos, hodieque Turcas, quibus etiam vsus est Circumcisionis, non minus cæteris incircumcisis gentibus, esse istius generis voluptatum appetentes atque intemperantes. Sed enim ab isto Rabbino Moyse facit etiam Thostatus, putans tum ob alias causas sapienter & vtiliter institutam esse Circumcisionem, tum etiam quò per eam debilitaretur carnis concupiscentia, & retunderetur sensus voluptatis vigens & flagrans in ea parte corporis: præputiatis enim delectabiliorem esse venerem quàm Circumcisis. Si quidem præputium duas ad res valere & conducere existimat, tum ad faciliorem velocioremque seminis expulsionem: tum ad pleniorem acrioremque voluptatis sensum, qui eo motu excitatur & ardescit. Et vtriusque quidem rei causas ille affert è physiologia petitas: verum ita oratio eius & disputatio pudenda est, vt præstet silentio eam præteriri. Quin Thostatus ipse, vir alioqui, propter incredibilem animi simplicitatem & candorem, in istiusmodi rebus obscœnis cõmemorandis nimio plus apertus & liber, hic tamen Lectoris offensionem & reprehensionem deprecatus est.

Thostatus in caput 17. Geneseos.

14 NON desunt qui existiment latam esse legem Circumcisionis in odium & detestationem turpissimę cuiusdam superstitionis, obscœnæque idololatriæ, quæ ab Ægyptiis orta, per alias deinde gẽtes peruagata est. Fuit enim mos apud nonnullas gentes, magno honore colere effigiem & simulacrum virilis membri; & eos qui festa Dionysij agebant, saltabũdos & cantabundos publice ipsum circumferre. Creditur huius tantæ impietatis & turpitudinis originem fuisse apud Ægyptios: nec id sane creditu non procliue admodum est, de gente scilicet vsque ad rabiem atque insaniam superstitiosa. Legendus est Diodorus Siculus in libro primo, vbi de Osyride scribit à Triphone fratre membratim discerpto: Isidem enim Osiridis mariti necis vltricem, istius superstitionis videtur facere auctorem. Permanauit hæc superstitio in Græciam; & in Cereris Eleusinæ Sacra, non alia re magis quam silentio celebrata, recepta est. Quin etiam in compitis Italiæ refert B. Augustinus libro 8. de Ciuitate DEI cap. 21. scriptorem eius rei citans Varronem, Sacra Liberi tanta esse turpitudinis licentia celebrari solita, vt in eius honorem pudenda virilia colerentur: nec sanè verecundo secreto, sed in propatulo, exultante nequitia. Nam hoc turpe membrum, per Liberi dies festos, cum honore magno, plostellis impositum, prius per rura in compitis, & vsque in vrbem postea vectabatur; idque in oppido Lauinio per eosdem dies, ab honestissima matrefamilias coronabatur; & honesta matrona id facere cogebatur in publico, quod ne meretrix quidem, si matronæ spectarent, facere permitti debuit in theatro. Sic Augustinus.

Vide B. Th. 1.2.q.102.ar. 5. ad primũ. Spurcissima maximeque detestanda Gentilium superstitio. Diodorus.

Verum

Verum mihi super omnia mirandum accidit, spurcissimæ istius superstitionis virus, etiam inuasisse priscam illam Hebræorum gentem, & regales quoque eius populi personas cepisse atque corrupisse. Audiat quæso Lector, quod in libro 3. Regum cap. 15. de Asa rege proditum memoriæ est: *Fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut Dauid pater eius: & abstulit effœminatos de terra, & purgauit vniuersas sordes Idolorum, quæ fecerant patres eius. Insuper & Maacham matrem suam amouit, ne esset princeps in Sacris Priapi, & in luco eius quem consecrauerat; subuertitque specum eius, & confregit simulacrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron.* Quod hic dictum est de matre regis, idem narratur, sed paulo expressius libro secundo Paralipomenon caput 15: *Sed & Maacham matrem,* inquit, *ex augusto deposuit imperio, eo quod fecisset in luco simulacrum Priapi: quod omne contriuit, & in frusta comminuens combussit in Torrente Cedron.* Quoniam igitur sciebat DEVS tantam fore hominum insaniam ac cæcitatem, vt eam partem hominis, in quam statim post Adæ peccatum, iustissimæ indignationis atque vltionis suæ fulmen desæuierat, diuinis honoribus colendam putarent; constituit ipse, vt id membrum, in ipso propemodum hominis ortu, Circumcisionis quasi iniuria quadam deformaretur, suoque ipsum primogenio sanguine fœdaretur.

Locus 3. lib. Regū ca. 15.

Iosephus hanc reddit rationem traditæ Circumcisionis: Voluit, inquit, DEVS corporali hac nota insigniri gentem nostram, quò scilicet manifesto secerneretur & segregaretur à cæteris gentibus, scilicet ne cum illis permixta & confusa, flagitiosos quoque earum mores, fœda instituta, iniquas leges, impias superstitiones, praua æmulatione sequi vellet. Idem sentit Chrysostomus: Vide, ait, sapientiam DEI: cum enim sciret prauas Hebræorum mentes futuras, signum Circumcisionis, quasi frænum quoddam, eis imposuit, ne cum Gentibus commiscerentur. Nam quia sciebat tantam fore eorum lasciuiam, vt licet infinities moniti vt se ab illicitis continerent, non essent tamen obtemperaturi; iniecit eis Circumcisionis signum quasi vinculum quoddam; deditque eis terminos & regulas, vltra quas transire eis non liceret, & in nullo cum gentibus commiscerentur; sed sua gente contenti essent, & ita Patriarchæ semen inconfusum atque incontaminatum maneret, vt sic in eo DEI promissa compleri possent. Hæc B. Chrysostomus.

Iosephus 1. lib. Antiquitatum.

Chrys. homil. 39. in Genesim.

Eadem quoque Theodoreti sententia est: cuius verba hic adscribenda duxi, quod is mihi plene ac distincte, præter alios, eiusmodi causam Circumcisionis declarasse visus est. Quoniam prædixerat DEVS Abrahæ, ait Theodoretus, futuram seminis eius quadringentorum annorum peregrinationem in terra aliena; pietati conseruandæ velut custodiam quandam præmolitus est Circumcisionem: ne posteri Abrahę impiis hominibus permixti macularent paternam nobilitatem, sed in signum illud Circumcisionis intuentes, indebilem eius memoriam, qui talo signum eis dederat, conseruarent. Atque hoc esse verum, testatur

Theodoret. quæst. 67. in Genesim. *Genes. 15.*

testatur Desertum. Nam cum in eo versati essent quadraginta annis, superfluam id temporis existimarunt Circumcisionem: nempe à cæteris gentibus segregati, & seipsos gubernantes. Cum verò postea ingressuri essent terram promissionis, tunc iussit DEVS Iosue circumcidere Hebræum, populum, & ita terræ dominium ei tradere. Erant enim futuri proximi populis alienis, & idcirco indigebant signo, quo distinguerentur ab alienigenis nationibus. Quod si Iudæi gloriantur de Circumcisione, reputent secum non solum Abraham fuisse circumcisum; sed Ismahelem quoque semiseruum, & item seruos omnes Abrahæ tam vernaculos, quàm argyronitas, id est, argento emptos: similiter & Idumæos & quos ex Cethura genuit Abraham, Aegyptij quoque didicerunt ab Hebræis circumcidi. Non igitur Circumcisio iustos reddit: illi enim tanquam impij notantur à diuina Scriptura. Ergo neque Abrahamum Circumcisio iustificauit, sed fides illum iustum declarauit, & illustriorem reddidit virtus: Circumcisio autem tanquam eius fidei & virtutis signum, data est. Hæc Theodoretus.

Psal. 94.

Iosue 1.

Genes. 25

Lactantius libro quarto Diuinarum institutionum, qui est de vera sapientia, non aliam agnoscit, traditque causam institutæ à DEO Circumcionis, nisi figuratiuam, id est, vt figura esset veræ ac salutaris Circumcisionis, qua mens & animus hominis circumcisis omnibus vitiis, resectisque prauis cupiditatibus, pure ac pie DEVM colit, & in virtutum studio atque exercitatione occupatur. Verba Lactantij hæc sunt: Iudaica illa carnis Circumcisio, caret vtique ratione; quia si DEVS id voluisset, sic à principio formasset hominem, vt præputium non haberet. Sed erat illa, huius secundæ Circumcisionis figura: significans nimirum, pectus esse nudandum, id est, aperto & simplici corde oportere nos viuere: quoniam pars illa corporis quæ circumciditur, habet quandam similitudinem cordis, & est pudenda. Ob hanc igitur causam DEVS nudari eam iussit, vt hoc argumento nos admoneret, ne inuolutum pectus haberemus: id autē est, ne quod pudendum facimus, intra cōscientiæ secreta velemus: Hæc est cordis circumcisio, de qua Prophetæ loquuntur, quam DEVS à carne mortali transtulit ad animam, quæ sola mansura est. Volens enim vitæ ac saluti nostræ consulere, pœnitentiam nobis in illa Circumcisione proposuit; vt si cor nudauerimus, id est, si confessi peccata satis DEO fecerimus, veniam consequamur: quæ contumacibus, & admissa sua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem tantum vt homo, sed intima & arcana pectoris intuetur. Sic Lactantius. Cui equidem assentior, carnalem illam circumcisionem figuram fuisse spiritualis circumcisionis, & hanc potius quàm illam esse à DEO spectatam & requisitam. Verum illud mihi non placet, quod nisi hunc, non alium vllum videtur nouisse vsum huius Circumcisionis: cum apertis verbis DEVS hoc loco dixerit, institui à se circumcisionem, vt sit in signum fœderis inter se & Abraham, ac semen eius: & B. Paulus affirmet, Circumcisionem fuisse velut quoddam signaculum fidei ac iustitiæ, quam habuit Abraham priusquam esset circumcisus.

Lactantius.

Ad Ro. 4.

Nec Circumcisionis modo, sed aliorum item legalium sacramẽtorum & cæremoniarum duplicem fuisse constat institutionis causam, tum propter præsentem eius populi disciplinam & regimen, vel ciuile, vel morale vel sacrum, & ad cultum diuinum ei tempori, eorumque hominum statui conuenientem pertinens: tum, vt per quasdam vmbras, imagines, ac figuras, res in Nouo Testamento tradendas & gerendas præmonstrarent atque prædocerent.

Auctoris sententia de multiplici fine vsuque Circumcisionis Iudaïcæ.

17 EGo quoque dicam hoc loco de fine & vsu Circumcisionis, quod legendis Sacris Literis, & Patrum scriptis obseruatum habeo. Ac Circumcisionem quidem institutam esse vt signum foret alicuius rei, ne dubitare quidem fas est: cum manifesta de eo sit, vt proxime ostẽdi, Scripturæ sententia. Sed enim non vnius rei, nec vno modo, sed multarum rerum, ac multiforme signum fuit Circumcisio. Signum autem quinque modis fuisse eam reperio: fuit nempe signum Memoratiuum, Repræsentatiuum, Distinctiuum, Demonstratiuum natiui hominum peccati, simulque curationis eiusdem; ac demum etiam Præfiguratiuum, & hoc dupliciter, tum allegorice, tum tropologice. Hæc enucleate, enodateque in præsens declarare, simul voluptati, simulque vsui ad res multas, adiumẽtoq; futurũ Lectori non dubito. Et vt à primo ordiar, fuit Circumcisio signũ memoratiuũ; id est, perpetuũ quoddã & illustre monimentũ fœderis icti firmatique inter DEVM & Abrahã eiusq; posteros: id enim declarant illa DEI verba: *Circumcidetis carnem præputij vestri; vt sit in signum fœderis inter me & vos.* Illud autẽ fœdus tres continebat diuinas promissiones datas Abrahæ; vnã de multiplicatione seminis eius instar cælestium stellarum & terrestris pulueris; alteram de possessione ac dominio terræ Chanaan posteris eius tradendo; tertiam de Messia ex semine eius generando, cum ei dixit DEVS: *Inte* (siue *in semine tuo*) *benedicentur omnes gentes.* Caietanus certe ob hanc præcipue causam censet esse à DEO institutam Circumcisionem: sic enim scribit; Quare DEVS elegerit hoc signum, & in tali membro, sola DEI libertas est ratio sufficiens. Accommodationes tamen multæ afferri possunt: sed earum tamen præcipua ratio est, quod carnaliter Messias ex genere Abrahæ producendus erat: nisi enim huius mysterij ratio habita fuisset, quilibet character, seu quæuis nota in quacumque corporis parte sufficisset ad distinguendum, & distinctum seruandum tam Abraham, quam omnes posteros eius ab aliis nationibus mundi. Ita Caietanus. Ergo illius fœderis, & illarum promissionũ voluit DEVS monimentum quoddam esse Circumcisionem, vt eius aspectu & admo

Variarum rerum signum quinque modis fuit Circumcisio.

Quomodo fuerit signũ memoratiuum.

Genes. 12. & 22.

Caietanus in cap. 17. Geneseos.

admonitu, reputarent secum Hebræi, quænam ipsis bona daturum se DEVS recepisset, & quam ipsos vicissim DEO fidem, pietatem, atque obedientiam præstare oporteret.

18 FVIT item Circumcisio signum Repræsentatiuum. At cuius rei? Excellentis nempe ac perfectæ fidei quæ præfulsit in Abraham. Hæc autem fides tribus præcipue in rebus mirabiliter enituit: primo quidem in derelinquenda patria, cognatis, & amicis, & in proficiscendo longinquam in terram, sibique extraneam atque ignotam. Hanc fidem valde commendat Paulus: *Fide*, inquit, *Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem; & exijt nescius quò iret.* Tum eluxit fides eius in credendo promittenti sibi DEO multiplicationem seminis instar stellarum; cui fidei magnificum testimonium & præconium perhibuit Moses cum dixit: *Credidit Abram* DEO, *& reputatum est illi ad iustitiam.* Verum magnitudo & præstantia fidei eius clarissime spectata, declarataque est in eius paratissima & promptissima voluntate immolandi DEO filium suum vnigenitum Isaac. De qua fide mirandum in modum laudat eum B. Paulus, hunc in modum scribens: *Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur; & vnigenitum offerebat, in quo susceperat repromissiones, arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est* DEVS: *vnde eum & in parabolam accepit.* Recte igitur Paulus dixit, Abraham accepisse signum Circumcisionis, signaculũ iustitiæ fidei in præputio. Signum, inquit, Circumcisionis, id est, accepit Circumcisionem, quæ data est ei vt esset signum: siquidẽ alludit Paulus ad id quod scriptum est hoc loco: *Circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos.* Sed quid sibi vult quod mox adiungit Paulus: *Signaculum iustitiæ fidei?* Sciat Lector, pro duabus illis vocibus Latinis, signum, & signaculum, duas item esse Græcas voces eo loco σημεῖον, Latine signum, quo aliud quid indicatur & declaratur: vnde verbum σημαίνω, quòd Latinus interpres vertere solet significo. Altera vox Græca, quam noster interpres reddidit signaculum, est, σφραγὶς. significans notam impressam alicui rei, cuiusmodi est, cum impresso sigillo aliquid signamus, quo sit ad tempus aliquod, sepositum & reconditum, atque in tempore promendum; vel quo magis eo signo testatum id, certum, firmumque faciamus. Hinc natum est verbum σφραγίζω, quod Latinus interpres reddit signare vel obsignare: vnde sunt illa, signare sermones, signare prophetiam, liber signatus, & signare seruos DEI in frontibus eorum. Et quidem potest aliquid esse signum, quod non sit signaculum, vt est pictura & statua: sed non contra; velut annuli Symbolum affixum syngraphæ, & signum est, & signaculum.

Sed redeamus ad Paulum & videamus cur Circumcisio dicta ab eo sit signaculum iustitiæ fidei. Origenes spectans officium sigilli, quod est claudere seu velare, propterea Circumcisionem signaculum fidei dictam esse à Paulo interpretatus est, quòd illa obsignaret & clauderet ad tempus iustitiam fidei, quæ suo tempore, aduenientе scilicet CHRISTO, retegenda & declaranda esset. Theophylactus porrò attendens

Circũcisio signum Repræsentatiuum fidei Abrahæ.

Genes. 12. *Ad Hebr.* 11.

Genes. 15.

Infra 22. *Ad Hebr.* 11.

Locus Pauli ad Rom. 4.

Genes 17.

Isa. 29. *Ap.* 5. & 7. & *Daniel.* 12.

Origenes in cap. 4. Epistolæ ad Romanos. Theophyl. in eundẽ locum Pauli.

vim & vsum signaculi, auctoritatem & fidem addendi iis rebus quæ signantur, propterea dictam esse Circumcisionem putat signaculum fidei, quod ea vsus sit DEVS tanquam sigillo, quo iustitiam Abrahæ obsignaret, & vt certissimam atque verissimam, sibique acceptissimam testificaretur. Illud, *Iustitiæ fidei*, idem sonat, ac iustitiæ per fidem perfectam comparatæ; vel, quam fides præ se tulit & declarauit. Hic enim haud dubie Paulus spectauit ad illud Mosis Genes. 15. *Credidit Abram* DEO; *& reputatum est illi ad iustitiam.* Illud, *in præputio*, significat, cum adhuc præputiatus esset, & nec dum Circumcisionis legem accepisset. Sed enim quærat aliquis, cum DEVS dixerit Genes. 17. Circumcisionem esse signum fœderis inter ipsum & Abraham; quo modo Paulus dixerit, eam fuisse signaculum iustitiæ fidei? Ad hoc ita respondet Caietanus: Non dissentit Paulus scribens ad Romanos 4. Abraham accepisse Circumcisionem signum iustitiæ fidei: quoniam sententia eodem redit. Paria siquidem sunt, signum esse diuini fœderis, suscepti proculdubio per fidem, qua tunc Abraham credidit DEO, & imputatum est illi ad iustitiam; atque, esse signum iustitiæ fidei; de dicta enim fide & iustitia loquitur ibi Paulus. Ergo quia propter excellentem fidem Abrahæ, fœdus illud cum eo DEVS fecit, eandem planè sententiam habet, vocari Circumcisionem signum diuini fœderis, atque signaculum iustitiæ fidei.

Caietanus in cap. 17. Genesis.

Hinc apparet, quemadmodum Circumcisio in veteri Testamento 19
vim habuerit delendi peccatum, & iustificandi hominem: non sane virtute ac potestate sua, etiam instrumentali, vti habet Baptismus in Nouo Testamento; sed propter solam fidem in ipsa Circumcisione inclusam, & quasi obsignatam; quam scilicet fidem recte profitebantur & testificabantur quicumque ritu illo Circumcisionis per id tempus initiabantur. Audiat Lector ad hanc sententiam, quod aptissime verissimeque dixit B. Thomas: In Circumcisione, inquit, conferebatur gratia, non ex virtute Circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis CHRISTI, cuius signum erat Circumcisio: ita scilicet, quod homo accipiens Circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro paruulis. Vnde & Apostolus dicit ad Romanos 4. quod Abraham accepit signum Circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei; quia scilicet iustitia erat ex fide significata, non ex Circumcisione significante. Quoniam autem Baptismus operatur instrumentaliter in virtute passionis CHRISTI, non autem Circumcisio; ideo Baptismus imprimit Characterem incorporantem hominem CHRISTO, & copiosiorem gratiam confert quam Circumcisio: maior enim est effectus rei iam præsentis, quam spei. Hæc B. Thomas.

B. Thomas 3. par. quæstio. 70. art. 4.

Circumcisio signũ distinctiuum.

SIGNVM præterea fuit Circumcisio distinctiuum: Hebræi quippe ea corporis nota insigniti, discernebantur à cęteris gentibus. Itaque vt Græci alias omnes gentes, quas præ se despiciebant, per contemptum & contumeliam vocabant Barbaras: sic Iudæi aliarum omnium nationum homines, quasi probroso & contumelioso vocabulo, appellabant incir

incircumcisos. Verum ea religio atque vsus Circumcisionis intra solam Hebræorum gentem haud quaquam mansit; sed permanauit ad alias quoque gentes, non solum eadem sanguinis origine iunctas Hebræis, vt Ismahelitas, Idumęos, & Madianitas; sed extraneas prorsus atque alienas, vt Aegyptios, Aethiopas, & Colchos. Testem huius rei laudare possum Herodotum, qui de Circumcisione Aegyptiorum ad hunc modum loquitur: Virilia circumcidunt munditiæ gratia, pluris facientes se mundos esse, quàm decoros: quam ob rem sacerdotes quolibet die totum corpus radunt, ne quid eis, dum in cultu Deorum administrando occupantur, aut pediculorum, aut alterius sordis creetur. Idem alio loco eiusdem libri, hoc ipsum retractans, pluribus verbis exponit, ita scribens: Soli omnium hominum Colchi, & Aegyptij, & Aethiopes, ab initio statim pudenda circumcidunt. Nam & Phœnices, & Syri qui sunt in Palæstina, didicisse id se ab Aegyptiis, etiam ipsi confitentur. Syri verò qui fluuium Thermodontem & Parthenium accolunt, & horum contermini Macrones, à Colchis didicisse se aiunt. Hi enim ex hominibus soli sunt, qui circumciduntur, & in hoc faciendo agnoscuntur Aegiptij esse. De Aegyptiis autem & Aethiopibus non queo dicere, vtri ab vtris didicerint; id enim videtur apud vtrosque per antiquum. Sed quod ex Aegypto, qui illic commercium habuerunt, cum morem didicerint, magnum mihi fit hoc testimonium, quod ij Phœnices qui cum Græcia consuetudinem habent, Aegyptiacum morem Circumcisionis minime seruant. Sic Herodotus.

Quę gentes præter Hebręos, ritum circũcidendi vsurpauerint.

Herodotus lib. 2.

Sed Herodotum erasse in eo quod scribit de origine Circumcisionis, etiam me non dicente, intelligens Lector aduertisset. Putat Herodotus, primos omnium Aegyptios ritum Circumcisionis vsurpasse, & ab illis didicisse & accepisse Palæstinos, id est, Iudæos: cum perspicuum sit, priusquam Circumcisionis præceptum Abrahæ datum esset à DEO, nusquam gentium fuisse in more Circumcisionem; sed eius vsum peruenisse ad Aegyptios ex Hebræis, qui plus ducentos annos continuos conuersati sunt cum Aegyptiis. Cæterum quanti honoris ac venerationis fuerit apud Aegyptios, ritus hic Circumcisionis, illud indicio est, quod apud eos nemini ad supremos honores & honoratissima munera aperiebatur aditus, qui Circumcisionis insigni quasi decoratus non esset. Fiet hoc illustrius, simulque credibilius, si quæ ad hanc sententiam prodidit Origenes, hic apposuero. Eius autem verba ex libro 2. Commentariorum in Epistolam ad Romanos, hæc sunt: apud Aegyptios, qui in superstitionibus vetustissimi & eruditissimi habebantur, & à quibus cęteri prope omnes ritum sacrorũ, & cæremonias mutuati sunt, nullus aut Geometriæ, aut Astrologiæ studebat, aut Geneseos secreta rimabatur, nisi circumcisus esset. Nemo item apud illos sacerdos esse poterat, neque Aruspex, neque quorumlibet sacrorum minister, nec, vt illi appellabant, propheta, nisi antea Circumcisione, quasi purgatus atque initiatus fuisset. Omnes Hierophantes, omnesque vates, atque omnis siue cæli (vt putabant illi) siue Inferni mystes &

Animaduersio in Herodotum.

Quanto in honore apud Aegyptios, fuerit Circũcisio, Origene.

Origenes.

conscius, nullam apud eos fidem & auctoritatem habet, nulloque in honore est, si hoc careat Circumcisionis insigni. Sic Origenes.

Circumcisione fuisse signũ peccati originalis & curationis eius demõstratiuũ. *Psal.50. Iob.25.* Vt citatur à Patribus ex translatione 70. *Ad Eph.2.*

VERVM illa fuit præcipua Circumcisionis commendatio, & virtutis præstantia, quod communis omnium hominum & natiui morbi, ac curationis eius simul demonstratiuum signum fuerit. Is autem morbus, est peccatum originale, à primo omnium hominum parente Adamo tractum, & per naturalem generationem atque propagationem à parentibus, ineuitabili contagione, transfusum ad filios. Quod genus peccati significauit B. Dauid, cum dixit se conceptum esse in iniquitatibus, & cum peccatis generatum esse in vtero matris suæ. Idemque indicauit Iob affirmans, neminem in terris viuere mundum à sordibus peccati, ne infantem quidem, cuius vnius diei vita sit super terram. Quam ob rem magna Paulus asseueratione dixit, omnes homines natura esse filios iræ. Huius igitur peccati indicium faciebat Circumcisio: siquidem resecans aliquid de parte illa corporis nostri, non obscure significabat, aliquod inibi esse vitium indigens curatione; quo scilicet non amputato, etiam recens in lucem editus, morbosus esset, & nisi curaretur, obnoxius morti. Enimuerò peccati originalis effectus, fuit inordinatio concupiscentiæ, & carnis rebellio aduersus spiritum, quæ in ea parte corporis cui Circumcisio adhibebatur, vehementius flagrat & sæuit. 21

In circumcisione olim rite susceptа, remittebatur peccatum Originale.

In Circumcisione autem remissum ac deletum esse peccatum Originale, doctrina est & sententia communis Theologorum, à B. Augustino, Gregorio, Beda, aliisque nobilibus & claris Doctoribus tradita, & à posterioribus Theologis magno assensu consensuque approbata. Beatus sane Augustinus non vno loco docet, quam vim habet, effectumque Baptismus in populo Christiano purgandi hominem à peccato, & iustificandi, ac demum spiritualiter regenerandi; similem habuisse posteros Abrahæ per Circumcisionem. Idque probat ille ex illis verbis DEI, *Masculus cuius præputij caro octauo die circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo meo; quia irritum fecit pactum meum.* Deleri animam de populo DEI, non est aliud nisi à DEI & sanctorum societate & consortio excludi: id autem non fit nisi propter peccatum; quod sanè nullum in ætate infantili esse potuit, nisi originale. Idque declaratum est illis verbis: *Quia irritum fecit pactum meum.* Illud scilicet pactum quod DEVS ab initio fecerat cum Adamo, cum ei dixit; *In quacumque die comederis ex ligno scientiæ boni & mali, morte morieris.* Hoc pactum præuaricante tunc Adamo, id ipsum simul omnes posteri præuaricati sunt, & in ipso peccante, etiam ipsi peccauerunt. Hoc igitur peccatum fert secum infans ex vtero matris: quod quia non aliter in posteris Abrahæ, nisi in circumcisione tollebatur, hinc apparet verissime dictum, animam infantis qui circumcisus non foret, deletum iri de populo DEI.

Genes.17

Genes.2.

S. Augustinus.

Hæc est B. Augustini argumentatio, quam tractat ille libro decimo sexto de Ciuitate DEI capite 27. & libr. 2. de Nuptiis & concupiscentia ad Valerium Comitem capite 11. vbi sic ait: Ex quo instituta est Circum

Circumcisio in populo DEI, quod erat tunc signaculum iustitiæ fidei; ad significationem purgationis valebat paruulis Originalis veterisque peccati, sicut & Baptismus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo est institutus. Non quod ante Circumcisionem iustitia fidei nulla esset; quippe cum adhuc incircumcisus, ex fide iustificatus fuerit ipse Abraham: sed quod superioribus temporibus non fuit sacramentum aliquod iustificationis ex fide. Eadem tamen fides Mediatoris, saluos faciebat iustos illos antiquos, pusillos cum magnis: nõ autem vetus Testamentum quod in seruitutem generat, non lex Mosis quæ viuificare non poterat, sed gratia DEI per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum. Quia sicut nos credimus CHRISTVM venisse in carne, mortuum esse, & resurrexisse: ita illi eum venturum, moriturum, & resurrecturum crediderunt. Sic eo loci Augustinus. Qui cum ait Circumcisionem valuisse nõ ad regenerationem & renouationem hominis sicut valet Baptismus, sed ad significationem eius, non negat in Circumcisione deletum fuisse peccatum, & datam homini gratiam: verum significat, id non esse factum virtute Circumcisionis, sed eius fidei ac iustitiæ quam significabat Circumcisio, & quam sacramentaliter profitebatur qui Circumcisionem accipiebat. Huc spectauit Augustinus, cum alio loco dixit, sanctos illos patres veteris Testamenti, & Circumcisionem carnis habuisse propter signaculum fidei; & Circumcisionem cordis propter ipsam fidem.

August. in Præfatione in Psalmum 75.

22 Huic doctrinæ ac sententiæ Augustini plane subscripsit etiam B. Gregorius: cuius ex libro 2. Commentariorum in Iob hæc sunt verba; Quisquis regenerationis vnda non soluitur, reatus primi vinculis ligatus tenetur. Quod vero apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro iis qui ex stirpe Abrahę prodierant, mysterium Circumcisionis. Ab horum patrum vestigiis (quos sequi fere solet) minime recessit Beda: cuius quæ præsenti disputationi non paruam lucem fidemque addere possit, hisce verbis exposita est sententia: Ritus & religio Circumcisionis à B. Abraham sumpsit exordium; qui cum positus adhuc in præputio, perfecte DEO credidisset, reputatumque ei esset ad iustitiam, signum accepit Circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ fuerat in præputio. A quo etiam, vt die Circumcisionis, nomen paruulis aptaretur, exortum est. Quia & ipse cum testamentum Circumcisionis acciperet, cadẽ die cum sua coniuge nominis argumentum promeruit: vt qui eatenus Abram, id est, Pater excelsus vocabatur, deinceps ob meritum fidei, Abraham, id est, Pater multarum gentium nuncuparetur. Erat autẽ Circumcisionis typus & figura multiformis. Nam & signaculum fuit, vt dictum est, iustitiæ fidei ipsi Abrahæ & semini eius; & indicium purgandi eos qui ad hoc semen fidemque pertinerent ab omni inquinamẽto carnis & spiritus; & prophetia nascituri de hoc semine saluatoris, qui homines in presenti per baptismũ ab omni mortiferę actionis pollutione mũdaret, & in futurũ per resurrectionẽ

B. Gregorius.

Beda in 1. caput Lucæ.

ab

ab vniuersa mortis ipsius corruptione in perpetuum liberaret; & præcipue donum signabat remissionis, quod solueret à peccato præuaricationis Adæ: quod donum per huiusmodi Circuncisionem eo tempore ministrari, eidem gratiæ legisque latori DEO complacuit. Qui enim nunc dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*: ipse tunc dicebat: *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Non pactum vtique Circumcisionis, quod non infans qui discernere necdum valuit, verum Maiores eius qui id seruare nouerant, poterant, debuerant, irritum fecerunt. Sed illud significatur pactum quod cum primo homine DEVS iniit; quodque omnis qui vel vnius diei vitam gessit in terra, præuaricatus esse conuincitur, atque ideo remedio salutis aliquo opus habere non ignoratur. Nam qui vel ante tempora Circumcisionis, vel etiam post datam Circumcisionem, de exteris gentibus extitere fideles, vt exemplar patientiæ Iob, & amici liberique illius, siue victimis hostiarum se suosque ab Originali paccato, seu certe sola fide saluabat, quia *Iustus ex fide viuit*; &, *sine fide impossibile est placere* DEO. Hæc Beda.

Ioan. 3.

Genes. 2.

23 AD vltimum, illa quoque fuit, nec in postremis ratio, instituendæ ac præcipiendæ Circumcisionis, vt esset vtique signum figuratiuum rerum, quàm erat ipsa, longe nobiliorum atque meliorum, quę scilicet res per CHRISTVM conditorem Noui Testamenti gerendæ ac præstandæ erant: signum autem figuratiuum Circumcisio fuit dupliciter, tum allegorice, tum tropologice siue moraliter. Ac signum quidem allegoricum fuit Christiani baptismi. Quemadmodum enim per Circumcisionem detrahebatur quædam carnalis pellicula; ita per Baptismum exuimur ac nudamur carnali conuersatione. Et hoc quidem ex B. Paulo didicimus: *In* CHRISTO, inquit, *circumcisi estis circumcisione nõ manufacta in expoliatione corporis carnis: sed in circũcisione* CHRISTI, *consepulti ei in Baptismo.* Verum analogica hæc similitudo Circumcisionis & Baptismi, quatuor in rebus liquido cernitur. Primo quidem Baptismus vocatur Sacramentũ fidei, quod in Baptismo quædam fiat professio fidei, & per Baptismum aggregetut homo ad Ecclesiam fidelium. Eadem porrò fides nostra est atque illorum veterum patrum, sicut Apostolus ait: *Habentes eundum spiritum fidei, vt scriptum est; Credidi propter quod locutus sum: & nos credimus propter quod & loquimur.* Consimiliter quoque Circumcisio erat quędam protestatio fidei; quamobrem Paulus dixit fuisse eam quasi signaculum iustitiæ fidei & item, per Circumcisionem fiebat hominis aggregatio & adscriptio ad populum DEI, societatemque fidelium. Quapropter scite dictũ est à Theologis, Circumcisionem fuisse non modo præfiguratricem Baptismi, verum etiam præparatricem hominum ad suscipiendum Baptismum. Deinde vtrumque Sacramentum fuit primum, & initiatiuum religionis; per quod scilicet fiebant capaces cęterorum sacrorum, & compores ac participes diuinorum promissorum. Prętera vt Circũcisio erat in Veteri Testamento signum

Circumcisionem dupliciter fuisse signum figuratiũ.

Ad Colos. 2.

Quadruplex similitudo Circũcisionis & Baptismi.

2. ad Cor. 4.

Psal. 115.

Ad Ro. 4.

signum distinctiuum populi fidelis ab infideli: sic est in Nouo Testamento Baptismus. Adhæc, sicut per Circumcisionem efficiebantur subiecti iurisdictioni ac potestati Synagogæ; ita nunc per Baptismum quisque fit subiectus Ecclesiæ. Ad postremum, in vtroque Sacramenti fiebat remissio peccati Originalis, & diuinæ gratiæ infusio.

Verum tripliciter præstat Baptismus Circumcisione, facilitate, vniuersalitate, & efficacitate. Facilitate, quia caret acerbitate illa cruciatus corporis, & dolore quem ferebat Circumcisio. Vniuersalitate, quantum ad tempus, ad sexum, ad obligationem. Etenim Baptismus quolibet tempore percipi potest, nec octauum ab ortu infantis diem, vt in Circumcisione, expectari oportet. Baptismus item communis est virorum & fœminarum, nec vni tantum virili sexui, vt Circumcisio, assignatus. Baptismus præterea non vnam tantum gentem Hebræorum, vt Circumcisio; sed omnes mundi gentes, præsentes, futurasque vsque ad consummationem seculi, complectitur & obligat: sic enim Dominus noster præcepit Apostolis: *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine* PATRIS, & FILII & SPIRITVS *Sancti.* Efficacitate demum longe præstantior est Baptismus Circumcisione: namque ille Characterem in anima imprimit indelebilem: hominemque omni culpa pœnaque prorsus absoluit: aperit item ianuam cæli, aditum præbens homini ad immortalem & beatam vitam, nec solum significat & denotat gratiam quæ datur homini; sed eam quoque efficit, vt instrumentum scilicet ad id præstandum mirabiliter assumptum à DEO.

Triplici nomine Baptismus præstãtior Circunsione.

Matth. vlt.

1. ad Cor. 10.

24 Cęterum nonnullus fortasse, opponet nobis sententiam B. Pauli, qui figuram Baptismi non Circumcisionem facit, sed columnam nubis & ignis, & Mare Rubrum. *Nolo vos*, inquit, *ignorare fratres, quoniam patres nostri, omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari.* B. autem Petrus Arcam Noe & Diluuiũ imaginem quandam fuisse ait Christiani baptismi. Nam cum dixisset, in Arca Noe paucos, id est, octo animas tantùm saluas esse factas per aquam, adiungit; *Quod & nos nunc similis formæ saluos facit baptisma.* Sed respondendum est, quantum ad exteriora quædam & conspicua omnibus, notabiliorem Baptismi similitudinem gessisse columnam nubis, & Mare rubrum, atque Arcam Noe, quàm Circumcisionem. Siquidem in Baptismo renascimur ex aqua significata per Mare Rubrum & Diluuium, atque ex SPIRITV Sancto, quem adumbrauit columna nubis. At enim, Circumcisio pluribus atque insignioribus rebus, quas paulo ante indicaui, præfigurauit Baptismum: præsertim autem quantum ad interiorem & spiritualem effectum, remissionem dico peccati originalis, recisionem vitiosarum cupiditatum, & repressionem ac debilitationem concupiscentiæ, nec non professionem fidei, & obligationem ad vniuersæ legis obseruationem: propter quas res Circumcisio nõ modo fuit figura, vt superiora illa, sed insuper Sacramentum quoddam præparatorium ad Baptismum.

Vtrum colũna nubis, & Mare rubrũ expressiorem figuram Baptismi gesserint, quam Circũcisio.

1. Petr. 3.

25 DIXIMVS supra, Circumcisionem fuisse signum figuratiuum tam

allegoricum, quàm tropologicum: & quemadmodum fuerit allegoricum, iam dictum est; ostendamus deinceps qualiter fuerit signum tropologicum seu morale. Nimirum fuit Circumcisio illa carnalis, figura Circumcisionis moralis & spiritualis: quam scilicet potius quàm illam carnalem, etiam in Veteri Testamento requirebat DEVS, & ad eam ipsos etiam Iudæos impensius hortabatur atque incitabat. Verum id genus Circumcisionis præcipue in Nouo testamento vsurpatum, celebratumque fuit. Ponam hic verba Irenæi quæ ad hanc sententiam scripta ab eo sunt libro 4. aduersus Hæreses cap. 30. Quod autem Circumcisionem, ait ille, non quasi consummatricem iustitiæ, sed in signum dederit eam DEVS, vt cognoscibile perseueret genus Abrahæ, ex ipsa Scriptura discimus. Dixit enim DEVS ad Abraham: *Circumcidetis carnem præputij vestri, & erit in signum testamenti inter me & vos.* In signum igitur data est Circumcisio; non autem sine symbolo erat signum, id est, sine argumento; neque erat otiosa, vt quæ à sapiente artifice daretur: sed illa secundum carnem Circumcisio præfigurabat spiritualem. *Etenim nos*, ait Paulus, *circumcisi sumus circumcisione non manu facta.* Et Propheta ait; *Circumcidite duritiam cordis vestri.* Quod autem non per Circumcisionem iustificabatur homo, sed in signum data est populo, clarum fuit indicium ipse Abraham, qui ante Circumcisionem iustificatus, & amicus DEI reputatus est. DEO item placens Noe, cum esset incircumcisus, accepit mensuras mundi secundū generationes. Henoch etiam sine Circumcisione placens DEO, cum esset homo, DEI legatione ad Angelos fungebatur: & ipse translatus est, & conseruatur vsque nūc testis iusti iudicij DEI: Quoniam Angeli transgressi deciderunt in iudicium, homo autem placens DEO translatus est in salutem. Hactenus ex Irenæo. Hæc spiritualis Circumcisio, etiam in Lege Mosis, & in populo Iudaico, non solum illi carnali prælata est, verum summis laudibus celebrata, & vt quæ DEO apprime grata esset, vnice commendata hominibus. Audi Mosem in Deuteronomio: *Circumcidite*, inquit, *præputium cordis vestri, & ceruicem vestram ne induretis amplius. DEVM tuum timebis, ei soli seruies, ipsi adhærebis, iurabisque in nomine illius: ipse laus tua & DEVS tuus. Circumcidet Dominus DEVS tuus cor tuum, & cor seminis tui: vt diligas Dominum DEVM tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere.*

B. Irenæus.

Coloss. 3. Deut. 10. & 30.

Genes. 15.

Genes. 6.

Genes. 5.

Deut. 10. & 30.

Est igitur Circumcisio spiritualis, non modo vitiorum omnium remotio, sed inanium ac superfluarum cupiditatum abscissio cum pietate, amore, & obseruantia erga DEVM coniuncta. Huiusmodi prædicans Circumcisionem Paulus, *Non*, inquit, *qui in manifesto Iudæus est, neque quæ in manifesto in carne est Circumcisio: sed qui in abscondito Iudæus est, & Circumcisio cordis in spiritu, non in litera; cuius laus non ex hominibus, sed ex DEO est.* Et alio loco: *Nos sumus Circumcisio, qui spiritu seruimus DEO, & gloriamur in CHRISTO IESV, & non in carne fiduciam habemus.* Idem breuissimis, sed appositissimis verbis expressit huius generis Circumcisionem, cum dixit: *Apparuit gratia DEI & Saluatoris nostri omnibus hominibus: erudiens nos, vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie & iuste, & pie viuamus in hoc sæculo.* Verum ante omnes, Circumcisionē hanc prædicauit Saluator noster, & in ea summam esse ostendit Euangelicę perfectionis, cum dicebat: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes & da pauperibus: & veni, sequere me.* Et rursus: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucē, & sequatur me.*

Ad Rom. 2.

Ad Phil. 3.

Ad Titum 2.

Matt. 19. Supra 16.

26 Per hanc præcipue Circumcisionem anima nostra fit CHRISTI sponsa, eique intimo amoris & deuotionis sensu copulatur. Quam rem in Deuteronomio quasi præsignatam & præfiguratam esse, non incuriosus Lector, facile animaduertet. Illic enim scriptum est, iussisse DEVM, si ex Hebræis quispiam, pulchram mulierem bello captam adamaret, & sibi iungi cuperet matrimonio, radi prius cęsariem eius, & circumcidi vngues, & deponi vestem in qua capta fuerat; sedereque eam domi, & per vnum mensem flere patrem & matrem suam: atque his peractis, in vxorem assumi. Sic ibi. Quibus verbis tria significantur, quibus graphice depingitur vis & ratio spiritualis circumcisionis. Quorum vnum, est abdicatio bonorum temporalium, rerumque terrenarum superuacui amoris & curę abiectio: quam rem denotabat illius mulieris capillorum & vngium abscissio. Alterum est, spoliatio veteris hominis, & prioris mundanæ vanæque conuersationis depositio: idque denotatum est detractione vestis, quam habuit mulier illa cum capta est. Tertium est, perfecta renuntiatio omnium rerum, qua patri etiam atque matri renunciare iubemur si ad consummatæ virtutis culmen peruenire, CHRISTVMque Dominum perfecte sequi ac imitari cupimus. Hoc sanè adumbrabat fletus illius mulieris planctusque super patre ac matre sua. Hos enim, si CHRISTI gloria, & animi nostri salus ita postulet, nihil curare, atque vt iam mortuos nobis, habere oportet. Quod etiam Dauid præcepit: *Obliuiscere*, inquiens, *populum tuum & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum.*

Pulchra figura spiritualis circūcisionis. *Deut. 21.*

Psal. 44.

SECVNDA DISPVTATIO.

An recte post latam & publicatam legem Euangelicam, omissa sit Circumcisionis illius carnalis obseruatio & vsus super illis DEI verbis:

Erit pactum hoc meum in carne vestra in fœdus æternum. *Versu* XIII.

27 SI pactum & præceptum Circumcisionis futurum erat ęternum, vt hisce verbis declarauit DEVS; ergo circumcisionis obseruationem atque vsum in omne tempus durare, ac sempiternum esse oportuit. Cur igitur nos Christiani, qui veros Abrahæ filios esse

nos, veroſque promiſſorum & benedictionum eius hęredes, non minus vere, quàm glorioſe prædicamus, vſum Circumciſionis, hoc tempore negamus eſſe. neceſſarium? Immo verò, ſuperuacuam eſſe nunc Circumciſionem, atque adeo perniciosam fore dicimus: ſecuti haud dubie Pauli ſententiam; qui magna nobis eduxit auctoritate & aſſeueratione: *Ecce ego Paulus dico vobis: Si circũcidamini,* CHRISTVS *vobis nihil proderit.* Atque hæc quidem eſt ſolennis exprobratio, qua Iudæi Chriſtianos homines inceſſunt & vrgent. Verum ea profecto leuis admodum & infirma ac prorſus nihili eſt.

Ad Galat. 5.

Probatur Circũciſionem fore abolendã, vbi Chriſtus in mundũ veniſſet. 1. Ratio.

Enimuero, Circumciſionem aliquando tandem ceſſaturam fuiſſe, nempe vbi CHRISTVS legem Euangelicam tuliſſet, & gratiam Noui Teſtamenti mundo aperuiſſet atque impertiuiſſet, facile probari huiuſcemodi rationibus & perſuaderi poſſet. Principio, data eſt olim Circumciſio vt eſſet ſignum diſtinctiuum populi fidelis ab infideli; ne cum aliis gentibus impiis mixtus & confuſus, ſincerum purumque atque illibatum DEI cultum ac religionem non cuſtodiret. Atqui vſus hic circumciſionis, plane ceſſare debuit, allata & publicata lege Euangelica. Ea quippe lex non vni modo genti, ſed vniuerſis mundi nationibus, populis, & gentibus lata eſt: ſic enim CHRISTVS mandauit Apoſtolis: *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Nimirum hoc tempore Noui Teſtamenti, nulla erat futura diſtinctio apud DEVM, Iudæi & Græci: quippe qui vult hoc tempore omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Pulchre hoc declarat Chryſoſtomus: Ingrati, ait, & inſenſati Iudæi, etiam hoc tempore circumciſionem obſeruare volunt, puerilemque ſuam oſtentant mentem. Nam cuius, obſecro, rei gratia circumcidi volunt? tunc enim, & vt impiis gentibus ne commiſcerent ſe, hoc in mandatis acceperunt: nunc autem cum beneficio veritatis, omnes gentes ad lucem adductæ ſunt, ecquis erit Circumciſionis vſus? Nonne audierunt manifeſte DEVM dicentem: *Et erit in ſignum teſtamenti*, quaſi demonſtrantem propter magnam ipſorum inſipientiam, tali ſigno indiguiſſe. Ita enim & in humanis rebus nonnunquam fieri ſolet. Siquidem cum non admodum credimus alicui, volumus ab eo ſignum aliquod, quaſi pignoris loco accipere. Similiter DEVS ſciens Hebræorum inconſtantes animos, & propenſas ad malum voluntates, ſignum ab eis Circumciſionis exegit: non vt tale ſignum perpetuo maneat, ſed, vt quando ſignata finem acciperent, vnà quoque ſigni vſus tolleretur. Nam ſicut qui ſignum accipiunt, peragendi negocij cuiuſpiam cauſa, vbi negocium perfectum eſt, tunc & ſignum tollunt: ita quoque cum populum DEI ab omnibus aliis gentibus diſcerni & diſtingui vſus fuit, tali ſigno ſeparari eum & internoſci ab aliis conueniens erat. At vero cum talis diſtinctio ſublata eſt, CHRISTO ſimul Iudæos, & gentes omnes vnum in ouile atque vnum in populum congregante; quis non videt ſuperuacuum & plane nullum fore circumciſionis vſum? Hoc modo Chryſoſtomus.

Marc. vlt.

Rom. 1. & 2.

1. ad Tim. 2.

Chryſoſt. homil. 39. in Geneſim.

Præterea,

28 Præterea, DEVS ipſe aperte oſtendit, propterea ſe circumciſionem dediſſe, vt ſignum eſſet fœderis ſui cum Abraham & poſteris eius. Manſura igitur erat tantiſper circumciſio, dum primum illud vetuſque DEI pactum permaneret. At vetus illud DEI pactum, antiquandum erat nouo alio pacto, ſcilicet multo præſtantiori, allato. Quare circumciſionem quoque ſimiliter aboleri ac deſinere conueniens fuit. Abolitionem porrò Veteris Teſtamenti ac fœderis, adducto nouo Euangelij fœdere, demonſtrat & confirmat Paulus auctoritate Hieremiæ, qui DEVM hiſce verbis loquentem inducit: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſrael & ſuper domum Iuda teſtamentum nouũ, non ſecundum teſtamentum quod feci patribus eorum. Quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos. Hoc autem eſt teſtamentum quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos: dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas: & ero eis in* DEVM, *& ipſi erunt mihi in populum.* Hæc Hieremiæ verba, quà de Nouo Teſtamento dictum eſt, interpretans Paulus, *Dicendo*, inquit, *nouum, inueterauit prius. Quod autem antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt.*

2. Ratio.

Ad Heb. 8.

Hiere. 31.

29 Ad hæc, circumciſio fuit quaſi teſtimonium quoddam naturale ac perpetuum de futuro Meſſiæ aduentu qui promiſſus fuerat Abrahæ, & vniuerſo mundo, cum ei dixit DEVS: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Siquidem ob eam quoque cauſam, in genitali parte corporis circumciſio fieri iuſſa eſt, quòd per carnalem generationem, Meſſias generandus eſſet ex ſemine Abraham. Ergo vbi venit Meſſias, ſuperuacanea vtique & inconueniens fuit circumciſionis obſeruatio: immo verò ſignum fuiſſet fallax, & in errorem inducens; vt pote ſignificans venturum Meſſiã, qui iam venit. Similiter igitur factum eſt de circunciſione, vt de ſyngrapha quapiam vel chirographo, quo promiſſum aliquod, ſiue debitum conſignatum eſt: quod ſimul perſolutum fuerit, ſcriptura illa concerpitur, aut deletur.

3. Ratio.

Geneſ. 22.

30 Beatus porro Paulus in Epiſtola ad Hebræos capite ſeptimo, auctoritate Dauidis, qui Pſalmo 109. Meſſiam dixit Sacerdotem fore in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec, probat Aaronicum ſacerdotium in Chriſtianum ſacerdotium, quod Melchiſedechiano præfiguratum fuerat, mutatum iri. Ex quo item argumentatur, legem quoque Moſis mutari oportuiſſe: *Quia tranſlato*, inquit, *ſacerdotio, neceſſe eſt, vt & trãſlatio legis fiat.* Si autem ſacerdotium & lex vetus deſitura erant vbi veniſſet Meſſias; atque in eorum locum nobilius quoddam ſacerdotium, præſtantiorque lex ſucceſſura erant: perſpicuum eſt, vna quoque deſitura fuiſſe ſacramenta & ſacrificia Veteris Teſtamenti ac legis Moſaicæ: atque in primis circumciſionem, quæ inter illa facile principem locum tenebat, maximeque propria erat Veteris Teſtamenti. Quemadmodum igitur ſacerdotium Aaronicum mutatum eſt in ſacerdotium Chriſtianum, & lex Moſaica in legem Euangelicam; ita circumciſio Iudaica in Chriſtianum Baptiſmum, impendio nobiliorem, atque multis nominibus præſtantiorem, quàm fuerat circumciſio. Poteſt hoc

4. Ratio.

Aug. lib. 19. contra Faustum ca. 13.

illustrari verbis illis B. Augustini: Prima, inquit, sacramenta quæ obseruabantur ex lege, prænuntiatiua erant CHRISTI venturi. Quæ cum suo aduentu CHRISTVS impleuisset, ablata sunt; & ideo ablata, quia impleta: *Matth. 5.* *Non enim venit soluere legem, sed adimplere.* Verum in eorum loco, alia sunt instituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam iustitia fidei reuelata, & in libertatem vocatis filiis DEI, iugo seruitutis ablato, quod duro & carni dedito populo congruebat. Sic Augustinus.

1. Ratio. QVID plura? illud vtique demonstrat carnalis circumcisionis ob- 31
seruatione nequaquam opus fuisse in lege Euangelica: quando pro illa carnali introducta est circumcisio spiritualis; grauissimis illa quidem verbis à CHRISTO domino indicta, sæpenumero inculcata, summe commendata, & à sectatoribus eius frequentissime vsurpata, atque inenarrabili cum animorũ vtilitate, voluptateque & admirando virtutum omnium incremento sanctissime culta. Sed enim qualis sit huiusmodi circumcisio, & vbi, & quemadmodum fiat, carptim dicẽdum est. Iudaica circumcisio, erat carnis; Christiana circumcisio est cordis: illa fiebat manu & ferro; hæc intellectu & voluntate per fidem & charitatem: illa fiebat palam & in aperto; hæc in occulto, & coram DEO: illa fiebat ab alio; hæc à seipso: illa Iudæum carnaliter discernebat à non Iudæo; hæc discernit Iudæum spiritualem; id est, verum DEI confessorem, adoratorem, cultoremque, ab eo qui talis non est: illa semel
Luc. 9. fiebat, hæc fit quotidie, sic enim præcepit Dominus: *Abneget semetipsum, & tollat Crucem suam quotidie.* Illa fiebat in vna tantum particula corporis, hæc fit in toto corpore ab illicitis voluptatibus & immodico externorum bonorum amore curaque: in anima vero ab inordinatis passionibus, in mente à falsis opinionibus, in voluntate à prauis affectibus, in memoria à rerum turpium & noxiarum recordatione, quarum vtique rerum imaginaria repræsentatio, vehemens irritamentum est libidinis, & peracre ad flagitia incitamentum. Per illam Iudæi terrenorum DEI promissorum participes & compotes fiebant; propter hanc, cæ-
Isa. 62. lestium atque æternorum bonorum hæredes efficimur. In illa dabatur nomen quo quis nominaretur in terris; per hanc datur nomen nouum quod os Domini nominauit, & quod scriptum est in libro vitæ. Ad vltimum, illa fuit signaculum fidei & iustitiæ; hæc vero ipsam fidem & iustitiam continet, tuetur, auget, ac perficit. Merito igitur præ hac spirituali circumcisione, illa carnalis posthabita, abiecta, & exoleta est.

Ambros. l. 1. de Abrahã, cap. 4.

Finem huius Disputationis faciam appositis B. Ambrosij verbis ad id sanè quod modo diximus firmandum & illustrandum accommodatis. Hoc loco, inquit, pleroſque moueri scio. Si enim, inquiunt, bona erat circumcisio, hodieque teneri debuit: sin autem inutilis, mandari
Ad Ro. 4. non debuit, præsertim diuino oraculo. Sed cum dixerit Paulus, quia Abraham signum accepit circumcisionis: vtique signum, non ipsa res, sed alterius rei est; hoc est non ipsa veritas, sed indicium veritatis.

Denique

Denique ipse exposuit dicens: *Signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ & fidei.* Vnde non incongrue intelligimus circumcisionem corporalem signum circumcisionis fuisse spiritualis. Ergo signum mansit, donec veniret veritas. Aduenit Dominus IESVS, qui ait: *Ego sum* *Ioan. 14.* *via, veritas & vita.* Qui non partem exiguam corporis in signo, sed totum circumcidit hominem in veritate: signum destruxit, veritatem induxit. Vbi enim venit quod perfectum est, quod ex parte erat, euacuatum est: & ideo cessauit circumcisio partis, vbi refulsit circumcisio *1. Cor. 13.* vniuersitatis. Iam enim non ex parte, sed totus homo saluatur, in corpore scilicet & anima; scriptum enim est; *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Hæc est perfectio *Matt. 16.* circumcisionis, quia per corporis oblationem redimitur anima: sicut *Ibidem.* ipse Dominus dixit: *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.*

Post hæc Ambrosius huiusmodi quandam ponit dubitationem: cur non hanc spiritualem potius circumcisionem, quam illam corporalem DEVS Iudaico populo indixerit, sicut eam Christianis hominibus maxime commendauit? Verum hoc, inquit Ambrosius, facile est ad diluendum; si consideremus, carnali populo etiam carnalem circumcisionem fuisse conuenientiorem: quemadmodum spirituali populo Christiano congruentior fuit circumcisio spiritualis. Nimirum paruulis & imperfectis, minora & imperfectiora præcepta danda erant; grauiora autem & perfectiora, absolutioris vitæ ac disciplinæ sectatoribus, cultoribusque reseruari oportuit. Vt si puerulum literis imbuas, à singulis literarum elementis inchoandum est tibi, vt à singulis literarum apicibus ad syllabas, à syllabis eum per ordinem ad nomina, orationemque deducas. Denique si quid aut conficiendi itineris, aut leuandi oneris, puero velis, & prouectiori mandare, nunquid æquanda onera sunt, aut conferendus labor? Ita igitur noueris perfectionem circumcisionis iis esse seruatam qui à CHRISTO instituti, validioribus sufficientes & idonei viderentur, vt & fideles probarentur, quorum multitudo innumera crucem suam tolleret, & pro CHRISTO animam suam deuoueret. Hactenus sunt Ambrosij verba.

Obiectio aduersariorum contra Christianos, eiusque depulsio.

32 VERVMENIMVERO vrgent & instant Hebræi, noſque criminose accusant, vt qui DEI præceptis ac decretis aduersantes, circumcisionem quam ille imperauit & in æternum obseruari voluit, non modo negligamus, verum insuper execremur. Tota igitur vis Iudæorum argumentationis & criminationis aduersus Christianos, in eo solum vertitur ac nititur ac nititur, quod apertis verbis dixerit DEVS, pactum illud circumcisionis fore æternum: si autem æternum: nunquã igitur cessaturum; semperque futura erat posteris Abrahæ obseruatio circumcisionis necessaria. At enim, qui obseruate curioseque pensitarunt, omnem significationem vsumque in Sacris Literis vocis Hebrææ (holam) quam Latinus interpres vertere solet vel æternum, vel seculum;

lum;ab iis est vere animaduersum & proditum, non semper ea voce significari tempus infinitum,& numquam prorsus terminandum:verum sæpe notari eo vocabulo tempus finitum; aut quàm longissimum, aut cuius signate expresseque nullus sit præfinitus terminus, aut tempus vniuersę hominis vitę.Potest etiam poni ad significandam æternitatem in sensu composito,vt aiunt,& sub quadam conditione; ad hunc enim modum dixit Horatius.

Horat. lib.1. Epis. 10. Quãdiu durauerit obligatio seruãdi Circumcisionem.

„ *Seruiet æternum, qui paruo nescit vti.*

Tripliciter igitur quod est dictum de circumcisionis æternitate, cómodissime, verissimeque interpretari possumus. Ac primo quidem dicimus, circumcisionis obseruationem & vsum appellari æternum; quia longissimo tempore mansurus erat, nempe à nonagesimonono anno ætatis Abrahæ, quo tempore instituta est circumcisio, vsque ad tempus mortis Domini nostri,quo circumcisionis præceptum & obligatio soluta est: id porrò temporis interuallum, non minus fuit mille nongentis septuaginta octo annis.Quoniam igitur obseruatio circumcisionis tam longinqua erat futura, eaque sine vllius determinatione temporis imposita Hebræis est, nec illi arbitratu suo eam antiquare vel intermittere poterant;idcirco recte appellata est æterna. Deinde considerandum est, voluisse DEVM vt circumcisio esset signum fœderis sui cum Abraham & posteris' eius: tandiu igitur mansura erat, quandiu fœdus illud permaneret. Eius autem fœderis pars maxima & præstantissima fuit promissio venturi Messiæ, & ex semine Abraham generandi. Hoc igitur completo promisso, & pactum DEI iam completum erat, & circumcisio, quasi iam suo significandi munere defuncta, nulli deinceps vsui futura erat. Dicta est igitur æterna, quòd semper duratura esset, quoad staret illud DEI fœdus. His addo, circumcisionem vocari æternam, non per se ac proprie, sed figurate, & propter id cuius erat signum & figura. Signum autem fuit Sacramenti Baptismi,fuit item figura circumcisionis spiritualis;vtraque autem res æterna est, vel simpliciter, vel quod omni tempore vsque ad consummationem sæculi mansura est. Contineri autem in Sacra Scriptura multas DEI promissiones & instituta, quæ eo tantum modo quo dixi, vocentur æterna, facile est aliquot exemplis ostendere. Sed cum super ea re supra copiosè disputatum à nobis sit, cum explanauimus caput 13. & quartam Disputationem tractauimus; superuacuum duximus eadem hic iterari, cum posset inde Lector petere, quicquid ad plenum huius quæstionis tractatum & cognitionem optaret.

* * *

TERTIA

TERTIA DISPVTATIO.

Cur ea solum pars humani corporis, quæ naturaliter perficiendæ generationi prolis destinata & comparata est, circumcidi iussa sit: super illis verbis:

Circumcidetis carnem præputij vestri. *Versu* x.

33 ETSI quod hic quæritur, ratio eius facile cuiuis notescere potest ex superiori prima Disputatione;attamen quod noua quædam & memoratu, cognituque digna super ea re prodi & annotari possunt, nõ fuerit abs re vt separatũ eius quæstionis tractatum hoc loco faciamus. Tres causas fuisse reor, cur in parte genitali circumcisionem fieri constitutum sit. Et enim circumcisio, vt supra dictum est, signum memoratiuum fuit diuinæ promissionis quæ data fuerat Abrahæ:ea verò ad semen & posteritatem ex Abraham carnali generatione propagandam pertinebat. Tria enim promissa fuerant Abrahæ, semen eius instar stellarum multiplicatum iri; idemque semen possessurum terram Chanaan;ac demum in semine eius benedicendas omnes gentes. Omnes itaque promissiones illæ ad semen ex Abraham generandum spectabant. Consentaneum igitur fuit, vt circumcisio, quæ talium promissorum DEI signum & monumẽtum erat,in ea fieret parte corporis,quæ generationi seminis deseruit. Erat item circumcisio signum quoddam demonstratiuum peccati originalis: rectum igitur fuit circumcisionem fieri in ea parte corporis,per quam,carnali generatione ac propagatione, peccatum originale deriuatum est ab Adamo ad omnes eius posteros. Effectus præterea originalis peccati, inordinationem dico concupiscentiæ, & rebellionem carnis aduersus spiritum, nulla in parte corporis alia,euidentius apparet,nec aliubi vehementius ferocit ac sæuit. Voluit etiam DEVS per circumcisionem eius partis ostendere, peccatum originale fœcundissimum esse scelerum & malorum seminarium;sicut pars illa corporis,multorum & magnorum flagitiorum scaturigo est. Obscœna enim voluptas, cuius inibi viget libido, illecebra vitiosum est,& esca malorum. Anacharsim ferunt,hominem Scytham & philosophum,cum somno se & quieti daret,ita solitum corpus componere,vt alteram manum ori, alteram genitali parti admotam & appressam,in dormiendo teneret:& rogantibus cur id faceret,respondisse,nisi partibus illis bene compressis ac perdomitis, nec honeste, nec innoxie,nec tranquille viui posse.

Tres causæ cur circumcisio in ea parte corporis fieri iussa sit.

Anacharsis dictum.

34 CÆTERVM etsi data est in ea parte corporis circumcisio, vt signum esset distinctiuum Iudaicæ gentis ab aliis nationibus; id tamen

Ablatum præputium regenerari posse ac restitui.

signum haud quaquam fuit, vt dici solet, infallibile atque indelebile; siquidem comperta ratio est per artem quandam medicam, in ijs qui circumcisi sunt, subducta & distenta pellicula, nouum regenerandi ac superinducendi præputium, glandemque eo iterum contegendi. Epiphanius certe affirmat, cum tam Iudæi, quàm Samaritani vterentur circumcisione, quisquis tamen Iudæorum ad Samaritanos, aut Samaritanorum ad Iudæos deficeret, denuo circumcidi solere, id est, nouo præputio comparato, noua iterum circumcisione initiari. Et hanc regenerandi præputij semel ablati rationem, Paulus significasse videtur, cum ad Corinthios scribens dixit: *Circumcisus quis vocatus est? ne adducat præputium*; (Græcè est, *ne attrahat*, siue *distendat*) *in præputio quis vocatus est? non circumcidatur.* Cognoscat Lector verba ipsa Epiphanij ex libro eius qui de Mensuris & Ponderibus inscribitur, huc transposita. Qui à Iudæis, inquit Epiphanius, ad Samaritas profugiunt, rursus circumciduntur; similiter & qui à Samaritis ad Iudæos transfugiunt. Quin etiam post circumcisionem, rursus præputiati fiunt, arte quadam medica, per instrumentum attractorium Spathisterem appellatum; infernam membri cuticulam attrahi sinentes, futuramque admittentes, & glutinatoriis circumdatis præputium rursus superinducunt. Habes & testimonium apud Sanctum Apostolum, vbi hæc verba dicit: *Circumcisus aliquis vocatus est? ne attrahatur ipsi præputium. In præputio aliquis est? ne circumcidatur.* Hanc autem traditionem diabolici inuenti, Esau fratrem Iacob reperisse aiunt, ad abnegationem DEI, & ad deletionem characteris patrum ipsius. Quapropter putant DEVM dixisse; *Odio habeo Esau; Iacob verò dilexi.* Sic Epiphanius.

Locus Pauli 1. ad Corinth. 7.

Epiphanius.

1. *ad Cor.* 7.

Diabolicũ inuentum Esau.

Genes. 25. *Malach.* 1. *Rom.* 9.

Hæc ne varia & incredibilia putentur, facit auctoritas Cornelij Celsi medici præstantissimi, qui similia tradit Epiphanio; superque addit, esse quibusdam naturale, glandem colis habere nudam & sine præputio; & tales natura nasci, quales fiunt alij ritu circumcisionis. Ponã hic verba Celsi: si quis (inquit) colis glandem habet nudam, vultque eam decoris causa tegere, fieri potest: sed expeditius in puero quàm in viro; & in eo cui id naturale est, quàm in eo qui quarundam gentium more circumcisus est; atque in eo cui glans parua, iuxtaque eam cutis, spatiosior verò ipse coles est, quàm in quo contraria his sunt. Curatio autem eorum quibus id naturale est, eiusmodi est. Verum quæ subdit ille, nihil attinet hic adscribere. Ergo neque nota circumcisionis perpetua est, eaque potest esse naturalis. Itaque quod quidam Hebræi fabulantur de Sem, eum dicentes natum esse circumcisum, non propterea damnandum est, quia sit impossibile: sed quia ratio cur id de Sem credi debeat, plane nulla sit; nasci enim sine præputio, perquam rarum, atque insolens est. Hinc porrò apparet, cur Iudæum hominem vocauerit Horatius apellam; & Martialis recutitum: ob pellem videlicet & cutem, quæ glandis integumentum est, circumcisione detractam. Quod autem paulo supra dictum est de præputio, iis qui circumcisi sunt, per artem quandam, regenerando ac restituendo, credibile etiam

Cornelius Celsus lib. 7. cap. 25.

Naturale quibusdam esse, nõ habere præputium.

Horat. 1. lib sermo. Satyra 5.

Martialis libro 7.

etiam fit propter ea quæ priori libro Machabæorum scripta sunt de quibusdam impiis Iudæis à Iudaismo transeuntibus ad Gentilismum, hisce verbis: *Et ædificauerunt gymnasium in Hierosolymis secundum leges nationum; & fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto, & iuncti sunt nationibus, & venundati sunt vt facerent malum.* Quamquam illud, *Fecerunt sibi præputia*, posset non inscite, nec inepte sic exponi, vt Lyranus exposuit; id autem est, dimiserunt filios suos incircumcisos.

Locus 1. Machabæorum cap. 1.

Lyranus.

QVARTA DISPVTATIO.

De octauo die, quo iussit DEVS *infantes circumcidi: super illis verbis:*

Infans octo dierum circumcidetur in vobis. *Versu* XII.

35 CVR DEVS infantes, tam tenera ætate & tam delicato atque infirmo corpore, circumcisionis cruciatu ac dolore affici voluerit, huiusmodi quædã ratio & causa exponitur in quodam sermone de ratione circumcisionis, qui est apud Cyprianum, in hæc verba: Inter omnia Testamenti veteris sacramenta, nihil circumcisione solemnius antiqua celebrauit religio: nec tantum in Hebræos, sed etiam in Phœnices & Arabes hæc traditio inoleuit. Reliquæ gentes, tam mandatum, quàm factum irrident; & DEO minime asserunt conuenire, vt Saluatoris benignitas plagis infantium delectetur; & immeritos, in ipso vitæ initio, periculo mortis addicat. Hoc de bono Domino sentire, qui neminem perire vult, absurdum & irrationabile iudicant. Sed cum opus istud & antiquitas commendet, & iubentis auctoritas; inquirenda est tanti mysterij ratio. Etenim cum octaua die iussa sit celebrari circumcisio, & nomen circumciso aptari, intimatum est iis, qui digni Sanctorum consortio censebantur, quod eorum nomina scriberentur in cælis; & æternæ beatitudinis, quam post vitæ huius septimanam octaua consequitur, hæredes fierent & consortes, quicumque vitæ innocentia & sanctimonia sese Domino consecrassent. Tenera itaque infantia tali erat imbuenda doctrina: & ante concupiscibiles motus, quos peccatum meruerat, miserabili pœnæ & ineuitabili vindictæ, etiam in paruulis, eiusmodi fuit seueritate occurrendum. Et antequam ebulliret sartago libidinum, prouisum est ventilabrum, quo refrigerari posset, & extingui depopulatricis flammæ vagus ardor, & vniuersa peruadens

Cyprianus

incendium. Ideoque dolor voluptati; & sanguini delectationis, sanguis tormenti opponebatur; nempe vt in primis elementis discerent paruuli, propriæ semper memores sectionis, contraria curare contrariis: & ad cohibendos refrænandosque turpitudinum appetitus, necessarium esse corrosorio sale carnis perfricare pruritus, & subinde recrudescentes desiccare putredines. Sic est illic.

Chrys. sententia exstitit ex homilia 39. in Genesim.

SED cur octauus dies potius, quàm alius quilibet dies post ortum 36
infantis, assignatus est circumcisioni? Duas eius rei Chrysostomus rationes attingit. Tale, inquit, tempus definitum à misericorde DEO, duabus de causis opinor: Vna est causa, vt in ætate adhuc immatura, circumcisionis in carne laborem facilius queat ferre. Altera fuit causa, vt re ipsa disceremus, nihil animæ circumcisionem illam profuisse, sed eam signi tantum gratia esse factam. Pueri enim immaturi, cum quæ in ipsis fiunt, nequaquam intelligant, ex iis nullam animo percipere vtilitatem possunt. Illa enim sunt bona opera animæ, quæ ex electione fiunt. Animi enim bonum opus est, virtutem eligere, & malitiam fugere. Sic Chrysostomus. Cuius neutra ratio me conuincit. Prior enim ratio positæ quæstioni minimæ satisfacere videtur: demonstrat enim cur recenti ætate infantis & tenero corpore fieret circumcisio: non tamen declarat, cur fieret octauo die potius, quàm septimo vel nono, aut alio quouis primi mensis. Posterior ratio minus etiam probabilis est: ea quippe similiter tolleret vtilitatem Christiani baptismi: sicut enim infantes Hebræorum olim circumcidebantur; ita nunc baptizantur infantes Christianorum, prorsus ignorantes quod in ipsis agitur; nec tamen negasset Chrysostomus, magnam ex baptismo infantibus vtilitatem accidere.

Aliter igitur & aliunde ratio istiusmodi rei vestiganda & eruenda est. Hanc ego duplicem reperio; vnam, vt vocant, literalem & historicam, alteram, symbolicã & mysticam. Historica est, ne infans ante octauum diem propter nimiam teneritudinem & infirmitatem corporis, si ex circumcisione cruciatus & dolor accederet, in discrimen vitæ adduceretur. Certe Plutarchus in Problematibus, siue Quæstionibus Romanis, quæstione 102. affirmat, septimam ab ortu diem valde periculosam esse infantibus, cum alias ob res, tum quod ea die vmbilicus decidit plerisque: quod ante quam fiat, plantæ quàm animali similior est infans. Firmat etiam hanc rationem diuinæ Scripturæ auctoritas, qua vetitum est ne ante octauum diem recens nata animalia DEO immolarentur. Verba diuinæ legis hæc sunt, *Bos, ouis, & capra, cum genita fuerint, septem diebus erunt sub vbere matris suæ: die autem octauo & deinceps offerri poterunt Domino.* Causa verò cur vltra diem octauum circumcisio differri non debebat, ea fuit, & quidem satis idonea: ne deinceps magis ac magis solidescens & durescens corpus infantis, maiori etiam sectionis cruciatu ac dolore circumcideretur.

Plutarchus.

Leuit. 22.

Hugo S. Victoris.

Altera ratio est symbolica & mystica: quam Hugo Sancti Victoris li- 37
bro primo de Sacramentis Parte 12. satis distincte & luculente exponit.

Is

Is enim facit triplicem circumcisionem; vnam Iudaïcam, manufactam in expoliatione corporis, quam ex præcepto DEI fieri oportebat; alteram Christianam & spiritualem in anima, scilicet à vitiis omnibus, itemque à prauis & immoderatis cupiditatibus; quæ quidem pertinet ad octauum diem; siquidem hæc propria est legis Euangelicæ, quæ denotari solet per diem octauum, id est, Dominicum, quo CHRISTVS resurrexit: sicut vetus lex & Testamentum designatur per Sabbatum, cuius summa erat religio & sanctitas, & propria illius populi obseruatio. Et id quidem annuere videtur S. Augustinus: Quid aliud, inquit, circumcisio significat, quam vetustate exuta naturam renouatam? Et quid aliud octauus circumcisionis dies præsignabat, nisi CHRISTVM, qui hebdomada completa, hoc est, post Sabbatũ resurrexit? Quin etiam octo beatitudines quas Dominus tradidit, spiritualem continent hominis absolutam perfectamque circumcisionem; cuius velut apex & fastigium perfectionis est, volentem, gaudentemque pati persecutionem propter iustitiam: quod octaua beatitudine continetur. Tertiam demum Hugo facit circumcisionem beatificam, ab omnibus vtique malis tam animi quàm corporis; quam pariet, feretque perfecta vsque quaque felicitas hominis post resurrectionem. Hæc item circumcisio fit quodammodo etiam octauo die. Sex namque dies sunt præsentis vitæ, nempe laboris & miseriæ: septimus dies & sabbatismus est animarum post hanc vitam, id est requies earum in cælis; scriptum enim est: *Beati mortui qui in Domino moriuntur; à modo enim iam dicit Spiritus vt requiescant à laboribus suis.* Octauus vero dies pertinet ad beatificam circumcisionem, in glorioſa corporum resurrectione, & consummata hominis felicitate constitutam.

Augustin. lib. 16 de Ciuitate Dei cap. 26.

Matth. 5.

Apoc. 19.

Ergo tum ob salutem infantis, tum ob præfigurandum mysterium quod diximus, sapienter præfinitus circumcisioni fuit octauus dies. Quia vero neutra causa locum habet in baptismo Christiano, propterea nullum ei certum dierum tempus à CHRISTO statutum est. Audiat Lector B. Cyprianum, de Baptismo quouis tempore ministrando, atque etiam infantibus tribuendo cum breuissime disputaret, ad hanc sententiam ita scribentem: Quod in Iudaïca circumcisione carnali octauus dies obseruabatur, sacramentum est in vmbra atque imagine ante præmissum, sed veniente CHRISTO in veritate completum. Nam quia octauus dies, idem post Sabbatum futurus erat quo Dominus resurgeret, & nos viuificaret, & circumcisionem nobis spiritualem daret; propterea hic dies octauus, id est, post sabbatum primus & dominicus, præcessit in imagine. Quæ imago cessauit postmodum superueniente veritate, & data nobis spirituali circũcisione. Propter quod neminem putamus à gratia consequenda impediendum esse ea lege quæ iam statuta est, nec spiritualem circumcisionem impediri carnali circumcisione debere. Ita Cyprianus.

B. Cypria. lib. 3. epist. 8

An octauus dies circumcisionis præueniri posset.

38 CÆTERVM quæritur, an octauus ille dies circumcisioni præfinitus, propter discrimen vitæ ante id temporis instans infanti, fine cri-

Magister sententiarū. Hugo lib.1. de sacramē. Par.12.ca.2. S. Thom.3. part. 9. 78. art.3. Locus Prouerbiorum cap.4. Lyranus. 2.*Reg.*12. *Supra.*11.

mine præueniri potuerit. Magister sententiarum libro quarto Distinctione prima licet dubitanter id dicat, eo tamen videtur propensior. Verum præfertur ei sententia Hugonis, quam sequitur B. Thomas. Visum istis est, circumcisionem nulla necessitate ministrari potuisse ante octauum diem, nempe ob mysterium quod in octauo die continebatur. Et ad id probandum conferunt sententiam illam Salomonis Prouerbiorum 4. dicentis fuisse se vnigenitum coram matre sua. Nam vt super eum locum tradit Lyranus & Glossa, & si prior alius ante Salomonem natus fuerat, quia tamen is septimo die morte raptus est, in pœnam vtique homicidij & adulterij Dauidis; tanquam incircumcisus & innominatus, quasi non esset natus, habitus est. Sed enim sententia ista nequaquam potest consistere: ei quippe manifesto aduersatur Scriptura 1. Paralipomenon 3. & 2. Regum 5. vbi tres alij Dauidis & Bethsabeæ filij nominantur ante Salomonem. Ac ne quis putet id posse de filiis adoptiuis, non autem naturalibus intelligi, vt interpretatus est Lyranus, ad eam opinionem arcendam signate dixit Scriptura, eos fuisse Dauidi natos in Hierusalem. Erant igitur illi à Dauide non adoptati, sed procreati filij. Salomon itaque dixit se vnigenitum fuisse coram matre sua, quod tanquam vnigenitus tenere & vnice diligeretur à matre. Hebraice est, *Unicus in facie matris meæ*: Septuaginta vero, *Dilectus in facie matris*. Nec ratio illa mysterij cogit nos credere, non potuisse in circumcisione præueniri diem octauum. Namque ob eandem rationem, nec potuisset circumcisio, vltra diem octauum, vlla necessitate differri; quod tamen licuisse mox ostendemus. Cum igitur vera sit illorum Doctorum sententia; eius probatio non alia mihi ad præsens suppetit, nisi quod octauus dies præcepto diuino præfinitus circumcisioni sit; nec vspiam in Sacris Literis significetur fieri potuisse, aut factam esse circumcisionem ante octauum diem: neque id vllo tempore fuisse in consuetudine & vsu Hebræorum, reperire est.

Dicat aliquis, quod igitur remedium ad expiationem peccati originalis adhibebatur infanti, ante octauum circumcisionis diem de vita periclitanti? Illud idem profecto, quod ante institutum circumcisionis, in lege naturæ ad eum finem vsitatum & comparatum fuerat; applicationem dico fidei parentum vel curatorum infantis, offerentium exteriori aliquo signo eum DEO & prouidentiæ eius commendantium. Namque post latam circumcisionis legem, remedium illud antiquatum est, vno tantum excepto casu, si ante octauum diem circumcisionis, mors infantis timeretur: tunc enim remedium illud erat salubre & efficax, non minus certe, quàm olim simpliciter fuerat ante præceptum circumcisionis. Quemadmodum igitur apud Christianos, sacramentum Extremæ Vnctionis, si homini sano & valenti adhibeatur, nullam vim sacramentalem, effectumque præstat; sin autem grauiter & periculose ægrotanti ministretur, sacramentalem rationem & vim obtinet, & præsens ac salutare remedium est: ita sentiendum est de remedio illo, cuius ante circumcisionem vsus fuerat.

VERVM

An vltra octauum diē differri posset Circumcisio.

VERVM ex superioris quæstionis explicatione, altera exoritur quæstio, an sicut octauus dies nullo modo in circumcisione præueniendus erat, ita non potuerit vltra octauum diem differri circumcisio, ne graues quidem ob causas, vllaue vrgente necessitate. Enimuero, cum DEI præcepto octauus dies simpliciter ac precise præfinitus circumcisioni fuerit, æque videtur contrarium ei præcepto, id temporis anticipari, atque prorogari. At enim contra sentiendum videtur: Potuit enim circumcisio, sine crimine, vltra diem octauum differri, si aliquod ineuitabile impedimentum, necessitasue circumcisionem octauo die fieri prohiberet. Et hoc quidem verum esse, argumentari possum dupliciter: Ipsum quippe Pascha Iudaicum, non minus seuera, rigidaque lege DEI, primo anni mense agi mandatum est, quàm circumcisio octauo die: at celebritas paschalis vltra id tempus differri poterat, si tunc quispiam propter legalem immunditiam super animam hominis mortui, à celebrando Paschate impediretur; aut è longinquo veniens, ad diem lege constitutum peruenire non posset ad eum locum, vbi celebrandum erat Pascha. Sic enim Mosi ea de re DEVM consulenti respondit ipse, *Numer.*9. *Loquere filiis Israel: Homo qui fuerit immundus super anima, siue in via procul in gente vestra, faciat Phasc Domino in mense secundo. Si quis autem & mundus est & in itinere non fuit, & tamen non fecit Phasc, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo: peccatum suum ipse portabit.* Consimili igitur ratione, si octauo die ingens vitæ periculum ex circumcisione timeretur infanti, aut esset quispiam in itinere, necesitate quapiam suscepto, nec interquiescendi certum aliquod spatium daretur, sine vitio poterat circumcisio prorogari.

Locus ex cap.5. Iosu.

40 AD huius porro sententiæ confirmationem, præbet nobis diuina Scriptura Iosue 5. simul clarissimum quoddam exemplum, simulque firmissimum argumentum. Nimirum Hebræi quicumque nati sunt in Deserto per illos quadraginta annos, incircumcisi fuerunt, quoad fines attigerunt terræ Promissionis: tunc enim transmisso Iordane, ingressuros terram ipsis à DEO promissam, iussit DEVS circumcidi, vt proditum est in libro Iosue cap. 5. Tam diutinam verò circumcisionis omissionem, citra diuini præcepti violationem, citraque omne crimen esse factam, hisce rationibus probari posset. Prima ratio: vt ita fieret, nec factum in crimine poneretur, iusta vtique erat maximeque probabilis, ac ferme necessaria causa. Nempe in illa solitudine Hebræi, perpetuo tam profectionis, quam mansionis dubij, & incerti; & suspensi erant: pendebant enim ex DEI nutu per nubis motum & quietem eis declarato: itaque nullum dabatur illis certum interquiescendi spatium. At enim recens circumcisis, ob sectionis vulnus ac dolorem, tertio maxime post die ingraescentem, vt significatur Genesis 34. aliquantisper necessario quiescendum erat. Et hæc quidem causa differendi circumcisionem, ob incertam itineris rationem, non obscure indicatur Iosu. 5. illis verbis: *Populus qui natus est in deserto, per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis, incircumcisus fuit: & sicut nati sunt, in præputio fuerunt,*

An Hebræi sine crimine omiserint circumcisionem toto eo tēpore quo peregrinati sunt in Deserto.

fuerunt; nec eos in via aliquis circumciderat. Postquam autem omnes circumcisi sunt, manserunt in eodem castrorum loco, donec sanarentur.

Si quis autem quæreret, an in annua illa mansione populi Hebræi ad montem Sinæum, infantes vel proxime ante, vel inibi nati, fuerint circumcisi, forte respondere quis posset, fuisse eos in statuis illis circumcisos. Et enim cum inibi diu morandum esset, cum ob legem diuinitus accipiendam, tum ob construendum sacrarium DEI & tabernaculum; quemadmodum Pascha (cuius tamen celebritas in septem extendebatur dies) inibi egerunt Hebræi; ita videtur simillimum vero, circumcidisse quoque suos liberos, quotquot vel illis quadraginta septem diebus quibus ex Aegypto illuc peruenerant, vel interea dum illic hærerent, editi fuerant in lucem. Nam etsi supradicto Iosue loco scriptum sit, per quadraginta annos illius peregrinationis in Deserto, neminem esse circumcisum; cum tamen à discessu Hebræorũ ex monte Sina vsque ad secundam circumcisionem à Iosue factam proxime post transitum Iordanis, & ingressum in terram Promissionis, non nisi triginta nouem anni præterierint; tamen quia in more est atque vsu tam in sacra, quàm profana Chronologia, totam summam alicuius temporis, pro maxima eius summæ parte vsurpare, & nomen perfecti numeri tribuere imperfecto, qui ab illo proxime abest; posset dici quod Scriptura quadraginta annos nominauit, cum nouem duntaxat & triginta vellet intelligi.

Altera ratio: Omissionem circumcisionis in Deserto, nusquam in 43
Sacris Literis legimus crimini datam Hebræis: at si contra DEI præceptum & voluntatem esset facta, de ea scilicet reprehensi & accusati fuissent Iudæi; nec tam continuam & longinquam diuinæ legis violationem, tanto Scriptura silentio præteriisset, vt pote minora eius populi scelera exprobrare, accusare, & grauibus vindicãda suppliciis denunciare solita. Eodem accedit, quod Moses id neutiquam passus esset. *Exodi 16.* Nam si arguere Hebræos non prætermisit, quod DEO, in colligendo manna, dicto audientes non fuissent: quanto grauius eos de violato circumcisionis præcepto accusasset? Si idem, deprehensum quendam *Num. 15.* die subbati colligentem ligna, vt violatorem sabbati, lapidibus obrui iussit; non minori profecto seueritate in violatores præcepti circumcisionis animaduertisset: quippe cum obseruatio & religio circumcisionis, grauior & sanctior quàm Sabbathi (vt Dominus noster docuit Ioan. 7.) apud Iudæos haberetur. Nec sanè quod incircumcisi essent qui nascebantur in Deserto, tam fuit culpa, quàm pœna, quæ parentum animos vreret magis, quàm filios ipsos plecteret. Huc enim videntur Locus Numerorũ 14. spectare verba illa Domini, *Vestra cadauera iacebunt in solitudine. Filij vestri erunt vagi in Deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadauera patrum in deserto.* Quasi diceret, quia vos per rebellionem, à familia mea, in quam adoptati eratis, desciuistis; filij quoque vestri, adoptionis meæ nota & insigni, quod est in circumcisione, carebunt, quandiu vos vinetis. Huius nostræ opinionis sectatores

tores & probatores habemus cum alios, tum Damascenum, & Theodoretum: qui omissionem circumcisionis in solitudine dupliciter à crimine vindicant. Cum enim, inquiunt, circumcisio signum esset distinctiuum gentis Hebræorum ab alijs gentibus: tali signo minime opus fuit in Deserto. Cumque Hebræi non per negligentiam & incuriam, ne dum per contemptum, prætermitterent circumcisionem; sed profectionis continuæ necessitate, ab ea excluderentur; tenerentque interim animo circumcidendi propositum, prima data eis opportunitate, non est profecto eis vitio & crimini vertenda eiusmodi prætermissio. Scio equidem B. Augustinum quæst. 6. in Iosue scriptum reliquisse, filios Hebræorum in Deserto incircumcisos fuisse, propter inobedientiam parentum. Verum, nisi me fallit animus, non loquitur Augustinus de inobedientia ob prætermissam circumcisionem; sed propter rebellionem aduersus DEVM in Deserto concitatam, nempe cum neglecta DEI auctoritate, contemptaque ac pro nihilo habita terra Promissionis, ad eam capessendam ire noluerunt; sed contra, in Ægyptum regredi voluerunt.

Damasce. li. 4. cap. 26. Theodoretus in Iosue quæst. 21.

Exponitur sententia B. Augustini.

42 Sed enim illud aperte videtur ac vehementer aduersari sententiæ nostræ, quod in libro Exodi cap. 4. proditum est contigisse Mosi: eum namque Angelus interimere voluit ob prætermissam filij circumcisionem, quam ille scilicet distulerat ob iter in Ægyptum, DEI iussu institutum atque susceptum. Verum facilis est ad istud & prompta responsio. Etenim culpa omissæ illius circumcisionis propterea fuit in Mose, quod ante oportuerat circumcisum esse ab eo filium, quam se ad iter illud dedisset: neque enim in aggrediendo itinere natus ei recens fuerat. Et vt fuerit tunc natus; certe nulla DEI mandatum festinatione vsque adeo vrgebat Mosem, vt non posset pauculos aliquot dies in circumcidendo curandoque infante consumendos, iter illud vel differre, vel intermittere. Præsertim cum indecens admodum esset atque absurdum, legislatorem imperatoremque tanti populi futurum, ne exigua quidem familia sua, diuinæ religionis iura coluisse.

Locus Exodi cap. 4. de Mose, quẽ ob dilatam filij circumcisionem, Angelus interficere voluit

QVINTA DISPVTATIO.

De iis, qui ex DEI præcepto circumcidendi erant; super illis verbis Domini:

Omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, & qui-cumque non fuerit de stirpe vestra.

Versu XIII.

TRIA genera hominum videntur hisce verbis DEI, significata & comprehensa. Vnum quidem fuit posterorum Abrahæ, qui ex ipso genus & originem ducerent: alterum vernaculorum, qui domi eius è seruis nati essent, & item seruorum quos pecunia coëmisset; quibus similis etiam fuisset conditio eorum, quos iusto bello captos, seruos sibi fecisset. Tertium genus fuit alienigenarum, vt sunt mercenarij, aduenæ, coloni, & id genus alij, quos significauit DEVS, generatim dicens, *Et quicumque non fuerit de stirpe vestra.* Et vt eiusmodi nominum, quorum & hic, & sæpe alibi fit mentio in Scriptura, carptim exponam significationes; sciat Lector frequentata esse in Sacris Literis huiusmodi nomina,

Aduena. Aduenam, Peregrinum, Colonum, Mercenarium, Seruum, Indigenam. Aduenæ nomen duplici significatu ponitur: interdum dicitur Gentilis aliunde veniens ad habitandum inter Iudæos; & hæc est vulgaris eius vocis significatio. Nonnunquam vero id nominis ponitur in eo, quicumque ex Gentilismo conuersus fuisset ad Iudaïsmum, quique parentibus Hebræis natus non esset: is autem Græco vocabulo dicebatur proselytus. Sic eo nomine vsa est Scriptura Exo. 12. cum dixit, si quis vel aduenarum, vel indigenarum, septem illis diebus quibus Phase celebrabatur, comedisset fermentatum, perituram animam eius de populo

Peregrinus. DEI. Peregrinus vocabatur, qui aliunde veniebat in terram Iudæorum; non inibi sane habitaturus, sed in transitu & ad breue tempus moraturus.

Colonus. Colonus proprie is dicitur, qui ad habitandam colendamque terram, ante vel bello, vel alio casu vastatam & depopulatam, aliunde traducitur. Sic Romanos multas duxisse colonias legimus: & Cutæi, qui à rege Assyriorum missi sunt ad colendam regionem Samariæ, vnde abductæ fuerant in seruitutem decem tribus Israël, proprie coloni erant

Mercenarius. terræ Iudæorum. Mercenarius, erat Gentilis vel etiam Iudæus, qui

Seruus. mercede pacta operam suam locabat aliis. Seruus, erat vel emptitius qui iusta pecunia & legitime emptus fuerat; aut erat iusto bello ab hostibus captus: & vterque tamquam aliquid ipsius domini censebatur,

tur, non secus quam possessio ipsius possessoris, sicut tradit Aristoteles libro 5. Ethicorum, & lib. 1. Politicorum cap. 2. Indigena proprie opponitur Alienigenæ; & est is qui non aliunde venit, sed in ea ipsa terra natus est: dictus enim est Indigena, quasi inde genitus. Apud Hebræos autem indigena Hebræus vocabatur, qui Hebræis ex parentibus natus erat, & tanquam in ipso Iudaico cultu & religione genitus. Huiusmodi Iudæos Paulus ad Gal. 2. appellat natura Hebræos: *Nos*, inquit, *natura Iudæi; & non ex Gentibus peccatores.* Aristoteles. Indigena.

44 Verum his cursim prænarratis, disputandum est, quemadmodum istiusmodi hominibus indicta fuerit lex circumcisionis, atque eam accipiendi imposita necessitas. Cum enim illi essent sui iuris & arbitrij, liberæque voluntatis, præsertim in ijs rebus quæ spectabant ad fidem & religionem, ad quas nisi sciens, volens, ac libens nemo adstringi & compelli debet: non videtur æquum fuisse, illos cogi debuisse ad circumcisionem suscipiendam; vt in qua professio quædam fieret ac protestatio fidei & religionis. Verumenimuero, quantum ad posteros Abrahæ, nulla est super ea re, aut certe leuis quæstio. Potuit enim Araham, quippe posterorum suorum omnium parens, se suosque posteros obligare ad obseruandam circumcisionis legem: sicut etiam vicissim pacta & promissa DEI, non solum pertinebant ad personam Abrahæ; sed ad eius posteros omnes transmittenda erant. Posteros verò Abrahæ in præsens intelligere conuenit, solos ex Isaac & Iacob generandos; siquidem ad hos tantum pacta DEI & promissa spectabant. Itaque cæteri Abrahæ posteri, vt Ismahelitæ, Idumæi, Madianitæ; circumcidebantur illi quidem, verumtamen ad id præcepto illo DEI minime adstringebantur; sed id factitabant ex traditione atque instituto maiorum, qui ad exemplum atque imitationem Abrahæ, & id fecerant ipsi, idemque faciundum posteris suis tradiderant. An præter Hebræos, alia gens vlla circũcisionis lege sit obligata.

45 DE aliis portò qui ex stirpe Abrahæ non erant, quæstio est haud sane contemnenda. Videtur enim Dominus hoc loco, vt declarant verba eius quæ supra memorauimus, eodem præcepto pariterque obligasse ad circumcisionem accipiendam posteros Abrahæ, atque alios omnes qui in eius domo & familia essent: siquidem promiscue & æqualiter dictum est: *Circumcidetur omne masculinum in generationibus vestris: tam vernaculus quam emptitius circumcidetur, & quicumque non fuerit ex stirpe vestra.* Atque ita intellexisse Abraham illud DEI mandatum, perspicue declarauit ipse in eo exequendo: sic enim extremis verbis huius capitis proditum est: *Eadem die circumcisus est Abraham & Ismael filius eius: & omnes viri domus illius, tam vernaculi quàm emptitij, & alienigenæ pariter circumcisi sunt*; sed quia de aduenis & mercenariis, aliisque præter seruos, fere conuenit inter Doctores, non fuisse eos circumcisos nisi assentientes, volentesque, quod essent liberi, & sui iuris, nec essent in potestate Abrahæ tanquam aliquid eius, vti est filius & seruus: idcirco tota hæc quæstio contrahitur ad solos seruos; qui cum

An serui Hebræorũ cogi potuerint à dominis ad circumcisionẽ. Thostatus super ca. 12. Exo. quæst. 36.

sint in potestate domini, quæri potest, an iuste ad omnia eius honeste imperata cogi possint; præsertim autem ad fidem & religionem, quam profitetur dominus eorum, accipiendam.

Thostatus quidem certe arbitratur, alienigenas quidem, quoniam liberi erant, non potuisse inuitos cogi ad circumcisionem: seruos autem, quod in suorum dominorum iure ac potestate essent, potuisse ad id cogi. Atque id discrimen alienigenarum & seruorum, elucere putat ipse in verbis Domini quæ sunt Exo. 12. Nam de seruis præcise ac simpliciter edixit: *Omnis seruus emptitius circumcidetur, & sic comedet Phase.* De peregrino vero & alienigena sub conditione præcipit: *Si quis*, inquit, *peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domino, circumcidetur primum omne masculinum eius, & tunc rite celebrabit: eritque sicut indigena terræ. Si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo. Eadem lex erit indigenæ & colono, qui peregrinatur apud vos.* Ex his apparet, discrimen poni inter peregrinos atque alienigenas, & inter seruos: si autem seruus non erat cogendus ad circumcisionem nisi sub ea conditione, si vellet comedere Phase; cum idem dicatur de peregrino & alienigena, sequeretur nullum fuisse (quod spectat ad circumcisionem) alienigenæ ac serui discrimen, contra quam habent supradicta DEI verba. Deinde Genes. 17. ait Thostatus, præceptum circumcisionis similiter datur posteris Abrahæ atque seruis: vtrique igitur æqualiter circumcisionis lege tenebantur. Cumque seruus, vt tradit Aristoteles, sit aliquid domini, atque eius iure & potestate deuinctus, non sane minus quàm filius; quemadmodum pater Hebræus omnino debebat circumcidere filium suum, ita quoque debebat & seruum. Et Thostatus quidem ita quod opinabatur de seruis vel inuitis à domino circumcidendis, argumentatus est.

Aristoteles

Verum nec Thostati opinio est probabilis, eiusque argumentatio 46
infirma est. Ex aduerso enim magnam contra Thostatum ratio illa vim habet: etsi seruus est aliquid domini quantum ad ea quæ sunt corporis, & quę pertinent ad corporale domini obsequium, famulatum, & vsum: attamen in iis quæ sunt animi, & quæ spectant ad virtutes ac vitia, & item ad Fidem ac religionem, seruus voluntati & imperio domini nequaquam obnoxius & obstrictus erat. Talis enim uero fuit apud Hebræos circumcisio, qualis est nunc apud Christianos Baptismus: at Christianus dominus non potest cogere seruum ad Baptismum, & fidem, & Christianam disciplinam accipiendam. Nec sane lex circumcisionis, tempore Abrahæ vim habuit obligandi seruos, & non eandem quoque habuit tempore legis Mosaicæ: sed tempore legis non habebat vim obligandi seruos; ergo nec eam habuit tempore Abrahæ. Cum enim qui circumcidebatur, debitor eo ipso fieret vniuersæ legis obseruandæ, sicut docet B. Paulus ad Galatas 5. durum sane nimis, & acerbum, & violentum fuisset, quemquam non natum Hebræum, nec ex parentibus Hebręis, vellet nollet, ad vniuersam legem Mosis obseruandam cogi debuisse. Nec opinioni suffragatur Thostati, quin etiã aperte refra

Seruos Hebræorũ nec esse coactos, nec cogi à dominis debuisse ad circumcisionẽ.

refragatur præceptum illud DEI (quod hoc cap. 17. perscriptum est) simpliciter iubentis seruos circumcidi. Nam cum illic DEVS similiter ac sine vllo discrimine iubeat circumcidi seruos, atque alienigenam omnem, & quicumque non esset de stirpe Abraham, alienigenæ vero & quicumque non erant serui, vt fatetur Thostatus, præcepto illo circumcisionis neutiquam obligati fuerint, nec ad id seruandum inuiti cogi debuerint; itidem profecto confiteri debuit Thostatus, nec ipsis seruis nolentibus necessitatem circumcisionis esse impositam.

47 Cæterum quam viam & rationem enodandæ huius difficultatis inuenerit Caietanus, non est ignorandum lectori. Ait ille, duas res fuisse in Circumcisione: vna erat corporalis & sensibilis, circumcisionem dico membri genitalis, qua nota distingueretur atque internosceretur Iudæus homo à non Iudæo: alteram vero spiritualem, & illi corporali adiunctam, & simul cum illa peragi solitam; ea vero res, fuit protestatio quædam & professio fidei, simulque peccati originalis expiatio. Putat itaque Caietanus, quantum ad priorem illam rem corporalem & sensibilem, potuisse seruos vel inuitos circumcidi; sicut etiam nunc stigmaticis notis cauterio inustis, signantur serui, vt eos & seruos esse, & item cuius serui sint, liquido appareat. At vero quantum ad posteriorem illam rem spiritualem & diuinam, nequaquam serui ad suscipiendam circumcisionem, nullo eorum assensu, voluntateque, cogi poterant. Verba Caietani quibus eam quam dixi sententiam declarat, hæc sunt: Disparitas inter seruum & mercenarium, quoad hoc quod seruus mandatur circumcidi, mercenarius autem proprio relinquitur arbitrio an circumcidendus sit, quæstionem generat, an seruus inuitus fuerit circuncidendus. Et est ratio dubij: quia si serui requiritur voluntas, pari ratione dicendum erat de mercenario, vt circumcideretur, & sic comederet Pascha. Solutio est: dupliciter posse nos loqui de circumcisione; vel vt erat præcise signum distinctiuum domus Abrahæ & successorum, ex mandato DEI; & sic procul dubio seruus hominis Hebræi, poterat inuitus à domino circumcidi, quemadmodum poterat cauterio notari stigmate domini sui in aliis partibus corporis. Itaque eo ipso quod erat emptus ab Hebræo, subditus erat legi circumcisionis quam DEVS promulgauerat Abrahæ, vt patet Genes. 17. Sin autem loquamur de circumcisione, vt fuit professio quædam ac protestatio fidei, atque alia huiusmodi; sic non poterat inuitus seruus circũcidi; quia credere, volũtarium esse debet: nec seruitus humana subiicit hominem homini quo ad fidem diuinorum mysteriorum. Sic eo loco Caietanus.

Caietanus super ca. 12. Exodi.

Equidem Caietani sententiam minime probo. Cum enim duæ illæ res, altera corporalis, & altera spiritualis, sic essent in Sacramento circumcisionis consociatæ & coniunctæ; vt inuicem dissociari ac separari nullo modo deberent: siquidem integra & cõpleta ratio circumcisionis, ex vtraque illa re cõstituta erat; nefas profecto fuisset, eas res inuicem seiugare, & circumcisionis sacramentum ei tribuere, qui vtriusque rei capax non esset. Quemadmodum nefas est arbitrari, sacramen-

Refellitur Caietanus.

tum Baptiſmi poſſe cuipiam impendi vel inuito, quantum ad exteriorem corporis lotionem, & ſenſibilem quandam diſtinctionem Chriſtiani hominis à non Chriſtiano, non autem quantum ad profeſſionem fidei, & ſpiritualem Baptiſmi vim effectumque. Atque id ſane Caietanum, vt erat ſagaci animo, & ingenio ad omnia perſpicaci, minime latuit. Nam quaſi diffidens propoſitæ quæſtionis ſolutioni, quam tradiderat, alteram mox, haud paulo ſane probabiliorem, adiecit: ſub ea namque verba quæ modo commemorauimus, hæc ſubiecit: Crediderim tamen diuinam erga ſeruos legem circumciſionis, numquam intellectam nec ſeruatam fuiſſe vnquam in ſeruo penitus inuito: ſed ſufficiebat eum non abnuere, ſed permittere ſe circumcidi. Mercenarius autem & alius quilibet qui ſeruus non eſſet, debebat vltro expetere ac poſtulare circumciſionem. Ethęc diſparilitas mercenarij & ſerui ſufficit ad tuendam differentiam inter eos, quantum ad circumciſionem, traditam ſupradicto loco Exodi.

Thomas Anglicus.

THOMAS Anglicus cauſam cur DEVS iuſſerit circumcidi omnes 48
qui erant in familia Abrahæ, ſiue ſerui eſſent ſiue liberi, hanc fuiſſe exiſtimat; ne diuerſitas religionis ſeruorum, aliorumque famulorum qui eadem in domo & familia erant, periculum aliquod crearet poſteris Abrahæ prolabendi in errores, & vanas atque impias ſuperſtitiones; & inſuper concordiam & pacem familiæ diſſoluendi, & item beneuolentiam atque obedientiam famulorum aduerſus dominum debilitandi ac labefactandi. Verba iſtius auctoris ex commentario eius ſuper hoc caput 17. Geneſis, huiuſmodi ſunt: Sed cur ſerui in domo nati, vel poſtmodum empti circumcidendi erant, cum nõ eſſent de ſemine Abrahæ? Huius rei literalis ratio huiuſmodi quædam afferri poteſt: quia ſi ſerui Hebræorum non eſſent eiuſdem ritus & cultus, id ſane dominis ipſis plurimum obeſſe poſſet: nempe procliue admodum erat, dominos ipſos perpetua ſeruorum conſuetudine vſuque, ad eorum quoque paulatim errores & ſuperſtitiones delabi. Deinde mutua conformitas religionis multorum, ad vnanimitatem eius multitudinis vehementer conducit. Decet verò in primis atque expedit, vt tota familia eiuſdem domus, ſit plane vnanimis. Sic ille. Videtur Thomas ſignificare, non enim id clare dixit, præcepto illo circumciſionis non tam ſeruos, alioſque miniſtros, quam ipſos dominos Hebræos fuiſſe obligatos: neque illos eſſe coactos circumciſionem accipere; ſed his eſſe imperatum, ne quemquam admitterent in domum ſuam, & in familiam, niſi circumciſum. Verum non eſt dictu credibile, non potuiſſe Hebræos vti ſeruis & mercenariis non Hebræis; cum liceat Chriſtianis Maurorum, Turcarum, Paganorum ſeruitio & miniſterio vti. Quin etiam iſti ſententiæ contraria videntur Domini verba, quæ ſunt Exodi 12: illic enim vetat DEVS, ſeruos, mercenarios, peregrinos, & alios quoſlibet alienigenas, qui domeſtice ac familiariter cum Hebræis verſabantur, comedere Paſcha, & Sacra Hebræorum percipere, niſi eſſent ante circumciſi. Erant igitur eiuſmodi homines incircumciſi in domibus & familiis

Hebræo

Hebræorum complures; nec aliam ob cauſam eos circumcidi neceſſe erat, niſi ſi vellent religionis Hebræorum eſſe participes.

Auctoris ſentẽtia, neminem, qui Hebręus nõ eſſet, fuiſſe circũciſionis lege obſtrictum.

49 ERGO illud pro vero mihi quidem perſuaſum & creditum eſt, præter Abrahæ poſteros, nemini eſſe diuino præcepto neceſſitatem circumciſionis impoſitam: niſi ſub ea tantum conditione, ſi quiſpiam alienigenarum vellet ad religionem Hebræorum tranſire. Ac de alienigenis & peregrinis id quidem aperte declarant illa DEI verba Exodi 12. *Omnis alienigena, aduena & mercenarius non edent ex eo. Quod ſi quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam & facere Phaſe Domini, circumcidetur prius omne maſculinum eius, & tunc rite celebrabit: eritque ſicut indigena terræ: Si quis autem circumciſus non fuerit, non veſcetur ex eo. Eadem lex erit indigenæ & colono qui peregrinatur apud vos.* Idem quoque exiſtimandum eſt de ſeruis. Nam quod illo eodem loco præcipitur de ſeruis: *Omnis ſeruus emptitius circumcidetur, & ſic comedet*: ſic accipiendum eſt, vt ſi dictum eſſet; ſi vult comedere, prius circumcidatur; aut nullo modo comedat, niſi ante circumciſus ſit. Quare cum dicitur hoc loco Geneſis 17. *Tàm vernaculus quàm emptitius circumcidetur*; illud verbum; *Circumcidetur*, non habet vim obligandi ſeruos vel inuitos, cogendique; ſed non excludendi eos à circumciſione, ſi quidem eam vellent accipere. Non enim ita lex circumciſionis ferebatur Abrahæ poſteris, vt alij ab ea prorſus excluderentur, & eius quamuis appetentes, nullo tamen modo compotes eſſe poſſent. Equidem ſine dubitatione dixerim, omnes qui erant in familia Abrahæ, voluntarie ac libenter eius ſuaſu rogatuque circumciſionem accepiſſe. Nam cum ſumma ille apud ſuos eſſet beneuolentia & auctoritate, haud magno negotio religionem circumciſionis omnibus perſuaſit.

Locus Exodi cap. 12. Cur incircũciſis fas non erat comedere Paſcha.

50 Cæterum ex illis DEI verbis ſupra memoratis, quibus ſeueriſſime interdicitur incircumciſis eſu agni Paſchalis, duplex quæſtio exoritur. Quæritur primo, cur tantopere DEVS vetuerit celebrari Phaſe ab incircumciſis. Verum eius rei promptum eſt duas reddere cauſas; alteram, quia illud erat principale ſacramentum religionis Iudaïcæ: quare nefas erat id percipere quemquam, qui ea religione initiatus non eſſet; ea verò initiatio fiebat per circumciſionem. Altera cauſa fuit huiuſmodi: voluit DEVS anniuerſaria celebritate agi Paſcha, vt maneret perpetuò vigeretque apud Hebræos memoria eius beneficij, quo affecerat eos, atrociſſima Ægyptiorum ſeruitute liberatos: hæc autem commemoratio non pertinebat ad incircumciſos; quippe qui ex eo populo non eſſent, in quem illud DEI beneficium collatum fuerat.

An quiſquã Hebręorum incircumciſus, dum illi fuerunt in Deſerto, comederit Paſcha.

ALTERA quæſtio: Hebræi ſecundo anno poſt egreſſionem ex Ægypto, quo tempore iuxta montem Sina commorati ſunt, celebrarũt Phaſe vt traditur in libro Numerorũ cap. 9. at eorum complures fuiſſe incircumciſos, credibile facit quod in libro Ioſ. cap. 5. proditum eſt, per totos illos quadraginta annos peregrinationis eorum in Deſerto, neminem eorum eſſe circũciſum. Verum hic nodus ita ſoluitur. Vtrũque verum eſt, & neminem eorum in ſolitudine per illos quadraginta

annos

annos esse circumcisum, si tamen id eo, quo supradiximus modo, intelligatur: & nihilo secius, neminem, qui circumcisus non esset, Phase comedisse in deserto. Quippe omnes qui celebrarunt illud Phase, circumcisi fuerant in Ægypto, priusquam inde egressus est populus Hebræus: qui autem nati fuerant primo illo post egressionem anno, qui ad montem Sina in statiuis consumptus est, non comederunt Phase; quod ad id per ætatem idonei & habiles non essent. Per reliquos porrò triginta nouem annos quicumque nati sunt in Deserto, non comederunt Phase, quod toto eo tempore à discessu ex monte Sina vsque ad traiectum Iordanis nunquam Pascha celebrauerint Hebræi, quo ad scilicet transmisso Iordane ingressi sunt in terram Promissionis. Tunc vero cum celebrandum esset Pascha, iussit DEVS circumcidi eos qui vsque ad id temporis in Deserto nati & incircumcisi fuerant. Nullo igitur Scripturæ testimonio, nullo exemplo, nulloque argumento probari potest, fuisse quemquam vllo tempore ad celebrationem Phase, qui circumcisus non esset, admissum.

Sed quoniam supra constitutum est, necessitatem seruandi legem 51
circumcisionis, solis Abrahæ posteris esse impositam; nec iis quidem omnibus, sed iis solum qui ex ipso per Isaac & Iacob propagati forent: contra videtur illud obstare, quod apud Hieremiam capite nono scriptum est, non solos Hebræos, sed complures alias gentes, Hebræis tamen cognatione ac necessitudine affines, ritum ac religionem circumcisionis coluisse. Non est autem verisimile, voluisse eas gentes acerbitatem circumcisionis tanta religione subire, nisi ea se, adstrictos lege, teneri credidissent. Verba Domini apud Hieremiam hæc sunt: *Ecce dies venient, dicit Dominus: & visitabo super omnem qui circumcisum habet præputium super Ægyptum, & super Iudam, & super Edom, & super filios Ammon & Moab.* Quæ verba explanans S. Hieronymus: Multarum, inquit, gentium, maxime verò quæ Iudææ, Palæstinæque cõfines sunt, vsque hodie populi circumciduntur, & præcipue Ægyptij & Idumæi, Ammonitæ ac Moabitæ, & omnis gens Saracænorum, quæ habitat in solitudine. Non igitur gloriari debet Iuda, qui mixtus est cum supradictis gentibus, eo quod præputium non habeat, sed ex lege DEI. circumcisus sit: cum & alij hoc faciant qui legis mandata non seruant, & ignorant DEVM Israël. Sic Hieronymus. Sed enim nihil negotij est, eam difficultatem explicare. Gentes illæ circumcisionem colebant, non quasi sacramentum continens professionem fidei & obedientiæ erga DEVM, simulque diuinam promissionem venturi Messiæ, & insuper expiationem peccati originalis: sed tanquam morem ritumque à maioribus seruatum & ad posteros transmissum, atque id temporis, illis locis laudatum & honoratum. Qua item de causa pseudopropheta Mahometes, circumcisionis cęremoniam lege sua complexus, eius quoque cultum vsumque sectatoribus suis indixit.

Locus Hieremiæ ca. 9. S. Hieron. in capit. 9. Hieremiæ.

Quomodo qui non erãt Hebræi, seruarent circumcisionẽ.

Mahometes pseudopropheta.

Quæri etiam posset, cur nec ante, nec post Abraham, nec alij mortalium vlli quàm vni ipsi, primum lata sit circumcisionis lex. Placet mihi 52
quod

Cur primũ lex Circumcisionis Abrahæ sit data.

quod hanc quæstiunculam respondet quodam loco Sanctus Thomas. At enim, in circumcisione inclusam fuisse professionem Fidei, & promissionem venturi CHRISTI. Primus autem Abraham promissionem diuinitus accepit nasciturI ex semine suo CHRISTI, cum ei dictum est Genes. 22. *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ.* Idem quoque primus se à societate infidelium segregauit, obtemperans vtique præcepto DEI, dicentis sibi: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua.* Genes. 12. Consentaneum igitur & rectum fuit, non alij hominum quàm Abrahæ dari legem circumcisionis. Verum de iis qui ex præcepto DEI circumcidendi erant, & quibus lex circumcisionis vel imposita, vel tantum exposita & oblata fuit, satis opinor (quantum scilicet conuenit & sufficit instituto nostro) disputatum est.

S. Thomas 3 parte quæ. 70. art. 2.

SEXTA DISPVTATIO,

Super illis verbis:

Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit. *Versu* XIIII.

53 CARDO huius disputationis in eo vertitur, vt ostendatur quæ sit germana & propria, atque, vt vocant, literalis interpretatio & sententia eorum verborum, quæ pro titulo huius Disputationis posuimus. B. Augustinus libro 16. de Ciuitate DEI cap. 27. & libro 2. contra Pelagium & Celestium cap. 30. libro item 2. DE Nuptiis & concupiscentia cap. 11. Græcam translationem secutus, ita legit hunc locum: *Masculus qui non circumcidetur carne præputij sui octauo die, interibit anima illa de genere suo, quia testamentũ meum dissipauit.* In qua lectione ponitur illa particula, *Octauo die*, quã non habet lectio Latina, nec Hebraica, nec Chaldaica. Addita porrò illa particula, necesse est ea DEI verba interpretari de circumcisione infantium; non enim adultorum, sed infantium est circumcisio, octauo post ortum die facta. Augustinus igitur conuenienter lectioni Græcæ huius loci, censuit hic solum agi de circumcisione infantium. Cum autem omissio circumcisionis infantis, nullum esset eius crimen, nec propterea ipse posset verè dici violator legis circumcisionis, sed parentes eius vel curatores: non erat profecto incircumcisus infans dignus ob eam rem mortis supplicio. Quapropter coactus est B. Augustinus pœnam incircumcisis constitutam & signatam illis verbis, *Delebitur anima illa de populo suo*, non interpretari de morte corporali, verum de spirituali & æterna: vt eorum verborum huiusmodi esset sententia, Non

aggregabitur ad societatem & consortium sanctorum ac beatorum. Quemadmodum contra de sanctis viris, vt Abraham, Isaac, Iacob, Aaron, Mose, cum mortui sunt; scriptum legimus eos fuisse appositos ad populum suum vel ad patres suos. Consimiliter quod in illis DEI verbis, quasi tam atrocis pœnæ meritum, proxime adiungitur, *Quia irritum fecit pactum meum*; non exponit Augustinus de pacto circumcisionis, quippe quod ab infante violari non potuit; sed de primo illo pacto quod fecit DEVS cum Adamo, cùm ei dixit: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* Quemadmodum enim peccante Adamo, vna quoque peccarunt vniuersi eius posteri, qui in eo tanquam in radice humani generis continebantur, vt disputat B. Paulus in epistola ad Romanos capite 5. ita præuaricante Adamo legem & pactum DEI, omnes quoque ex eo progeniti, idem illud pactum transgressi & præuaricati sunt. Ergo illorum DEI verborum hic est sensus: Infans non circumcisus peribit morte æterna; quia morietur in peccato suo originali, quod vtique contraxerat, violato per Adamum parentem omnium, DEI pacto. Atque hæc est S. Augustini doctrina & sententia, & illorum DEI verborum interpretatio.

Genes. 2.

S. Augustini verba

Sed vt certe ac liquido agnoscat Lector fideliter à nobis expositam 54
esse Augustini sententiam, ponam hic eius verba ex vigesimoseptimo capite libri 16. De Ciuitate DEI. In hunc autem modum scribit ille: Potest mouere, quomodo intelligi oporteat quod dictum est Genes. 17. *Masculus qui non circumcidetur carne præputij octauo die, interibit anima illa de populo suo; quia testamentũ meum dissipauit.* Nam cũ hæc nulla culpa sit paruuli, nec ipse dissipauerit testamentũ DEI; sed maiores qui eum circumcidere non curarunt: quomodo dixit animam eius perituram: nisi quia etiam paruuli, non secundum vitæ suæ proprietatẽ, sed secundum communem generis humani originẽ, omnes in illo vno testamentum DEI dissipauerunt in quo omnes peccarunt? Testamentũ autẽ primum quod factũ est ad primum hominẽ, profecto illud est: *Qua die comederitis, morte moriemini.* Cum autem lex postea fuerit data, & dicat Apostolus: *Vbi non est lex, nec præuaricatio*; quo pacto verum erit quod legitur in Psalmis: *Præuaricantes reputauit omnes peccatores terræ*? nisi quia omnes legis alicuius præuaricatæ sunt rei, qui aliquo peccato tenentur obstricti? Quamobrem si etiam paruuli, quod vera fides habet, nascuntur non proprie, sed originaliter peccatores, vnde illis gratiam remissionis peccatorum necessariam confitemur: profecto eo modo quo sunt peccatores, etiam præuaricatores legis illius, quæ in Paradiso data est, agnoscuntur. Ac per hoc quia circumcisio signum regenerationis fuit, non immerito paruulum propter originale peccatum, quo primum DEI dissipatum est testamentum, generatio disperdet, nisi regeneratio liberet. Proinde verba illa DEI sic intelligenda sunt, quasi dictum esset, qui non fuerit regeneratus, interibit anima eius, quia testamentum meum dissipauit, quando in Adam cum omnibus etiam ipse peccauit. Sic eo loco Augustinus.

Genes. 2.

Ad Ro. 4.

Psal. 118.

Idem

Idem alio loco exponens illud: *Delebitur anima illa de populo suo*: contendit non esse id accipiendum de separatione à societate viuentium per mortem corporalem; sed de exclusione à societate sanctorum & beatorum per mortem spiritualem, æternamque damnationem, ita scribens: Præceptum circumcisionis tanto est terrore indictum: vt diceret DEVS, animam illam de suo populo perituram, cuius octauo die præputij circumcisio facta non fuisset. Sed quid mali, quæso, paruulus propria voluntate commisit; vt alio negligente, & eum non circumcidente, ipse damnetur, damnatione tam seuera, vt pereat anima illa de populo suo? Neque enim temporalis mortis terror illis verbis incussus est, cum de iustis quando moriebantur, tunc potius diceretur: *Et appositus est ad populum suum*: vel, *appositus est ad patres suos.* Quoniam deinceps homini nulla tentatio formidatur, quæ illum separet à populo suo, si populus eius, ipse est populus DEI. Quid sibi ergo vult, pro nullo propriæ voluntatis admisso, tanta damnatio? Sed recte profecto infans ille perditione punitur, quia pertinet ipse ad massam perditionis, & qui ex Adam natus est, iuste intelligitur antiqui debiti obligatione damnandus, nisi inde fuerit non secundum debitum, sed secundum gratiam liberatus. Sic Augustinus.

S. Augustin. lib. 2. contra Pelagium & Celestiũ ca. 30.

Genes. 15. & 49.

55 HÆC B. Augustini doctrina & sententia, atque illorum DEI verborum interpretatio, quà de peccato paruulorum ex præuaricatione Adam contracto agit, plane vera & certa est, maximeque catholica: sed quod attinet ad literalem expositionem illorum DEI verborum, quibus ipse putat præcipi de circumcisione infantium, eisque denuntiari pœnam mortis spiritualis propter pactum illud, quod DEVS fecerat cum Adam, etiam ab ipsis in Adamo & per Adamum violatum; quantum ad hoc, inquam, sententia B. Augustini non videtur cum propria significatione illorum verborum DEI congruens, nec cum loquendi consuetudine Sacræ Scripturæ consentiens; & videtur scilicet ad sensum potius mysticum pertinere, quam ad historicum & literalem. Neque hoc non animaduertit etiam ipsemet Augustinus: siquidem post ea quæ dixerat, & sunt à nobis modo exposita, adiungit hæc, Si quisquam autem hoc non nisi de carnali circumcisione dictum esse contendit, quod in ea testamentum DEI dissipauerit paruulus qui non est circumcisus: quærat is aliquem locutionis modum, quo non absurde possit intelligi, ideo infantem dissipasse testamentum, quia licet non ab illo, tamen in illo est dissipatum. Sic ille. Quæ verba, animi sunt opinione sua non plane confidentis, sed acute prospicientis, prudenterque præcauentis quod aduersus eam nec temere, nec infirme obiici posset.

Expenditur supradicta B. Augustini sententia.

Augustin. lib. 16. de Ciuita. Dei, cap. 27.

Verum nos breuiter ostendamus quibus hæc Augustini interpretatio vrgeatur & prematur argumentis. Principio, eo maxime ductus est Augustinus ad eam interpretationem, quod secutus lectionem Græcam, quæ habet in supradictis verbis Domini particulam illam, *Octauo die*, ad hunc nempe modum, *Masculus qui circumcisus non fuerit carne*

Discutitur multis argumẽtis supra dicta interpretatio S. Augustini.

præputij sui octauo die, delebitur anima illa de populo suo: censuit propter illud, *Octauo die*, illic agi de circumcisione infantium, non autem adultorum. Proinde existimauit, pœnam quæ ibi constituitur incircumcisis, ad infantes etiam pertinere. Cum autem infans propter omissam circumcisionem, neutiquam dignus fuerit pœna corporali, necesse est vtique pœnam illam interpretari non mortem corporalem, sed spiritualem, & damnationem æternam, quam meruit infans propter peccatum originale. Ex illa igitur particula, *Octauo die*, tota interpretationis & sententiæ Augustini ratio & vis omnino pendet. Quare si ostensum sit, eam particulam non esse de textu Sacræ Scripturæ, sed extrinsecus intrusam, prorsus supereſſe ac vacare; ruet penitus fundamentum atque firmamentum expositionis Augustini. At enim particulam illam esse huic loco superuacuam, extraneam, & alienam, claro indicio est, eam nec haberi in scriptura Hebraica, nec paraphrasi Chaldaica, nec in vulgata editione Latina.

Primum Argumentum.

Secundũ Argumentum. Agi hoc loco de circũcisione adultorum.

Deinde agi eo loco de circumcisione non infantium, sed adultorum 56 magnam fidem facit exemplum primæ illius circumcisionis quę in domo & familia Abrahæ facta est: nimirum omnes qui tunc circumcisi sunt, fuere adulti. Monet quoque Diodorus Tharsensis præceptor B. Chrysostomi, atque in exponendis Sacris Literis, secundum literalem sensum, copiosissimus ac diligentissimus, secundum editionem Syriacam & Hebraicam, verbum circumcidendi hoc loco actiue legi, non passiue, ad hanc vtique sententiam: *Masculus qui carnem præputij sui non circumciderit*, &c. Ex quo argumentatur ille, agi eo loco de circumcisione & pœna adultorum, non autem infantium.

Diodorus Tharsensis.

Caietanus in cap. 17. Geneſis.

Huc etiam totus propendet ac defertur Caietanus, sic enim scribit: Aduerte quod hæc litera dupliciter legitur; quidam enim legunt circumcisionem passiue, vt habet vulgata editio Latina: alij verò legunt circumcisionem actiue, hoc modo, *Qui non circumcidet carnem præputij sui.* Inter quas lectiones hoc interest; quod iuxta priorem, obnoxij sunt pœnę omnes incircumcisi tam infantes, quàm adulti: iuxta posteriorem autem, soli adulti. Sed enim posterior lectio valde quadrat rationi: consentaneum enim est, vt non puniatur nisi qui culpam admisit; infantes autem nullam possunt admittere culpam. Proinde pœna hic designata, ad solos adultos spectat; vt ij solum merito puniantur, qui solum de omissa circumcisione iure culpandi sunt. Iuuat etiam hunc intellectum ratio in textu subiuncta: *Quia irritum fecit pactum meum.* Siquidem actio ista quæ est frangere pactum, non habet locum in infantibus, sed tantum in adultis, in quorum potestate est seruare vel violare circumcisionis pactum. Siue igitur litera hæc actiue legatur siue passiue, ligat tantum adultos hæc pœnalis lex circumcisionis; clarius tamen, si actiue legatur. Hactenus ex Caietano.

At enimuero quod ab istis auctoribus traditum est, verba illa Domini Hebraice legi actiue in hunc modum: *Masculus qui non circumciderit carnem præputij sui:* equidem vereor ne falsum sit. Nam si ex Bibliis Hebræis

Hebræis quæ nunc extant, facere in vniuersum licet iudicium de veritate Lectionis Hebraicæ, si quis attentus & diligens in verbis Hebræis huius loci legendis & considerandis fuerit, facile aduertet ea de circumcisione non actiue, sed passiue accipienda esse; & sic ea, recentiores sacrorum Bibliorum ex Hebræo interpretes reddidisse. Et vt ea verba actiue legerentur, non autem passiue, non tamen inde concluderetur, ea non posse intelligi passiue; cum non infrequens sit Hebræis, vti verbis actiuis in significatione passiua; cuius rei manifesta ex Sacris Literis exempla aliquot protulimus, cum supra exponeremus caput decimumquintum, & tractaremus illa verba: *Credidit Abram* DEO, *& reputatum est illi ad iustitiam.*

Verum ad institutam disputationem reuertamur. Agi hoc loco de circumcisione adultorum, non obscure indicat ratio ipla sacræ narrationis, textusque verborum DEI. Nam cum DEVS præciperet de iis qui circumcidendi erant, nominatim commemorauit infantes dicens: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, & omne masculinum in generationibus vestris*; quasi diceret, omnes mares vestræ stirpis, tam infantes quàm adulti circumcidendi sunt. Cum autem mox statuit legem pœnalem in eos, qui neglecto DEI præcepto, circumcisi non essent, nullam infantium mentionem, significationemue fecit, sic enim edixit: *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo*; non dubie significans, eiusmodi lege pœnali adultos solum, infantes autem nullo modo teneri.

Tertiũ Argumentum.

57 Præterea pœnam incircumcisi infantis non ad ipsum pertinere, sed ad parentes aut curatores eius; nec ab illo, sed ab his eam pœnam expetendam fore, patet illustri exemplo Mosis, quem Angelus DEI propter omissam filij circumcisionem occidere voluit. Quo exemplo liquido intelligitur, & pœnam omissæ circumcisionis fuisse mortem corporalem; & ea pœna non infantem qui circumcisus non fuerat, sed parentem eius plecti ac puniri debuisse.

Quartũ Argumentum. Pœna incircumcisi infantis non ad eum, sed ad parentes eius spectabat. *Exo. 4.*

58 AD HÆC B. Augustinus existimat illud, *Delebitur anima illa de populo suo*, vere intelligi non posse de morte corporali, sed accipi oportere de morte spirituali, æternaque incircumcisi hominis damnatione. At enim tripliciter id refellitur. Primo in capite 31. Exodi, vbi agitur de violatione sabbati, eodem significatu & intellectu ponitur occidi aliquem morte corporali, & deleri animam eius de populo suo, sic enim illic est; *Qui polluerit sabbatum meum, morte morietur: qui fecerit in ea opus, peribit anima eius de medio populi sui.* Quonam autem mortis corporalis genere puniretur violator sabbati, declaratur Numerorum 15. quemdam enim hominem in solitudine deprehensum die sabbati colligentem ligna, iussit DEVS lapidibus obrui ab vniuerso populo. Deinde pœna illa, *Deleri animam alicuius de populo suo*, sæpenumero vsurpatur in Sacra Scriptura aduersus eos qui varia diuinæ legis præcepta violassent: refugit autem animus credere, significari in omnibus illis locis exclusionem hominis post hanc vitam à societate sanctorum & bea-

Quintũ Argumentum. Deleri aliquem de populo suo, nõ aliud significare, nisi morte corporali puniri.

torum. Immo vero eam penam non aliter debere intelligi, nisi de pœna mortis corporalis, certam fidem facit, quod Iudices qui eiusmodi pœnas lege constitutas de violatoribus legis sumere debebant, supplicio mortis præuaricatores legis puniebant. Et vero, diuinæ comminationes malorum, promissioneſue bonorum quæ in Veteri Testamento fiebant, fuisse bonorum malorumque corporalium huius vitæ: comminationem vero promissionemque spiritualium & æternorum bonorum & malorum post hanc vitam, reseruatam esse tempori legis Euangelicæ ac Noui Testamenti, peruulgata est, probataque Patrum sententia. Nobis, inquit, Sanctus Hieronymus in Euangelio promittuntur regna cælorum, quæ Instrumentum vetus omnino non nominat.

S. Hierony. epist. 129. ad Dardanum.

Beatus item Augustinus, deleri animam alicuius de populo suo, interpretatur excludi à societate Sanctorum & Beatorum. Atqui locutio illa, phrasis quædam est Hebraica, idem significans, atque exterminari à societate viuentium, & facere ne possit quis amplius inter homines viuere, & quod Latine dicitur, de medio tolli, & vita spoliari: inde sunt illa satis frequentata in Sacris Literis, Terra viuentium, Regio vel sors viuentium. Namque hic cum dicitur, *Delebitur, anima illa de populo suo,* Vocabulum animæ non significat animam rationalem, sed vitam corporalem, aut totum ipsum hominem. Ac talis eius vocabuli vsus in Scriptura frequentissimus est; pro vita quidem corporali, vt *Anima eius in sanguine ipsius est*; & *Anima mea, in manibus meis semper*: &, *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*: pro ipso autem homine, vt supra Genes. 14. *Da mihi animas, cætera tolle tibi*; & *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur*: qua item significatione dictum est, septuaginta animas vna cum Iacob ingressas esse in Aegyptum.

Genes. 9. Psal. 118. Matt. 16. Ezec. 18. Gen. 46. & Deut. 10.

LITERALIS igitur sensus illorum verborum: *Delebitur anima illa de populo suo,* hic est: ei qui non fuerit circumcisus, auferetur vita, & sic in perpetuum exterminabitur de populo suo. Audiat Lector Caietanum, ad hanc ipsam sententiam nobiscum concinentem. Apposita hoc loco, inquit ille, pœna ad præsentem vitam spectat: nam apud Hebræos, anima pro vita vsurpatur. Hebraice vero pluraliter legitur, *De populis suis*, quo significatur eiusmodi pœnam mortis corporalis non fuisse promulgatam pro tunc, sed pro futuro tempore, quo semen Abrahę in multos populos diuisum foret: quod sane tunc accidit, cum in terra Promissionis per varias ciuitates sparsi, constituerunt diuersos populos, vnius tamen populi totius partes. Ad illud itaque tempus refertur hæc pœna: præcipiente DEO, ne tunc permittant adultũ quempiam esse incircumcisum; si quis autem non velit circumcidi, vt exterminetur vita eius. Sic Caietanus. Idemque sentit Lyranus. At Hugo S. Victoris, qui alter ætatis suæ Augustinus habitus & appellatus est, licet verba illa Domini exponat cum Augustino de Infantibus, legem tamen pœnalem designatam illis verbis: *Delebitur anima illa de populo suo,* non mortem spiritualem, vti Augustinus, sed corporalem interpretatur: eaque morte paruulum incircumcisum censet puniendum fore,

59

Caietanus in cap. 17. Genesis.

Lyranus. Hugo in Annotationibus in Genesim.

fore, non in ætate infantili, sed vbi ad vsum rationis ac liberi arbitrij veniisset. Verba Hugonis hæc sunt; *Delebitur anima illa de populo suo*, si veniens ad ætatem discretionis, neglexerit circumcisionem: deleri autem è populo, est vel interfici, vel expelli à populo. Sic Hugo.

Iam verò S. Augustinus, deleri animam de populo, significare excludi aliquem à societate sanctorum, argumentatur ex contrario; siquidem, inquit, de sanctis viris hac vita defunctis traditur in Scriptura, fuisse eos congregatos siue appositos ad populum suum, vel ad patres suos: id autem est, aggregatos fuisse eos ad locum & societatem sanctorum hominum, quorum illi vita moribusque similes fuerant. E contrario igitur, improbi morientes, separari dicuntur à populo suo, id est, excludi à societate Sanctorum. At nos verius multo id ipsum argumentationis genus aduersus interpretationem Augustini retorquere possumus. Namque illud apponi ad populum suum, Scriptura etiam dicit in iis, qui improbi atque impij fuerunt, & infernis damnati pœnis creduntur: sic enim de Ismahele scriptum est Genes. 25. *Deficiens mortuus est, & appositus est ad populum suum.* Proinde apponi ad populum suum vel ad patres suos, phrasis est Hebraica; sicut & illa, dormire cum patribus suis, ingredi viam vniuersæ carnis vel terræ: his enim loquendi modis significatur, transisse aliquem ad statum & locum mortuorum. Verum super ea re latius disputatum à nobis est in libro nostro de Benedictionibus Patriarcharum, numero 293. quem librum vna cum secundo Tomo Commentariorum in Genesim ante triennium in publicum edidimus.

60

Sextum Argumentum.

Illud etiam non est probabile, quod dicitur illis verbis, *Irritum fecit pactum meum*, interpretandum esse, vt censet Augustinus, de eo pacto quod DEVS fecit cum Adamo super esu de arbore scientiæ boni & mali: tum quia fuisse illud præceptum & interdictum, cum ita nominetur in Sacris Literis, facile creditu est; at vero fuisse pactum, cum tali nomine nusquam appelletur in Scriptura, non fit credibile: tum verò quia hoc loco DEVM loqui de pacto circumcisionis, ne dubitari quidem posse videtur; quippe cum proxime ante ea verba, compluries pactum circumcisionis & nominatum, & commemoratum sit.

Septimũ Argumentum. Genes. 2.

Ad vltimum, iis quæ diximus illud quoque adiiciendum est. Cum S. Thomas, doctrinæ Augustini studiosissimus sectator, & defensor acerrimus, docere ac probare vellet in circumcisione fuisse homini remissa peccata, & donatam gratiam iustificantem; non est ad id probandum vsus hoc Scripturæ testimonio: *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo*: quod tamen testimonium, secundum expositionem Augustini, promptissimam atque firmissimam eius rei probationem exhibebat. Nimirum vir sapiẽs animaduertit, expositionem illam Augustini, si vt literalis consideretur, non esse probabilem; sin autem pro mystica tantum accipiatur, non esse ad id firmandum satis validam. Proinde omisso huius loci testimonio, sententiam suam, cum auctoritate veterum Doctorum, vt Augustini,

Octauũ Argumentum ex auctoritate S. Thomæ 3. parte quæst. 70.

Grego

Gregorij,& Bedæ,tum consensu Theologorum confirmauit.

Auctoris sententia.

SED ne nihil ego de meo sensu & iudicio,super hac ipsa quæstione 61
iudicem Lectori;equidem reor non inscite dici posse,duplicem esse intellectum eorum DEI verborum, super quibus hactenus disputatum est:vnum quidem,historicum & literalem;alterum verò mysticum: secundum literalem sensum, agitur eo loco de pœna adultorum incircumcisorum; de pœna,inquam, corporali & capitali,vt satis superque probatum est:at iuxta intellectum mysticum,significatur præterea illis verbis spiritualis pœna, quæ quibuslibet incircumcisis contingebat. Nam cum in circumcisione remitteretur peccatũ,ea neglecta, & prius peccatum manere necesse erat; & insuper nouum addi ex neglecta circumcisione;simulque infantẽ incircumcisum morientem damnari. Quemadmodum igitur circumcisio illa corporalis, signũ erat spiritualis circumcisionis, qua peccati macula reatusque delebatur:ita corporalis illa pœna incircumcisorum, deleri de populo suo,erat signum spiritualis pœnæ,quæ est excludi à populo & societate sanctorũ: violatio item pacti circumcisionis, erat quasi quoddam symbolum primi illius cum Adamo pacti,siue interdicti & præcepti à DEO dati.Expositio igitur B.Augustini,secundum literalem sensum,non est probabilis, vt supra ostensum est:eadem verò secũdum intellectum mysticum, nequaquam videri debet improbabilis.

Imponere nomina in circumcisione, esset ne præceptũ an traditio solũ & cõsuetudo.

IN hac porrò Mosaica narratione descriptioneque legis à DEO latæ 62
de circumcisione,nihil expressum est de imponendo nomine ei qui circumcidebatur;nec de instrumento quo fieri circumcisionem oporteret esse ne deberet ferreum an lapideum, vel testaceum:siquidem vtriusq; rei apud Hebræos vsus & obseruatio, nullo ex DEI præcepto, sed ex antiqua traditione,perpetuaque consuetudine, rationeque admodum probabili,ortum & vim habuit. Impositio quidẽ nominum in circumcisione,inde videtur à primo in morem vsumque inducta, quod DEVS, quo tempore legem tulit circumcisionis,tam Abram quam Sarai noua quadam priorum nominum, quibus appellabantur commutatione,honorauit atque decorauit. Hinc postea natum & inolitum est,vt ponerentur nomina iis qui circumcidebantur. Ac præter exemplum Abram & Sara,optima quoque ratio idipsum sic fieri oportere suadebat. Consentaneum enim fuit,vt qui circumcidebatur,nomen acciperet,cum is per circumcisionem in nomen gentẽmque,ac religionem legesque Iudaicas asciscereturꝰ Iudaicorumque sacrorum particeps & compos esse deberet. Verumenimuero animaduertere & admirari est, Hebræos in ponendis nominibus, religiosos fuisse magis, quàm sint Christiani. Hos enim cernimus (præsertim autem in Italia) speciosum & glosum ducere nominibus Ethnicorum, hominum nempe non impiorum modo, sed improborum etiam ac sceleratorum, liberos suos insigniri & appellari; Christianorum & sanctorum virorum nomina relinquentes. At Hebræi, vsque adeo à nominibus Ethnicorum assumendis, sibique induẽdis abhorruerunt,vt eiusmodi nominibus Hebræum quem

quempiam appellari, plane improbum, atque impium, execrandumque ducerent.

Romanos (auctore Plutarcho) nomina imposuisse puellis octauo die, pueris nono,& cur.

Nec verò vnius modo gentis Hebrææ proprium fuit,non ante diem octauum nomina imponere: namque id etiam à Romanis obseruatum esse, factitatumque tradit Plutarchus in eo libro, quem de Quæstionibus siue Problematibus Romanis scripsit. Centesima enim & secunda quæstio in eo libro posita ab eo,hæc est: Cur pueris nono die, puellis autem octauo apud Romanos nomen imponitur?Ad eam quæstionem ita respondet Plutarchus: quod prius puellis imponeretur nomẽ quàm pueris,causam fuisse naturalem;prius enim fœminam quàm marem augeri,adolescere, vigoremque & absolutionem consequi. Quod autem non ante diem octauum nomina imponerentur, id quoque ad causam naturalem referri debere.Septima enim ab ortu dies, periculosa est infantibus; cum ob aliud, tum quod ea die vmbilicus decidit pleriſque; quod antequam fit, plantæ quam animalis similior est infans. Aut fortasse maribus & fœminis eiusmodi numerum dierum congruere Romani censuerunt, Pythagoricos secuti. Hi enim marem imparem numerum vocant,parem autem fœminam: impar enim fœcundus est, & in compositione præstat numero pari: diuisisque in vnitates ambobus, par, instar fœminæ, vacuum in medio relinquit spatium, impar vero semper medium habet plenum. Omnium item numerorum primus nouenarius est quadratus, natus ex ternario: octonarius autem primus,est cubus, natus è binario. Oportet autem marem esse quadratum,& agilem & perfectum:fœminam verò instar cubi, stabilem, domoque affixam,nec facile mobilem,vagamque. Sic Plutarchus.

Ferreo ne cultro, an petrino fieret circumcisio.

63 QVALE verò esse oporteret instrumentũ quo fieret circumcisio, nihil diuina lege præscriptum, nihilque sacris in literis traditum est. De consuetudine autem vsuque Hebræorum, variant Doctorum sententiæ. Quidam enim censent Hebræos vti solitos cultris petrinis:tum quod vbicumque speciatim nominatur instrumentum circumcisionis, traditur fuisse petrinum,vt Exodi 4. & Iosu. 5. tum quod id belle quadrat ad mysterium præfignatum circumcisione, pertinens scilicet ad CHRISTVM; quem similitudine petræ præsignatum esse in Veteri Testamento,auctor est B. Paulus. Placuit hæc sententia B. Augustino, Bernardo, & Magistro sententiarũ. Alij contra, vsum lapidei cultri ad circumcisionem,aiunt,fuisse rarum & extraordinarium: at vsum cultri ferrei fuisse solennem; quòd eius instrumenti & promptior copia esset, & ad id operis faciendum multo aptior & commodior. Enimuero si vsus cultri petrini,erat communis & vulgaris,quid attinebat signare ac nominatim præcipi Iosue, vt circumcideret Hebræos cultris petrinis? Proinde,ex eo ipso DEI præcepto existimare licet,simulque argumentari, in circumcisione communem & vulgarem vsum fuisse ferri, non autem lapidis. Iustinus certe in eo Dialogo quem cum Tryphone Iudæo habuit & scriptum reliquit,affirmate dixit,& sua ætate, & semper antea Iudæos non nisi ferreo cultro esse vsos ad circumcisionem. Idem

1.ad Cor. 10. Aug. serm. de tempore 141.& lib. 2. contra Pelagiũ & Cœlestium c.31. Bern. serm. 1.de circumcisione. Magister 1. sen. Dist. 1. Iustinus martyr.

Hugo. S. Thomas. Lyranus. Thostatus.

tradit Hugo libro primo de Sacramentis parte 12. idemque sentit B. Thomas tertia parte quæst. 70. articulo 3. quorum sententiæ accessit Lyranus & Thostatus super caput quartum Exodi, aliique. Verum mihi non est in præsens animus hæc persequi longius: copiosam enim & accuratam ea de re disputationem pertexuimus in libris nostris Electarum & Nobilium Disputationum ad Sacram Scripturam pertinentium; quod opus iam affectum, finita Commentariorum in Genesim editione, typis mandaturi sumus; modo vita supersit, & studiis ac laboribus nostris faueat & obsecundet DEVS.

Auctoris libri electarũ Disputationum in Sacram Scripturam.

SEPTIMA DISPVTATIO,

Super illis verbis:

Cecidit Abraham in faciem suam, & risit in corde suo dicens, Putasne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet? Dixitque ad DEVM, *vtinam Ismahel viuat coram te.* Versu XVII. & XVIII.

Vtrum Abraham in fide huius diuinæ promissionis hæsitauerit.

EX his verbis admodũ celebris existit quæstio, in vtramque partem à magnis auctoribus agitata; vtrum Abraham DEO promittenti prolem ex Sara, firmam certamque habuerit fidem; an in credendo deficiens ac vacillans, aliquo vitio infidelitatis peccauerit. Non credidisse eum, vti oportebat, diuinæ promissioni, aperte videtur ostendere verba quæ pro titulo huius disputationis posuimus. Id enim significat illud: *Risit in corde suo dicens, Putasne centenario nascetur filius?* quasi promissum illud DEI, non modo non esset credibile; verum tanquam ioculare quiddam, & risu magis quam fide dignum accipiendum esset. Idque euidentius declarat illud, *Vtinam viuat coram te Ismael*; perinde enim est ac si diceret, satis voto meo superque fuerit, si quem dedisti mihi Ismahelem, eum serues fortunesque: nam ex Sara prolem; quia nullo modo sperare possum, nec opto, nec peto. E contrario autem, nihil Abraham infidelitatis vitio peccasse, aut non credendo, aut dubitanter infirmeque credendo, manifestum atque indubitabile videtur facere sententia B. Pauli in Epistola ad Romanos capite quarto, disertis ab eo verbis exposita testataque: sic enim scribit, de fide Abram loquens:

Et

Et non infirmatus est in fide, nec considerauit corpus suum emortuum, cum iam fere centum esset annorum, neque mortuam vuluam Saræ. In repromissione etiam DEI *non hæsitauit diffidentia: sed confortatus est fide dans gloriam* DEO; *plenissime sciens, quia quæcumque promisit, potens est & facere.* Quid apertius ad vindicandam Abrahæ fidem ab omni vitio, defectuque dici potuit? Hinc apparet, simulque ex contrariis Doctorum sententiis quas mox subtexam, non esse leuem, nec peruiam, nec indiligenter tractandam huius quæstionis explicationem.

64 QVATVOR super hac quæstione, memoratu scilicet tractatuque dignas, repetio Auctorum sententias. Primo loco excutienda est B. Chrysostomi & Hieronymi opinio; à quibus proditum est, Abraham infidelitate aliquantisper peccasse: quod vtique argumentantur ipsi ex supradictis Abrahæ verbis. Addit insuper Chrysostomus, peccatum infidelitatis Abrahæ, haud quaquam fuisse inultum & impunitum: sed ob id, per quadringentos annos, Abrahæ posteros graui seruitute esse mulctatos. Adscribam hic verba Chrysostomi, quæ in Homiliis eius de Pœnitentia, sub finem sextæ Homiliæ reperiet Lector. Permisit DEVS, inquit Chrysostomus, viros iustos, proprium penes arbitrium, humanis erroribus incuruari: non ipse quidem ad peccandum eos impellens; sed arbitrio quemque suo permittens, sinensque secundum proprium nutum ambulare. Sic itaque infidelitate sanctus peccauit Abraham; & propterea pœnam non effugit à DEO, vt seruiret eius semen quadringentis annis. Sic Chrysostomus.

Prima sententia Chrysostomi & Hieronym. peccasse Abraham, refellitur.

Genes. 15.

Similiter B. Hieronymus arguit incredulitatis Abraham. Siquidem libro tertio Dialogorum aduersus Pelagianos tractans hæc ipsa verba, è qubus materia huius disputationis suppetit, ita scribit: Quamuis aliquis Patriarcha sit, quamuis Propheta, quamuis Apostolus, dicitur eis à Domino: *Si vos cum sitis mali, scitis bona dare filiis vestris: quanto magis Pater vester qui in cælis est, dabit spiritum bonum petentibus se?* Denique & Abraham cui dictum fuerat, *Esto sine querela & macula*; conscientia fragilitatis suæ cecidit pronus in terram, risitque dicens: *Si centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet? Vtinam Ismahel viuat in conspectu tuo.* Quare non credidit quod DEVS repromisit, sed risit in corde putans se celare DEVM, & aperte ridere non audens? Denique causas incredulitatis exponens, dicit in corde suo, Quomodo potest fieri vt centenarius de nonagenaria pariat filium? Viuat, inquit, Ismaël in conspectu tuo, quem semel dedisti. Difficilia non quæro: contentus sum beneficio quod accepi. Quem occulta responsione arguens DEVS, ait: *Etiam Sara pariet tibi filium.* Et est sensus, Fiet quod existimas non futurum: & antequam Sara concipiat; & priusquam filius ex ea nascatur, puero nomen imponam. Ex errore enim tuo quo risisti tacitus, filius tuus Isaac, risus nomen accipiet. Hæc B. Hieronymus.

B. Hieronymus.

Luc. 11.

65 VERVM isti opinioni clarissima voce, magnaque asseueratione contradicit Apostolus Paulus, affirmans (vt ex verbis eius quæ paulo supra posuimus manifestum est) Abraham non esse infirmatum

Refutatio primæ opinionis.

fide, nec hæsitasse diffidentia, sed fide confortatum dedisse gloriam
Locus Pauli ad Rom. 4. DEO, sine dubitatione credentem, posse DEVM præstare quæcumque promisit. Nec mihi quisquam dicat, Paulinum hoc encomium fidei Abraham, non pertinere ad fidem diuinæ promissionis de filio generando ex Sara, qua de re ad præsens disputatur: sed ad eam fidem, quam habuit ille multis ante annis promittenti DEO multiplicationem seminis eius instar stellarum; de qua scilicet fide scriptum est supra Genes. 15. *Credidit Abram* DEO, *& reputatum est illi ad iustitiam*: Hoc, inquã, nemo respondeat mihi ad testimonium Pauli quo vsi sumus: quippe cum id verba ipsa Pauli aperte refellant. Ait enim Paulus eo loco, fuisse tunc Abraham centum annorum: cuius vtique fuit ætatis, cum hic dicitur risisse, & dixisse, *Nunquid centenario nascetur filius?* At vero cum credidit DEO promittenti multiplicationem seminis sui instar stellarum, minorem fuisse constat sexto & octogesimo anno: cum post id temporis haud paruo intaruallo, duxisse Agar vxorem, & ex ea genera-sse Ismahelem cum sex & octoginta natus esset annos, proditum sit Genes. 16. Nec verò risus Abrahæ, hominis fuit diffidentis DEI promissis. Nam si aliter, quî fit vt DEVS ea de re non eum increpauerit, sicut risum Saræ increpitum à DEO fuisse legimus Genes. 18? Cur si firmam diuinis promissis fidem non habuit, non itidem reprehensus
Luc. 1. est, atque Zacharias non credens Angelo similiter generationem filij ex sterili vxore nuncianti, ob idque non solum reprehẽsione correptus, verum & mutitatis pœna mulctatus est?

Chrysostomus nõ perstitit in priori sententia. Nec sanè Chrysostomo prior illa eius sententia postea videtur pla- 66
cuisse. Is enim Homilia quadragesima in Genesim, eum ipsum explanans locum, super quo nunc disceptatur, perspicuis & disertis verbis docet, sanctum Abraham in fide diuinæ promissionis nec defecisse, nec vacillasse: risumque Abrahæ, & significationem dubitationis quæ esse in verbis eius videtur, ad bonam sententiam atque intelligentiam accommodat. Sic enim ille scribit: Audiens iustus DEI promissionem de filio generando sibi ex Sara, cum vsque ad id temporis putasset, diuinas promissiones sibi datas & semini suo, implendas fore per Ismaelem; nihilque cogitaret, ne dum speraret de prole Saræ; cum nesciret quid diceret, ac nec discredere posset promittenti DEO; vir nempe admodum religiosus, & diuinis, tum dictis credere, tum iussis obtemperare diu multumque assuetus; ad suam respiciens ætatem, ac sterilitatem Saræ, & tam excellentem DEI promissionem obstupescens, *Cecidit*, inquit Scriptura, *in faciem suam, & risit*. Simul & voluptate gaudioque perfusus tantæ promissionis, simulque non comprehendens animo quemadmodum illud DEI promissum, tot tantisque naturæ obiectis impedimentis, ad exitum effectumque perducendum foret. Verum hanc suam ignorantiam non ausus est effari; sed monstrata sua gratitudine, DEO supplicauit pro Ismahele; quasi diceret: Satis Domine consolatus es me, dolore, quo ex liberorũ penuria angebar, dato Ismahele, in lætitiam verso. Quem vbi suscepi, numquam postea de filio mihi ex

Sara

Sara procreando cogitaui. Sed ne ipsa quidem hoc sperauit; quapropter Agar mihi ancillam suam in matrimonium dedit. Hunc igitur, *Genes. 16.*
quem dedisti nobis Ismahelem, si sospites prosperesque, vt nostram soletur illius vita senectutem, affatim optatis nostris abs te satisfactum fuerit. Atque in hanc sententiam, & his ferme verbis eo loco scribit Chrysostomus. In cuius verbis illud præcipue obseruare conuenit, dicere eum, Abraham, cum esset vir admodum religiosus, nequaquam diuinis promissis discredere potuisse.

Ioannes Arboreus. 67 Altera sententia est Ioannis Arborei: Is existimat, Abraham initio, cum audiuit illam DEI promissionem, subdubitasse, & in credendo aliquanti sper hæsisse, humana scilicet ratione illud DEI promissum æstimantem, pensantemque, vt ostendunt & risus, & verba ipsius Abrahæ Genes. 17. commemorata: At mox diuinis verbis proxime subiunctis vehementer erectum confirmatumque, omni discussa ex animo dubitatione, & cunctatione abrupta, perfecte diuino promisso credidisse; & de hac fide Abraham tanta cum eius laude, supradicto loco locutum esse B. Paulum. Verum iste auctor non vindicat Abraham à peccato infidelitatis; sed à perseuerantia solum & obstinatione animi in eo peccato. Ait enim, à primo eum dubitasse: at dubius in fide, vt dicitur, infidelis est: peccauit igitur Abraham circa fidem vacillans, reclamante Paulo, qui simpliciter & præcise, ac sine vlla distinctione temporum, exceptioneue affirmat, eum non esse infirmatum fide, nec hæsitasse diffidentia.

Tertia opinio Caietani. 68 TERTIA est opinio Caietani; noua sanè, nec prioris cuiuspiam probati auctoris præiudicio fidem sibi concilians; veruntamen acuta, & cum Scripturæ verbis bene congruens. Ait Caietanus, supradictis verbis Abrahæ significari quandam eius dubitationem: non sane vitiosam, sed quæ ei, integra atque illibata fide, non temere contigerit. Non enim dubitauit Abraham de veritate promissionis diuinæ, nec de potestate ac voluntate promittentis DEI; sed inscius erat ac dubius num promissio illa proprie, & vt verba ipsa sonabant, intelligenda esset; an potius figurate, & secundum aliquod mysterium, operta significatione verbis illis demonstratum. Huc enim spectat quod ad excutiendam illi eam dubitationem respondet DEVS: *Vere Sara pariet tibi filium*: id autem est, Quod dixi de Sara paritura filium, id non figurate aut mystice, sed proprie, & vere, vt verba significant, locutus sum. Verum Caietani opinio ex propriis eius verbis hic adscriptis, melius notescet Lectori. Risus Abrahæ, inquit Caietanus, non fuit irridentis diuina verba, sed ea hilariter suscipientis in festiuum nuncium, nesciendo tamen quid mysterij continerent. Non enim credidit tunc verba illa dici à DEO ad eum sensum quem sonabant, sed ad aliquod mysterium lætum; & propterea hilariter ea suscipiendo risit. Et non credens ea dici secundum sensum quem præferebant, contulit in corde suo rationes mouentes ipsum ad interpretandum diuina verba non secundum literam, sed secundum mysterium. Nec ob eas rationes putauit impossibile esse im-

Caie. in ca. 17. Genes. & in 4. ca. epistolæ ad Romanos.

pleri ad literam quod DEVS dixerat; sed difficile esse, & non esse intentum à DEO. Quapropter non assertiue, sed interrogatiue eas rationes contulit in corde suo, & cum maxima reuerentia, adorans prostratus super faciem suam. Nec interpretatio hæc aduersatur verbis Pauli affirmantis Abraham non esse infirmatum fide. Non est siquidem infirmatus in fide: sed fuit ambiguus de sensu verborum diuinorum, an ea secundum literam, an secundum mysterium aliquod dicerentur. At vbi DEVS manifestauit ei sensum verborum suorum, protinus credidit firmissime, non obstantibus naturalibus causis ex parte sui & Saræ, in contrarium. Sic Caietanus.

Quarta sententia.

QVARTA sententia est, risum illum Abrahæ non fuisse quasi hominis propter impossibilitatem diuini promissi secum ridentis; sed propter diuini beneficij magnitudinem incredibili gaudio exultantis. Verba item illa: *Putasne centenario nascetur filius?* non esse diffidentis promissioni diuinæ, sed mirantis omnipotentiam DEI, tantamque eius erga se munificentiam, simulque nosse cupientis, quemadmodum id perficiendum esset, quod vltra humanam fidem erat, vimque naturę omnem prorsus excedebat. Illud porrò, *Vtinam Ismael viuat coram te*, petiisse Abraham quasi corollarium quoddam principalis illius muneris & beneficij diuini. Hæc est sententia B. Ambrosij, Augustini, Ruperti, aliorumque complurium: eaque iam pridem, vt communis Doctorum opinio, peruulgata & probata est. Eam verò superiorum auctorum sententiis verbisque mirifice illustratam, quo Lector clariori intellectu, firmiorique assensu & iucundiori voluptate complectatur animo; quid super ea re proditum ab illis sit, hic referre non grauabor. Quod scribit B. Ambrosius, ad hanc ferme sententiam est: Quod promisso ex Sara filio risit Abraham ait Ambrosius, non incredulitatis, sed exultationis indicium fuit. Denique procidit in faciem: ergo qui adorauit, & credidit. Cum vero adiecit, *Si mihi centenario nascetur filius*; &, *Ismael viuat in conspectu tuo*: satis ostendit se nec incredulum fuisse in promissis, nec auarum in votis. Perinde enim est, vt si dixisset; non dubito facturum te, vt centum annorum seni dones filium; & naturæ auctor, naturæ metas relaxes. Beatus cui ista donantur: sed tamen etiam hic Ismaël quem habeo è vernacula, viuat in conspectu tuo, & ita superabundet mihi gratia tua. Denique Dominus & probauit eius affectum, & petitionem non abnuit, & sua promissa firmauit. Sic Ambrosius. Idem quoque Augustinus, sed breuius perstringens. Risus, inquit Abrahæ, exultatio est gratulantis, non irrisio diffidentis. Verba quoque illa: *Si mihi centenario nascetur filius*, non sunt dubitantis, sed admirantis.

69

B. Ambros. lib. 1. de Abraham capit. 4.

Augustin. li. 16. de Ciuit. Dei cap. 26.

Rupertus li. 5. Commentariorum in Genesim ca. 35.

Rupertus verò hæc ipsa verba Abrahæ, & risum eius considerate perpendens, exclamat, O virum æterno risu vere dignum, & sempiternæ iucunditati bene præparatum, qui ita cecidit in faciem, vt rideret; ita risit, vt in faciem caderet: illius vtique adorans omnipotentiam, cuius in promissione audierat singularem gratiam. Ergo illud quod in corde suo dixit: *Putasne centenario nascetur filius?* non dubitando dixit, sed suam ipse

ipse felicitatem ineffabiliter admirando. Quod autem adiecit: *Vtinam Ismahel viuat coram te*, plane reuerentis & pudorati animi est; confitentis vtique illud quod promittebatur longe abundantius esse quàm petere ipse auderet. *Et ait Dominus ad Abraham, Sara vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Isaac.* Imperiosa hæc sermonis DEI repetitio est, notam fidem hominis excitantis, vt aures audiendi habeat, nec nimia humilitate dissimulet audita gaudia. Sara, inquit, vxor tua pariet tibi filium, sicut iam dixi. Et quia tu risisti (id enim subaudiendum est) propterea vocabitur nomen eius Isaac; reuera enim ridebit in nouissimo posteritas tua. Isaac namque risus interpretatur. Quo nomine, recte seminis Abrahæ, quod est CHRISTVS, felix natiuitas significatur: qui vniuersitati sanctorum, quorum ex carne vera caro, & verus ipse homo est, sempiterni risus, & interminabilis gaudij causa est. Quod gaudium vnus sanctorum præguſtauit, clausus adhuc in vtero matris suæ, dicente matre eius ad MARIAM: *Ecce vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit præ gaudio infans in vtero meo.* Omnium porrò sanctorum sicut vnus erat spiritus fidei & spei; ita, quo tempore CHRISTVS venit, vna hæc mystica erat vox, *Putasne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* Id autem iuxta mysterium, hunc habet sensum: Hactenus dum floruit rerum Iudaïcarum status, temporibusque regum nobilium, non venit CHRISTVS: nunc senium quoddam est generis Abrahæ, iam enim ablatum est sceptrum de Iuda, & Dux de fœmoribus eius; putasne igitur nunc veniet qui mittendus est? Eorum sane sanctorum hominum plenas flagrantissimi desiderij voces, & ardentissima suspiria; Simeonis illius sanctissimi senis expectatio satis indicat, qui in desiderio cordis sui responsum acceperat à SPIRITV sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret CHRISTVM Domini. CHRISTVM igitur, & nomine præsignauit Isaac & munere: quia & senibus parentibus est datus, & à risu nomen sortitus est. Hæc Rupertus.

Ad Gal. 3.

Luc. 1.

Genes. 49.

Luc. 2.

Expositio verborum Abrahæ.

70 ERGO secundum huiusmodi sententiam, verba ipsius Abrahæ, quæ difficultatem pariunt, ad hunc sensum interpretanda sunt; *Cecidit Abraham in faciem suam*, pro beneficio vtique sibi promisso, summa cum DEI reuerentia gratias ei agendo. *Et risit in corde suo*, id est, ingenti lætitiæ voluptate affectus est: nam risus ille cordis non aliud significauit, nisi exuperantem gaudij copiam atque redundantiam, quo animus eius ex diuina promissione cumulatus est. *Putasne centenario nascetur filius?* Hoc dixit, admirans & obstupescens DEI erga se munificentiam: Et simile est vt si dixisset, Fieri ne potest, vt tanta DEI erga me futura sit benignitas & munificentia, vt quod humana ratione æstimatur impossibile, atque omnes naturæ leges vires que transcendit, id mihi præstaturus sit DEVS? Cumque id naturaliter fieri non possit, quo modo fiet, nisi per DEI omnipotentiam nullis naturæ legibus adstrictam, nullisque finibus determinatam? Non erat tunc Abraham

centenã

centenarius, sed nonaginta nouem tantum annorum, vt initio huius capitis scriptum est; verum quia vno anno post hanc DEI promissionem generandus erat Isaac, ideo dixit, *Putasne centenario nascetur filius?* Idem intelligi volo de Sara; quæ tunc non erat nonagenaria, sed futura erat cum pareret Isaac: simulque hinc manifestum fit, Saram decennio posteriorem natu fuisse quàm Abraham. *Vtinam Ismael viuat coram te.* Hoc dixit, veritus fortasse ne DEVS tolleret sibi Ismahelem, quando optabiliorem sibi melioremque prolem daturus erat. Aut, tanta DEI benignitate ac munificentia factus alacrior & audentior ad optandum petendumque, rogat, vt qui maiora promisit, minora ne deneget, & ad cumulum promissi beneficij & gaudij, accedat incolumitas & prosperitas Ismahelis. Illud, *viuat coram te*, vel est, te conseruante & prosperante ipsum; vel, tibi placitus & acceptus, tuæque voluntati ac præceptis obtemperans.

Auctoris Iudicium.

Hanc ego quartam sententiam, tum propter grauem sectatorum eius auctoritatem, tum quod per se ipsa sit admodum probabilis, laudo, approbo, & amplector. Non dissimulabo tamen, ad Caietani me opinionem vehementius propendere, proniorque ad eam ferri assensu. Omnino, videtur in Abrahæ verbis nonnihil fuisse dubitationis; non de veritate promissionis, aut de potentia DEI, verum de sensu diuinorum verborum, essetne historicus & literalis, an parabolicus & mysticus. Id enim formula ipsa verborum Abrahæ, non obscure significat, & aperte declarat illud DEI responsum: *Sara pariet tibi filium.* Hebraice expressius & significantius est: *Vere*, vel, *profecto*, vel, vt legit Hieronymus, *Etiam Sara pariet tibi filium*, quo significauit DEVS se non esse locutum parabolice aut mystice; sed quod promiserat, id vere, vt verba promissionis suæ significabant, esse intelligendum.

Hieronymus.

BENEDI

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA SVPER CAPVT Decimumoctauum Geneſis.

De tribus Angelis hoſpitio acceptis ab ipſo Abraham: de promiſsione Iſaac ex Sara naſcituri: & de prædictione Excidij Sodomorum.

APPARVIT *autem ei Dominus in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo feruore diei. Cumque eleuaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum: quos cum vidiſſet, cucurrit in occurſum eorũ de oſtio tabernaculi ſui, & adorauit in terram. Et dixit, Domine ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum; ſed afferam pauxillum aquæ & lauentur pedes veſtri, & requieſcite ſub arbore. Ponamque bucellam panis, & cõfortetur cor veſtrũ, poſtea tranſibitis: idcirco enim declinaſtis ad ſeruum veſtrum. Qui dixerunt, Fac vt locutus es. Feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei, Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericios panes. Ipſe verò ad* VERSVS 1. 2 3 4 5 6 7

armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum &
8 optimum: deditque puero, qui festinauit & coxit illum. Tu-
lit quoque butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, &
9 posuit corā eis: ipse verò stabat iuxta eos sub arbore. Cum-
que comedissent, dixerunt ad eum: Vbi est Sara vxor tua?
10 Ille respondit: Ecce in tabernaculo est. Cui dixit, Reuertens
veniam ad te tempore isto, vita comite, & habebit filium
Sara vxor tua. Quo audito Sara risit post ostiū taberna-
11 culi. Erant autem ambo senes prouectæque ætatis, & desie-
12 rant Saræ fieri muliebria. Quæ risit occulte dicens: Post-
quam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati
13 operam dabo? Dixit autē Dominus ad Abraham, Quare
risit Sara dicens, Num vere paritura sum anus? Nunquid
14 DEO quicquam est difficile? Iuxta conditū reuertar ad
te hoc eodem tempore, vita comite, & habebit Sara filium.
15 Negauit Sara, dicens; Non risi, timore perterrita. Do-
16 minus autem, Non est, inquit, ita, sed risisti. Cum
ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra So-
domam: & Abraham simul gradiebatur, deducens eos.
17 Dixitque Dominus, Num celare potero Abraham quæ
gesturus sum: Cum futurus sit in gentem magnam, ac
18 robustissimam, & BENEDICENDAE sint in illo
19 omnes nationes terræ? Scio enim quod præcepturus
sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant
viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam: vt
adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locu-
20 tus est ad eum. Dixit itaque Dominus: Clamor So-
domorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & pecca-
21 tum eorum aggrauatum est nimis. Descendam & vi-
debo vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleue-
22 rint: an non est ita vt sciam. Conuerteruntque se inde
& abierunt Sodomam: Abraham verò adhuc stabat
coram

coram Domino. Et appropinquans ait, Nunquid 23
perdes iustum cum impio? Si fuerint quinquaginta iu- 24
sti in ciuitate: peribunt simul: & non parces loco illi
propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo? Absit à 25
te vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio,
fiatque iustus sicut impius. Non est hoc tuum, qui iu-
dicas omnem terram: nequaquam facies iudicium hoc.
Dixitque Dominus ad eum, si inuenero Sodomis quin- 26
quaginta iustos in medio ciuitatis, dimittam omni loco
propter eos. Respondensque Abraham, ait: Quia se- 27
mel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim puluis &
cinis. Quid si minus quinquaginta iustis quinque fue- 28
rint? delebis propter quadraginta quinque vniuersam
vrbem? Et ait: Non delebo, si inuenero ibi quadragin-
ta quinque. Rursumque locutus est ad eum: Sin autem 29
quadraginta ibi inuenti fuerint, quid facies? Ait, Non
percutiam propter quadraginta. Ne quæso indigneris 30
Domine, si loquar. Quid si ibi inuenti fuerint triginta?
Respondit, Non faciam, si inuenero triginta. Quia
semel, ait, cœpi, loquar ad Dominum meum. Quid 31
si inuenti fuerint viginti? Ait, Non interficiam pro-
pter viginti. Obsecro, inquit, ne irascaris Domine, si 32
loquar adhuc semel. Quid si inuenti fuerint ibi decem?
Et dixit, Non delebo propter decem. Abiitque Domi- 33
nus postquam cessauit loqui ad Abraham: & ille reuersus
est in locum suum.

PRÆ

Universidad de Deusto Biblioteca

PRAEFATIO.

HISTORIAM de tribus Angelis in ſpecie hominum viſis Abrahæ,& hoſpitio conuiuioque ab eo acceptis,quæ in principio huius capitis à Moſe ſcripta eſt; Philo enarrauit tam appoſite ad explananda & illuſtranda Moſis verba, vt ea Philonis enarratio, luculenti commentarij vice Lectori eſſe queat. Verba eius ex eo libro quē de Abraham ſcripſit,huiuſcemodi ſunt: Nō eſt ſatis admirari hoſpitalem eius viri benignitatē. Is enim meridie conſpicatus tres quaſi viatores, quorum diuiniorem ignorabat naturam,accurrens, ſuppliciter impenſeque rogat, vt ad ſe diuertant,& hoſpitio ſuo vti dignentur. Annuentibus illis,præ lætitia geſtiens, properat ad parandum conuiuium. Mandat vxori, vt ocyus faciat è tribus mēſuris ſubcinericios panes; Ipſe currit ad armentum,& electum inde vitulum, opimum vtique tenerumque tradit coquendum famulo: lactis quoque & butyri copiam ſuis ipſe manibus comparat. Nemo in illa ſapientis viri familia ad humanitatis officia iners aut ſegnis eſt; mulieres iuxta virique, ſerui atque ingenui prōpte & alacriter hoſpitalia munia miniſtrant. At illi,animo viri magis quam conuiuij apparatu delectati, maiorem ſpe referunt ei gratiam, per vnum è tribus præcipuum, breui naſciturum ei polliciti ex Sara filium: Omnes enim ſimul loqui, minime decorum fuiſſet; ciuilius autem erat, vnius verbis ceteros annuere. Sed ea promiſſio haud magnam faciebat fidem rei prorſus incredibilis. Iam enim ambo coniuges effœti ſenio, ſperare liberos deſierant. Ferunt mulierem audita hac promiſsione, clam riſiſſe; moxque increpitam, atque interrogatam, num putaret quidquam eſſe DEO impoſsibile, riſum pudenter ac reuerenter negaſſe. Norat ſane illa,& pene ab incunabilis didicerat, DEVM poſſe omnia. Equidem puto tunc demum eam exiſtimaſſe, auguſtiorem quandam eſſe hoſpitum illorum conditionem: nimirum ratam aut vates eſſe, aut Angelicos ſpiritus humana forma velatos. Philo.

Quod ſi fortunata domus viſa eſt quibuſdam, in quam viros ſapientes diuertiſſe contigit, non vtique facturos id, ac ne aſpecturos quidem, ſi vidiſſent intus aliquod animæ vitium inſanabile. Equidem non video quid huic domui defuerit ad ſummam felicitatem, in qua humano hoſpitio excipi ſuſtinuerint Angeli, ſacræ diuinæque naturæ miniſtri; per quos DEVS Optimus Maximus, cæu per Legatos & Nuncios ſuos conſilia & mandata ſua mortalibus denunciat. Potuiſſent illi vel intra primum limen domus ſubſiſtere, ni ſciuiſſent totā illam domum ad nutum patrisfamilias paratam, ceu natualē quandam turmā ad vnum celeuſma ſui gubernatoris. Nec vero conuiuarum atque hoſpitum ſibi ſpeciem induiſſent, niſi pro cognato ſibi, conſeruoque ſuum conuiuatorem habuiſſent. Certe ſic exiſtimādum eſt, ad eorum introitū, partes omnes

omnes domus profeciſſe in melius, afflatas aura quadam virtutis abſolutiſſimæ. Conuiuium autem exactum eſt cum egregia ſignificatione propenſæ ac prolixæ voluntatis erga hoſpites, eximiaque cum ſimplicitate ac ſinceritate morum, præclaris item colloquiis & tempori cōuenientibus. Sed prodigio ſimile videtur, non eſurientes, eſurire viſos,& non edentes, edere. Verum hæc per conſequentiam, ita fieri conueniebat. Illud longe maximum fuit miraculum, carētes corpore, aſſumpſiſſe figuras hominum in boni viri gratiam: videlicet vt ſe clarius videndos exhiberēt viro ſapienti, quem tanta ſummus ille parens, gratia honoreque dignabatur. Hactenus ex Philone.

Nec hiſtoria hęc Moſis, priſcos illos Ethnicos latuit. Hinc enim tractum videtur poëticum illud commentum quod libro 5. Faſtorū narrat Ouidius, tres Deos, Iouem, Neptunum,& Mercurium, diſſimulata maieſtate, veniſſe ad Hyreum ſenem, ante caſam ſuam ſtātem;& ab eo, licet in ſpeciem tergiuerſantes, hoſpitio acceptos, ac pro tenuitate eius, benigne tractatos eſſe: ob idque filios peroptanti, prolem inuſitato modo, ab eis datam eſſe. Ouidius.

Apparuit ei Dominus in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui, in feruore diei. VERSV 1.

1 INTER diuinas apparitiones Abrahæ factas, hæc tempore ſexta fuit; licet eam Caietanus numeret ſeptimā, quod quartam, capite decimoquinto commemoratam, in duas oportere diſtingui exiſtimauerit. Eſt autem ſexta hæc viſio triplici nomine prioribus quinque obſeruabilior. Prima enim hæc expreſſe dicitur facta in forma corporali & aſpectabili, & in figura humana; quod de prioribus nequaquam explicate dictum eſt. Placet etiam Caietano, hanc fuiſſe tertiam omnium quæ in ſpecie corporea & obiecta ſenſibus, ad vſque id temporis legatur facta. Prima enim facta eſt in Paradiſo, cum primi homines audierunt vocem DEI ambulantis: Altera contigit ancillæ Agar, cum vidit poſteriora Domini loquentis ſecum: Tertia fuit hæc, qua DEVS apparuit Abrahæ in tribus Angelis figuram trium hominum gerentibus. Deinde memorabilis admodum viſio hæc cenſeri debet, propter myſteriū Sanctæ Trinitatis, hoc primum loco non tam verbis quam rebus ipſis factiſque adumbratum. Siquidem Abraham tres cum vidiſſet & hoſpitio acceptiſſet, vnum tamen modo veneratus & allocutus eſt. Nec parum hanc ipſam viſionem nobilitauit bene longa & perquam familiaris ſermocinatio Domini & Abrahæ tanquam amici cum amico; in qua DEVS & lætificauit Abraham iterata optatiſſimę prolis ex Sara promiſſione; ipſumque prædocuit conſilium & decretū ſuum de perdenda ac prorſus delenda gente & regione Sodomorum & Gomorrhæorum. *Geneſ. 3.* *Infra 16.*

Universidad de Deusto Biblioteca

APPARVIT *Dominus Abrahæ in conualle Mambre.* Incertum est, 2
quanto post quintam superiori capite narratam visionem interuallo, sexta hæc acciderit. Verum bene ratiocinatur Rupertus, perexiguum intercessisse spatium temporis: siquidem tam illic, quàm hic promittitur, post vnum annum prolem ex Sara generandam fore. Sed quomodo dicitur apparuisse Dominus Abrahæ, cum non ei DEVS, sed tres Angeli apparuerint? An quia DEVS in illis & per illos apparuit? Illi enim DEI nomine & auctoritate locuti sunt. Proinde Abraham tametsi loqueretur cum Angelo; quasi cum DEO tamen loqueretur, dixit, *Non est hoc tuum qui iudicas omnem terram.* Refert B. Augustinus putasse quosdam, vnum istorum trium fuisse Filium DEI humana figura velatum, qui se manifestare voluerit Abrahæ, cuius ex semine olim factus homo, nasciturus erat. Atque in istam opinationem propterea ductos esse eos, quod Abraham vnum de illis tribus tantum veneratus & allocutus sit, nullo aliorum respectu rationeque habita, quasi supremum eorum dominum. Sed merito istiusmodi sententiam refellit Augustinus. Enim vero cum duo alij Angeli profecti sunt Sodomam, vnum eorum Lot tantum alloquens & honorans, Dominumque appellans, similiter eum tractauit, vt Abraham tertium illum, quem putant isti fuisse Filium DEI. Dicitur hæc apparitio DEI facta esse in Conualle Mambre; qui locus, diutina in eo mansione Abrahæ, perquam nobilitatus est. Verum super eo loco, diligenter copioseque diximus, cum in extremi capitis decimitertij expositione versaremur.

S. Aug. De Ciuitat. Dei lib. 16. cap. 29.

An vnus illorum triũ qui apparuerũt Abrahæ, fuerit filius DEI.

Genes. 19. *Sedenti in ostio taberuaculi sui.* Similiter infra dicitur, Lot sedenti in 3
foribus ciuitatis, apparuisse duos Angelos: nisi quod illic signatur tempus vespertinum, hic vero meridianum; vtroque enim hoc tempore solent viatores ac peregrini desiderare ac quærere hospitium. Sedebat porrò Abraham in ostio tabernaculi, id est, vel ante ostium, vel in ipso ostio, patentibus foribus, vel propter æstum ad captandum frigus; vel potius ad speculandum si qui illac transirent peregrini ac viatores, quasi hospitalitatis gratiam patentem omnibus atque obuiam exhibens. Hospitalitas, inquit Ambrosius, talis esse debet, vt præsto sit aduenientibus, & occurrat obuiam, & exploret itinera, & adsit non quærentibus, & rapiat prætergredientes. Sedebat ante ostium in meridie Abraham: videlicet quando alij requiescebant, ille hospitum explorabat aduentus. Merito illi DEVS apparuit ad quercum Mambre, quia fructum hospitalitatis studiosissime requirebat. Sic Ambrosius. *In feruore diei,* Meridiano videlicet tempore; quo maxime, vt item vespertino, viatores ac peregrini propter lassitudinem, esuriem, sitim, æstumque, hospitium desiderant. Illud, *In feruore diei,* præter meridianum tempus, vt diximus, etiam significare videtur, æstiuam fuisse tunc anni tempestatem.

Ambrosius lib. 1. de Abrahã cap. 5.

Cumque

Cumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum: quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terram. VERSV 2.

4 TRES *viri.* Humana figura præditos, nihilque extrinsecus veri hominis dissimiles, existimauit Abraham veros esse homines; ideoque, vt hominibus, hospitalis officia humanitatis obtulit. Veruntamen diuinum quid in illis, ex dignitate vultus, & corporis habitu cernens, non dubitauit quin eximij quidam essent viri. Nimirum Angeli, cum in specie sensibili quibusdam apparent, varios in eorum animis ciere affectus solent, aut venerationis, aut terroris, aut contra fiduciæ & amoris. Credibile est, inquit Augustinus, Abraham in tribus illis viris Dominum agnouisse; cui per singularem numerum loquebatur, etiam cum homines esse eos arbitraretur. Neque enim aliam ob causam sic eos suscepit, vt tanquam mortalibus & humana refectione indigentibus ministraret: sed erat profecto in eis aliquid, quo ita excellebant, licet tanquam homines, vt in eis esse Dominum, sicut esse assolet in Prophetis, qui hospitalitatem illis exhibebant, dubitare non possent: atque ideo & ipsos aliquando pluraliter vt homines, & aliquando singulariter, vt in eis Dominum appellabant. Hæc Augustinus.

August. lib. 16 de Ciuit. Dei ca. 29.

Tres istos Abrahæ visos fuisse Angelos, docet historia Mosis narrantis hoc capite, eos petiisse Sodomam, & duos eorum profectos Sodomam, initio sequentis capitis nominatim appellantis Angelos: *Venerunt* inquit, *duo Angeli Sodomam vespere.* Docet idem B. Paulus in Epistola ad Hebræos cap. 13. vbi caritatem hospitalitatis commendans, *Hospitalitatem,* inquit, *nolite obliuisci: per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.* Haud dubie spectans & significans historiam Lot & Abrahæ Angelos sub humana specie hospitantium. Verum pro illo verbo, *Placuerunt,* Græci omnes codices habent, *Latuerunt;* itaque legunt & citant eum Pauli locum non auctores modo Græci; verum etiam B. Augustinus quæstione 41. in Genesim, & lib. 16. De Ciuitate DEI cap. 29. est autem Græcismus. *Latuerunt, Angelis hospitio receptis;* pro, Latuit eos, quod Angelos hospitio recepissent. Significat igitur Paulus, sanctos illos Patriarchas propter hospitalem beneficentiam meruisse, vt etiam Angelos reciperent, licet eos tunc id latuerit, ratos hominibus se hospitalitatem præbere.

Locus Pauli ad Hebr. 13.

B. Augustinus.

5 PRODITYM est ab Hebræis (vt Lyranus & Thostatus referunt hoc loco) tres illos Angelos fuisse Michaelem, Gabrielem, & Raphaelem: & Michaelem incessisse medium, ad dexteram ei fuisse Gabrielem, à sinistra Raphaelem. Et Michaelem proprie missum esse aiunt ad

Lyranus. Thostatus.

nuncian

nunciandum Abrahæ generationem Isaac, prædocendumque de futuro mox Sodomorum excidio; alteros duos negotio Sodomorum perageendo distinatos esse, Gabrielem quidem excidio illius gentis & regionis faciundo; Raphaelem verò, inde eripiendo seruandoque Lot. Verum istiusmodi opinatio leuis est ac futilis, & quam sacra ipsa historia manifeste redarguit. Nimirum capite 19. narrat Moses, illos duos Angelos indifferenter, communique opera, & autores fuisse euertendi delendique gentem Sodomiticam, pariterque liberatores ac seruatores ipsius Lot. Audi vtrumque Angelum dicentem Lot: *Omnes qui tui sunt, educ de vrbe hac; delebimus enim locum istum, eo quod increuerit clamor eorum coram Domino qui misit nos vt perdamus illos.* Quod autem ambo Angeli liberauerint & seruauerint Lot, euidenter declaratur illis verbis; *Dissimulante illo, apprehenderunt manum eius, & manum vxoris ac duarum filiarum eius, eo quod Dominus parceret illi, eduxeruntque eum, & posuerunt extra ciuitatem.* Ac demum fuisse eundem Angelum, & seruatorem Lot, euersoremque Sodomorum, dubitare nos non sinit id quod Angelus qui seruauit Lot, dixit ei. Nam deprecanti Lot, vt liceret sibi ad proximam quandam ciuitatem refugere, respondit Angelus: *Ecce, etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem pro qua locutus es. Festina, & saluare ibi, quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc.*

An illi tres Angeli qui apparuerũt Abrahæ in cõualle Mãbre, fuerint Michael, Gabriel, & Raphael, vt opinantur Hebræi.

CVCVRRIT *in occursum eorum de ostio tabernaculi sui.* Declarat hoc propensissimam Abrahæ voluntatem, & flagrantissimam hospitandi peregrinos cupiditatem. Non satis ei fuit aduentantes peregrinos humane benigneque hospitio accipere; sed attente eos obseruat, vltro eos adit, blande inuitat, impense rogat, & dulcissima quadam violentia ad suum compellit hospitium. Recte igitur Ambrosius: Non otiosus, inquit, sedit Abraham in ostio tabernaculi sui; sed longe aspicit, nec aspexisse contentus, cucurrit obuiam. Festinauit occurrere; quia non satis est recte facere, nisi etiam matures quod facias. Festinanter vtique manducare Pascha lex iubet, vberiores enim fructus habet celerata deuotio. Disce ergo quam impiger esse debeas, vt possis præuenire hospitem, ne quis præueniat, & te boni muneris defraudet. Copia bona est hospitalitas, habet mercedem suam primum humanæ gratiæ, deinde (quod maius est) remunerationis diuinæ. Caueamus ne si nos duri aut negligentes fuerimus in recipiendis hospitibus, etiam nobis post huius vitæ cursum sanctorum hospitia denegentur. Id enim præmonuit nos Saluator noster dicens: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Quod ergo aliis denegaueris, id in te ipse decernis: & quod aliis detuleris, eo te facis dignum videri. Sic Ambrosius. 6

Ambrosius lib. 1. de Abrahã cap. 5.

Luc. 16.

Et adorauit in terram. Id est, reuerentiam illis exhibuit incuruando & declinando caput & corpus terram versus. Verbum, adorare, & nomen ipsum adorationis; fere vsurpant nunc Theologi pro reuerentia & honore qui soli DEO conueniens ac debitus est, quem vocant latriam. Hebræum tamen verbum quod est hoc loco Sahah, indifferenter atque 7

De vi & significatione verbi Adoro.

atque in vniuersum significat exteriorem quandam reuerentiam, quæ fit incuruando & inclinando corpus (nam inde verbum illud Hebræum tractum est) cuicumque personæ ea adhibeatur, siue DEO, siue Angelo, siue homini. Facit ad illustrandum hunc locum quod B. Thomas quodam loco de Adoratione disputans, scriptum reliquit. Ait enim reuerentiam deberi DEO propter eius excellentiam: & quia ea quodammodo etiam cum quibusdam creaturis communicatur, non quidem secundum æqualitatem, sed secundum quandam participationem; idcirco quibusdam personis excellentibus tribuitur reuerentia quædam exterior similis eius quæ adhibetur DEO. Inter actus porrò exteriores ad reuerentiam pertinentes, præcipua est adoratio: quæ quidem alio modo, alioque sensu menteque adorantis, tribuitur DEO, quàm vel Angelo, vel homini. Etenim secundum differentiam personis quibusdam excellentibus conuenientem ac debitam, Nathan legitur adorasse Dauidem: & Abraham adorauit Angelos, quos esse homines putabat: & Iosue adorauit Angelũ qui ei apparuit: quamuis possit intelligi istos adorasse adoratione Latriæ DEVM, qui in persona Angelorum apparebat & loquebatur. At verò secundum modum adorationis soli DEO conuenientem ac debitum, Mardochæus noluit adorare Aman, timens ne honorem DEI transferret ad hominem, vt dicitur Esther 13. Ob eandem quoque causam prohibitus est Iohannes adorare Angelum, vt habes Apocalypsis vltimo. Hæc B. Thomas. Quanquam non est credibile, Iohannem voluisse adoratione Latriæ adorare Angelum; sed ei fuisse interdictum eiusmodi adoratione, quæ alioqui Angelo non erat inconueniens, nec indecens; vt ostenderetur excellentia dignitatis, quam homo adeptus erat per CHRISTVM, qui hominem æquiparauit Angelis; vnde subditur ibi, *Conseruus enim tuus sum & fratrum tuorum prophetarum.* Sed redeo ad Abraham, qui non solum erga hospites humanus & benignus & affabilis, sed etiam reuerens & venerabundus fuit. B. Augustinus in quodam sermone dixit, Abraham adorasse tres illos, tendendo supplices manus, & genua eorum osculando. Sane verbum Hebræum, vt diximus, significat non quamlibet adorationem, sed eam præcipuè ac proprie, quæ fit cum declinatione corporis, vel procumbendo in genua, vel procidendo in faciem suam, vel prosternendo se in terram, vel eorum, qui adorantur, manus aut genua osculando.

S. Thom. 2. 2. q. 84. art. 1.

3. Reg. 1. Iosue. 1.

Locus Apocalypsis ca. vlt.

S. Augustin. serm. 68. & 70.

* * *

Universidad de Deusto Biblioteca

VERSV 3. & 5.

Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum; sed afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore, ponamque buccellam panis, & confortetur cor vestrum, & postea transibitis: idcirco enim declinastis ad seruum vestrum.

SI tres vidit Abraham, & tribus obtulit hospitalitatis offi- 8
cia, cur vnum tantum, quasi esset ille incomitatus & soli-
tarius, affatur? B. Augustinus putat intellixisse Abraham,
in illis tribus apparuisse sibi, & locutum esse DEVM; ideo-
que numero singulari cum vno tantum quasi cum DEO
locutum esse. Namque initio huius historiæ Moses dixit apparuisse
DEVM Abrahæ: declarans autem quemadmodum ei apparuerit, pro-
xime adiungit, vidisse eum tres viros, &c. Verum obstat huic interpre-
tationi, quod illi ipsi quem numero singulari affatus est Abraham, etiã
corporalia humanitatis & hospitalitatis obtulit officia: ergo etiam eum
ipsum, cum quo ita loquebatur, hominem esse, taliumque officiorum
capacem atque indigentem existimauit. Quare credibilius dictu est,
quod à Chrysostomo aliisque traditur, cognouisse Abraham illum
fuisse honoratiorem & venerabiliorem aliis duobus, vel ex augustiori
corporis specie dignitateque; vel ex reuerentia & honore quem ei co-
mites tanquam præstantiori habebant. Ex hac visione & facto Abrahę,
atque ex omnium patrum qui super hac visione disputarunt expositio-
ne, nata est percelebris illa & perualgata sententia; TRES VIDIT &
VNVM ADORAVIT; quasi eo ipso quod tunc egit Abraham,
mirifice adumbratum fuerit mysterium TRINITATIS: neque
enim id mysterij propalam exponi, & aperte declarari eo tempore, vul-
garique conueniebat.

S. August. li. 16. de Ciuit. Dei cap. 29.

B. Chrysostomus.

PHILO, quod Abraham tres viderit, & vnum solum allocutus & 9
veneratus sit, ad mystologicam vertit interpretationem; non sane refe-
rens (vt Christiani Doctores) ad mysterium TRINITATIS, vtpote
quod ei cognitum non erat; sed pulchre accommodans ad triplicem
Diuinæ naturæ cognitionem & cultum, qui tribus in generibus homi-
num numen dispari ratione cognoscẽtium atque colentium, esse solet.
Tripliciter enim diuina natura cognosci & coli potest: vno modo vt
ipsa per se est, primamempẽ supremaque & æterna natura, infinite bo-
na, sapiens, potens, perfectaque & per seipsam infinite amabilis & ho-
norabilis: & secundum hanc rationem solet diuina natura in Sacris
Exo. 4. Literis appellari, QVI EST. Et sine dubio supremus est hic noscendi
colendique DEI gradus; talesque sui cultores DEVS, vt amicos fa-
miliariter tractat, honorat, & remunerat. Altera cognoscendi & co-

Pulchra Philonis de triplici cognitione cultuque Dei, disputatio.

lendi diuini numinis ratio petitur ex eius effectis: consideratur enim vt effector omnium rerum est, rectorque atque conseruator, præcipue verò vt benefactor hominum; vnde nomen DEI, à prouidentia scilicet, ductum est. Hic est secundus gradus cognitionis & cultus diuini: in quo sunt qui DEVM colunt, ob beneficia scilicet ab eo accepta, vel sperata: id genus cultores DEI, quasi mercenarios appellare licet, vt qui ad colendum DEVM, mercedis potissimum spe adducuntur. Tertius atque infimus cognitionis & cultus DEI gradus est, nosse DEVM ex seueritate iustitiæ eius, atrocitateque suppliciorum quibus scelera hominum vindicat. Nam etsi lente ac sero punitum ire hominum supplicia videatur, nullum tamen impunitum crimen dimittit; sed meritis omnia mortalium omnium maleficia pœnis addicit. Hac ratione cognoscitur DEVS vt Rex, vt Dominus, vt Iudex vltorque scelerum & vindex. Huiusmodi porro sui cultores tractat DEVS vt seruos, metu scilicet diuinæ vindictæ DEVM ipsum reuerentes colentesque. Itaque primi, puro amore; secundi, mercenaria dilectione; tertij seruili magis timore, quàm amore, & ad contemplandum DEVM adducuntur, & in eo colendo detinentur. Ergo per triplicem quam dixi cognitionem & cultum, diuina natura quæ vna est, apparet & manifestatur hominibus. Quod sane Moses denotare voluit, narrans DEVM apparuisse Abrahæ, eamque apparitionem & in tribus & in vno factam esse significans. Et summa quidem Philonianæ disputationis atque expositionis, huiusmodi ferme est.

VERVM oratio ipsa Philonis, tum propter facundiæ Platonicæ amplitudinem, tum propter eruditionis Theologicæ copiam atque grauitatem, dignissima profecto est, vt Lectori hoc loco noscenda & obseruanda exponatur. Sic autem scribit Philo in eo libro quem composuit de Abraham, pertractans id quod dixit Moses initio huius capitis, apparuisse DEVM in feruore diei; siue, vt legit Philo secutus LXX. interpretes, in meridie; & apparuisse tres viros Abrahæ, quorum ille cum vno duntaxat sermocinatus est: Cum anima, inquit, à DEO illustratur tanquam in meridie, & tota quanta est, luce intelligibili repleta, ex obscuris vmbris prorsus eximitur, tres imagines vnius naturæ diuinæ percipit; vnam ipsius rei; duas alias tanquam vmbras ab ea redditas. Ergo in illis tribus qui apparuerunt Abrahæ, repræsentabat Patrem omniũ, qui proprie appellatur in Sacris Literis, QVI EST: huius latus vtrumque claudunt duæ eius antiquissimæ & proximæ virtutes seu potentiæ; vna, per quam conditor rectorque rerum omnium est, ex quo DEVS rite appellatur; altera, ex qua nominatur Dominus, imperans scilicet & leges ferens, quarum obseruatores & violatores meritis vel suppliciis vindicat. Atque medius ille vtrinque stipatus suis potentiis, perspicaci menti nunc vnam, nunc tres imagines exhibet. Vnam, quando exactissime purgata anima omnem rerum multitudinem supergressa, ad vnam illam simplicem &

Verba Philonis.

Exodi. 4.

Universidad de Deusto Biblioteca

sinceram, & nullius indigam naturam contemplandam dedita & intenta est: Tres vero, quando nondum magnis initiata mysteriis, adhuc minoribus operatur, nec potest eum QVI EST, sine aliarum rerum adminiculo comprehendere, sed per eius effecta & opera, vt DEVM, & Regem, & Dominum agnoscit & colit.

Verum expressius ac distinctius id ipsum dicentes, Tres in moribus humanis, circa DEI cognitionem & cultum, ordines distinguimus: quorum quisque sortitus est vnam ex tribus DEI supradictis imaginationibus. Optimus quidem mediam, scilicet eius qui vere EST: secundus autem dexteram, scilicet virtutem beneficam, propter quam ei nomen DEI attribuitur: tertius sinistram eiusdem potentiam, scilicet principalem & regiam, ex qua Dominus appellatur. Proinde optimi mores ipsum qui per se EST colunt, non distracti à quoquam alio, vt qui ad vnum tendunt vnius honorem: cæteri partim per beneficam potentiam commẽdantur, & innotescunt summo Patri; partim per regiam & dominatricem. Et homines quidem, cum sentiunt, prætextu amicitiæ, quosdã ad se accedere lucri captatores, vt suspectos sibi auersantur, adulationem veriti, & fucatam submissionem; vt quæ sibi vel dedecus aliquod, vel damnum afferre possit. At DEVS, vt ab omni tutus iniuria, omnes quoquo modo eum colere volentes, libenter admittit; neminemque ex familia sua excludit; tantum non coram appellans animam, aures habentem audiendi, hisce verbis; Prima ferent præmia, qui me colunt propter me ipsum: secunda, qui me colendo, sperant se consecuturos bona, aut mala euasuros. Quamuis enim istorum mercenaria sit & insincera religio, ipsi tamen intra diuini templi sacra septa versantur, nec foris oberrant. Ergo me propter me colentibus, propono quæ amicis debentur præmia: cæteris qui propter vsus proprios, nec vt amicis, neque tamen vt alienis. Nam eos quoque accipio qui potentia mea beneficia frui cupiunt, immo & eos qui metu regiæ potestatis, placant eam vt pœnas effugiant. Noui enim istiusmodi homines non futuros deteriores, quin etiam in melius profecturos; deinceps in meo cultu, pura religione, sinceraque pietate, sese exercendo. Quamuis enim multum differant ea, vnde moti ductique sunt ad me colendum; vnum tamen omnes mei colendi scopum & finem habent.

Quod autem vnius DEI triplex sit cognoscendi imaginatio, & colendi varietas, liquet non solum ex contemplatione allegorica, verum etiam ex ipsius Scripturæ narratione. Namque Abraham cum supplici-ter rogasset tres viatoribus similes, vt suo vti vellent hospitio; allocutus eos tamen est, non quasi tres, sed quasi vnum, dicens, *Domine, si inueni gratiam coram te, ne transeas seruum tuum.* Verba hæc, Domine, coram te, ne transeas, similiaque, ad vnum non ad plures dici manifestum est. Iam vero in hospitio inter alia comitatis officia, vicissim conuiuatori suo vnus illorum trium, perinde quasi adesset solus, pollicetur legitimi filij natiuitatem, dicens, *Reuertendo veniam ad te iterum, hoc eodem tempore, & habebit filium Sara vxor tua.* Hæc Philo. Sed referamus nos ad in-

cœptam

cœptam verborum Mosis expositionem: vnde scilicet quasi de recto itinere digressi, Lectorem in peramœno Philonis diuersorio paulisper detinuimus atque recreauimus.

10 LAVENTVR *pedes vestri, & requiescite sub arbore, ponamque buccellam panis & confortetur cor vestrum.* Tria offert Abraham hospitalitatis officia viatoribus, lassitudiue, fame, sitique fatigatis peroptata atque vtilia: lotionem pedum ad tergendas ex terrestri itinere sordes; simulque ad refouendos pedes, leuandamque lassitudinem: tum etiam cibum ad reficiendas vires, recreandumque animum: denique locum ad requiescendum: *Requiescite*, inquit, *sub arbore.* Noluit introducere eos in tabernaculum, propter angustiam & clausuram loci, turbamque seruorum & mulierum, aliaque permulta impedimenta: at sub arbore locus erat patentior; apertius liberiusque cælum; solum ipsum frequentia opacantium atque inumbrantium arborum frigidum & amœnum; ipse demum prospectus propter varietatem vallium, montium, atque arborum erat quoquo versus multo iucundissimus. Eam arborem sub qua eos requiescere fecit Abraham, putant quidam fuisse quercum siue ilicem, alij pinum. LXX. Interpretes appellarunt terebinthum. Verum supra, cum extremos versus capitis 12. explanaremus, diximus super ea arbore, quæ nobis memorari obseruatique digna videbantur.

11 Sed fortasse miretur Lector, cur Abraham, qui numero singulari quasi cum vno loqui cœperat, repente transierit ad significationem multitudinis, quasi cum multis verba faceret, dicens: *Lauentur pedes vestri, requiescite sub arbore, confortetur cor vestrum, postea transibitis: idcirco declinastis ad seruum vestrum.* Huius in locutione Abraham varietatis causam, huiusmodi tradit Rupertus: Notandum inquit, in hac lectione verba secundum numeros variari, & alia singulariter dici, alia pluraliter: cuius varietatis hæc est ratio; vbi dicuntur vel aguntur ea quæ ad DEVM pertinent, omnia dicuntur singulariter: cum enim adorat Abraham, singulariter dicit, *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis*; quia videlicet vnus in tribus personis Dominus & DEVS est, qui singulariter & solus adorandus est. Vbi autem offert Abraham quod est non DEI proprium, sed hospitum commune, hospitalis dico humanitatis munera & officia; loquitur pluraliter, *Lauentur pedes vestri, requiescite sub arbore, confortetur cor vestrum.* Item vbi tanquam bene refecti & iucundi de Sara interrogant, scriptum est pluraliter, *Dixerunt vbi est Sara vxor tua?* Vbi vero mox promittitur, quod dare vel facere solius DEI est, singulariter ita est scriptum: *Reuertens veniam ad te, & habebit Sara filium.* Sic Rupertus. Verum planioris & simplicioris fuerit intelligentiæ, & propensioris fidei, si dicamus, Abraham vnum illum, quem vt præcipuum illorum trium reuerebatur atque honorabat, singulariter esse allocutũ; aliis vero duobus, & si putabat minoris esse dignitatis, cõmunia tamen hospitalis officij ministeria obtulisse. Consona est huic expositioni Ambrosij sententia. Deinde, inquit, cõuersus ad duos, quos ministros arbitrabatur, etiã ipsis deferre gestit obsequiũ, non sane debito

Cur Abrahã in sermocinãdo cũ illis tribus, transeat à numero singulari ad pluralem, & vicissim ab hoc ad illum.

Rupertus li. 5. Cõmentariorũ in Genesim cap. vlt.

Ambrosius.

seruitutis iure adstrictus,sed blãdo sedulitatis nomine vsuq; famulatus.

Hoc loco primum in Scriptura cõmẽdati virtutẽ hospitalitatis. *Ad Heb. 13.*

ILLVD porrò in hac historia Lectori animaduertendum est,hunc 12
esse primum diuinæ Scripturæ locum,in quo virtus commendatur hospitalitatis,eiusque aduersus hospites officia,munera,ministeria,ingenti cum laude hospitantis Abtahæ commemorantur. Quæ sane virtus, quàm fuerit superis accepta grataque, satis eo significatur,quod ea virtus vel Angelos ipsos,humana specie velatos, ad sese fruendam illexerit, & perquam familiariter tractauerit:hoc ipsum vehementer laudante Apostolo; *Hospitalitatem*,inquit,*nolite obliuisci: per hanc enim latuerunt quidam Angelis hospitio receptis.* Quî scis, inquit Ambrosius, an DEVM

Matt. 25. suscipias, cum hospitem putas; Abraham dum peregrinantibus defert hospitium, DEVM atque Angelos hospitio suscepit. Quamuis & cum hospitem suscipis, haud dubie suscipias DEVM, dicente Domino, *Hospes eram,& collegistis me;quod enim vni horum feciſtis,mihi feciſtis.* Vnius

3.Reg. 17. horæ hospitio, vidua illa quæ suscepit Heliam, & exiguo cibo perpetuum toto tempore famis inuenit alimentum, & mercedem accepit

4.Reg.5. mirabilem,vt nunquam de hydria farina deficeret. Eliseus quoque defuncti pignoris resuscitatione donata,hospitij resoluit pensionem.Hæc Ambrosius.

Nec solum apud probos viros & veri DEI cultores, sancte honorata cultaque est virtus hospitalitatis; sed etiam apud Ethnicos, veræ pietatis expertes: nec tantum apud Ethnicos humaniter ac ciuiliter viuentes,sed apud barbaras quasque ferasque gentes, quibus cæteroqui nec honesti,neque recti cura vel respectus erat vllus.Namque cum cæterarum virtutũ officia negligerent;ius tamen hospitij,fidemque ac be-

Homerus. Odyss. 2. nignitatem hospitalem,inuiolabili religione colebant.Fuisse autem vetustissimis temporibus celebrem hospitij fidem & caritatem, testis est locuples antiquissimus Ethnicorum scriptorum Homerus. Apud eum nempe Nausichaa Alcinoi Phæacum regis filia, Vlyssem fœda tempestate naufragioque iactatum,& in insulam Corcyram eiectum,hospitio accepit,eique cibum & potum famulos suos dare iussit. Homeri verba si quis verbum de verbo Latine exprimat, huiuscemodi sententiam quandam habent:facit enim ipsam Nausichaam nudi & naufragi Vlyssis miserentem hæc loqui.

» *Sed hic miser errans huc venit:*
» *Eum nunc nos ornare oportet;*
» *A Ioue enim sunt omnes hospites,paupereſque;*
» *Donum quidem paruum, sed gratum.*
» *Sed ô famulæ, date hospiti cibum & potum,*
» *Lauate in fluuio,quoniam quieuit ventus.*

Et apud eundem Poëtam rex ipse Alcinous, hospites, etiam forte oblatos,non aliter quam fratres tractandos esse putat.

» *Loco fratris*,inquit,*hospes & supplicator est.*

Illud quoque clarum facit indicium,quàm sancta fuerit apud priscos illos hospitalitatis religio, quod in Iouis ipsius, quem illi Deorum maximum

maximum atque optimum faciebant,fide & tutela præcipue ac proprie hospites esse dixerint, ob idque Iouem hospitalem appellauerint: quò scilicet Poëtæ versus ille spectat.

» *Iuppiter hospitibus nam te dare iura loquuntur.* Virgilius Aeneid. 1.

Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei, Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes. Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, deditque puero, qui festinauit & coxit illum. Tulit quoque butyrum & lac & vitulum quem coxerat, & posuit coram eis. Ipse vero stabat iuxta eos sub arbore. Versu 6.7.8.

NON sola facilitas hospitij, sed etiam sedulitas hospitantis & affectus requiritur. Vtrumque nos Abraham docet. Cucurrit obuiam, rogauit prior, & amabilem quandam vim attulit. Nec bonus maritus exortem religiosi muneris esse patitur vxorem suam, nec auare sibi totum munus hospitalitatis assumit: festinat ipse, & festinare iubet vxorem; sociam videlicet deuotionis ostendens,nec fide disparem. Nihil in huius paratu conuiuij de vino, nihil de condimentis & bellariis aliisque gulæ irritamentis atque voluptatum illecebris mandatum est. Totus cibus naturalis est, panis, caro, lac, butyrum; sed omnia lectissima, ingenti copia, singulari munditia, summa diligentia,& flagrantissimo studio comparata.

13 COMMISCE *tria sata similæ.* Satum ferunt esse vocem Syram, cui respondet Hebræa vox Saach, significans quandam mensuræ aridorum speciem.Quanquã LXX. Interpretes eam vocem generali vocabulo mensuræ reddiderunt: nam pro tribus satis, posuerunt ipsi tres mensuras.Epiphanius libro de Ponderibus & mensuris dixit(nisi locus est corruptus) saton sextarios continere quinquagintasex, cum reuera aliquanto plus dimidio minor mensura sit satum. Est enim satum Trigesima pars cori; est item tertia pars Epha vel Ephi, quæ quidem tres modios continet,estque par Medimno attico, eiusdemque capacitatis in rebus aridis, atque est in liquidis Bathus apud Hebræos, & Metreta apud Græcos; nempe capiens duos & septuaginta sextarios. Est igitur satum instar vnius modij;licet Iosephus lib. 9. Antiquitatum, & B. Hieronymus in cap. 13. Matthæi, Satum capax faciant sesquimodij Italici. In sato præterea continentur vigintiquatnor sextarij, siue libræ mensurales

Quod genus mẽsuræ sit satum. Epiphanius.

Iosephus. Hieronymus.

Universidad de Deusto Biblioteca

ſurales triginta ſex : vt in tribus ſatis farinæ, centum octo libras fuiſſe neceſſe ſit: vnde profecto ingens panis copia, ſi trium duntaxat conuiuarum cibatum ſpectes, facta eſt. Verum de Sato, omnique ponderum, menſurarum, & numiſmatum genere, multi ſcite docteque ſcripſerunt; ſed omnium, quos adhuc legerim (quantulum mihi memoriæ ac iudicij eſt) curioſiſſime ac diligentiſſime Georgius Agricola. Simila porrò eſt farinæ triticeæ pars puriſſima & pręſtantiſſima : quamobrem vocatur flos, & medulla farinæ, quæ etiam ſimilago dicitur, & potiſſimam nutriendi vim habet. Quanquam Plinius videtur primas partes deferre pollini: ſiquidem molitæ farinæ quatuor partes diſtinguuntur, pollen, ſimila vel ſimilago, ſecundarium vel cibarium, & furfur.

Georgius Agricola.

Plinius. lib. 18. cap. 10.

Et fac ſubcinericios panes. Tales nempe fieri ſolent, vbi furni vel clibani vſus aut copia non eſt; vel ad celerem panis coctu ram, ſi feſtinato cibatu ſit opus. Erant autem eiuſmodi panes azymi; ſiquidem fermentatio lenta & moroſa res eſt. Gedeon quoque azymos panes ex epha farinæ, id eſt, tribus ſatis confectos attulit ad Angelum. Præterea azymus panis etiam apud Ethnicos ſyncerior puriorque habebatur. Itaque in ſacris, fermenti vſus non erat. Cuius rei Plutarchus rationem hiſce verbis exponit: Fermentum, inquit, & ipſum ex corruptione natum eſt, & farinam cui admiſcetur, corrumpit, vt languidior fiat & inefficacior. Omninoque fermentatio putrefactionis ſpeciem quandam gerit, quę ſi modum excedat, reddit acidam, & plane perdit farinam. Sic Plutarchus. B. quoque Paulus azymorum nomen vſurpat in bonum & laudem, vocans Azyma ſynceritatis; contra verò fermenti vocabulo in malam partem vtitur, appellans fermentum malitiæ. Dominus item noſter cauere ſibi iuſſit Diſcipulos à fermento Phariſæorum id eſt, ab hypocriſi. 14

Subcinericius panis.

Iudicum 6.

Plutarch. in quæſtionib. Romanis, quæſt. 109.

Azymus panis fermento purior habebatur; ideoque in ſacris adhibebatur.

1. Cor. 5.

Matth. 10.

Proeo quod Latine legimus panes ſubcinericios, Græce eſt ἐγκρυφίας. quam vocem exponens Iſychius, panem eſſe ait in cinere factum ab eo qui clibanum non habet. Suidas panem eſſe cinere intectum. Athenęus ex quodam poëta ſcribit, genus eſſe panis laudatiſſimi, qui Tegeæ conficeretur ex ſimila, & apud Athenienſes poſtea in foro venderetur. Græce, inquit Ambroſius, ἐγκρυφίαι, dicuntur, hoc eſt, abſcondita, eo quod latere debeat omne myſterium, & quaſi operiri fidei ſilentio, ne profanis temere diuulgetur auribus. Hoc paſcitur Diuina Maieſtas, hunc epulatur affectum, qui parcus loquendi ſit, nec ſacra in medium efferat. Breuiter myſterium docet Sara, vnius ſimilaginis tres menſuras faciens, quæ typum Eccleſiæ habet, cui dicitur; *Lætare ſterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis.* Hæc enim intimo fidem ſpiritu fouet, eiuſdem diuinitatis aſſerens TRINITATEM, pari quadam menſura atque reuerentia PATREM, FILIVMque & Sanctum adorans SPIRITVM; & maieſtatis vnitate concelebrans, perſonarumque proprietate diſtinguens, ac deuotionem ſuam fidei aſſertione conſpergit. Sic Ambroſius.

Iſychius.

Suidas.

Athenæus lib. 3.

Ambroſius.

Eſa. 54. Gal. 4.

Cumque

Cumque comediſſent, dixerunt ad eum, Vbi eſt Sara vxor tua? Ille reſpondit, Ecce in tabernaculo eſt. VERSV 9.

15 SI comedere, actio propria eſt animalis, corpus habentis anima & vita præditum, cum illorum Angelorum corpora eſſent prorſus inanima, quo modo Moſes vere dixit eos comediſſe? Reſpondet Theodoretus : ſicut Moſes eos vocauit viros, cum nihil virilis naturæ haberēt præter externam figuram: ita dixit eos comediſſe, quia viſi ſunt comedere, non quidem cibum inferentes in os & ventrem, neque enim incorporea natura eiuſmodi partibus corporeis vere poterat conſtare; ſed cibum ſimulatis illis manibus capientes, & in ſimulatum quoque os ingerentes, clam conſumpſerunt, pro vt illis placuit. Namque rationē arcanorum curioſe ſcrutari rimarique, extremæ fuerit dementiæ. Ad hanc ferme ſententiam Theodoretus quæſtiunculam ſupra poſitam diſſoluit.

Theodoretus quæ. 68. in Geneſim.

Verum plenam eius quæſtionis explicationem; commentariumque loci huius plane abſolutum, præſtat nobis in quadam diſputatione ſua B. Thomas: ponit ille hanc quæſtionem: comedere, eſt proprium opus animalis: Siquidem Dominus poſt reſurrectionem, in argumentum reſumptæ ab ipſo vitæ, manducauit cum Diſcipulis, vt traditur Lucæ vltimo. Sed Angeli in aſſumptis corporibus apparentes, comederunt, & Abraham eis cibos obtulit, quos tamen prius adorauerat, vt ſcriptum eſt Geneſis 18. Ergo in aſſumptis corporibus exercent Angeli vitales actiones atque opera. Ad hanc quæſtionem ſic ipſe reſpondet; non verè in Angelos dici, ſi proprie loquamur, eos comediſſe; ſiquidem comeſtio denotat ſumptionem cibi conuertibilis in ſubſtantiam comedentis. Quamuis autem cibus à Chriſto poſt reſurrectionem ſumptus, nequaquam in corpus eius cōuerteretur, ſed reſolueretur in præiacentem materiam; attamen corpus eius talis erat naturæ, in quod poſſet vere cibus cōuerti, ideoque vera fuit comeſtio. At enim cibus ſumptus ab Angelis, nec in corpus ab eis aſſumptum conuertebatur, neque natura ſua conuerti poterat. Quamobrem vera non fuit comeſtio Angelorum, ſed figuratiua ſpiritalis comeſtionis. His fidem & lucem addit, quod Raphael dixiſſe legitur Tobiæ: *Cum eſſem*, inquiens; *vobiſcum, videbar quidem manducare & bibere; ſed ego cibo inuiſibili & potu vtor.* Abraham porrò Angelis obtulit cibos, exiſtimans eſſe homines: in quibus tamen DEVM venerabatur, ſicut ſolet DEVS eſſe in Prophetis, vt tradit Auguſtinus libro 16. De Ciuitate DEI, capit. 29. Hactenus ex B. Thoma.

S. Thom. 1. par. quæ. 51. art. 2. ad 5.

Locus Tobiæ 12.

16 *Ecce in tabernaculo eſt.* Rite diſtinxit Moſes in Abraham & Sara, diuerſas partes atque officia viri & vxoris, aliud enim viro, & aliud vxori

Vt virum in publico

versari, sic fœminã domi abditã, & interioribus familiæ domusq; negotiis intẽtam esse cõuenit.

conueniens & condecens est. Fecit Moses Abraham versantem in propatulo, & ante tabernaculum suum quasi speculantem explorantemque peregrinorum transitum; & velut expositum atque obuium desiderantibus hospitium. Dixit illum cucurrisse obuiam ijs, quos indigere hospitio putabat; & reuerenter salutando blande loquendo, impenseque rogando, ad hospitium suum compulisse. At verò Saram describit intra tabernaculum, à virorum conspectu remotã, interiora domus tractasse munia, in regenda moderandaque domestica familia occupatam: scilicet vt pudicam fœminam, grauem matronam, prudentemque ac diligentem matremfamilias decebat. Recte igitur Ambrosius, Ante tabernaculum, inquit, vir hospitum explorat aduentus: intra tabernaculum Sara fœminæ tuetur verecundiã, & opera muliebria tuto exercet pudore. Foris maritus inuitat, & intus Sara conuiuium adornat.

Ambrosius li. 1. de Abraham cap. 5.

B. Gregorius in extremo libro nono Moralium, historiam hanc accommodans ad moralem tractatum, docet, quod fecisse Abraham hic dicitur, figuram eius fuisse quod spiritus noster agere debet; quod autem scriptum est de Sara, id secundum tropologicam intelligentiam, documento esse debere, quid carnem nostrã agere, & quemadmodum spiritui nostro subiectam esse oporteat, ad hunc modum scribens: Ita carnis cura frænanda est, vt seruiat; nec quasi domina animum vincat, sed subacta mentis dominio, quasi ancilla famuletur: vt adsit iussa, & ad nutum cordis repulsa dissiliat: vt vix à tergo sanctæ cogitationis appareat, & nunquam contra faciem recta cogitantis obsistat. Ad hoc significandum, legitur Abraham tribus Angelis venientibus extra ostium occurrisse: Saram verò post ostium intra tabernaculum stetisse. Etenim intellectus noster, vt vir & dominus nostræ domus spiritalis, debet in cognitione Trinitatis, claustra domus excedere, & quasi habitationis infirmæ ianuam exire: cura autẽ carnis, vt fœmina, foris non appareat; & videre ac videri iactanter erubescat: sed quasi post tergum viri, sit sub discretione spiritus, solis necessariis intenta, nequaquam cupiens procaciter detegi, sed verecunde occultari. Quæ tamen sæpe, cum ei dicitur vt de se minime præsumat, sed totam se in DEI fiduciam conferat, despicit; & cessante studio, adesse sibi vitæ subsidia posse diffidit. Vnde eadem Sara promissiones DEI audiens ridet, sed ridens corripitur; correpta, protinus fœcundatur: & quæ in iuuentute florẽs ac vigens fœcundari non potuit, annis fracta senilibus, vtero marcescente cõcepit: quia cum cura carnis, sui confidentiam habere desierit, contra spem, ex diuina promissione accipit, quod habituram se, ex humana ratione dubitauit. Recte igitur filius eius dictus est Isaac, id est, risus: quia cum supernæ spei fiduciam concipit, quid aliud mens nostra nisi gaudium parit? Hactenus ex Gregorio.

B. Gregorij præclara moralis, de officio carnis, & spiritꝰ di spuratio.

Quo

Quo audito Sara risit post ostium tabernaculi. Erant autem ambo senes proiectæque ætatis. VERSVIO.

17 QVÆRITVR, an risus ille Saræ fuerit culpabilis. Negat Ambrosius: quin etiam putat eum risum non modo à culpa vacuum, sed etiam prophetiæ plenum fuisse ac mysterij. Risum Saræ, inquit Ambrosius, indicium futuri mysterij magis, quàm incredulitatis argumentum arbitror. Risit enim, licet adhuc nesciens quid rideret, quod publicã esset in Isaac paritura lætitiam. Ideo negauit se risisse, quia ignorauit quid ille risus præsignaret: ideo risit, quia nesciens prophetauit. Sic Ambrosius. Sed enim probabilior est opinio S. Augustini & Gregorij aiẽtium, Saram de promissa prole dubitabundam risisse: quasi promissum illud esset impossibile atque inopinabile, ætatique suæ indecens & absurdum. Considerabat enim atque æstimabat ordinariam DEI potentiam, quæ per causas secundas operatur; non autem omnipotentiam eius, per quam extraordinaria & inusitata facit opera, quæ appellantur miracula. Fuit autem leue peccatum Saræ: siquidem nec promissum illud putauit esse à DEO datum; nec tres illos existimauit esse Angelos; neque credidit fuisse eos prophetas, DEIque Legatos ad id prædicendum atque denunciandum, à DEO missos. Quanquam multis ex rebus coniectare & existimare poterat, insignes esse viros, dignissimosque, quorum dictis sine vlla cunctatione dubitationeque fides haberetur. Audiat Lector Augustinum quæstione 36. in Genesim ita scribentem: Quæritur, quare risum Saræ redarguit Dominus, cum & Abraham riserit, nec reprehensus fuerit? Nisi quia risus Abrahæ fuit admirationis & lætitiæ: Saræ autem risus fuit dubitationis: id vero discerni & diiudicari ab eo potuit, qui solus nouit corda hominum. Idem libro 16. de Ciuitate DEI cap. 31. sic ait: Risit Abraham admirans in gaudio; risit Sara dubitans in gaudio: nam ex Angelica exprobratione apparet, quod risus ille etiam si gaudij fuerit, plenæ tamen fidei non fuerit. Sed mox ab eodem Angelo Sara in fide confirmata est. Hæc Augustinus.

An Sara ridendo peccauerit. Ambrosius.

B. Augustinus.

18 ERANT *autem ambo senes proiectæque ætatis.* Obseruauit Philo, & in libro quem fecit de Abraham, annotatum reliquit, primum mortalium senem in Sacris Literis appellatum esse Abraham: cum tamen etiam post Diluuium, omnes eius maiores (vno excepro Nachor) longe seniores eo fuerint; atque adeo complures non annis solum, verum etiam sæculis longæuiores. Eius rei causam exponens Philo, appellatum esse ait senem Abraham, non propter multitudinem annorum, ætatisque grauitatem, sed propter canitiem virtutis ac sapientiæ. Diu sane vixit, qui diu multumque versatus in virtutum ac sapientiæ studio cultuque, multos lõgeuiores trãsgressus est. *Senectus enim venerabilis est, non diuturna, nec annorum numero computata: Cani autẽ sunt sensus hominis;*

Abraham primus appellatur in scriptura senex, & cur: Vide etiam S. Hieronymum super cap. 3. Isaiæ. Locus Sapientiæ cap. 4.

& ætas senectutis vita immaculata. Immo vero vita quantumuis breuis, si clarissimis virtutibus & egregiis benefactis ornata vsque ad extremum peracta est, instar longissimi æui censenda est. Nimirum sapienter de quodam dictum est: *Consummatus in breui, expleuit tempora multa.* Verba Philo. Philonis huiusmodi sunt: Primum omnium Abraham nominant Sacræ Literæ Seniorem, quamuis maiores eius triplo & amplius longæuiores fuerint; quorum neminem tamen legimus hac fuisse appellatione dignatum. Merito sane; nam reuera senectus non ex longæuitate, sed ex diuturno multoque virtutis studio spectatur. Eos vero qui longam ætatem sine probitate vixerint, longæuos pueros dicere conuenit, vt qui nunquam disciplinas attigerint dignas canicie. Amator autem prudentiæ ac sapientiæ, diuinæque fiduciæ fultam præsidio vitã agens, recte senior siue Primas vocari potest. Siquidem reuera primus est sapiens in humano genere; sicut gubernator in naui, magistratus in ciuitate, imperator in exercitu, anima in corpore, mens in anima, cælum in mundo, & in cælo DEVS. Sic Philo.

VERSVS 12 *Postquam consenui & dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?*

HINC apparet, quam sit intempestiuum atque indecens in 19
senili ætate indulgere corporis voluptatibus. Nam etsi auida earum voluptatũ libido & consectatio, turpis est in omni ætate; sed ea tamen senibus, vt nimis flagitiosa & perdita, perinsigni dedecore probroque est, planeque detestabilis. Scilicet verum est illud Satyrici poëtæ;

Iuuenalis Satyra 10.

---meritò suspecta libido est,
Quæ Venerem affectat sine viribus.

Cicero in lib. de Senectute.

Nec sine causa celebratur Sophoclis quoddam responsum; ex quo, iam affecta ætate, cum quæreret quispiam, vteretur ne rebus venereis? Dic meliora, inquit, libẽter verò istinc, sicut à domino agresti ac furioso profugi. Vere quidam dixit, hortandos esse libidinosos senes, vt se ipsos ad speculum intuerentur; quò capitis & barbæ canitiem, aratamque rugis frontem, cadaueroſamque faciem contemplantes, suæ ipsos puderet turpitudinis: simulque intelligerent, si voluptatem aspernari ratione & sapientia non possent, ab ea tamen debere ipsos reuocare ac deterrere senectutem. Itaque præclarum est munus senectutis, quæ cupiditatem voluptatum aufert ab homine, quæ est in omni ætate vitiosissima: magnaque habenda ei ætati gratia est, quæ efficit vt id non libeat, quod minime oporteat. Ex supradictis portò Saræ verbis recte colligunt interpretes, postquam Abraham & Sara consenuerant, & generationem prolis desperauerant, communi consensu statuisse, in posterum abstinere à copula carnali; cui nempe non est inseruiendum, nisi gene

generandæ prolis causa; aut certe in remedium concupiscentiæ, vitandumque fornicationis periculum: quod tamen periculum fere in senili ætate nullum est, restincto iam cupiditatum ardore, sensuque voluptatum. Videtur autem istiusmodi continentia inter Abraham & Saram, instituta esse ab eis, incœptaque ante quatuordecim annos quàm id gestum est quod narratur hoc capite: nempe ante quintum & octogesimum ætatis Abrahæ annum. Tũc enim Sara, cum desperasset prolem, suasit marito vt Agar duceret vxorem, quo sibi ex ea filios procreare posset, vt supra capite 16. proditum est. B. Petrus exemplo Saræ tam reuerenter & honorifice loquentis hoc loco de viro suo, eumque appellantis Dominum suum, vehementer cohortatus est mulieres ad præstandam viris suis obseruantiam & reuerentiam atque obedientiam. *Mulieres*, inquit, *subditæ sint viris suis; sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in DEO, subiectæ erant propriis viris, sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans.*

1. Cor. 7.

1. Petri. 3.

PRIMA DISPVTATIO.

Vtrum Abraham & Sara essent naturaliter omnino inualidi atque inhabiles ad generandam prolem, super illis verbis: VERSVS 17.

Erant ambo senes prouectæ ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria.

20 NON fuisse eos potentes generandi prolem, manifestum est ex supradictis verbis, quibus significatur duplex impedimentum perficiendæ generationis, alterum commune vtriusque, senilem dico amborum ætatem; alterum verò præcipuum & proprium Saræ, defectio menstruorũ, materiæ videlicet generationi necessariæ. Sed id ipsum apertius certiusque facere videntur verba B. Pauli ad hunc modum scribentis de Abraham: *Non est*, inquit, *infirmatus in fide: nec considerauit corpus suum emortuum, cum iam fere centum esset annorum, neque mortuam vuluam Saræ.* Si mortuum erat corpus Abraham, similiterque mortua Sarę vulua, quantum scilicet ad generationem; ergo naturalis generandi facultas non solum infirma, sed nulla prorsus in eis erat.

Disputatur super quæstione proposita in vtramque partem.

Ad Ro. 4.

AT enimuero, ex aduerso non desunt argumenta, quibus probetur, non fuisse eis naturaliter impossibilem generationem prolis. Nõ enim impedimentum erat ætas Abrahæ centum annorum. Siquidem ipsemet Abraham post id temporis, amplius triginta septem annos, com-

plures ex altera vxore Cetura filios procreauit,vt infra traditur Geneſis 25.& eo tempore ætas centum annorum talis erat,qualis hoc tempore eſt,ætas quinquaginta aut ſexaginta annorum;in qua ætate multi ſuperioribus ſeculis, hodieque liberos generant:immo poſt octogeſimum annum genuiſſe Catonem Cenſoriũ,& Maſſiniſſam regẽ,auctor eſt Plinius libro 7.c.14.Nec erat impediměto ætas Saræ iam nonagenariæ:eo namque tempore muliebris ætas nonaginta annorũ, perinde erat,atque nunc ætas quinquaginta;quippe cum Saram vixiſſe centum vigintiſeptem annos,ſcriptum ſit infra c.23.Nam quod ſcribit Plinius eodem illo loco,mulierẽ poſt quinquageſimũ annũ non gignere, non quaſi aliter accidere non poſſit,ſed quia ſic plurimũ maiorique ex parte contingat, interpretandũ eſt mox enim ipſe adiungit:exceptionem eius legis, commemorans Voluſium Saturninum,conſulatu illuſtrem virum , natum ex Cornelia poſt ſexageſimum ſecundum eius annum.

Plinius.

Nec verò generationi prolis obſtabat ceſſatio menſtruorum in Sara : conceptum enim fieri poſſe in fœmina , cui nullum ſit menſtruorum profluuium;credibile facit auctoritas Ariſtotelis affirmantis, quæ carent menſtruis,eas mulieres magna ex parte ſteriles eſſe.Magna, inquit,ex parte,nõ autem ex toto;quaſi non repugnet aliquam ſine menſtruis eſſe fœcundam. Quocirca idem ipſe mox adiecit : Verum fieri poteſt vt aliquę etiam ſine menſtruorum profluuio concipiant.Prętereа non videtur ſanguis menſtruus eſſe materia humani fœtus ; cuius nempe natura ſit valde impura & fœda; quin etiam virulenta & peſtilens,atque monſtrifica,vt pluribus verbis Plinius enarrat.Atque huius ſententiæ ſuffragator probatorque eſſe videtur S.Thomas in hæc verba ſcribens:Sanguis menſtruus,quem fœminæ per ſingulos menſes emittunt , impuritatem quandam naturalem habet corruptionis , ſicut & cæterę ſuperfluitates quibus natura non indiget,ſed eas expellit.Ex tali autem menſtruo corruptionem habente,quod natura repudiat , conceptus non fit:ſed hoc eſt purgamẽtum quoddam illius puri ſanguinis, qui digeſtione quadam eſt præparatus ad conceptum ; quaſi purior & perfectior alio sãguine.Sic S.Thomas. Hæc diſputare in vtrãq; partem libuit,quo manifeſtior Lectori eſſet propoſitæ quæſtionis difficultas.

Ariſt.lib. 7. de Hiſtoria Animalium cap. 2.

Plinius lib. 7. cap.15.

S. Thom. quæſt.31. art.5. tertiæ partis.

Duplex ſolutio quæſtionis ſecundũ Auguſtinum.

21 DVPLICITER explicat B.Auguſtinus propoſitam quæſtionem in libro 16.de Ciuitate DEI cap.28.Et in libro Quæſtionum ſuper Geneſim,quæſtione 35.Prior quæſtionis ſolutio,huiuſmodi eſt: Abraham non fuiſſe omnino impotentem generandi prolem ex quacũque fœmina,ſed tantum ex Sara, quæ ſimpliciter infœcunda erat,tum ob naturalem ſterilitatem,tum propter nimis prouectam ætatem,defectumque menſtruorum;quæ eſt materia corporando fœtui neceſſaria.Ex alia verò fœmina quæ iuuencula eſſet,ac naturaliter fœcunda, potuiſſet Abraham ea ætate naturaliter generare filios ; vt qui poſt id temporis, annis amplius triginta ſeptem , numeroſam prolem ex Cetura vxore procreauerit. Nam quod huic ſententiæ poſſet obijci, Paulum dicere, corpus Abrahæ fuiſſe id temporis iam emortuum,videlicet , quantum ad

Geneſ. 25.

ad facultatem generandi;id ſanè perfacilem habet explicatum:Dicitur enim fuiſſe corpus Abrahæ mortuum , vel ſecundum exiſtimationem ipſius,qui penſitans ætatem ſuam,& quod ante id temporis,ne in ipſa quidem iuuentute liberos è Sara generare potuiſſet , perſuaſum certumque habebat , nullam ſibi eſſe generandi facultatem. Vel dicitur corpus eius fuiſſe mortuum, quantum ad vim generatricem,non quidem reſpectu cuiuſlibet mulieris , ſed tantum reſpectu Saræ , ex qua propter cauſas paulo ſuperius expoſitas,non modo ſenex,verum ne iuuenis quidem,quantumuis fœcundus, liberos ſuſcipere potuiſſet.

Altera ſolutio eiuſdem quæſtionis,eiuſmodi eſt:Abraham ſimpliciter fuiſſe inhabilem ad generandam prolem ex quacumque muliere; verum accepta diuinitus potentia generandi , donoque fœcunditatis, potuiſſe non modo tunc cum erat centenarius , generare prolem ex Sara;ſed trigintaſeptem annis poſt ex Cetura. Adſcribam hic Auguſtini verba quibus ille vtramque ſolutionẽ ſtrictim attingit : Ambo , inquit,ſenes erant;ſed Sara etiam ſterilis, & cruore menſtruo iam deſtituta : propter quod iam parere non poſſet etiamſi ſterilis non fuiſſet. Porrò ſi mulier ita ſenex ſit,vt ei ſolita mulierum adhuc fluant , de iuuene parere poteſt,de ſeniore non poteſt:ſicut vir ſenex poteſt de adoleſcentula gignere.Quemadmodum Abraham poſt mortem Saræ , de Cetura genuit,quia viuidam eius inuenit ætatem.Hoc ergo eſt, quod vt mirum commendat Apoſtolus ; & propter hoc dicit Abrahæ iam fuiſſe corpus emortuum;quoniam ille non ex omni fœmina generare in illa ſenili ætate poſſet. Quamuis etiam ſic ſolui ſoleat iſta quæſtio: propterea multis annis poſtea genuiſſe Abraham ex Cetura;quia donum gignendi ex Sara,quod à Domino acceperat , etiam multis annis poſt,ad gignendum ex aliis mulieribus , in eo manſit. Sed ideo mihi prior illa quæſtionis huius ſolutio præferenda videtur,quod centenarius ſenex nunc quidem de nulla muliere generare poſſet ; non autem tunc , quando tam longæui erant homines , vt centum anni nondum plane decrepitam facerent ſenectutem.Sic Auguſtinus.Priorem igitur ſolutionem probabiliorem iudicans Auguſtinus,poſteriori anteponit.

S. Auguſtini verba.

*Geneſ.*25. *Ad Ro.*4.

22 AT enim contra ſentit B. Thomas , poſteriorem ſolutionem anteferens priori;ratus ſcilicet tam Abrahã quam Saram ſimpliciter fuiſſe impotentes generandi , & vtrique diuinitus eſſe inditam facultatem generatricem.Equidem aſſentior potius Auguſtino : cui nempe etiam Apoſtolus Paulus valde ſuffragatur , ſcribens virtutem generandi non vtrique,ſed Saræ ſolum à DEO eſſe donatam.*Fide,* inquit, *& ipſa Sara ſterilis,virtutem in conceptione ſeminis accepit , etiam præter tempus ætatis.* Si beneficium illud vtrique eſſet tributum , de vtroque ac non de Sara tantum , id prædicaſſet Apoſtolus. Argumentorum autem , quæ in vtramque partem;initio diſputationis poſita ſunt, ſolutionem præbebit proxime ſequens diſputatio.

S.Thom.in 4.cap.epiſt. ad Romanos.

*Ad Hebr.*11.

SECVNDA

SECVNDA DISPVTATIO.

An cessatio menstruorum in muliere, conuincat eam concipere naturaliter non posse.

DVo significat Moses hoc loco in Abraham & Sara im- 23
pedimenta generandi: vnum fuit commune vtriusque, nimirum senilis amborum ætas; non enim inierant tunc senectutem, sed multum in ea processerãt, longeque fuerant prouecti. Namque incipiẽte senectute generare, non est prorsus inusitatum, sicut affecta iam senectute, quæ effœtum omnino atque infœcundum reddit hominem. Signate verò dictum est ambos fuisse senes: si enim alteruter solum fuisset senex, non fuisset desperanda prolis generatio; siquidem hominem senem ex iuuencula muliere gignere posse, omnis ætatis plurimis exemplis compertũ est: atque itidem vetulam mulierem ex iuuene concipere posse, extra controuersiam est: quanquam hoc non perinde atque illud frequens & vsitatum sit. Vnius nimirum vitium ætatis, alterius robore ac vigore, viuidaque virtute corrigitur & compensatur. Cum igitur tam Abraham quàm Sara admodum senes essent, mirandum non est, visam Saræ impossibilem fuisse generationem prolis. Sed multo grauius erat alterum generationis impedimentum, quod proprium Saræ fuit, cessationem dico menstruorum, non ex morbo aliquo, verum ex multo senio. Id autem exponit Moses illis verbis: *Et desierant Saræ fieri muliebria.*

Monet me hic locus, vt quo eius planiorem, plenioremque intelli- 24
gentiam capiat Lector, paulisper digrediens, & paulo altius repetens, pauca quædam sũper huiusmodi muliebribus, siue menstruis carptim exponam, id enim neque alienũ hoc loco est, nec Lectori, opinor, fuerit non gratum; & ad similium Scripturæ locorum cognitionem, vbi de ea re fit mentio, non parum conducet. Hinc præterea exploratum Lectori erit, num semper cessatio menstruorum in muliere, cõuincat eam concipere naturaliter non posse. Sed ante omnia dicendum est, cur solenne muliebris sanguinis profluuium, Moses hoc loco appellauerit muliebria; alij verò menstrua vel menses vocare solent. Muliebria dicta sunt, quod omnium animantium sola mulier, aut ea maxime, huiusmodi sanguinis purgationem habet. In cætero enim animalium genere, carent fœminæ ea purgatione; propterea quod hoc materiæ superuacuum (vt docet Aristoteles libro 7. de Historia animalium cap. 2.) vertitur fœminis in corporis alimentum: sunt enim in quodam genere animalium fœminæ grandiores maribus. Aliis verò ea materia transit autin corticem, aut in squammas, aut in pennarum, vel pilorum copiam absumitur, aut in vrinam diuertitur, quam de cæteris animãtibus plurima, largiorem crassioreque reddunt, quàm homo. At enim mulieribus,

Cur Moses fœminarũ menstrua, præcise vocauerit muliebria. Aristoteles.

ribus, istiusmodi retũ omnium vice, superfluens ac redundans materia, in purgationem mensium vertitur; quemadmodum in maribus quoque, ratione seminis genitalis, simili modo fieri cernitur.

25 Huiusmodi porrò muliebris Profluuij duplex causa est: vna est necessitatis, ad materiam pertinens; altera verò propter bonum animalis, spectans vtique ad finem. Aristoteles sanè cum doctrinam animalium tradit, in duabus hisce causis exponendis multus & diligens esse solet. Causa, vt materia, muliebris profluuij, temperamentum est corporis muliebris frigidum & humidum; itemque densitas cutis, & sedentaria atque otiosa vita. Frigiditas enim & humiditas temperamenti, exuberantiam facit excrementitij sanguinis; densitas verò cutis, & quies atque otium faciunt, ne superuacua illa materia, nullo penè corporis agitatu & exercitatione, dissipari & consumi possit. Hinc existit repletio corporis, purgatione, ac tali profluuio indigẽs. Quamobrem prout ista maiora sunt aut minora, sic eiusmodi profluuium aut maius aut minus contingit. Quapropter scite dixit Aristoteles, candidiores graciliores que mulieres, eiusmodi profluuij esse abundantiores: obesis namque & corpulentis, ea materia transit in alimẽtum. Quin etiam ad maiorem minoremue copiam menstruorum, præparatur mulier ciborum vsu humidorum & aerium. Ob eãdem quoque causam accidit, vt quas vulgo appellamus viragines, quod ingenio, animo, moribus virorũ similiores sint quàm fœminarum, quoniam temperamẽto corporis præditæ sunt calidiori ac sicciori, aut nullum, aut certe perexiguũ habeant sanguinis profluuium.

Duplex causa menstruorum: vna, vt materia.

26 Altera causa eiusmodi profluuij posita est in fine: hæc verò bonum est generandi animalis, bonum dico duplex. Sanguis enim muliebris necessarius est, tum vt materia ad cõstitutionem & corporationem fœtus; tum ad eius iam geniti nutricationem & alituram. Aristoteles quidem certe arbitratur, totam materiam corporandi fœtus ministrari à fœmina; à mare vero tantum vim efficientem ac formatricem. Sed cum eo dissentiunt vehementer medici: censent enim, materiam fœtus non totam à fœmina esse, sed maxima ex parte; sicut nec tota efficientia à mare est, sed plurima tamen & præcipua. Itaque medicorum sententia, fœmina plurimum materiæ, parum autem efficientiæ; mas contra, materiæ minimum, efficaciæ plurimum confert ad generationem. Quemadmodum porrò è sanguine muliebri, vt ex materia, concrescat & corporetur fœtus, non minori elegantia, quàm breuitate docet Plinius hisce verbis: Quibus mẽstruale profluuium nunquam contingit, eas mulieres constat non gignere; quando hæc est generando homini materia, semine è maribus, coaguli modo, hoc in sese glomerante: quod deinde tepore ipso animatur corporaturque. Hinc apparet, cur nec lactantibus, nec vtero gerentibus fluant menstrua: illis enim sanguis, alioqui redundaturus, abit in lac: his vero transit in generationem fœtus. Sin autem grauidis fluere pergant menstrua, aut non vitales aut sanioſos, aut inualidos edi partus, Nigidij auctoritate confirmat

Altera causa menstruorũ vt finis.

Aristoteles.

Plinius li. 7. cap. 15.

Cur neque grauidis, neque lactãtibus fluant menstrua. Nigidius.

Aristoteles. Plinius, & ante eum docuit id Aristoteles lib. 7. Historia animalium cap. 2.

Ante initiũ, & post finẽ Menstruorũ non fit conceptus.

Necessitatem præterea eiusmodi sanguinis muliebris ad generatio- 28
nem animalis, ex eo quoque licet agnoscere, quod priusquam mẽstrua fluere incipiant, aut postquam desierint, concipere mulier nequaquam possit: vt idem plane sit initio & fini menstruorum, atque concipiendi & generandi tempus à natura constitutum. Tradit autem Aristoteles initium mestruorum fieri in principio pubertatis; id autem est, ab anno decimoquarto vsque ad decimum septimũ; aliis enim citius id accidit, aliis serius; desinunt vero menstrua ferme inter quadragesimum & quinquagesimum annum. Mulier, inquit Plinius, post quinquagesimm annum fere non gignit; maiorque pars quadragesimo profluuium genitale sistit. Vbi autem tale profluuium cœptum est, plurimum in singulos menses redire ac frequentari solet. Vnde nomen illi est menstruorum aut mensium; mire sane competens & congruens cum Lunæ auctu, senioque; vt propterea non illepide fœminam quidam olim appellauerint sexum Lunarem, pariter enim cum Luna menstruorum incrementa fiunt & decrementa. Quanquam paucis menstrua in singulos menses mouentur; sed vno intermisso mense plurimis, & tunc largius: nec desunt quibus sæpius etiam mense contingunt.

Plinius.

Cur vocentur Mẽstrua.

Quibus porrò menstrua vel nondum cœpta, vel iam desita sunt; hæ 29
mulieres haud quaquam concipere possunt; non solum propter inopiam sanguinis, qui est materia generationis; sed propter malam quoque vteri affectionem. Nam quibus nondum fluxere menstrua, nõdum vterus (quantum oportet) dilatatus, nec satis capax est: quibus verò iam per ætatem plane cessauere, earum siccior fit & durior atque contractior vterus, ob idque cõcipiendo fœtui minimeidoneus. Ergo quas defluuiũ sanguinis, præ multo senio, prorsus defecit, eas mulieres esse infœcundas, nec posse naturaliter cõcipere necesse est: siquidem eo carent sanguine, ex quo tanquam materia fœtus corporatur atque cõstituitur. Hoc autem intelligi debet de menstruorum defectu, qui secundum naturam, & propter senilem ætatem contingit: posset enim talis defectus menstruorum, etiam in ætate iuuenili ex morbo aliquo accidere; quo tamen morbo bene curato discussoque posset mulier, cuius id erat vitium, fœcũndari & concipere.

Quomodo intelligendũ, sine Mẽstruis nõ posse fieri conceptum.

Neque vero naturalis defectus menstruorum propterea facit im- 30
possibilem conceptionem, quod sit ipse materia generationis; id enim procul vero est. Cum enim talis sanguis sit impurissimus, & materiæ cuiuspiam pestilentis ac virulentæ, nec retineatur in vtero, sed vt inutile quoddam & sordidum excrementum foras eiiciatur; clarum ea res iudicium facit, eiusmodi sanguinem esse generationi animalis omnino alienum & inutilem. Sed quia is defluxus, excremẽtum quoddam est, purgatioque mundi ac probi sanguinis, sine quo animalis conceptus non quit fieri: idcirco cessatio menstruorum, signum est

Sanguinem menstruum nõ esse materiã fœtus.

inopiæ

inopiæ ac defectus boni sanguinis qui est materia generationis.

Excutitur locus Aristotelis li. 7. de Historia animal. cap. 2.

Iam verò quod in principio huius Disputationis, quasi sententia es- 31
set Aristotelis, positum est, quibusdam mulieribus etiam sine profluuio menstruorum, conceptum posse cõtingere; id, quo sensu ab eo dictum, quoue à nobis intellectu accipiendum sit, ex subiectis ab eo verbis liquido cernitur. Aristotelis verba sic se habent: conceptus mulieribus à profluuio menstruorum, sua natura contingit: & quæ his carent, steriles magna ex parte existunt. Verum fieri potest, vt aliquæ etiam sine eorum profluuio concipiant: videlicet, quibus tantum humoris colligitur, quantum iis, quæ purgantur restare solet; quanquam non tanta copia, vt & foras possit profluere. Sic Aristoteles. Qui etsi dixit mulieribus conceptum accidere post menstruorum profluuium; non id tamen dixit, quasi perpetuò verum sit, nec secus euenire queat: sed quia fere ac plurimum ita contingit. Siquidem paulo infra eum ipsum locum, adiungit hæc verba: Nonnullæ sunt mulieres, quæ dum profluũt menses, concipiunt, postea verò concipere nequeunt; quibus nempe vulua statim à purgatione comprimitur.

Galenus.

Huc etiam pertinent, quæ prodidit Galenus in eo libro, quem fe- 32
cit de Dissectione vuluæ. Concipiunt, inquit, mulieres vt plurimum vel incipientibus vel cessantibus menstruis. Tunc enim vteri continendo semini aptiores fieri solent, excrementitia sublata humiditate, quæ semen vel erat corruptura, vel certe, vt elaberetur, effectura. Enimuero, mulieribus stato tempore fluunt menses: verumtamen tunc, nisi rarò admodum, concipere mulieres non possunt; quod non queat tunc semen probe in vtero contineri; sed à defluentis copia sanguinis eluatur. Cessantibus vero menstruis, vel antequam refluere incipiant, & ora vasorum vteri aperta sunt; & menstruum, neque multum, nec vniuersim, sed paucum & sensim effluit; quasi ex humiditate quadam sanguinea insudante. Quo fit vt tunc bene resiccata matrice, semen firmius hæreat: satisque alimenti semini ipsi, ex sanguinis effluentis paucitate accedat, vt inde commodissime fœtus procreari & sustineri queat. Sic à Galeno. Satis igitur apparet ex iis quæ disputata sunt, cur Moses, vt ostenderet Saram non fuisse naturaliter potentem generandi, dixerit, iam desiisse fieri ei muliebria. Posset hæc disputatio subtilius & copiosius tractari: verum quæ dicta sunt, ea satis ad præsens Lectori esse debent. Et nos cæteram huius capitis historiam persequamur.

* * *

VERSVS 16. *Cumque surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam: & Abraham simul gradiebatur deducens eos.*

CVM *surrexissent viri.* Vt enim paulo ante dictum est, fe- 33
cerat eos Abraham requiescere sub arbore, vel sedendo, vel recubando. Mirum verò, Mosem eos hoc capite nomine virorum appellasse, nusquam nomine Angelorum: cum idem tamen, duos illorum trium, profectos Sodomam, initio sequentis capitis nominatim aperteque appellet Angelos. *Direxerunt oculos contra Sodomam*: In eum scilicet locum vultu oculisque spectantes, atque eo iter suum dirigentes. Spectantes autem regionem Sodomorum, simul etiam spectabant orientalem plagam terræ promissionis. Siquidem vrbs Hebron iuxta quam erat conuallis Mambre, vbi hæc acta sunt, in medio sita fuit sortis Iuda. Regio porrò sortis Iuda, ab Oriente per Meridiem extendebatur vsque in Occidentem. At mare salsissimum siue mortuum, quo in loco antea fuit Sodomorum regio, sacræ literæ vt terminum Orientalem terræ promissionis, statuere solent. Et hæc quidem facile nota erunt cuiuis legenti caput 15. lib. Iosue.

Psal. 100. *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine,* ait Dauid: Libet enim 34
eadem hoc loco vti sententia. Nimirum duæ sunt quasi viæ, per quas semper incedit Diuina prouidentia circa gubernationem rerum humanarum; bonis vtique subueniendo & benigne faciendo: malos verò, non rarò etiam in hac vita, insigniter puniendo. Vtrumque sane in hac Mosis historia cernere licet: nam quæ antecesserunt, singularem DEI erga Abraham declararunt beneuolentiam & benignitatem, amplioribus in dies bonis eum augentis atque ornantis: at quæ dehinc subsequitur historia, seueriſſimam DEI iustitiam aduersus Sodomitas, & atrocissimum eius gentis atque regionis excidium demonstrat. Direxerant illi oculos ad Abraham, vt eum eiusque vxorem diuina benedictione, ingentique gaudio replerent: direxerunt iidem oculos suos aduersus Sodomitas, punitum ac perditum euntes eam gentem. Nempe
Psal. 33. verissimũ est quod cecinit Dauid; *Oculi Domini super iustos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Nec vacat mysterio, quod perinsigne bonitatis diuinæ pariter atque seueritatis tunc editum est exemplum, cum nasciturus erat Isaac, multis sanè rebus illustrem CHRISTI Domini nostri gerens figuram: eius quippe aduentus, vt electis magno futurus erat bono; ita reprobis ingenti malo; atque vt prædixit Simeon,
Luc. 2. *Psal.* 44. in multorum resurrectionem, multorumque ruinam. De eo certe vaticinatus fuerat Dauid: *Accingere gladio super femur tuum potentissime. Specie tua & pulchritudine tua, intende prosperè, procede, & regna. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum regis.*

Et Abraham simul gradiebatur deducens eos. Id feciſſe Abraham putat Thoſtatus. Thoſtatus.
Thoſtatus, vt illis Sodomam ire volentibus, comiter monſtraret viam; nondum enim Angelos eſſe cognouerat. Sed mihi ſimilius vero fit, Abraham, hoſpitalis cuiuſdam vrbanitatis officio, honorifice viros illos aliquatenus comitari voluiſſe. Nimirum omnes virtutis hoſpitalitatis numeros implere, vniuerſaque eius munera & officia cumulate præſtare voluit. Huiuſmodi autem munera & officia, tria ſunt; vnum, blande inuitare hoſpites, humaniterque accipere; alterum, affabiliter & liberaliter tractare, tertium, digredientes amanter dimittere, quin etiam aliquanto ſpatio, eos proſequi & comitari. Namque hunc deducendi hoſpites morem, fuiſſe antiquiſſimum, teſtis optimus eſt Homerus, valde Homerus. Odyſſ. T. & I.
laudans Vlyſſem, vt qui hoſpitum non ſuſceptor modo iucundus, verum comis etiam deductor eſſet. Venerabiles, inquit, hoſpites ſuſcipere, & deducere ſolitus. Idemque de Ioue Hoſpitali prædicat.

„ *Qui hoſpites* (inquit) *venerandos ſimul comitatur.*

TERTIA DISPVTATIO.

An B. Chryſoſtomus ſcribens hoc loco, Abraham ex naturali ſcientia, & ex ſeipſo egregie coluiſſe virtutes, & ſe dignum gratia DEI *feciſſe, contradicat doctrinæ Catholicæ, ac Pelagianorum hæreſi ſuffragetur.*

35 BEATVS Chryſoſtomus hunc locum Moſis atque hæc ipſa verba pertractans in Homilia 44. in Geneſim, diſerta oratione laudat Abraham, oſtenditque fuiſſe eum non ſolum hoſpitalitatis virtute præclarum, ſed in omni virtutum laude excellentem: affirmans animam eius fuiſſe quaſi imaginem quandam animatam, pulcherrimis virtutum omnium coloribus perfecte depictam. Verum caute legendum eſſe cenſeo, quod eo loci adiungit Chryſoſtomus: poſſet enim primori verborum ſpecie Lectorem fallere, atque in malam de Chryſoſtomi ſenſu exiſtimationem adducere. Sic enim, poſt ea quæ commemoraui, ſubiungit: Quæ nobis relicta eſt excuſatio, cum vnus ille homo Abraham cunctas in ſe virtutes poſſederit; nos verò ita ſimus earum expertes, vt ne vnam quidem comparare iuuet? & iſtud ipſum, quod ille Patriarcha qui ante gratiæ Euangelicæ & legis Moſaicæ tempus fuit, ex ſeipſo, & ex ſcientia ſibi naturaliter inſita, ad tantum virtutis faſtigium peruenit: ſufficit vt noſtras omnes excuſationes penitus refutet. At forte dicet aliquis, virum illum multam à DEO gratiam eſſe conſecutum, DEVMque Verba Chryſoſtomi cauta legenda.

singularem eius viri perpetuò gessisse curam. Non id abnuo, & ita esse, vltro confiteor & prædico. Verum nisi prius ille, quod suum erat, fecisset, non tanta à Domino obtinuisset. Sed primum ille in omnibus clarum virtutis suæ dedit specimen, & sic diuinum meruit præsidium. Cumque à progenitoribus suis nullum fidei semen accepisset, ex seipso tamen valde religiosam atque piam mentem obtulit. Sic B. Chrysostomus. Quibus verbis ille duo videtur significare, & Abraham naturali scientia, suaque potestate bonum ac religiosum fuisse, atque egregie coluisse virtutum officia: & bene ipsum viuendo ac benefaciendo, quantum in ipso erat, promeruisse DEI gratiam. At vtraque sententia non falsa modo est, sed in super contraria doctrinæ Catholicæ, & Pelagianorum errori consona. Hominem enim ex iis quæ habet à natura, & ante diuinæ gratiæ auxilium, posse colendis virtutum efficiis bonum & iustum existere; atque se ipsum facere dignum, cui DEVS gratiam suam tribuat; prorsus respuit ac reiicit syncera Catholicæ Ecclesiæ doctrina.

Chrysostomus sensit nullũ esse in homine bonũ quod nõ præuenerit Dei gratia.

SED enim ita sensisse Chrysostomum, minime existimandum est. 36
Constat enim ex aliis eius scriptis, agnouisse eum ac prædicasse primam illam DEI gratiam, quæ preuenit hominem illuminando, vocando, incitando: quæque antecedit non solum bona opera hominis, sed etiam desideria & consilia; à DEO enim, vt in quadam Oratione pie, vereque confitetur Catholica Ecclesia, sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera. Quod autem Chrysostomus censuerit initium omnis boni quod est in homine, esse à DEO, & quidquid in homine boni est, id gratiæ diuinæ acceptum referri oportere, nemo dubitare potest, qui legerit quod à Chrysostomo in homilia 12. in quartum caput primæ Epistolæ ad Corinthios hisce verbis scriptũ est: Quod habes, id accepisti: neque hoc tantum aut illud, sed quicquid prorsus habes: non enim merita tua hæc sunt, sed DEI gratia. Quamuis fidem adducas, à vocatione eam accepisti: quamuis peccatorum veniam adducas, quamuis gratias, quamuis virtutes, omnia inde ibi prouenerunt. Quid igitur habes, quod non acceptum habeas? Num ipse per te recte operatus es? Non sane, sed accepisti: non enim tuum id munus est, sed largientis. Nam si accepisti, ab illo vtique accepisti: si ab illo, non igitur tuum est quod accepisti: si non tuum, quid insolescis, ac si tuum habeas? Sic ibi Chrysostomus. Qui non solum putauit gratia DEI præueniri hominem vt bonum facere ac velle incipiat, verum quòd vbi inceperit, eum illa bene operantem comitatur, adiuuat, & promouet. Quod ille in homilia quadragesima secunda in Genesim, in eodem scilicet ipso loco, qui hanc excitauit quæstionem, similitudine quadam ex Olympicis certaminibus sumpta, pulchre declarat: Sanè, inquit, in Olympicis certaminibus, qui certantis adornator & magister est, nihil adiumenti præstat certanti, sed subsistit, & fit tantum spectator vt cæteri, expectans dum aliquis certantium vincat & coronam

tonam accipiat. Non sic autem Dominus noster: sed simul nobiscum certat, & manum porrigit & adiuuat; & quasi vndequaque aduersarium nostrum nobis tradit; & omnia facit, vt nos in certamine duremus, & vincamus, vt immarcescibilem nobis coronam imponat. Hæc S. Chrysostomus.

Exponitur supradicta verba Chrysostomi quę falsa videbantur.

37 ERGO cum dixit Chrysostomus, Abraham ex se ipso & ex scientia sibi naturaliter indita, virtutum officia coluisse ac perfecisse, illis verbis, *Ex se ipso*, noluit excludere interiorem DEI illuminationem, motionem, directionem, cæteraque præueniẽtis gratiæ auxilia: sed excludere tantũ voluit externa quædã ad cotendam virtutẽ incitamenta & adiumenta, siue humana siue diuina, cuiusmodi sunt bona parẽtum institutio, recta magistrorum doctrina, scientia diuinarum & humanarum rerum diuinitus tradita, & scriptis mandata vel per Mosem, vel per Prophetas, vel per legem & disciplinam Euangelicam, aliaue hoc genus ad bene viuendum & agendum adminicula & præsidia. His enim omnibus caruit Abraham; vt qui non solum Mosaicam, Propheticam, & Euangelicam; sed omnem prorsus, quæ literarum monumentis consignata esset (quantum scilicet nobis innotuit) doctrinam anteceſſerit. Nec verò cum ait Chrysostomus, Abraham ex scientia naturaliter sibi insita, optimam instituisse vitam, & multa præclare fecisse; significat defuisse ei doctrinam supernaturalem fidei & diuinarum reuelationum; sed caruisse eum scientia diuinitus tradita tam humanarum quàm diuinarum rerum, quæ quidem esset id temporis expressa literis & scriptis prodita. Habuit sane Abraham duplicem vitæ suæ, suarumque actionum velut magistram & rectricem scientiam: vnam diuino munere sibi traditam, quæ cognitionem potissimum rerum supernaturalium, & humanarum, sed longe post futurarum, id est, fidei & prophetiæ continebat: alteram, humanam, & partim naturali rationis lumine, partim acri studio, longinqua obseruatione, multoque vsu ab ipso comparatam.

Duplex in Abram doctrina fuit vitæ actionũque eius directrix.

Iam verò alterum Chrysostomi dictum, facile est ad bonum intellectum, & sanam sententiam, recte interpretando, adducere. Abraham, inquit Chrysostomus, prius bene viuendo & virtutum officia nauiter exercendo, dignum se fecit cui DEVS gratiæ suæ dona tribueret. Sed in his verbis illud *prius*, non denotat anteceſſionem omnis gratiæ diuinæ etiam præuenientis, quasi Abraham ante gratiæ diuinæ præuenientis auxilium, honeste viuendo & benefaciendo, iustus fuerit; namque paulo supra docuimus ex ipsius Chrysostomi sententia, cuiuslibet boni quod homo facit, aut etiam vult, principium esse diuinam gratiam, & idcirco nihil boni habere hominem, quod non à DEO acceperit. Illud igitur, *prius*, significat anteceſſionem gratiæ iustificantis & sanctificantis; ante quam potuit Abraham, diuinæ gratiæ præuenientis ope adiutus, multa benefacere, quibus rite præpararet se, atque idoneum faceret ad eiusmodi gratiam accipiendam. Nec enim eo loco apud Chrysostomum illud, dignum se facere, indicat dignitatem

proprie

proprie dictam,& meritum,vt vocant Theologi,de condigno; sed sufficientem,& idoneam,& qualem esse oportet, præparationem ad gratiam. Enimuero Chrysostomus in suo illo dicendi genere concionatorio & populari, oratoriam potius & popularem in dicendo amplitudinem sequitur,quàm limatam disputantium in scholis Theologorum subtilitatem. Quare verba eius,ex vulgari potius loquendi consuetudine æstimanda, quàm Theologicæ Scholæ trutina nimis anxie pensitanda sunt. Vel fortasse Chrysostomus per diuinam gratiam qua se dignum fecit Abraham, non intellexit primam gratiam iustificantem sed eius amplificationem ac perfectionem: vel(quod mihi magis placet)singularem quendam DEI fauorem,amicitiam,familiaritatem,& magnifica quædam promissa quæ DEVS Abrahæ dedit propter eximia fidei eius ac pietatis & obedientiæ merita:vt fuit promissum illud de multiplicatione eius seminis:de possessione terræ Chanaan, & de futura ex semine eius Messiæ generatione.

Quale genus dicendi fuerit Chrysostomi.

Quid nonnumqnã accidat sãctis patrib. contra Hæreticos vehemẽter decertantibus.

ILLVD præterea dici ad defensionem Chrysostomi posset: simile 38
quippiam accidisse ei,atque nonnullis patribus contigit. Quidam enim etiam nobiliter sancti & docti viri, dum nimio plus acriter & vehementer sententiam quampiam oppugnant aut defendunt, dicunt interdum quædam, quibus vergere in contrariam sententiam videantur. Nonnulli enim dum pro DEI gratia valide propugnant,videntur nimis eleuare atque extenuare libertatem humanæ voluntatis:contra vero,pro hac ipsa libertate voluntatis dum vehementer dimicant, dicas eos præter modum,liberi arbitrij vim & facultatem extollere. Perillustre habemus huius rei exemplum in Dionysio Alexandrino, viro sane admodum sancto & docto;quem B. Basilius scribit, dum pugnacissime aduersatur Sabellio,arma ministrasse Arrianis. Verba Basilij de Dionysio loquentis,ex quadragesimaprima eius Epistola, quæ scripta est ad Maximum Philosophum, ita se habent: Non omnia viri huius laudamus: sunt quæ prorsus etiam damnamus. Ipse enim propemodum(quantum nobis liquet)primis hominibus impietatis istius Arrianæ,quæ iam passim obstrepit, seminaria præbuit. Causam vero huius, non puto animi fuisse malitiam;sed quod vehementer cupit obluctari Sabellio. Soleo itaque illum similem æstimare plantatori cuipiam,qui recentis plantę correcturus auersionem,adeo immoderate illam retorquet, vt à medio aberret, & in contrarium latus ramum abducat. Sic Basilius. Simile quippiam accidisse Chrysostomo existimari posset. Is enim vehementer eo loco exagitans atque insectans Christianorum hominum socordiã, qui multis & magnis diuinæ gratiæ ad bene agendum instructi præsidiis, à virtutum tamen studio cultuque ignauissime refugiunt: opposuit eis exemplum Abrahæ, qui huiusmodi omnibus carens adminiculis & adiumentis, summa virtutum & rerum gestarum laude claruit. Quem virum ita prædicat & magnificat Chrysostomus, vt primam excellentiam virtutum & facinorum eius originem,non tam ipsam DEI gratiam, quàm eius viri ardorẽ animi,vigorem

Sancti Basilij iudicium de Dionysio Alexãdrino.

remque naturalem item scientiam, partamque multo vsu prudentiam, simulque propriam industriam atque diligentiam facere videatur. Verum pergamus ad alia.

Dixitque Dominus, Num celare potero Abraham quæ gesturus sum: cum futurus sit in gentem magnam & robustissimam: & benedicendæ sint in ipso omnes nationes terræ? Scio enim quod præcepturus sit filiis suis & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam: vt adducat Dominus, propter Abraham, omnia quæ locutus est ad eum.

VERSVS 17 18. & 19.

39 PRO eo quod nos legimus: *Num celare potero Abraham*, Septuaginta interpretes sic habẽt: *Non abscondam ab Abraham puero meo quæ facio.* Quam lectionem secutus Ambrosius,& inquirens, cur Abraham,qui iam centenarius senex esset, appelletur puer, hanc eius rei exponit rationem: Senilis,inquit,ætatis cum tunc fuerit Abraham,cur eum nominauit puerum? Sed cum Scriptura eum tãquam immemorem senectutis, exploratorem peregrinorũ indefessum,cursu impigrum,standi patientissimum,deducendi studiosissimum expresserit;non ne conuenire ei nomen pueri videtur? officij merito puer dicitur, qui senile nesciebat fastidium, pueritiæ innocentiam & obsequium deferebat. Sic Ambrosius. Quanquam familiare est Hebræorum linguæ satisque frequens in diuinis literis, nomen pueri pro seruo,famulo,ministro vsurpare. Sed permirum tamen est, centenarium senem in colendis exercendisque officiis pietatis ac benignitatis, ardore fuisse, vigoreque ac celeritate, & diligentia plane iuuenili. Itaque belle in eum quadrat, quod in electos DEI seruos quodam loco dixit Isaias: DEVS *dat lasso virtutem, & iis qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat. Deficient pueri & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent, Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Sed attente considerare conuenit illum DEI modum loquendi: *Num celare potero Abraham?* Id autem est, Nullo modo potero celare: quasi DEVS necessitate quapiam se obligatum sentiat, non solum benefaciendi seruis suis; verum etiam cum his communicandi consilia & arcana sua. Tanta scilicet est DEI bonitas; tanta erga viros sanctos amoris eius atque benignitatis exuperantia.

Ambrosius lib. 1. de Abraham cap 6.

Isaiæ. 40.

40 SCIAT Lector, quod dicitur impossibile esse, vel non posse fieri,

Octo modis dici in Scriptura aliquid impossibile, aut non posse fieri. Nazianz. Cyrillus. Alexand.

multas id significationes, variumque in Sacris Literis habere vsum. Disputarunt ea de re duo præstantissimi Theologi, Nazianzenus, Oratione quarta de Theologia, & Cyrillus libro sexto de TRINITATE. Ex his autem quæ prodita sunt ab istis auctoribus, & quæ à nobis obseruata, reperire est octo modos, quibus in Scriptura dicitur aliquid impossibile, aut non posse fieri. Primo per priuationem intentionis animi, vigorisque, &, vt ita loquar, idoneitatis ad agendum quippiam: sic Apostolis dixit Dominus Matth. 26. *Non potuistis vna hora vigilare mecum?* Et Paulus Corinthiis 1. ad Corinth. 3. *Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis; sed nec nunc potestis, adhuc enim carnales estis.* Secundo, quod licet fieri possit, rarò tamen fit: Matth. 6. *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita*, & Mar. 3. *Non potest Satanas Satanam eijcere.* Tertio, quod non est conueniens, nec rationi consentaneum; Matth. 9. *Non possunt filij sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus*; & Actuum 4. *Non possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui*: sic etiam Marc. 6. scriptum est, CHRISTVM non potuisse virtutem vllam facere in patria sua, id est, non fuisse conueniens vt inter incredulos & diuinæ gratiæ inuidos, atque contemptores, faceret miracula. Ad eandem quoque spectat significationem, quod hoc loco dictum est, DEVM non potuisse celare Abraham quæ ipse facturus erat. Quarto, quod fieri quidem potest, sed repugnante tamen voluntate, vt Genes. 37. traditur, fratres Ioseph odisse eum, nec potuisse ei quicquam pacifice loqui. Quinto, quod à nulla causa naturali fieri potest, quamuis à DEO possit fieri, vt camelum intrare per foramen acus. Sexto, quod absolute ac simpliciter nulloque modo potest effici nec à natura nec à DEO, quia manifestam & necessariam implicat cõtradictionem, vt ad Hebræos 6. *Impossibile est mentiri* DEVM. Septimo, quod est à superiori potestate prohibitum: sicut Angelus dicitur non posse quippiam facere, quod à DEO vetitum est fieri, sic Genes. 19. Angelus dixit ad Lot, *Festina & saluare ibi; quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc.* Octauo, quod iniquum est, & turpissimum factu: quemadmodum sanctus adolescens Ioseph, incitanti se ad flagitium dominæ suæ, dixit: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in dominum meum?* Genes. 39.

Matt. 19.

Cum futurus sit in gentem magnam, &c. Duas rationes videtur DEVS reddere, cur æquũ sit vt cõsilia sua & arcana patefaciat seruo suo Abraham; vnam ex dignitate personæ ipsius, alteram ex merito fidei & pietatis eius aduersus DEVM. Duplex fuit, & vtraque perquam excellens dignitas Abrahæ: vna, quod parens & sator futurus esset numerosissimæ, potẽtissimæ & glo. iosissimę posteritatis: quod sanè indicatur verbis illis: *Cum futurus sit in gentem magnam & robustissimam.* Altera dignitas eius fuit, quod ex ipsius semine generandus esset Messias, per quem benedicendæ essent omnes gentes, id est, innumerabilis copia spiritualium & cœlestium bonorum vniuerso generi hominum largienda. Id vero significatur illis verbis: *Et benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ.* Neque enim per Abraham benedictum iri omnes gentes, aliter

41

aliter verum esse potest, nisi quia per Messiam qui ex Abraham generatus est secundum carnem, benedictio diuina effundenda erat in omnes gentes.

42 SCIO *enim quod præcepturus sit filiis suis & domui suæ post se.* Hæc est altera ratio cur DEVS consilia sua participare debeat cum Abraham; quod non ipse solum eximie pius & religiosus esset erga DEVM; sed quod ad eandem pietatem diligenter erudiret atque imbueret filios suos, omnemque familiam: quin etiam de sua quoque posteritate satagens & sollicitus, eiusdem pietatis ac religionis sanctissima documenta & præcepta commendaturus esset posteris suis. Hic locus indicat, priscos illos patres qui legem Mosis, omnemque sacram diuinarum & humanarum rerum scripturam prægressi sunt, solitos viua voce & per domesticam institutionem & disciplinam, docere filios & posteros suos, quæcumque ad consequendam animi salutem, æternamque fœlicitatem scire eos, id temporis, atque agere oporteret. Ea vero, nisi ego fallor, huiuscemodi fuerunt, de creatione mundi & hominis, de prima hominis fœlicitate, & mox lapsu in peccatum, malisque atque miseriis peccatum consecutis; de immortalitate animi nostri; de prouidentia DEI; de cælestibus bonorum hominum præmiis, infernisque improborum suppliciis; de obseruatione Decalogi, qui legis naturalis præcepta quadantenus continet; de quibusdam cæremoniis ad religiosum DEI cultum pertinentibus; exempli gratia, de animalibus DEO sacrificandis; de erectione altarium; de votis; de decimis; de peculiari quadam ratione inuocandi & orandi DEVM; præcipue autem de diuina promissione, & Patrum expectatione venturi Messiæ, qui futurus erat redemptor humani generis, mundique saluator. Hæc, & fortasse quædam alia, Maiorum institutione & traditione transmittebantur ad posteros, & continua obseruatione, quæ instar erat Scripturæ, inuiolata custodiebantur. Ea vero sunt quæ hic significantur illis verbis: *Scio quod præcepturus sit filiis suis & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam.*

Quid sit in Scriptura facere iudicũ & iustitiã.

43 Sed quid est, facere iudicium & iustitiam? Idem prorsus ac iudicare; id autem est, suum cuique tribuere, sontes damnando, insontes absoluendo. Ad id vero significandum, frequenter duo hæc vocabula iudicij & iustitiæ coniunctè posita reperire est in sacris literis: vt 2. Regum 8. *Faciebat Dauid iudicium & iustitiam omni populo*, & 3. Regum 10. *Constituit te regem, vt facias iudicium & iustitiam.* Interdum facere iudicium ponitur pro eo quod est punire, quod qui in iudicio conuictus est criminis, deinde puniatur: ita sumptum est Exodi 12. *Et in cunctis diis Ægypti faciam iudicia*, & in Psalmo nono: *Cognoscetur Dominus iudicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Tertio modo, facere iudicium & iustitiam, significat custodire ac perficere DEI mandata, & præcepta. Etenim persæpe in diuinis literis præcepta diuinæ legis, appellantur iudicia & iustitiæ; quibus nominibus

maxime commendantur nobis in Psamo 18. & 118. Quarto demum modo, facere iudicium & iustitiam, significat idem quod facere quodcumque fuerit vel ab ipsomet, vel ab aliis iudicatũ esse iustum, & fieri oportere, siue erga DEVM, siue erga seipsum, siue erga alios homines.

Vt adducat Dominus propter Abraham, omnia quæ locutus est ad eum. Ex 44
hoc loco duo elici possunt, bene obseruanda Lectori, documenta: eorũ vnum, huiusmodi est, DEVM scientem futuram Abrahæ pietatem in filiis ac posteris suis ad cultum DEI & obedientiam religiose instituendis, egregia quædam beneficia ante dedisse ei: qualis fuit, quæ hic memoratur, reuelatio futuri Sodomorum excidij, & tam larga DEI promissio seruandi iustos, & propter eos, illam quoque regionem, si vel decem iusti in scelerata illa perditaque gente inuenti fuissent. Alterum documentum est, propter eximia sancti Abrahæ merita, DEVM posteris eius multa & magnifica liberaliter promisisse, & in tempore omnia cumulate præstitisse: huiusmodi fuere, Hebrææ gentis liberatio ex seruitute Ægyptiorum, tot tantisque nobilitata prodigiis; condonatio item ac remissio duorum eius populi grauissimorum criminum; idololatriam dico & rebellionem, vt scriptum est Exodi 32. & Numerorum 14. Admirabilis præterea introductio Hebræorum ad possessionem terrę Chanaan; ac demum benedictio omnium gentium propter Abraham, vt legitur Genesis 22.

VERSV 20. *Dixitque Dominus, Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis.*

DICE tibi, quidnam esset id quod DEVS facere constituerat, nec id seruum suum Abraham celare voluerat: hoc autem erat, atrocissimum de gente Sodomorum breui sumendum supplicium. Nimirum, tanta fuit illius gentis enormitas atque immanitas scelerum, vt DEI clementiam, quæ perdiu ea scelera dissimulauerat atque impunita dimiserat, ad celerem, manifestam, horribilem, atque omnia in secula memorabilem vindictam compulerit. Loquitur autem hic de DEO Scriptura more humano, nempe ad instruẽdos homines, inquit Caietanus, vt non præcipites iudicent & puniant. Sed cum clamor infamiæ multiplicatæ ac peruulgatæ ad eos peruenerit, descendant inquirendo & explorando, donec clara luce videant, an sit verum quod rumore percrebuit, & fama detulit. Si enim DEVS ipse, qui nouit omnia certissime, similem se inquirentis & explorantis hominis facit; quanto magis homo quantumcumque alias certus, debet iudiciario ordine, modoque certior fieri ante sententiam? 45

Caietanus.

Augustinus. "Sed quid est clamor Sodomorum? Clamorem, inquit Augustinus (primo

(primo libro Locutionum) Scriptura solet ponere pro tanta impudentia & libertate iniquitatis, vt nec verecundia, nec timore abscondatur. Omnis iniquitas, ait Gregorius, apud secreta DEI iudicia, habet voces suas. Peccatum namque cum voce, est culpa in actione; peccatum autem cum clamore, est culpa cum libertate. Clamorem Sodomorum multiplicatum, interpretatur Glossa interlinearis, manifestatum eorum crimen, tanta euidentia publicati flagitij, vt accusatione non egeret. Aggrauatum vero dicitur eorum peccatum, longa scilicet peccandi consuetudine, tanquam prægraui superposito lapide. Multiplicatum porrò fuisse peccatum eius gentis, tripliciter exponimus: Primo, quantum ad frequentationem peccandi; non enim semel aut rarò, sed frequenter & assidue id genus flagitij admittebant: tum quantum ad numerum peccantium; non enim priuatum fuit id vitium, & paucos aliquot attingens, sed commune omnium, vt præsentis capitis demonstrat historia. Deinde quantum ad alia permulta vitia cum nefando illo scelere coniuncta. Apud Ezechielem capite 16. huiuscemodi vitia Sodomorum commemorantur: superbia, saturitas panis & abundantia, otium item, & quod manum egeno & pauperi non porrigerent. Iosephus primo libro Antiquitatum tradit fuisse eos valde impios aduersus DEVM, & inhospitales atque inhumanos erga homines.

Gregorius l. 5. Mora. c. 7. & in Pastorali 3. part. cap. 32.

Iosephus.

46 SED Philo pluribus verbis eorum scelera ad hunc modum describit; Sodomitarum regio pars Chananææ terræ, quam nunc Syri Palæstinam nominant, infinitis iniquitatibus referta, præcipue propter ventris, libidinum, cæterarumque voluptatum studia, iam diuino calculo iudicata fuerat. Immodicus autem ciuium luxus, è superflua rerum copia habuerat originem. Accedente enim ad bonitatem agri, aquarum commoditate, omnis generis fructuum prouentus erat vberrimus. Est autem plerumque, ingens malorum occasio & materies, nimia bonorum copia; quorum satietatem quidam non ferentes, tanquam iumenta lasciuiunt, excussis à ceruice naturæ legibus, versi ad meras potationes, opiparos cibos & nefarios concubitus. Non solum enim in fœminas insaniendo, alienos polluebant toros; verum & mares, contra naturæ legem, cum maribus miscebantur, execrãda libidinis fœditate, atque irrito naturæ proposito; cuius nempe finis est in carnali commixtione, generatio prolis. Nec quicquam illic proficiebat reprehensio, violentis scilicet concupiscentiis coacta cedere. Atque ita paulatim assuefacti homines illi muliebria pati, effœminatum morbum sibi conciliauerunt insanabilem. Muliebri namque mollitie in corpus recepta, animos quoque reddidere ignauissimos; quantumque in ipsis fuit, vniuersum corrupere genus hominum. Nam si Græci vnà cum Barbaris, hos imitati, in tale scelus conspirassent: desertæ profecto fuissent omnes deinceps ciuitates, tanquam exhaustæ pestilentia. Nefarias igitur atque immanes illorum hominum libidines perosus DEVS; prorsus aboleuit eam gentem, non vulgari aliquo & vsitato, sed nouo atque mirando afficiens supplicio. Sic Philo. Quatuor porrò sunt peccatorum genera

Philo in lib. de Abrahã.

Quatuor genera peccatorum clamãtium ad DEVM.

quæ proprie ac præcipue dicuntur in sacris literis clamare ad DEVM: Hæc autem sunt, Cædes innocentium, Genes. 4. Oppressio tenuiorum & infirmorum, Exodi 3. Defraudatio mercedis operariorum, Iacobi v. & nefandum peccatum, vt dicitur hoc loco. Verum de hisce peccatis diximus pluribus verbis in primo Tomo Commẽtariorum nostrorum in Genesim, libro 7. cum explanaremus verba illa quæ sunt in capite quarto: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

VERSV 21. *Descẽdam & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint, An non est ita, vt sciam.*

Ad Heb. 4. EIGVRATA est hæc locutio. Nam neque DEVS, qui 47
omnia implet & vbique est, quoquam descendere aut ire potest; nec is, cui nuda & aperta sunt omnia, etiam priusquam fiant, eget inquisitione, vel exploratione rerum, vt his de rebus certior fiat. Scriptura igitur humano more hic loquitur de DEO. Quod enim, qui iudex aliorum hominum est, agere eum oportet in iudicandis & puniendis criminibus, id ipsum narrat scriptura fecisse DEVM. Nimirum significare voluit eiusmodi locutione, non festinatam, nec præproperam fuisse illam Sodomorum vindictam, sed lento & tardo gradu ad eorum supplicium processisse DEVM. Duo itaque locus hic præclara nobis præbet documenta: vnum de incredibili longanimitate DEI erga peccatores, diu eorum peccata dissimulantis atque impunita dimittentis, longumque eis tempus ad resipiscendum & pœnitendum indulgentis. *Isaiæ. 30.* *Propterea expectat* *Sap. 11.* DEVS, inquit Isaias, *vt misereatur vestri*; Et in libro Sapientiæ: *Misereris omnium, & nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam*: Eodemque spectat illud B. Petri: *1. Petr. 3.* *Patienter agit* DEVS *propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Alterum documentum est: non debere homines, qui aliorum iudices constituti sunt, ex primis rumoribus, vulgariue fama, & qualibet auditione, aut leui quacumque probatione; sed re prius diligenter inuestigata, explorateque percepta ac iudicata, damnatum ire punitumque reorum crimina.

VERVM huius loci expositionem, simulque huius quod dixi do- 48
cumenti vtilitatem luculente declarat, ac mirifice exornat atque illustrat quod à B. Gregorio proditum est in lib. 16. Moralium. Cum enim interpretaretur verba illa Iob quæ sunt in capite 29. *Et causam quam nesciebam, diligentissime inuestigabam*, ad hunc modum super hisce verbis disputat: Nos sanè hic locus admonet, ne ad proferendam sententiam præcipites vnquam simus; ne temere ac indiscusse iudicemus; ne quælibet mala audita nos moueant; ne passim dicta sine probatione credamus. Quod profecto perpetrare verebimur, si auctoris nostri subtilius facta

Egregia B. Gregorij sententia.

facta pensabimus: ipse quippe, vt nos à præcipitata sententia compesceret, cum omnia nuda, & aperta sint oculis eius; mala tamen Sodomæ noluit audita iudicare, qui ait: *Clamor Sodomorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis: descendam & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerit; An non est ita, vt sciam.* DEVS itaque omnipotens atque omnia sciens, cur ante probationem quasi dubitat? Nempe vt grauitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere, quàm probare. Et ecce, per Angelos ad cognoscenda mala Sodomorum descendit; moxque facinorosos percussit. Atque ille patiens, ille mitis, ille, de quo scriptum est; *Tu Domine cum tranquillitate iudicas.* Et rursum; *Dominus patiens redditor*: Ille, inquam, Dominus tanto crimine inuolutos eos homines inueniens, quasi patientiam omisit, & diem extremi iudicij expectare ad vindictam noluit; sed eos igne iudicij, ante diem iudicij præuenit. Ecce, malum quasi cum difficultate credidit, cum audiuit; & tamen sine tarditate percussit, cum verum agnoscendo reperit: vt nobis videlicet daret exemplum, maiora crimina, & tarde credenda esse cum audiuntur, & citius punienda, cum vera esse agnoscuntur. Sic B. Gregorius. Plura super hoc ipso argumento disseruimus in secundo Tomo nostrorum Commentariorum in Genesim, cum in libro 16. & numero 64. & aliquot deinceps disputaremus super illis verbis capitis 11. *Descendit* DEVS *vt videret ciuitatem & turrim quam ædificabant filij Adam.* *Ad Hebr. 4.* *Psal. 85.* *Sap. 12.* *Eccl. 5.*

49 TRIBVS sane modis punire solet DEVS hominum peccata. Et- *Tres modi quibus punire solet DEVS hominũ peccata. Cur DEVS peccãtes nõ semper in hac vita puniat.*
enim frequentissime, atque plurimum punitionem scelerum, non statim vt admissa sunt, exequitur DEVS: sed in alteram vitam differt ac reseruat. Si enim statim vt quisque deliquit, prout meritus est, plecteretur à DEO; cum nemo sine crimine viuat, vix vllus mortalium relinqueretur in terris. Quod etiam fabulose de suo Ioue cecinit Ouidius.

„ *Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat,*
„ *Iupiter, exiguo tempore inermis erit.*

Nec solum terræ, sed etiam cæli pauciissimi incolæ atque habitatores essent: sublatum enim esset remedium pœnitentiæ, quo plerique ex improbis in bonos, sanctosque viros mutati, in cælestem ciuitatem adscripti & admissi sunt. Enimuero pauciissimi per gratiam innocentiæ, quam plurimi verò per virtutem pœnitentiæ, æternam salutem ac felicitatem consequuntur. Deinde, sic magis firmatur fides nostra, expectatioque futuri generalis iudicij post consummationem seculi. Si enim tam boni quam mali, pro meritis quisque suis, in hac vita tractarentur à DEO, nullum amplius futurum crederetur post hanc vitam iudicium; & illud supplicium temporale, quo punirentur improbi, par existimaretur eorum sceleribus; eoque satis compensari atque expiari eorum peccata: nec aliud eos post præsentem vitam manere supplicium; aut certe non tale tantumue, quantũ fore docet fides Catholica. Adhæc, dilatio punitionis peccatorum in alteram vitam, electis quidem

viris

viris magno est bono, multumque proficit ad fidei, spei, & caritatis auctum, perfectionemque; videlicet non spe aliqua bonorum temporalium, malorumue metu, sed sincera mente, puroque corde, DEO propter DEVM, seruientibus. Contra verò corrupti & perditi homines, ex DEI longanimitate venenum sibi hauriunt, maiorem dico licentiam & confidentiam peccandi: vnde tamen salutem, id est, remedium pœnitentiæ capere eos oportebat. Verum profecto est, quod scriptum reliquit Salomon Ecclesiaste 8. *Quia non profertur*, inquit, *contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala. Attamen ex eo quod peccator centies facit malum, & per patientiam sustentatur: ego cognoui quod erit bonum timentibus* DEVM, *qui verentur faciem eius.* Verumtamen B. Paulus expressissime demonstrauit infelicem istiusmodi hominum conditionem & statum, ex tanta DEI patientia & longanimitate non agentium vt oportebat pœnitentiam, sed thesaurizantium sibi iram & vindictam DEI.

Ad Rom. 2.

Altero modo consueuit DEVS punire peccata, etiam in hac vita, notabilem aliquam eorum punitionem exercendo: verum non statim vt patrata sunt, sed in longum prorogata animaduersione: nimirum satis interea superque peccatoribus concedens temporis ad pœnitendum. Ad hunc modum DEVS olim impietatem Hebræorum ob crimen idololatriæ, necemque Prophetarum diu tolerauit; sed eam denique septuagenaria Babylonis captiuitate puniuit. Eosdemque ob Messiæ parricidium, annos postea quadraginta ad agendum pœnitentiam expectauit. Huc etiam spectat quod apud Lucam scriptum legimus capite 13. Nunciantibus quibusdam Christo Domino de nonnullis Galilæis à Pilato crudeliter interfectis, & de aliis decem & octo, ruina turris in Siloe oppressis atque occisis; dixisse Dominum: *Putatis quod hi præ omnibus aliis peccatores fuerint? Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Hoc ipso genere punitionis vsus est DEVS in Sodomitas; post longam scilicet tam execrandæ eorum improbitatis dissimulationem, diuturnamque impunitatem.

50

Tertio modo punit DEVS peccatum, sed perquam raro, statim vt admissum est, insigni quapiam pœna: videlicet cum tale est, vt eius virus longe manans, quamplurimos contagione sua corrumpere ac deprauare posset. Ob hanc causam peccatum Dathan & Abirom confestim DEVS puniuit, Numerorum 16. & B. Petrus Ananiæ & Sapphiræ sacrilegam auaritiam cum nefario mendacio coniunctam, Actorum 5. nec non & S. Paulus magum illum & pseudoprophetam Barieu, impie obtrectantem & aduersantem prædicationi euangelicæ, subita cæcitate percussit.

Act. 13.

Plato.

Plato in eo Dialogo, qui Gorgias inscribitur, duas censet esse causas non omittendi punitionem criminum: vnam, si qui deliquit, eum spes sit, huiusmodi punitione meliorem futurum: alteram, si eius punitionis exemplum, sanandis aliorum animi morbis, salutare futurum sit remedium; & quasi frenum quo reprimantur & cohibeantur à peccãdo.

51

Verum

Verùm Taurus, insignis Philosophus, in primo Commentariorum, quos in Gorgiam Platonis composuit, & alij nobiles Philosophi, tres vlciscendorum peccatorum rationes scriptas reliquerunt. Harum vna est, cum pœna adhibetur castigandi & emendandi gratia; vt is qui deliquit, attentior fiat & correctior. Altera causa animaduertendi est, cum dignitas auctoritasque eius, in quem est peccatum, tuenda est; ne prætermissa animaduersio, contemptum eius pariat, & honorem eleuet. Quocirca eam Græci τιμωρίαν, appellarunt, vocabulo scilicet à conseruatione honoris ei facto. Tertia ratio punitionis à Græcis nominatur παράδειγμα, cum punitio propter exemplum est necessaria: nempe vt cęteri à similibus peccatis, quæ prohiberi publicitus interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur. Idcirco veteres quoque Romani, exempla pro maximis & grauissimis pœnis dicebant.

De trib. causis ob quas non sit, omittenda punitio peccatorum.

Apud Gellium libr. 6. cap. 14.

Taurus Philosophus.

52 Tanta porrò inter nonnullas diuinæ Scripturæ historias, atque inter quasdam priscorum poëtarum fabulas similitudo est, vt facile equidem assentiar iis, qui tradiderunt, quæ in diuina Scriptura continentur, non pauca fuisse nota veteribus illis Ethnicorum Theologis ac sapientibus; vel ex sacrorum librorum lectione, vel antiqua traditione, famaque, aut fortasse ex doctrina Chaldæorum & Ægyptiorum, quibus, propter diutinam Hebræorum quondam apud ipsos mansionem, multa Iudaicæ disciplinæ non solum pernotuerunt, verum etiam adhæserunt. Ouidius certe primo libro Metamorphoseos Iouem in cælesti Deorum consessu querentem inducit, omnia esse in terris scelerum plena, nec eorum vindictam diu multumque dissimulatam, longius esse prorogandam. Quibus autem verbis Moses, DEVM hoc loco de gente Sodomorum locutum esse narrat cum Abraham, eorum verborum similibus ille vti facit Iouem, ita scribens,

Huius sacræ historiæ simillima esse ab Ethnicis scriptoribus prodita literis.

Ouidius.

„ *Contigerat nostras infamia temporis aures:*
„ *Quam cupiens falsam, summo delabor Olympo;*
„ *Et Deus humana lustro sub imagine terras,*
„ *Longa mora est, quantum noxæ sit vbique repertum,*
„ *Enumerare: minor fuit ipsa infamia vero.*

Conuerteruntque se inde & abierunt Sodomam; Abraham verò adhuc stabat coram Domino: & appropinquans ait. VERSV. 22.

53 QVÆRET Lector, quando primum Abraham cognouerit illos esse Angelos? B. Augustinus quæstione 36. in Genesim significat non ante cognouisse Abraham illos esse Angelos, quàm finita sermocinatione cum eo, è conspectu eius secesserunt redeuntes in cælum. Verum credibilius fit, Abraham antea cognouisse eum, qui secum loquebatur, non

S. August.

tantum esse Angelum; sed etiam repræsentasse sibi auctoritatem & potestatem DEI. Id autem puto eum cognouisse ex illis verbis: *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum, &c.* Et multo magis ex illis. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum, &c.* Iam verò quæ inibi subditur tam flagrans, & perseuerans Abrahæ deprecatio pro liberatione Sodomorum, nonne indicat aperte eũ, qui cum Abrahã loquebatur, non modo vt Angelũ ab eo esse cognitũ, sed vt DEI vice sibi loquẽtem reuerenter honoratũ? *Non est*, inquit, *Abrahã hoc tuum, qui iudicas omnem terram.*

Sed perpendamus verba superius posita. *Abraham adhuc stabat corã Domino.* Abeuntibus Sodomam duobus Angelis, Abraham detinebat tertium, eum videlicet, qui sibi tam multa denunciauerat, & patefecerat; & quem ipse, vt DEI legatum, & DEI nomine atque auctoritate sibi loquentem, immo tanquam DEVM ipsum honorabat ac venerabatur. Magnam habet emphasim illud, *Adhuc stabat*: significat enim, licet Abraham multum antea laborasset, parando hospitibus conuiuium, assistendo prandentibus, comitando abeuntes, nihilominus tamen, quasi nihil egisset, adhuc eum perstitisse, & de integro laborasse, intercedere conantem Sodomorum calamitati & exitio, & pro eorum liberatione DEO enixe supplicantem. Vnde Chaldæus pro illo, *Stabat Coram Domino*; habet, *Stabat*, vel, *inseruiebat in oratione coram Domino.* Quod autem dicitur appropinquasse Abraham apud Dominum, intelligendum est appropinquasse eum non tã passibus corporis, quàm flagrantissimo animi affectu, vehementer miserentis tantorum eius gentis malorum, & pro liberatione valde soliciti atque satagentis.

QVARTA DISPVTATIO,

Super illis verbis,

RSV 24. 25. *Nunquid perdes iustum cum impio? Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, peribunt simul, & non parces loco illi propter quinquaginta iustos? Absit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatq; iustus sicut impius: non est hoc tuum qui iudicas omnem terram.*

An contrarium sit diuinæ iustitiæ, perdere iustos simul cum impiis, & an bonitati DEI conueniens sit, propter paucos iustos parcere impiis.

CONSIDERET Lector quàm artificiosè Abraham in hac breui oratione sua, in beneuolentiam & gratiam DEI se se insinuauerit; quo eum ad misericordiam flecteret, & ad parcendum genti & regioni Sodomorum adduceret. 54

Rhetores

Rhetores duplex genus exordij tradunt, principium, & insinuationem: illo vtendum esse præcipiunt in causa honesta & probabili; hac verò, cum turpis fuerit causa: tunc enim occulte & quasi per sinus quosdam & circuitus irrependum est audientium animis. Si enim causæ turpitudo cõtrahat offensionem, aut pro eo homine, in quo offenditur, alium hominem, qui diligitur interponi oportet: aut pro re in qua offenditur, aliam rem, quæ probatur: aut pro re, hominem; aut pro homine rem: aut ab eo quod odit, ad id quod diligit, auditoris animus traducendus est: & dissimulare oportet id te defensurum, quod existimeris defensurus. Huius rhetorici præcepti & artificij clarissimum hæc Abrahæ oratio præbet exemplum. Nouerat ille, pessimam esse Sodomitarum causam, & prorsus inexcusabilem: & nihil in ipsis ad auertendam impendentem eis calamitatem esse præsidij. Dissimulato igitur eorum patrocinio ac defensione, agit causam iustorum hominum, qui cum illis permixti in eadem regione versabantur: horum innocentiam, illorum opponit improbitati; horumque virtutibus & benefactis compensari posse existimat illorum scelera & flagitia. Negat fas esse, vt boni pariter ac mali, eadem supplicij opprimantur ruina: quin decere magis diuinam bonitatem; vt propter bonos, etiam malis parcat; quàm vt odio malorum, vna cum eis perdat bonos. Hoc ipso insinuationis genere vsus est Moses Exodi 32. ad placandum DEVM infensissimum Hebræo populo, propter fœdissimum idololatriæ crimen ab eo admissum. Ad mitigandam enim DEI iram, & tam impij facinoris veniam ex DEI clementia eliciendam, commemorat sanctissimos illos Patriarchas vnice dilectos DEO, & quorum gratia, sperabat eiusmodi offensam remissurum & condonaturum DEVM: *Cur Domine*, dixit Moses, *irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti, in fortitudine magna, & in manu robusta? Recordare Abraham, Isaac, & Iacob seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum dicens, Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cæli; & vniuersam terram hanc dabo semini vestro, & possidebitis eam. Placatusque est Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum.*

Cic. libr. 1. de Inuẽt. & Quintil. lib. 4.

Locus Exodi cap. 32.

SED expendamus qualis sit hoc loco argumentatio Abrahæ, qua persuadere DEO conatur, parcendum esse Sodomitis. Ea sane argumentatio duabus constat propositionibus: Vna est, propter malorum scelera, non esse perdendos vna cum eis bonos. Altera propositio est, propter bonos, etiam regioni, quam inhabitant boni cum malis mixti, esse parcendum. Priorem illam propositionem hoc argumento firmat Abraham: Cum dissimillima sit bonorum ratio & conditio, atque malorum; nequaquam conuenit, vtrosque similiter & æqualiter à DEO tractari: at si DEVS iisdem malis & calamitatibus afficeret iustos, atque improbos, esse profecto apud DEVM iustus, sicut impius. id autem minime decet DEI iustitiam, cuius est reddere vnicuique secundum opera sua. Alteram propositionem sine probatione sumpsit Abraham; sed putauit eam, probata concessaque priori,

Expenditur argumentatio qua contendit Abrahã, ad parcẽdum Sodomitis DEVM adducere.

satis esse confirmatam. Nam si propter bonos parcendum est malis, consequens est, vt etiam parcendum sit regioni, in qua permixte boni malique versantur.

Sed videamus an huiusmodi propositiones & sententiæ Abraham, vsquequaque sint certæ, nec vllo modo dubitabiles. Iustus non est perdendus, inquit Abraham, vna cum impiis: quare propter iustum, ignoscendum est impiis. Hæc sententia multiplicem habet confutationem. Primo namque, si Abraham loquitur de perditione spirituali, quæ non est aliud nisi priuatio diuinæ gratiæ, & condemnatio mortis æternæ; verissima quidem est sententia; sic enim iustus nunquam similiter punitur atque impius: Verum ea non facit ad propositum Abrahæ, qui de corporali malo & exitio loquitur, ex eo cupiens gentem Sodomorum seruare, & regionem illam ab impẽdenti exitio vindicare: perditio enim regionis & loci, aut eius conseruatio, corporalis potius intelligitur, quàm spiritualis. Sin autem loquatur Abraham de perditione corporali, non est omnino vera sententia: siquidem interdum bonos iuxta, malosque DEVS iisdem malis & calamitatibus feriri & affligi patitur. Exemplo sunt duo sanctissimi prophetæ, Ezechiel & Daniel; qui propter suorum popularium scelera, in durissimam vna cum illis abstracti seruitutem, atque eorumdem participes malorum facti sunt: & per Ezechielem cap. 21. dixit DEVS ad Hierusalem: *Occidam in te iustum, & impium.* Quin etiam nonnunquam accidit, vt propter vnius improbitatem, complures alij, etiam infontes, graui percussi fuerint calamitate: vt de fuga & cæde Hebræorum propter impietatem Achan, narrat historia Iosue cap. 7. Non inficior, etsi boni malique eodem quasi flagello verberentur: diuerso tamen eos fine effectuque puniri. Etenim malis corporale ac temporarium supplicium, proficit ad spiritualem eorum æternamque perditionem: bonis vero conducit ad emendationem correctionemque, ad amplioris meriti & præmij auctum, ad illustriorem eorum famam & gloriam. Itaque corporalis castigatio, fit bonis saluberrimum animi medicamentum, amplissimumque virtutum & bonorum spiritualium emolumentum; necnon & splendidissimum nominis ac famæ decus atque ornamentũ.

Iam vero etiam si concedatur Abrahæ quod postulat, vt iusti non perdantur vna cum impiis: ex eo tamen non concluditur quod intendit ipse, vt propter iustos parcendũ sit impiis. Potest enim DEVS perdere impios, inde eripiendo & seruando iustos: vt Noë seruauit ab exitio Diluuij; Lot ab incendio Sodomorum; à captiuitate cædeque Iudæorum Hieremiam. Et apud Ezechielem cap. 9. ait DEVS, si fuissent in terra Iudæorum Noë, Iob, & Daniel, ipsos quidem solum liberatum iri, at ipsam terram Iuda desolatum iri. Nec me fugit, aliquando plurimis hominibus impiis peperciſſe DEVM propter vnum virum iustum, vt non semel Hebræis in deserto propter Mosem: verum illud quoque scio, & legi in sacris literis, nonnunquam DEVM iis hominibus, quibus propter insignem eorum impietatem atque scelera infensissimus

mus erat, noluisse parcere, etiam si cum illis multa bonorum virorum millia essent permixta. Ecce tibi, in Samaria & in decem tribubus Israel, erant in tempore Heliæ, septem millia virorum, qui non curuauerant genua sua ante Baal, id est, qui idololatriã penitus auersantes, pie ac religiose DEVM colebant; nec propter eos tamen pepercit DEVS Samariæ; sed decem tribus, sedibus suis euulsas atque exterminatas, irreuocabili exilio ac seruitute puniuit. Abraham igitur, similis Oratori pessimam causam defendenti, & in omnes se partes versanti, vt vndecumque posit, rapiat qualecumque defensionis præsidium: miscet verba, variatque sententias, inuoluit rationes etiam non admodũ probabiles, nec proposito suo valde congruentes; omnem demum mouet lapidem vt impetret, quod à DEO postulat: non tam sententiarum pondere, aut robore argumentorum cum DEO agens; quàm ardore caritatis, & flagrantissimo pietatis erga miseros illos homines affectu. Sed consideremus verba, quæ sequuntur. 3. Reg. 19.

56 SI *fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, peribunt simul?* Dubium videtur an nomine ciuitatis intelligat vnam ciuitatem, Sodomam dico, principem & caput cæterarum: an singulare posuerit pro numero plurali, & significauerit omnes illas quinque ciuitates: vnde ea regio dicta est Pentapolis. Illud item dubitari posset, an quinquaginta illi iusti, reperiri deberent in vna tantum ciuitate, an in vnaquaque illarum quinque. Sed vtramque dubitationem prorsus excluſit mox adiunctum Domini respõsum: *Si inuenero*, inquit, *Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos.* Ergo de vna tantum ciuitate locutus fuerat Abraham, & de quinquaginta iustis, qui vna in vrbe tantum essent.

Non est hoc tuum qui iudicas omnem terram. Confitetur Abraham & prædicat generalem, distinctam, perfectam, non modo cælestium atque immortalium rerum, sed mortalium etiam & terrestrium DEI prouidentiam: cuius præstantissimum & quasi supremum munus est, iudicem esse omnium hominum, & vltorem scelerum ac malefactorum, virtutumque ac benefactorum remuneratorem. Hunc diuinum & supremum orbis terræ iudicatum, prophetica simul & poëtica oratione magnifice cecinit Dauid: *Parauit*, inquit, *in iudicio thronum suum, & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate, & iudicabit populos in iustitia.* Et alio loco: *Lætentur & exultẽt gentes, quoniam iudicas populos in æquitate & gentes in terra dirigis.* Abraham porrò argumentatur propterea non decere, vt perdat DEVS iustum simul cum impiis, quòd sit ipse iudex omnis terræ; quasi diceret, nullum habere in iudicio discrimen bonorum atque malorum hominum, si dedecet priuatos iudices hominum, quanto magis DEO indecens & alienum est, qui publicus & generalis omnium est iudex? Huius sententiæ Abrahæ persimilem reperiet Lector apud Iob cap. 34. vbi sic est: *Absit à* DEO *impietas, & ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias singulorum restituet eis. Vere enim* DEVS *non contemnabit frustra, nec Omnipotens sub-* Psal. 9. & 62

uertet iudicium. Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?

VERSV 26. *Dixitque Dominus ad eum: Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos.*

QVÆRITVR, an quod Dominus dixit, propter quinquaginta iustos, immo etiam propter decem qui essent in ciuitate, parciturum se ei loco, intelligi debeat in vniuersum de quolibet loco vbi talis numerus iustorum fuerit: tamquam vbicumque tot iusti fuerint, parciturus sit DEVS aliis, quotquot ibi fuerint, quamuis scelerati sint & supplicio digni. Verumenimuero illud DEI promissum, specialiter & proprie ad eam tantum gentem pertinuit; nec ad alium quemlibet locum gentemque transferri debet. Siquidem nec ratio ipsa docet conueniens esse, vt propter certum quempiam paucorũ iustorum numerum, semper DEVS ignoscat flagitiosis & perditis hominibus, qui permixte versantur cum iustis: & non pauca sunt in sacris literis exempla, quæ contrarium testentur: nec talis DEI sententia, & decretum, promissumque, in sacris literis vspiam reperire est, vel proditum vel significatum. Habeo præterea huius sententiæ assertorem, probatoremque sanctum Augustinum: qui addit propterea DEVM id de Sodomis dixisse, quòd bene sciret eum numerum iustorum inibi non esse. Valet igitur hæc DEI sententia ad demonstrandã propensissimã DEI voluntatem ignoscendi peccatoribus: valet item ad exaggerandam illius gentis malitiam. Simile quippiam legitur dixisse DEVM per Hieremiam capite 5. *Circumite vias Hierusalem, & quærite in plateis eius: Si inueneritis hominem facientem iustitiam, & quærentem fidem; & propitius ero peccatis eorum.* Hoc dixit, vt ostenderet ne vnum quidem hominem iustum esse inter illas. 57

Augustinus quæst. 40. in Genesim.

HINC apparet, quanta sit apud DEVM in gratia vir eximie bonus & innocens, quantumque valeat ad impetrandum à DEO quodlibet bonum, malumve deprecandum. Itaque non ratò fit, vt paucorum, atque adeo vnius insigni probitate pietateque præstantis viri, plurimorum noxa & supplicium redimatur. Scitè igitur Ambrosius: Admiranda, inquit hoc loco, est DEI clementia, propter paucorum iustitiam, impunitatem toti populo promittẽtis. Vnde discimus, quantus murus sit patriæ vir iustus; & quod non debemus inuidere sanctis, nec temere derogare. Illorum enim nos fides seruat; illorum iustitia ab excidio defendit. Sodoma quoque si habuisset viros decem iustos, potuisset non perire. Idem alio loco: Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoscit aliis, & dum alios probat, aliis relaxat errata. Cur apud 58

Quantum valeat iust⁹ apud DEVM, & quam vtilis sit societati hominum. Ambr. lib. 1. De Abrahã cap. 6. & sub initium lib. 5. Commentariorum in Lucam.

apud te, homo, collega non valeat, cum apud DEVM seruus, & interueniendi meritum, & ius habeat impetrandi? Disce qui iudicas, ignoscere; disce qui æger es, impetrare. Si grauium peccatorum diffidis veniam, adhibe peccatores, adhibe Ecclesiam, quæ pro te precetur: cuius contemplatione, quod tibi Dominus negare posset, ignoscat. Sic Ambrosius.

EXTAT porrò Philonis super ea ipsa re disputantis, magnifica quædam oratio: quam si hoc loco in præteritis relinquerem, ingẽti sane Lectorem animi voluptate priuarem. Sic autem ille scribit: Omnis sapiens, stulti est redemptio, merceseque; ne minimo quidem tempore duraturi, nisi ille misericordia sua & prouidentia impulsus, eius prospiceret incolumitati. Similis enim medico, morbis animi eius resistit, & aut mitiores reddit, aut omnino tollit: nisi tanta sit morbi vis & contumacia, vt longe curationem superet. Tunc enim pereundum est illi, quando in ea bilance, immensum prægrauantibus malis, nullum ex altera parte bonorum pondus est. Vbi si inuenta fuisset quinquagenaria ratio, iuxta quam anima seruituti exempta, in totum libera pronuntiatur; aut si existeret aliquis sequentium numerorum, quos sapiens ille Abraham enumerat, descendens vsque ad denarium, eruditioni peculiarem numerum; non periisset mens tam ignobiliter. Conandum tamen est, vt etiam certo perdendos, à suis vitiis, quantum in nobis fuerit, seruemus: imitando scilicet bonos medicos, qui etsi vident ægrum sanari non posse, omnem tamen curationem admouent, ne propter ipsorum negligentiam, non ex sententia res successisse videatur. Quod si vel minima sanitatis scintilla sese ostenderit, ea diligentissime, sicut in foco, accendenda est: sperandum enim fore, vt vita propagata, mutetur in melius, magisque sibi in posterum à lapsu caueat. Equidem quando aliquem bonum virum habitantem in domo quapiam, aut vrbe video, & domum, & vrbem, illam beatam prædico; ratus tum præsentem felicitatem ei mansuram perpetuò, tum absentem expectandam cumulatiorem; DEO vltra modum mensuramque; diuitias suas, in gratiam dignorum, etiam in indignos effundere solito. Et quia illis, ne quando senescant aut intereant, precari mihi non licet; precor vitam longissimam: existimans tam diuturnam fore hominibus felicitatem, quàm longum bonis viris vitę tompus contigerit. Proinde, alicuius eorum audita morte, ingenti tristitia & dolore conficior: non tam eorum vicem dolens, quàm superstitum. Illos enim, naturæ ordine, necessario manet is exitus, vt post vitam feliciter actam, glorioſa mors eos excipiat. His verò, destitutis potenti manu, qua protegebantur, suorum malorum imminet sensus: nisi natura, tanquam in arbore de qua maturi fructus decidunt, alios recentes substituat, quibus alantur fruanturque, quibuscumque datum est. Ergo vt viri fortes pro maximo sunt ciuitatibus munimento: sic in humana societate & communione hominum, iusti & sapientes viri, firmissimũ propugnaculum & præsidiũ existimari debent. Ad hanc ferme sententiã Philo. 59

Philo in lib. de sacrificio Abel & Caim.

Quanti fieri debeat vir egregie bonus.

ETHNICI

ETHNICI quoque tanquam heroicum quippiam & diuinum iudicarunt, paucorum excellenti probitati & innocentiæ, plurimorum offensam & vindictam condonare. Fertur in primis, celebraturque illud Augusti Cæsaris factum. Is debellato M. Antonio, captaque Alexandria, in media vrbe, è sublimi suggestu, Alexandrinis tristissima omnia, extremaque pertimescentibus, pronuntiauit se illis omnium iniuriarum atque offensarum gratiam facere. propter vnum Arium, eius vrbis philosophũ: quem ipse doctrina sibi virtuteque probatissimum, atque intima familiaritate coniunctissimum habebat. 60

Plutarchus in M. Antonio.

VERSV 27. *Respondensque Abram, ait: Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis.*

An homo natura sua, sit quid magnũ, an paruum & leue.

QVATVOR cum rerum generibus, hominem comparare possumus: & quarundam rerum comparatione, magna quædam res homo est; aliarum vero rerum habita ratione, paruum quippiam aut etiam prope nihil videtur esse. Sunt infra hominem quatuor elementa, & ex his concreta corpora quæ carent anima; stirpes item atque animalia. Harum rerum comparatione, magnum quiddam homo est, vt qui ad imaginem DEI factus sit, earumque rerum delatum sibi à DEO principatum, dominatumque habeat. Huc spectat Dauidicum illud hominis encomium, *Constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius.* Deinde comparatio hominis fieri potest cum cælis & astris: quibus, etsi conditione corporis mortalis, atque ex cæli efficientia potestateque pendentis, inferior est: animi tamen dignitate, in tantum cælos antecellit, vt illi tanquam serui & ministri hominis censeantur. Qua ratione Moses ab adorandis cæli astris deterret hominem, dicens: *Ne errore deceptus, adores Solem & Lunam, & omnia cæli astra; quæ creauit* DEVS *in ministerium cunctis gentibus quæ sub cælo sunt.* Tertia hominis comparatio fieri potest cum Angelis: quibus quidem secundum naturam minor est homo: sed haud multo minor, sicut ait Dauid; *Minorasti eum paulo minus ab Angelis.* Est enim hominis animus, non secus atque Angelus, ad imaginem DEI factus, & immortalis, & capax æternæ ac diuinæ beatitudinis. Quarto demum modo comparari homo potest, cum DEO: in qua comparatione, deprehenditur homo non solum esse puluis & cinis, vt hoc loco dixit Abraham, sed instar nihili. Audi asseueranter hoc dicentem Isaiam: *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt: ecce insulæ quasi puluis exiguus. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei*: simile est quod legitur, *Nunquid iustificari potest homo comparatus* DEO; *aut apparere mundus natus de muliere? Ecce* 61

Gen. 1. & 2.

Psal. 8.

Deuteron. 4.

Psal. 8.

Isaiæ 40.

Iob. 25.

Ecce Luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius: quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?

Hæc propriæ humilitatis ac vilitatis cognitio, tanto crescit in nobis magis, quanto nos in diuinæ maiestatis atque immensitatis cognitione magis proficimus. Præclare igitur B. Gregorius: Omnes, inquit, sancti, quanto magis interna diuinitatis conspiciunt, tanto magis se nihil esse cognoscunt. Nunquam Abraham se cinerem & puluerem esse professus est, nisi cum DEI habere meruit collocutionem: ait enim; *Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis.* Esse enim se aliquid fortasse credidisset, si veracem essentiam, quæ super ipsum erat, minime sensisset. At vero vbi ad immutabilem contemplandum super se raptus est, impletus tantæ contemplationis potentia, dum illum vidit, nihil se esse nisi puluerem vidit. Eadem quoque repletus sapientia Propheta quidam exclamat: *Memento Domine quod puluis sumus.* Vnde Moysi etiam dixit DEVS: EGO SVM, QVI SVM; *& dices filiis Israel:* QVI EST, *misit me ad vos.* Solus quippe veraciter est, qui solus incommutabiliter permanet. Nam omne quod modo sic, & modo aliter est, iuxta non esse est: permanere enim in statu suo non potest. Atque aliquo modo ad non esse itur, dum ab eo quod fuerat, semper ad aliud per momenta temporum ducitur. Vt ergo in participatione illius essentiæ aliquid simus, cognoscamus nosmetipsos, quia prope nihil sumus. Sic B. Gregorius.

Gregorius l. 18. Moral.

Exodi 3. Cur solus DEVS dicatur esse.

63 MIRVM sanè, quempiam esse mortalium, quem tam sordidæ & abiectæ conditionis suæ conscium ac memorem, efferri animo ac superbire non pudeat. *Quid superbit,* inquit Scriptura, *terra & cinis?* Enimuero, illud à priscis tantopere celebratum oraculum, *Nosce te ipsum,* hic præcipue, maximeque locum & vim habet: siquidem propriæ humilitatis vilitatisque contemplatio, ad omnem animi elationem tumoremque penitus comprimendum valet plurimum. Sed ita profecto se res habet; vt quisque maximis in vitiis, erroribusque ac miseriis versatur; ita quasi densissima obductis caligine oculis, vilissimum ac miserrimum statum suum minime videt. Scitè igitur B. Gregorius: In peccato, inquit, quisque positus, mortalitatis suæ obliuiscitur: & terram se esse non meminit, dum adhuc per superbiam inflatur. Post conuersionis autem suæ gratiam, cum humilitatis spiritu tangitur, quid aliud se, quàm cinerem esse recordatur? Iam in cinerem Dauid conuersus fuerat cum dicebat: *Memento,* inquit, *Domine quod puluis sumus.* Abraham quasi iam in cinerem reuersus, dicebat: *Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis.* Nam etsi viuentem carnem eorum nec dum in terram mors resoluerat; hoc tamen illi apud se erant, quod se absque dubitatione futuros præuidebant. Hinc alias dicitur: *Auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur.* Quis autẽ eorum spiritus, nisi spiritus superbiæ nominatur? Tollatur ergo spiritus eorum, vt deficiant: id est, subducto superbiæ spiritu, nihil se esse cognoscant. Et reuertantur in puluerem, id est, humilientur ex infima conditione. Propter hunc

Eccl. 10. Salutare documentum.

Gregorius l. 24. Mor. cap. 27.

Psal. 102.

Psal. 103.

puluerem, ad cuius memoriam, qui se ipsos considerant, reuocantur; per Sapientem dicitur: *Iusti fulgebunt, & sicut scintillæ in arundineto discurrent.* Sancti etenim viri, dum peccatoribus permiscentur, eos suorum exemplorum igne succendunt; atque per id quo nitent & ardent, in cinerem redeunt: quia pietatis flamma consumpti, dum infirmitatem conditionis suæ conspiciunt, nihil aliud se, quàm fauillam esse cognoscunt: vt à superbiæ suæ duritia resoluti, per pœnitentiam dicant, id quod supra memorauí: *Memento Domine, quia puluis sumus.* Bene ergo dixit Iob, *Cum ad se spiritum hominis Dominus trahit, deficiet omnis caro, & homo in cinerem reuertetur.* Hactenus ex Gregorio.

Sap. 3.

Psal. 102. Iob. 34.

HANC porrò sancti Abrahæ deprecationem & orationem, qua liberationem Sodomorum persuadere DEO voluit, attente, considerateque perpendens Philo, constare eam docet admirabili quodam profundissimæ humilitatis & reuerentiæ, simulque ingentis fiduciæ ac libertatis temperamento. Nam quantæ fuit fiduciæ ac libertatis dicere illud DEO, *Absit à te vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius? Non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram. Nequaquam facies iudicium hoc.* Ex altera vero parte, demissimi animi, profundissimæque humilitatis ac reuerentiæ fuere illa eiusdem hominis verba: *Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis*: Verba Philonis ita se habent: Sunt profecto admirandæ virtutes, vel fiducia, vel sermonis libertas aduersus præstantiores, quando res eam postulat: vt vera potius quam ludicra videri debeat comica illa sententia. 64

Philo in libro qui inscribitur, Quis rerum diuinarũ sit hæres.

„ *Si seruus consuescat semper silere,*
„ *Fiet nequam, dediscens loqui libere.*

Sed quando solet hac libertate vti aduersus seruus dominum suum? tunc sane, cum nullius sibi est maleficij conscius, certusque est, nihil à se dictum factumue, nisi ad domini sui pertinens vtilitatem. Similiter igitur decêt famulum DEI, linguæ vti libertate erga suum & rerum omnium principem ac dominum, si fuerit tamen ipse à peccatis purus, suæque erga dominum suum caritatis, sibi conscius; magisque gaudens DEI famulatu & seruitio, quàm si esset imperium in omnes homines terra marique consecutus. Officia porrò & obsequia ipsius Abrahæ plena caritatis erga Dominum, mirifice commendat Scriptura, DEVM inducens hæc loquentem filio eius Isaac: *Ego tecum ero, & benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & semini tuo dabo vniuersas regiones has, & in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ: eo quod obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta & mandata mea, & cæremonias legesque seruauerit.* Enimuero maxima serui laus est, nihil ex dominicis iussis contemnere; sed impigre atque industrie, etiam supra vires, conari cuncta ex illius voluntate & sententia exequi.

Genes. 26.

Sãcta libertas Mosis cũ Deo loquẽtis.

Moses quoque tanta in loquendo cum DEO vsus est libertate, vt eum non clamantem solum coram DEO, verum etiam DEO valide recla- 65

reclamantem audiamus: vera scilicet fiducia, & affectu minime fucato. Nam illa eius verba: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*: Et cum dixisset ei DEVS: *facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi*: ille quasi abnuens: *Si non*, inquit, *tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto.* Atque alio loco: *Cur afflixisti seruum tuum? non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi. Sin aliter tibi videtur, obsecro vt interficias me, ne tantis afficiar malis.* huiuscemodi, inquam, verba, quæ Moses dixit DEO, nemo, opinor, Regi cuiuis, aut Principi auderet dicere. Verumtamen cum DEO loqui tam libere, summæ fuit non audaciæ, sed fiduciæ. Siquidem sapientes omnes amici DEI sunt. Libertas autem loquendi, cognata est amicitiæ: nam qui cum obsecro loquemur libere, si cum amico non licet? Recte igitur in sactis literis Moses amicus DEI celebratur: vt quoties audacius cum DEO loqui videtur, amicitiæ potius id, quàm arrogantiæ tribuatur: Arrogantis namque est temeritas, amici verò fiducia.

Exodi 32. & 33.

Num. 13.

66 SED considera iterum quemadmodum in Abraham fiducia & libertas loquendi, pariter cum reuerentia mire temperata fuerit. Legimus enim eum dixisse DEO: *Here Domine, quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis: & ecce vernaculus meus hæres meus erit.* Verba illa: *Quid dabis mihi?* fiduciam præ se ferunt: illud autem; *Here Domine*, reuerentiam. Et quamuis nomina illa, Herus & Dominus, re ipsa in vnum eundemque competant sensum; ea tamen distinguit cogitatio. Dominus quippe Græce dicitur κύριος, ἀπὸ τοῦ κύρους, hoc est, ab auctoritate, qua ratum fit aliquid: sicut contra ἄκυρον vocatur irritum. Herus verò nominatur Græce δεσπότης ἀπὸ τοῦ δέους, id est, vinculum: vnde, vt opinor, δεὸς, id est, timor. Itaque δεσπότης significat dominum non solum propter auctoritatem reuerendum, sed etiam metuendum propter omnipotentiam. Vel sic fortasse nominatur DEVS, quod ipse omnia colliget & constringat, tanquam indissolubilibus quibusdam prouidentiæ suæ vinculis; quæ alioqui dissoluerentur ac dissiparentur. Quare cum dicit: *Here Domine, quid mihi dabis?* perinde est ac si dicat; Non ignoro tuam ingentem potentiam; scio & potestatem tuam terribilem, & idcirco timens tremensque te appello: sed rursus per te ipsum fiducia subleuor. Tu enim iubes ne timeam. Tu mihi linguam eruditam dedisti, vt sciam quando & quemadmodum loquendum sit tecum. Et quamuis præ me libertatem magnam & confidentiam ferre videar, ingenti me tamen affici pauore ac stupore fateor. Nec dico tamen contrarios in me pugnare affectus, timorem atque audaciam: sed eos commodissime inuicem misceri ac temperari. Itaque hoc tam bene atque vtiliter temperato poculo, insatiabiliter fruor: quod facit, vt nec libertas loquendi diminuat quicquam de reuerentia diuini numinis: nec ipsa reuerentia fiduciam & libertatem loquendi, vbi est opus, adimat. Didici enim me ipsum æstimare ac metiri: Scio quàm sim nihili, & ideo nimiam erga me tuam beneficentiam obstupesco. Et quoties pulue-

Genes. 15.

rem cineremque, aut si quid his abiectius est, me ipsum sentio, tunc appellare te audeo; humiliatus nempe atque in terrâ prostratus, atque ita mutatus, vt vix ipse mihi subsistere videar. Talem affectum animæ impressit in meam memoriam, admirabilis vir Abraham. Hactenus ex Philone.

VERSV 32.

Quid si inuenti fuerint ibi decem? Et dixit, Non delebo propter decem.

Cur Abrahã viros iustos, nec supra 50. nec infra 10. commemorauerit. Thomas Anglicus in cap. 18. Geneſis.

CVR Abraham memorans viros iustos, in quorum gratiam, vt parceret DEVS Sodomitis, flagrantissime cupiebat, & vehementer ei supplicabat; nec supra quinquaginta viros iustos ascenderit, nec descenderit infra decem; non inepte nec insciter, vt mihi quidem videtur, causam & rationem Thomas Anglicus, breui magis & distincta, vt moris est Theologorum Scholasticorum, quàm eleganti oratione, ad hunc modum exposuit. Cur Abraham certa quadam gradatione precum, à quinquaginta peruenit vsque ad decem? nonne melius & facilius fuisset, à principio rogare pro decem? Respondendum est: Abraham tum propter DEI reuerentiam; tum propter magnitudinem rei postulandæ, non esse statim ausum petere pro decem: verum DEO concedente in quinquaginta, audaciorem esse factum ad petendum pro quadraginta quinque, & sic deinceps vsque ad decem. Præterea DEVS occulte mouebat animum Abrahæ ad petendum eo potius modo, quàm alio; quòd vellet formulam precationis eius spiritualibus quoque mysteriis deseruire. Etenim sex illis numeris quos Abraham commemorauit 50. 45. 40. 30. 20. & 10. designantur omnia genera, omnesque gradus iustorum, quotquot nunc in terris sunt, aut fuere olim, aut futuri aliquando sunt. Nam quinquagenarius numerus denotat plenitudinem gratiæ SPIRITVS Sancti, & supremum iustorum vitæ genus in perfecta DEI contemplatione (qualis esse in terris potest) & ardentissimo eius amore collocatum. Supra hunc perfectionis gradum, non est ascendere altius dum hic viuitur. Ad hoc genus vitæ pertinet, quod de MARIA dixit Dominus; MARIA *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Descensus à quinquaginta ad quadraginta per duos quinarios, significat inferius quoddam genus iustorum in exteriori actione positum, simile ministerio Marthæ, cui dixit Dominus: *Solicita es, & turbaris erga plurima.* Verum duplex est genus vitæ actiuæ, in qua se iusti exercent. Est enim quoddam principaliter quidem actiuum, sed aliqua tamen ex parte etiam contemplatiuum; quod per numerum quadragintaquinque adumbratum est. Nam quadraginta, est numerus operationis & laboris; additus vero quinarius, quo ille appropinquat ad quinquaginta, significat participationem quandam contemplationis.

67

Luca 10.

Alte

Alterum est genus vitæ actiuæ designatũ per quadragenarium numerum, in externa solum actione & corporalibus ministeriis occupatum & per corporalis misericordiæ opera, iuuandis hominibus destinatum.

68 Sequitur deinceps à quadragenario numero descensus ad denarium per tres denarios. Et denario quidem significari obseruationem Decalogi, per se manifestum est; triplicata verò denarij repetitio, siue diminutio à quadraginta vsque ad decem, indicat tres modos obseruãdi decalogum, vel tres gradus eorum, qui eum obseruant. Primus gradus est eorum qui ducuntur ad præceptorum diuinorum obseruationem, solo DEI, puroque amore; quòd ipse dignissimus per se sit, vt eius voluntati obtemperetur, eiusque præcepta diligentissime obseruentur. Medius gradus eorum est, qui ad exequenda DEI præcepta, alliciuntur & feruntur contemplatione, speque ingentium vtilitatum, atque animi voluptatum, quæ obseruationem diuinæ legis consequuntur. In horum se hominum classem numerũque retulit regius vates Dauid, cum de præceptis DEI dixit: *Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum: & dulciora super mel & fauum. Etenim seruus tuus custodit ea, & in custodiendis illis retributio multa.* Psal. 18.

Tertius atque infimus obseruatorum Decalogi gradus, eorũ est, qui seruili quodam timore diuinæ vindictæ, terroreq; supplicij æterni, quo præuaricatores diuinæ legis puniendi sunt, ad custodienda mandata DEI quasi compelluntur & trahuntur. Ac talem quidem animi affectum erga DEI præcepta, licet is hominum sit valde imperfectorum, Dauid tamen non est aspernatus: quin etiam dari sibi eum peroptauit, & à DEO precatus est dicens: *Confige timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui*; quasi diceret: cupio omni modo adhærere mãdatis tuis; si amor recti & honesti non semper vim habuerit reuocandi me à carnalibus affectibus & voluptatibus; equidem vehementer cupio, idque etiam atque etiam te rogo, vt timor tuæ iustitiæ, grauissimis pœnis violatores legis tuæ vlciscẽtis, altius penetret, ac penitus, intret animum meum, & fixus in eo semper hæreat; vt hac saltem ratione, ab assensu & obsequio turpium cupiditatum & voluptatum me prorsus abstrahat. Moses prudentissimus diuinæ legis promulgator & interpres, quò ardentius inflammaret Hebræorum animos ad colendam & implendam DEI legem, eosque ab eius contemptu ac violatione vehementius absterreret, primo exposuit amplissima bona, quibus studiose sancteque diuinam legem colentes afficiendi erant: tum enarrauit grauissimas calamitates & atrocissima supplicia, quibus feriendi & perdendi erant, qui DEI mandata neglexissent atque violassent. Psal. 118. Leuit. 26. Deut. 28.

* * *

QVINTA DISPVTATIO;

Super illis verbis:

VERS V 33 *Abiitque Dominus, postquam cessauit loqui ad Abraham: & ille reuersus est in locum suum.* Versu XXXIII.

69 DOMINVM appellat Moses Angelum, qui auctoritatem dignitatemque DEI repræsentans, sermocinatus fuerat cum Abraham: & quem Abraham, DEI nomine secum loquentem, quasi DEVM, venerabundus, verbis factisque honorauit. Sed quonã Angelus ille abiit? Rediit nempe in cælum, peracto munere, cuius obeundi gratia, in terras missus fuerat: proprium namque beatorũ Angelorum domicilium, cælum est. Abraham rediit ad tabernaculum suum, quod habebat in conualle Mambre: vnde hospites suos ad hunc locum vsque comitatus fuerat. Sed quatuor hoc loco quæstiunculæ proponi possunt: quarum solutionem cursim attingam.

Quatuor quęstiones.

Prima quæstio.

Quæritur primo, cur Abrahã non amplius institit supplicare DEO pro Sodomitis: sed vbi deuenit ad decem iustos, ibi subsistens, finẽ precandi fecit? An quia ipsemet, cum cõmemorasset decem iustos, dixit se non amplius super ea re cum DEO acturum: *Obsecro*, inquit, *ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel: quid si inuenti fuerint ibi decem iusti?* DEVS præterea, vt Thostatus putat, cohibuit mentẽ animumque Abrahæ, ne pergeret vlterius deprecari pro Sodomitis, nec vltra decem procederet ad commemorationem iustorum hominum. Sciebat enim esse aliquot iustos in ea regione, infra denarium numerũ, propter quos tamen non erat parciturus illi genti: de qua scilicet omnino pœnas sumere decreuerat. Nec tamen vnice carũ sibi Abrahã cõtristare voluit, nõ satisfaciẽs eius petitioni: quare auertit mentẽ & voluntatẽ eius à perseuerando in deprecatione atq; intercessione pro Sodomitis. Adde si placet rationẽ quandã mysticã: infra Decalogi obseruationẽ, quæ denario numero designatur, nullus esse potest iustitiæ locus: nec quisquã Decalogi obseruationẽ non explens, iusti appellatione honoreque dignatus est: quare merito Abraham in commemorando iustos, infra decẽ non descendit.

Thostatus.

Secũda quæstio. Thostatus.

Altera quæstio, An præter Lot & vxorem eius duasque filias, fuerint in ea gente ac regione probi aliqui homines, & flagitiorum, propter quæ puniti sunt Sodomitæ, prorsus expertes. Existimat Thostatus non esse improbabile, fuisse inibi alios viros iustos; eosque ex illo incendio euasisse, vel monitu Angelorum, vel interiori quodam diuino instinctu atque incitatu, quasi præsagientes instantia mala, inde recessisse. De quorum tamen liberatione nihil scripsit Moses, narrandæ videlicet liberationi Lot solum intentus: quod ea continens & connexa esset cum historia Abrahæ, quam ipse susceperat proprie & accurate tractandam: præsertim cum in liberatione Lot, multa valde memoranda & admiranda interuenerint. Verum hæc opinio Thostati, nullo est fulta

fulta & nixa rationis fundamento. Non repugnat fuisse inibi alios iustos, neque id negat scriptura: non sane id negat; verum nec subindicat; quin etiam contrarium significat, cũ narrat sequenti capite, vniuersos habitatores earum vrbium incẽdio periisse. Nec satis est, quo credatur aliquid esse factum, ostendere non repugnasse id fieri: nam quàm multa scimus non esse facta, quæ tamen fieri potuisse non dubitamus, nec vt fierent, vlla fuit repugnantia?

Tertia quæstio.

70 Tertia quæstio: Cur Abraham non supplicauit DEO pro liberatione Lot? An ille quidem supplicauit pro eo, sed id narrare prætermisit Moses? Non enim putauit, visum iri magnum & memorabile, quod Abraham supplicasset DEO pro Lot, homine scilicet magna secum necessitudine coniuncto, sibique propter longinquæ peregrinationis societatem, diuturnumque contubernium & conuictum carissimo. At vero pertinuit maxime ad commendationem pietatis & caritatis Abrahæ, & ad eruditionem atque imitationem posterorum, proditum memoriæ ac literis relinquere, quàm ille DEO instanter & perseueranter, pro extranea & tam scelerata gente supplicasset. Quid si nullum verbum fecit Abraham pro Lot, quod certus esset vel ex aliqua DEI promissione, vel propter integritatem atque innocentiam Lot bene sibi notam & perspectam, eum liberatum & conseruatum iri à DEO? Illud certe constat ex historia sequentis capitis, Abrahæ potissimum gratia & merito, liberatum esse Lot.

Cur DEVS precibus Abrahæ non sit flexus ad ignoscendũ Sodomitis. Quarta quæstio.

71 Quarta quæstio, cur DEVS precib. Abrahę non est flexus ad ignoscendũ Sodomitis? Causa non parcẽdi Sodomitis, peccatorũ eius gẽtis fuit tanta enormitas atque immanitas, vt nullo modo veniã mererentur. Fuit enim eorum multiplex & multiforme peccatũ: sed principale scelus, erat sua natura fœdissimũ, maximeque detestandũ; & nisi quam primum, tanquam ferro & igne resecaretur & exureretur, pernicioſum & exitiale futurũ humano generi. Erat præterea peccatum eorum hominum, longinqua peccandi consuetudine & licentia inueteratum roboratumque, & quasi naturale factum: fueratque, diuturna impunitate concessa, longo tempore dissimulatũ & toleratũ à DEO. Itaque nulla iam spes erat correctionis & emẽdationis; cum illi longanimitatẽ DEI, ad maiorem peccandi audaciã & impudentiam conuertissent. Quocirca dilatio vltionis & supplicij eius gentis, non proficiebat ad emendationem vitæ, sed ad culpæ amplificationem, & ad scandalum atque exitium multorum, quos talis flagitij contagio, virusque inuadebat & corrumpebat. Hæc igitur celerem eius gentis, notabilemque, atque omni æuo memorabilem animaduersionem DEI & vindictam flagitabant.

72 HIS adiicere lubet sententiam quandam Philonis, quæ visa mihi est pulcherrima. Tradit ille tres esse optimos & efficacissimos apud DEVM deprecatores atque intercessores pro venia peccatoribus impetranda. Vnus, & is quidem principalis intercessor, est ipsa DEI bonitas & clementia, qui suapte natura promptissimus est ac propensissimus ad ignoscendum; ad puniendum verò, lentus admodum & cunctabun

ctabundus. Secundum locum intercedendi tenent viri pietate & sanctimonia præstantes;quorum apud DEVM gratia & auctoritas,ad demerendam peccatoribus criminum veniam,valet plurimum. Namque eos dignos esse iudicat DEVS,vt eorum gratia & merito,etiam indignis atque immerentibus remittat ipse noxam, & gratiam suam impertiat. Tertius,& sane potentissimus intercessor est,bona quædam peccatoris animi affectio: si liquido is agnoscat flagitia sua; si ex animo ac serio doleat ac detestetur;si firmissime statuat apud se,ab omni deinceps flagitio purum se atque integrum cõseruare. Ea quippe peccatoris mens, is animi sensus,id consilium atque propositum, ad iram DEI placandam,ad impetrandam eius indulgentiam, & ad deprecandum peccatis merita & debita supplicia,vim habet maximam. Ponam hic verba Philonis;nam fere sunt vtili quadam & dulci eruditione condita. Vbi autem ea verba sunt,loquitur inibi Philo de Iudæis gentilibus suis,per id tempus,toto propemodum orbe terrarum dispersis;& valde calamitosam atque ærumnosam vitam viuentibus. Ait eam calamitatem, quæ propter eorum peccata eis contigit, si criminum suorum vere pœnitentes,toto corde reuertantur ad DEVM,multum eis profuturam, non modo ad recuperandam libertatem,& mala,quibus oppressi sunt, discutienda;sed ad magnam deinceps felicitatem comparandam.

Philo in libro qui inscribitur, de Execratione.

Sic autẽ scribit Philo: Si qui huiusmodi castigationes,nõ vt peremptorias,sed vt incitantes ad emẽdationem acceperint,mutatique suum errorem damnauerint, primum sincera conscientia, tum etiam lingua ad profectum audientium, veniam consequentur apud propitium & seruatorem DEVM:qui generi humano eximiam hãc largitur gratiam, id volens suo verbo cognatum esse,ad cuius similitudinem animus hominis factus est. Nam etiam qui extremas oras terræ incolunt,seruientes iis à quibus abducti sunt illuc captiui; velut vno edicto,vna die liberabuntur omnes:dominis mirantibus eorum consensum in deserendis vitiis & sectandis virtutibus,& ideo pudebit eos melioribus dominari. Tum vero potiti hac inexpectata libertate, qui antea dispersi fuerant per Græciæ,Barbariæque continentes,& insulas,eodem momento temporis excitì è diuersis sedibus, contendent ad locum destinatum: deducente eos quodam spectro augustiore diuinioreque,quàm quę obuersari solent humanis oculis; cęterorum quidem nemini, solis autem seruandis conspicuo. Tribus porrò freti erunt apud DEVM Patrem intercessoribus aduocatisque; vno,æquitate siue bonitate ipsius DEI Patris;qui semper ad pœnam tardior est,quam ad veniam: Altero, priscis Gentis conditoribus; qui etiam exuti corpore, nudis animis sincerum suo Principi cultum exhibent,pro suis posteris perpetuo,efficaciterque supplicantes:hoc honore dignati à DEO,vt exaudiantur facile. Tertius intercessor,est in melius mutatio,atque emendatio,profectusque,propter quem maxime DEI captatur indulgentia & beneuolentia; sine quo numquam ab errore in viam redire est. Huius autem viæ non alius est finis,quàm ita DEO placere,vt patri probantur filii. Hactenus Philo.

Vanũ Philonis vaticinium de futura Iudęorum sub tẽporis felicitate.

Post

Post hæc multa subdit Philo,quasi vaticinando, de futura Iudæorũ felicitate. Verum hanc Philonis prædictionem non fuisse vaticinium,sed aut ludicrum somnium,aut vanam spem,euentus ipse demonstrauit.

73 Trium igitur illorum deprecatorum & intercessorum,de quib. dixit Philo,nullũ pro se habuerũt Sodomitæ. Nã DEI clementia & misericordia,etsi diu fauit eis,longã impunitatẽ indulgens,tẽpusque ad agendam pœnitentiã;cum tamen nihil proficeret,sed eo ipso deteriores fieri eos cerneret,cessit iustitiæ diuinæ, atque in eius potestatem eos tradidit. Iustitia autem diuina in locũ succedens misericordiæ,tanto citius & grauius punire eos voluit; quanto illi diutius & impudentius abusi fuerant DEI misericordia. Itaque effrænẽ atque irreuocabilem eorum malitiæ cursum,quando nec pudor,nec timor, nec DEI hominumue respectus,aut alia quæpiam bona ratio reprimere potuerat; diuina iustitia,repentino eorum supplicio morteque, intercidẽdum esse iudicauit. Alterum vero deprecatorem & intercessorem,optimũ quidem pro se habuerũt Sodomitæ;Abraham dico, virum sanctissimum, DEO que carissimum:qui pro illis acerrimo studio,magnaque constantia & perseuerantia DEO supplicauit:sed obfirmata & inflexibilis eorum malitia,inflexibilem quoque erga se reddidit misericordiam DEI;tantique viri preces,inefficaces atque irritas fecit. Simile igitur quippiam accidit Sodomitis,ac Iudæis contigisse legimus:quibus adeo se iratũ atque infensum esse DEVS quodam loco dixit,vt etiam si Samuel & Moses pro eis orarent,non eos tamen exauditurus esset. Verba DEI ad hunc modum refert Hieremias: *Et dixit Dominus ad me:si steterint Moses & Samuel coram me,non est anima mea ad populum istum.* Et alio loco: *Si fuerint tres viri iusti in medio huius terræ,Noe,Daniel,& Iob: ipsi in iustitia sua liberabunt animas suas;nec filios aut filias suas liberabũt,sed ipsi soli liberabuntur,terra autem desolabitur.* Tertius porrò modus deprecandi & intercedendi,qui positus est in eius,qui deliquit,pœnitentia & emendatione; nullum plane in Sodomitis locum habuit. Siquidem nullum in eis erat peccati odium,nullus pœnitentiæ sensus, nullumque in posterum corrigendi vitia, & mores ac vitam emendandi propositum. Immo verò de præteritis sceleribus suis,quasi de egregiis benefactis gloriabantur: præsentibusque maleficiis palam gaudebant & exultabant;quin etiam turpissimam futurorum scelerum voluptatem præguſtare ac præsumere omnino gestientes, ad præmeditanda & machinanda flagitia, consilia sua omnia, votaque conferebant. Hiere.15.

Ezec.14.

Ecquis igitur veniæ locus esse poterat,vbi non modo nullum erat pœnitentiæ vestigium, verum etiam firmissimum in iisdem vitiis procedendi,perseuerandique propositum?

Universidad de Deusto
Biblioteca

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA SVPER CAPVT Decimumnonum Geneſis.

De incendio excidioque Sodomæ, aliarumque vrbium: & de liberatione Loth, ac de inceſtu filiarum eius.

VERSV 1. ENERVNTque duo Angeli Sodomam veſpere, ſedente Loth in foribus ciuitatis. Qui cum vidiſſet eos, ſurrexit, & iuit obuiam eis: adorauitque pronus in terram. 2 Et dixit: Obſecro, domini, declinate in domum pueri veſtri, & manete ibi: lauate pedes veſtros, & mane proficiſcemini in viam veſtram. Qui dixerunt, Minime, ſed in platea manebimus. 3 Compulit illos oppido vt diuerterent ad eum: ingreſſiſque domum illius, fecit conuiuium, & coxit azyma, & comederunt. 4 Prius autem quàm irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vſque ad ſenem, omnis populus ſimul. 5 Vocaueruntque Loth, & dixerunt ei: Vbi ſunt viri qui introierunt ad te nocte? educ illos huc vt cognoſcamus

mus eos. 6 Egreſſus ad eos Loth, poſt tergum occludens oſtium, ait: 7 Nolite, quæſo, fratres mei, nolite malum hoc facere. 8 Habeo duas filias quæ nec dum cognouerunt virum: educam eas aduos, & abutimini eis, ſicut vobis placuerit, dummodo viris iſtis nihil mali faciatis, quia ingreſſi ſunt ſub vmbra culminis mei. 9 At illi dixerunt, Recede illuc. Et rurſus: Ingreſſus es, inquiunt, vt aduena, nunquid vt iudices? te ergo ipſum magis quàm hos affligemus. Vimque faciebant Loth vehementiſsime: iamque prope erat vt effringerent fores. 10 Et ecce miſerunt manum viri, & introduxerunt ad ſe Loth, clauſeruntque oſtium: 11 & eos qui foris erant, percuſſerunt cæcitate, à minimo vſque ad maximum, ita vt oſtium inuenire non poſſent. 12 Dixerunt autem ad Loth, Habes hic quempiam tuorum? generum, aut filios, aut filias, omnes qui tui ſunt, educ de vrbe hac: 13 delebimus enim locum iſtum, eo quod increuerit clamor eorum coram Domino, qui miſit nos vt perderemus illos. 14 Egreſſus itaque Loth, locutus eſt ad generos ſuos, qui accepturi erant filias eius & dixit ad eos, Surgite & egredimini de loco iſto, quia delebit Dominus ciuitatem hanc. Et viſus eſt eis quaſi ludens loqui. 15 Cumque eſſet mane, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias eius quas habes: ne & tu pariter pereas in ſcelere ciuitatis. 16 Diſſimulante illo, apprehenderunt manum eius & manum vxoris ac duarum filiarum eius: eo quod parceret Dominus illi. 17 Eduxeruntque eum, & poſuerunt extra ciuitatem. Ibique locuti ſunt ad eum dicentes: Salua animam tuam: noli reſpicere poſt tergum, nec ſtes in omni circa regione: ſed in monte ſaluum te fac, ne & tu ſimul pereas. 18 Dixitque Loth ad eos, Quæſo, 19 domine mi, quia inuenit ſeruus tuus gratiam coram

te,& magnificasti misericordiam tuam quam fecisti mecum vt saluares animam meam,nec possum in monte saluari,ne
20 *forte apprehendat me malum & moriar. Est ciuitas hic*
iuxta ad quã possum fugere, parua, & saluabor in ea: nun-
21 *quid non modica est, & viuet anima mea? Dixitque ad*
eum, Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertã
22 *vrbem pro qua locutus es. Festina, & saluare ibi: quia nõ*
potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc. Idcirco vo-
23 *catum est nomen illius vrbis Segor. Sol egressus est super ter-*
24 *ram, & Loth ingressus est Segor. Igitur Dominus pluit su-*
25 *per Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino*
de cælo. Et subuertit ciuitates has & omnem circa regio-
nem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ vi-
26 *rentia. Respicienſque vxor eius post se, versa est in statuam*
27 *salis. Abraham autem consurgens mane vbi steterat prius*
cum Domino, intuitus est Sodomã & Gomorrham & vni-
28 *uersam terram regionis illius: viditque ascendentem fauil-*
29 *lam de terra quasi fornacis fumum. Cum enim subuerteret*
DEVS *ciuitates regionis illius, recordatus est Abrahæ; & liberauit Loth de subuersione vrbium in quibus habitaue-*
30 *rat. Ascenditque Loth de Segor, & mansit in monte, duæ*
quoque filiæ eius cum eo: timuerat enim manere in Segor, &
31 *mansit in spelunca ipse & duæ filiæ eius cum eo. Dixitque*
maior ad minorem: Pater noster senex est, & nullus virorũ
remansit in terra qui possit ingredi ad nos iuxta morẽ vni-
32 *uersæ terræ. Veni inebriemus eum vino; dormiamusque*
33 *cum eo, vt seruare possimus ex patre nostro semen. Dede-*
runt itaque patri suo bibere vinum nocte illa. Et ingressa
est maior: dormiuitque cum patre: at ille nõ sensit, nec quan-
34 *do accubuit filia, nec quando surrexit. Altera quoque die di-*
xit maior ad minorem: Ecce dormiui heri cum patre meo,
demus ei bibere vinum etiam hac nocte, & dormies

cum

cum eo, vt saluemus semen de patre nostro. Dederuntque 35
etiam & illa nocte patri suo bibere vinum, ingressaque mi-
nor filia, dormiuit cum eo: & nec tunc quidem sensit quando
concubuerit, vel quando illa surrexerit. Conceperunt ergo 36
duæ filiæ Loth de patre suo. Peperitque maior filium, & 37
vocauit nomen eius Moab: ipse est pater Moabitarum
vsque in præsentem diem. Minor quoque peperit filium, & 38
vocauit nomen eius Ammon, id est, filius populi mei: ipse est
pater Ammonitarum vsque hodie.

PRÆFATIO.

QVATVOR historiæ narrantur hoc capite decimonono: prima pertinet ad duos Angelos hospitio acceptos à Loth: quibus Sodomitæ cum vim inferre conarentur, subita cæcitate ab illis percussi sunt. Altera declarat modum liberationis Loth, miramque vxoris eius, propter inobedientiam, conuersionem in statuam Salis. In tertia describitur horrendum totius gentis illius ac regionis incendium atque excidium. Quarta commemorat filiarum Loth incestum ex opinionis errore, nimioque generandæ prolis desiderio, cum patre suo admissum. Sed principale huius capitis argumentum breui oratione exposuit S. Augustinus, in hæc verba scribens: Liberato de Sodomis Loth, & veniente igneo imbre de cælo, tota illa regio impiæ ciuitatis in cinerem versa est; vbi stupra in masculos, in tantam consuetudinem conualuerant, quantam leges solent aliorum factorum præbere licentiam. Verum & hoc eorum supplicium specimen futuri iudicij diuini fuit. Nam quo pertinet, quod prohibiti sunt, qui liberabantur ab Angelis, retro respicere, nisi quia non est animo redeundum ad veterem vitam, qua per gratiam regenerationis exuimur, si vltimum iudicium euadere cogitamus? Denique vxor Loth, vbi respexit, remansit: & in salem conuersa, hominibus fidelibus quoddam præstitit condimentum, quo sapiant aliquid, vnde illud caueatur exemplum. Sic B. August.

Aug. lib. 16. de Ciuita. DEI cap. 30.

Universidad de Deusto Biblioteca

VERSV 4. & 5. *Prius autem quam irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vsque ad senem, omnis populus simul. Vocaueruntque Loth, & dixerunt ei: Vbi sunt viri qui introierunt ad te nocte? educ illos huc vt cognoscamus eos.*

Ambros. lib. 1. de Abrahã cap. 6.

PRÆSTRVITVR his verbis, ait Ambrosius, diuini iudicij æquitas: ne forte quis diceret: Quid peccauerunt pueri, vt omnes excidio inuoluerentur? Ita nullus illic iustus fuit. Audi Scripturam testificantem: *Quia circumdederunt domum ab infante vsque ad senem, totus populus pariter.* Nulla ætas erat culpæ immunis, & ideo nullus immunis fuit exitij: & qui possibilitatem perpetrandi criminis non habuit, habuit affectum: effœtæ vires senum, sed mens plena libidinis. Sic Ambrosius. Verum

Caietanus. quod de pueris dicitur, recte monet Caietanus esse intelligendum de iis, qui iam peruenerant ad annos discretionis; scilicet, per ætatem, iam vitij virtutisque capaces. Quod dicitur, vniuersum populum eius ciui-

Lyranus. Thostatus. tatis concurrisse ad domum Loth, existimant Lyranus & Thostatus, dictum esse hyperbolice, ad significandum numerosissimi populi concursum: neque enim tantus eius ciuitatis populus potuisset vniuersus

Burgensis. Caietanus. esse circa vnam domum Loth. At hoc nec Burgensi, nec Caietano placet, qui non hyperbolice, sed simpliciter & historice, ita dictum esse contendunt. Nec incredibile est, vniuersum populum confluxisse ad domum Loth, & circumuallasse eam, alios quidem propius, alios autem remotius, occupatis vtique omnibus viis, ne quod effugium daretur iis, quos quærebant. Descripsit hæc subtiliter Moses, vt ostenderet ipsum illum aduentum duorum Angelorum publicum ad domum Loth, fuisse inquisitionem factam Sodomis, vtrum inibi essent decem

Genes. 18. iusti, vt DEVS promiserat Abrahæ. Ex generali namque totius ciuitatis concursu consensuque ad patrandum scelus, satis liquet, ne vnum quidem in ea gente fuisse hominem iustum atque innocentem. Miratur

Chrysosto. homil. in Genes. 43. Chrysostomus tantam totius gentis conspirationem ad malum. Nam ponderans illa verba: *Circumdederãt domum à iuuene vsque ad senem, omnis populus simul*; Summa, inquit, malitiæ conspiratio, vehemens male agendi studium, inenarrabilis magnitudo peruersitatis, obfirmatusque ad malum conatus, nulla plane dignus venia. Itane, tam turpe & impudens flagitium non erubuerunt; nec diuinum oculum omnia cernentem cogitarunt; neque iustum Loth reueriti sunt; neque hospitibus, quos iure moreque omnium gentium humaniter ac liberaliter tractari oportebat, pepercerunt? sed absque rubore, & nudo, vt dicunt, capite turpissimæ libidinis suæ verba dicentes: Educ, inquiunt, eos, vt abutamur eis. Propter hunc nefarium, & violentum eorum conatum, & impiam peruersita-

uersitatem, existimo, iustum Loth vsque ad vesperam desedisse ante fores ciuitatis, ne videlicet sineret viatores, ignaros & imprudentes tanti flagitij, incidere in eorum laqueos.

2 SED cur ex tam scelerata ciuitate, & flagitiosa gente non iam pridem aliorsum abierat Loth? Non enim ei honestum, non tutum, non decorum fuit, cum tali gente commune habere contubernium & consortium. An voluit ex caritate manere ibi, vt eos quoquomodo iuuaret, & corripiendo, exhortando, terrendo, vitæ quoque suæ ac morum exemplo, à tantis maleficijs reuocaret? An id factum est diuino consilio, vt manifesto aliquo experimento constaret, quanta eius gentis esset malitia, & quam digna eo supplicio quo sunt à DEO puniti? An vt inde optima existeret occasio admirandæ liberationis Loth, multarumque rerum mirabilium, quæ in ea liberatione contigerunt? Audiat Lector Chrysostomum: Sed quo modo, inquies, iustus ille ferre potuit tantam eius gentis iniquitatem? quo modo non fugit eorum ciuitatem? quomodo cum eis sermocinari & conuersari potuit? Ego dicam: Vniuersi Dominus, præuidens miram illorum malitiam, dispensauit vt iustus eo loco domicilium haberet; vt sicut optimus medicus, morbos eorum emendaret. Ac licet videret, se cura sua nihil proficere, & illos non emendari; non propterea tamen à cura destitit. Habet enim hunc morem prudens, ac probus medicus: Etsi videt morbum grauiorem esse, quam vt arte sua curari possit; non propterea tamen de officio suo quidquam remittit aut prætermittit: sed eo magis omnem artem suam adhibet, si forte possit ægrum vel longo tempore reparare, aut certe in lõgum tempus conseruare. Quod si nihil prorsus ad morbi curationem proficiat, habet tamen iustam excusationem, quod nihil eorum prætermiserit, quæ ad artem, munusque suum pertinebant. Idem sane & hic factum est. Loth enim licet versaretur in medio perditissimorum hominum; nihilominus tamen permãsit iustus, vitamque optimam egit: illi autem propterea indigni fuere omni venia, quod non solum à malitia non discesserunt, sed etiam atque etiam coaceruarunt eam, atque cumularunt. Sic B. Chrysostomus.

Cur Loth. mansit Sodomæ, cum gente tam scelerata.

Chrysosto. homilia supra citata.

3 HINC apparet, quanta fuerit virtus & sanctimonia Loth, qui vitam agens inter homines summis flagitijs inquinatissimos, ab omni purus scelere, eximiam integritatem atque innocentiã custodierit. Luculentum sane iustitiæ eius testimonium ac præconium perhibuit B. Petrus, ita scribens: *Iustum Loth oppressum à nefandorum iniuria ac luxuriosa conuersatione eripuit Dominus: Aspectu enim & auditu iustus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.* Quanto igitur verius in Loth competit, quod senex ille comicus de filio suo prædicabat dicens, eum, quod æqualium suorum improborum adolescentium consuetudine nihil fuisset corruptus, spectatæ iam esse virtutis, magnumque exemplum continentiæ: Nam qui cum ingeniis, ait, conflictatur eiusmodi, neque commouetur animus in ea re tamen, scias posse habere iam ipsum suæ vitæ modum. Verissimum est in Loth,

Laus virtutis Loth.

B. Petrus epist. 2. ca. 2.

Terentius in Andria.

Loth,illud Platonis dictum:In ea gente,quæ plurimum mala est,si quis bonus sit,eum esse quam optimum.

PRIMA DISPVTATIO.

An Loth peccauerit, offerendo filias suas Sodomitarum libidini, quo eos à violandis, nefario scelere, hospitibus auerteret,

Super illis verbis:

VERSV 8. *Habeo duas filias quæ necdum cognouerunt virum: educam eas ad vos, abutimini eis sicut vobis placuerit; dummodo viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub vmbra culminis mei.*

ARDVAM esse quæstionem hanc,& perplexam,atque litigiosam, demonstrat tum auctorum de ea dissensio,tam Patrum,quàm Scholasticorum Theologorum:tum etiam probabilitas rationum,quæ ad contrarias huius quæstionis partes probandas suppetunt. Etenim fas non est,malum facere,vt inde quantumuis bonum eueniat, sicut docet B.Paulus: ergo nec malum facere licet, quo maius aliud malum arceatur. Ex aduerso autem, celebris est Philosophorum sententia, Ex duobus malis, quod minus est,præoptari atque eligi oportere. Nec licitum modo, sed insuper laudandum videtur, homini omnino volenti, & parato facere ingens aliquod scelus, suadere ei minus aliud & leuius, si ea ratione à magno illo crimine patrando reuocari queat. Nos, vbi primo aliorum sententias fideliter ac diligenter exposuerimus, nostram quoque indicabimus: & quid in hac controuersia verum, certumque sit, quid autem vero similius & propius, Lectori aperiemus.

Ad Rom. 3.

Ambros.lib. 1. de Abraham. cap.6.

Sanctus Ambrosius & Chrysostomus nõ solum excusant factum illud Loth, verum etiam magnis laudibus prædicant: vt qui prudenter minori malo longe grauius malum propulsare voluerit: & fidem hospitij studuerit,haud leui domus suæ malo, inuiolatam præstare. Ambrosius ad hunc modum scribit: Offerebat Sanctus Loth filiarum pudorem. Nam etsi illa quoque flagitiosa impuritas erat, tamen minus erat secundum naturam coire, quàm aduersum naturam delinquere. Præferebat domus suæ verecundiæ, hospitalem gratiam, etiam apud barbaras gentes inuiolabilem. Denique illic quoque offensa hospitalitas est, vbi nec germanitas satis tuta est. Sic Ambrosius. Chrysostomi autem verba,facinus illud Loth enarrantis,ex quadragesimatertia eius Homilia

Chrysostom.

Homilia in Genesim, huiuscemodi sunt: Quanta fuit hæc iusti virtus? nonne omnem virtutem hospitalitatis superauit? Quid enim iusti huius benignitate satis dignum afferri potest, qui ne suis quidem filiabus pepercit, vt seruaret hospitibus honorem,& liberaret eos à peruersitate Sodomitarum? Et ille quidem filias suas prostituit, vt hospites viatores eriperet ab impiorum contumelia: nos autem, cum sæpe fratres nostros videamus in ipsum impietatis profundum, & tanquam in fauces Diaboli cadere; nec sermone eos dignamur, nec consilio regere, nec verbis monere, nec à malitia liberare, nec ad virtutem traducere conamur. Hæc Chrysostomus. Sed profecto admodum infirma videtur vtraque ratio, qua istorum Patrum firmatur sententia. Non enim fas est vel minimo peccato, quantumuis magnum aliud quoduis scelus repellere & euitare.vt infra ostendemus: & naturali ac paterno iure maiorem curam Loth gerere debuit pudicitiæ, ac bonæ famæ filiarum suarum; quam defendendi hospites ab iniuria & vexatione Sodomitarum: nec propter hos conueniens vllo modo aut decens fuit, obiicere illas in tantũ peccandi discrimẽ & in tam insignem infamiam.

5 BEATVS Augustinus in libro Quæstionum in Genesim,quæstione quadragesima secunda super hoc ipso facto Loth disputans, ambigue loquitur, non decernens vtrum Loth fecerit illud consulte ac deliberate, an potius perturbato animo, menteque confusa: sed vtrouis modo id egerit, non videtur approbari ac laudari ab Augustino. Merito, inquit Augustinus,super illo facto Loth quæritur,vtrum admittenda sit compensatio peccatorum, vt nos faciamus mali aliquid, ne alius grauius malum faciat: an potius perturbationi Loth, non consilio id tribuendum sit. Sed nimirum, periculosissime admittitur omnis hæc compensatio peccatorum. Sin autem perturbationi humanæ tribuitur, & menti tanto malo permotæ; id sane nullo modo imitandum est. At in libro De Mendacio cap. 7. factum hoc Loth non sine laude eius commemorat. Si Loth, cum ita iustus esset, ait Augustinus, vt Angelos etiam hospitio suscipere mereretur,stuprandas filias Sodomitis obtulit, vt fœminarum potius ab eis corpora, quam virorum corrumperentur: quanto diligentius atque constantius animi castitas in veritate seruanda est; cum verius ipse animus corpori suo, quam corpus virile fœmineo corpori præferatur?

Augustinus.

Sed enim in libro contra mendacium cap.9.apertissime sententiam suam indicauit Augustinus,scilicet magis inclinans ad vituperationem eius facti; quam ad approbationem. Sic autem scribit eo loco: Quis dubitet esse grande peccatum,si pater filias suas prostituat fornicationibus impiorum?Et tamen extitit causa, qua vir iustus Loth hoc se debere facere existimaret:quando Sodomitis nefario impetu in hospites suos irruentibus filias suas obtulit. Quid hic dicemus? Nonne ita scelus Sodomitarum horremus, vt quidquid fieret,ne illud fieret,arbitremur fuisse faciendum?Mouet etiam maxime persona facientis,quæ merito iustitię liberabatur à Sodomis:vt quoniã minus malũ est fœminas,

quam viros perpeti ſtuprum, etiam hoc ad iuſtitiam Loth pertinuiſſe dicatur,quod in filiabus hoc maluit fieri, quam in hoſpitibus ſuis; non tantum id volens animo,verum & offerens verbo; & ſi illi aſſenſi fuiſſent, impleturus & facto. Sed ſi hanc peccatis aperimus viam,vt committamus minora,ne alij maiora committant; lato limite,immo nullo limite, ſed conuulſis & remotis omnibus terminis,infinito ſpatio cuncta intrabunt,atque regnabunt peccata. Si ergo peccare non debemus, ne grauius alij vel in nos, vel in quoſlibet peccent; conſiderandum eſt in eo quod fecit Loth,vtrum ſit exemplũ quod imitari,an potius quod euitare debeamus.Putandum enim eſt,cum tam horrendũ malum ſuis cerneret impẽdere hoſpitibus,quod ipſe cuperet repellere,nec valeret; ſic eius animum potuiſſe turbari,vt vellet facere,quod non humani timoris nebuloſa tempeſtas, ſed diuini iuris tranquilla ſerenitas ſi cõſulatur,à nobis faciendum non eſſe clamabit:& iubebit potius,vt ſic noſtra peccata caueamus,ne vllorum prorſus alienorũ peccatorum timore peccemus. Aliena quippe ille vir iuſtus timẽdo peccata,quæ niſi conſentientes inquinare non poſſunt,perturbatus non attendit ſuum,quo voluit ſubdere filias libidinibus impiorum. Hæc quando in ſcripturis ſanctis legimus,nõ ideo quia facta credimus,etiam facienda credamus: ne violemus præcepta, dum paſſim ſectamur exempla. Itaque rectiſſime quiſpiam tunc dixiſſet ſancto viro Loth: Age quidquid potes, ne fiat quod merito times: ſed non te timor iſte compellat vt facias,quod ſi filiæ tuæ in ſe fieri voluerint,facient cũ Sodomitis te auctore nequitiam; ſin autẽ noluerint,patientur à Sodomitis,te auctore violentiam. Noli facere magnũ ſcelus tuum,dum magis horreſcis alienum. Quantumlibet enim diſtet inter tuum & alienum, hoc tamen erit tuum, & illud alienum. Hactenus ex Auguſtino. Apparet igitur ex hiſce verbis eius,in eam ſententiam fuiſſe eum propenſiorem, vt crederet peccaſſe Loth, ob nimiam animi perturbationem, non liquido diſcernentem quàm male fieret,quod ipſe grauioris vitãdi mali cauſa facere inſtituiſſet.Hanc ſententiam Auguſtini ſequitur hoc loco Gloſſa Interlinearis: ſequuntur itẽ Lyranus,Thomas Anglicus,Thoſtatus, Lippomanus in Catena;Ioannes Ferus,& Sotus lib.6.de Iuſtitia & Iure, quæſt.1.art.5.

Lyranus. Thomas Anglicus. Thoſtatus. Lippomanus. Caietanus. Ferus. Sotus.

Quatuor vię & rationes excuſandi factum Loth.

6 A T enim complures alij factum illud Loth excuſant, & vindicant à crimine.Sed varia eſt apud iſtos & diſſimilis excuſandi illius facti ratio. Vna ratio eſt quam tenet B. Thomas in Quæſtionibus de Malo; quæſtione prima,articulo primo. Nam inter Obiectiones,in obiectione 14.vt probaret iuſte culpam poſſe præeligi pœnæ, vſus eſt exemplo & facto Loth, qui filias ſuas obtulit libidini Sodomitarum, quod erat culpæ,ne pateretur in domo ſua iniuriam & violẽtiam hoſpitibus ſuis inferri,quod erat pœna. Ad hanc obiectionem ſic ipſe reſpondet:Loth non præelegit culpam pœnæ: ſed oſtendit ordinem eſſe ſeruandum in fuga culparum: quia tolerabilius eſt ſi quis committit minorem culpam,quam maiorem. Quo reſponſo non obſcure ſignificauit B.Thomas,Loth in eo facto non peccaſſe.

B. Thomas.

Altera

Altera ratio excuſandi Loth, ea eſt quam ſecutus eſt Caietanus in Commentariis ſuis in Secundam Secundæ B.Thomæ, quæſt. 78.articulo 4. Ait, Loth offerendo filias ſuas Sodomitis, obtuliſſe eis materiam minoris mali faciendi; non autem induxiſſe eos ad minus malum vt declinarent maius: non enim idem eſt offerre materiam minoris mali, atque inducere ad minus malum, quo vitetur maius:hoc enim non eſt licitum, quia non ſunt facienda minora mala, vt deuitentur maiora.Et quamuis ſciret Loth,ex facto ſuo occaſionem capturos Sodomitas abutendi virginibus, & peccaturos eſſe, faciendo rem iniuſtam, quam virgines non conſentientes eorum libidini,non iuſtę ab eis paterentur: attamen non inducebat illos ad ſtuprum, nec vt in id conſentirent, ſuadebat filiabus ſuis; ſed magis vt id violenter ſibi illatum, incontaminato animo fortiter paterentur, ad maius vtique malum aliud propulſandum. Illud vero quod dixit Loth Sodomitis: *Abutimini illis*, non imperatiue dictum ab eo eſſe,ſed permiſſiue, interpretari conuenit. Hæc dici poſſunt pro defenſione facti Loth, ſi omnino defendendum eſſe videatur, propter auctoritatem B.Petri, qui eum appellauit iuſtum,& quia iuſtus erat, fuiſſe eum ab incẽdio Sodomorum mirabiliter ereptum. Ad hanc ferme ſententiam,ſuper illo facto Loth, diſputauit eo loco Caietanus: quem etiam Ioannes Arboreus ſecutus eſt in libro 10.Theoſophiæ cap.2.ſed hæc ſecunda ratio aut nihil, aut prope nihil diſtat à prima. Si quidem indicare ordinem eſſe ſeruãdum in fuga culparum,vt leuior culpa potius admittenda ſit quam grauior; idem videtur eſſe, aut perſimile,ac offerre materiam minoris mali circa quam potius quis verſetur,qui maximum aliquod malum facere deſtinauit atque conſtituit.

Caietanus & Ioannes Arboreus.

Ioannes Arboreus.

7 TERTIAM rationem excuſandi Loth inuenit atque iniuit Caietanus in Commentariis ſuis in Geneſim, exponens locum hunc capitis deciminoni, ſuper quo ad præſens diſputamus, quaſi rationem antea traditam à ſe, poſtea non approbauerit Caietanus. Magna oritur quæſtio,inquit Caietanus,vtrum Loth peccauerit offerendo filias ſuas libidini Sodomitarum ad euitandam iniuriam inferendam hoſpitibus. Et eſt ratio dubitandi, quia hinc apparet,peccatum eſſe,flagitio repenſare flagitium, iuxta doctrinam illam Pauli: *Non ſunt facienda mala,vt eueniant bona.* Ex altera vero parte factum Loth fuiſſe licitum probare videtur auctoritas B. Petri, aientis Loth iuſtum oppreſſum, & liberatum à DEO à nefandorum hominum iniuria. Solutio huius quæſtionis eſt, Loth non obtuliſſe filias animo repenſandi flagitium flagitio; ſed animo placandi furentem populum per hyperbolicam quandam ſui ſubmiſſionem. Credebat enim populũ minime acceptaturum eiuſmodi oblationem; ſed fore potius, vt populus ille tanta eius placatus ſubmiſſione, ab incœpto deſiſteret. Idque propterea veriſimile erat, quod filiæ Loth primariis Sodomæ ciuibus iam deſpõſę fuerant.Simile igitur eſt quod de Loth dicimus,vt ſi placaturus quis aliũ à ſe magna læſum & offenſum iniuria, nudum pugionẽ ei offerat dicens, interfice

Caietanus.

Ad Ro.3.

2.Petr.2.

me:non eo ſane animo vt ille occidat ipſum ; ſed vt tanta eius ſubmiſſione demitigatus, omnem ei remittat iniuriam & offenſam.

Caietanus in ſumma in voce Tyrannus:&Sotus lib.6.De Iuſtit. & iure quæſt.1.artic 5.

QVARTA ratio ducitur ex ſententia quorundam Theologorum, 8 qui arbitrãtur fas eſſe, cuipiam omnino volenti & deliberatum habenti grauiſſimum ſcelus facere, à quo nullis poſſit rationibus deduci,ſuadere vt faciat potius leue quodpiam peccatum : exempli cauſa , ſi quis ardens cupidine vlciſcendi eum, à quo valde læſus eſt, omnino conſtituit eum interficere:licite ac iuſte ſuadeat ei quiſpiam, vt alapis aut fuſtibus cędendo,potius vlciſcatur inimicũ,quàm inferenda morte:quod illud ad tuendum honorem ſuum & exiſtimationem ſatis ſit.Quod autem cui deliberatum & certum eſt,magnũ aliquod malum facere, ſuadere ei licitum ſit vt minus malum faciat, id eſt, vt potius verberet aut leuiter cædat inimicum , quàm occidat , huiuſcemodi ratione concluditur : iſtiuſmodi ſuaſio bonum habet finem, ſcilicet , hominem retrahere ab homicidio:habet item bonum obiectum, id autem eſt,nõ ſimpliciter quidem verberare aut cædere inimicum,ſed ſub ea conditione, ſi omnino vult occidere eum,vt hoc potius faciat. Nec vllam habet illa ſuaſio malam circumſtantiam. Eſt igitur ea ſuaſio licita,bona,laudabilis:non enim per eam inducitur ille ad peccandum ; cum is conſtitutum haberet non modo peccare, verum etiam grauiſsimum peccatum facere : ſed per eam ſuaſionem deducitur à grauiori peccato ad peccatum leuius : quod ſane licitum & bonum eſt. Hic enim locum habet celebris illa Philoſophorũ ſententia:ex malis, quod minimum. Quod intelligendum eſt de malis quæ vitari omnino non poſſunt,vel ex parte rei, vt ſunt mala corporalia , quibus interdum ita vrgemur , vt alterutrum neceſſario ſubeundum ſit : vel etiam in malis culpæ, quorum etſi nullum eſt quod non poſsit & debeat vitari ; nonnunquam tamen accidit ex obſtinatione alicuius hominis , ingens in aliquod flagitium ruentis, vt is ad electionem effectionemque minoris mali, honeſte atque vtiliter traducatur.

Chryſoſt. homil. 27. adpopulum Antiochenum.

AD hoc firmandum valet auctoritas B. Chryſoſtomi, ſuadentis ei, 9 qui magna iurandi cõſuetudine tenetur,vt iuret potius per caput ſuum ac per ſeipſum , quàm per DEVM ; nempe quod hoc ſit grauius crimen propter irreuerentiam diuini numinis. Valere etiam creditur ad idem comprobandum celebris B. Gregorij ſententia : qui verba illa Iob de Behemoth , quæ ſunt in capite 40. *Nerui teſticulorum eius perplexi ſunt*,interpretans de Diabolo,ſic ait : Argumenta machinationum eius,quaſi quo laxantur vt relinquant;eo magis implicantur vt teneãt. Eſt tamẽ quòd ad deſtruendas eius verſutias vtiliter fiat:vt dum eis inter minora & maxima peccata conſtringitur , ſi omnino nullus ſine peccato euadendi aditus patet , minora ſemper eligantur ; quia & qui murorum vndique ambitu ne fugiat clauditur , ibi ſe in fugam præcipitat, vbi breuior murus inuenitur. Cum igitur in dubiis conſtringimur , vtiliter minimis ſubdimur,ne in magnis ſine venia peccemus. Itaque plerumque neruorũ iſtius Behemoth perplexitas ſoluitur, dum

S.Gregor. lib.32 Moralium cap. 20.

ad

ad virtutes maximas per commiſſa minora tranſitur. Hæc Gregorius. Qui non ſimpliciter,ſed conditionaliter locutus eſt. Non enim poteſt vnquam contingere talis perplexitas ex parte rei , vt non poſsit vnum peccatum vitari,niſi admittatur aliud. Siquidem omne peccatum,qualecumque ſit & vitandum,& vitabile eſt homini.Verum eiuſmodi perplexitas accidere poteſt homini, qui ex opinionis & conſcientiæ errore, putat ſe vnum peccatum vitare non poſſe, niſi faciat aliud.

Sotus præterea ad ſuperioris ſententiæ confirmationem,quod liceat ſuadere minus malum quo vitetur maius, adfert ſententiam quandam Auguſtini ex libro eius (vt citat ipſe) Quæſtionum in Exodum:ea vero ſic ſe habet : Si facturus eſt quod non licet , iam faciat adulterium , & non faciat homicidium:vt viuente vxore ſua alteram ducat,& non humanum ſanguinem fundat. Verum nec ea ſententia Auguſtini eſt in libro Quæſtionum eius in Exodum , ſed in libro ſecundo de Adulterinis coniugiis capite 15.nec per eam Auguſtinus ſuadere vult eo loco,vt adulterium potius à marito committatur,quam vxoricidium.Illud potius perſuadere vult ex Chriſtiana lege & diſciplina , vt nec vxorem adulteram maritus occidat , nec ea viuente ducat aliam ; ſed dimittat eam , dumque illa vixerit , nouum coniugium , ſiue , vt loquar verius, adulterium inire non audeat. Ponam hic Auguſtini verba Lectori attente conſiderateque perpendenda. Sic eo loco ſcribit Auguſtinus : ſi non licet homini Chriſtiano adulterã coniugem occidere, ſed tantum dimittere : quis eſt tam demens qui ei dicat, Fac quod non licet, vt liceat tibi quod non licet ? Cum enim vtrumque ſecundum legem CHRISTI ſit illicitum , ſiue adulteram occidere , ſiue illa viuente, alteram ducere : ab vtroque ſane abſtinendum eſt,& non illicitum pro illicito faciendum. Si enim facturus eſt quod non licet,iam faciat adulterium, & non faciat homicidium ; vt viuente vxore ſua alteram ducat, & non humanum ſanguinem fundat. Quod ſi eſt vtrumque nefarium, non debet alterutrum pro altero perpetrare, ſed vtrumque vitare. Hæc Auguſtinus. Loth igitur (redeo enim ad id quod docere à principio ex iſtorum Auctorum ſententia inſtitueram) Sodomitis conantibus nefando vitio violare hoſpites ſuos,ſecundum hanc quartam rationem excuſandi factum eius,ſuaſit ſtuprum fœminarum,vt ſic eos deduceret à maiori flagitio. Sotus exiſtimat hanc quartam rationem excuſandi Loth , non differre à prima B. Thomæ & ſecunda Caietani. Siquidem oſtendere alicui ordinem eſſe in fugiendis culpis, vt tolerabilius ſit minorem admittere, quàm maiorem ; vel offerre ei materiam minoris mali circa quam ſe exerceat potius , quam circa materiam maioris mali;quid aliud eſt,niſi ſuadere ei parato facere magnum malum, vt potius faciat quod minus eſt?

Excutitur, an peruulgata ſententia B.Auguſtini bene citetur à Soto.

10 EXPOSITIS aliorum opinionibus , quicumque illud factum Loth,aut vituperandum eſſe iudicarunt; aut varias excuſandi eius facti rationes repererunt : reliquum eſt vt noſtram ipſi quoque ſententiam expromamus. Hanc Lector ex quinque propoſitionum, quas hic ſub-

Auctoris ſententia.

Universidad de Deusto Biblioteca

Non licere minori peccato, maius repellere. Locus Pauli ad Romanos cap. 3.

iiciemus, explicatione probationeque perſpectam & plane cognitam habebit. Prima propoſitio: Si Loth eo conſilio filias ſuas conſtuprandas obtulit Sodomitis, vt minori illo flagitio, repelleret maius quod Sodomitæ facere conabantur, ſine dubio peccauit, nempe tam iudicio errans, quam actione. Etenim B. Paulus in Epiſtola ad Romanos cap. 3. vt impios & blaſphemos damnat quoſdam, qui dicebant facienda eſſe mala vt eueniant bona: idque ſentire ac docere ipſum Paulũ mentiebantur. Hæc ſunt verba B. Pauli: *Si veritas* DEI *abũdauit in meo mendacio in gloriã ipſius, quid ego tanquam peccator iudicor? & nõ (Sicut blaſphemamur, & ſicut aiunt quidã nos dicere) faciamus mala vt veniant bona? quorũ damnatio iuſta eſt.* Ex hac Pauli doctrina productũ eſt illud, vt celebratiſſimũ, ita veriſſimũ axioma Theologorum: Non eſſe facienda mala nec vt eueniant bona, nec vt maiora mala vitentur: ſiquidem euitatio maioris mali, etiam ipſa quoddam bonum eſt. Ratio huius ſententiæ, clara & prompta eſt. Nam cum pecccatum, vt peccatum eſt, per ſe ſit malum, repugnat eſſe eligendum, vel propter ſe, vel propter aliud: nam quia peccatum eſt, vtique malum eſt; omnis autem electio, boni alicuius eſt; quare non eſt eligendum: ſin autem eligendum eſt, erit ſane bonum: quare erit malum ſimul & bonum; eritque ſimul eligendum atque non eligendum. Quemadmodum igitur ſpeculatiua ſcientia non approbat ſyllogiſmum qui concludit verum ex falſis; verum enim ex vero concludi oportet: ita moralis diſciplina non probat eam actionem, quæ per mala media pertendit ad conſecutionem boni finis. Cumque media omnia licita & honeſta ad conſequendos bonos fines, ſint à DEO inſtituta & ordinata, ſi quando nullum ex iſtiuſmodi mediis occurrat, tunc deſiſtendum eſt à conſecutione finis, quia nullum ad id ſuppetit medium: nec improba quæpiam & praua ratio eius adipiſcendi molienda & ineunda eſt.

Explicatio ſententię B. Gregor. Caietanus in 3. cap. epiſt. ad Romanos.

Nec vero huic exploratiſsimæ veritatis ſententiæ aduerſatur, quod 11
paulo ſupra ex B. Gregorio cõmemorauimus, docẽte, ſi nullus euadendi ſine peccato aditus datur, tunc minori peccato faciendo, maius eſſe declinandum. Nam, vt ſcite ea Gregorij verba interpretatus eſt Caietanus, Gregorius loquitur eo loco conditionaliter, conditione pendente non ex parte rerum, ſed ex parte hominis. Talis enim perplexitas in peccatis, non poteſt eſſe ex parte rei, vt neceſſe ſit aut hoc peccatum facere, aut illud: ſed poteſt accidere ex parte hominis, qui errore opinionis & conſcientiæ deceptus, non putat ſe ex vno peccato poſſe euadere, quin cadat in aliud. Concilium porro Toletanum octauum, Canone ſecundo, non præcipit minori peccato vitari maius; ſed ſolutione minoris vinculi & obligationis, grauiorem retineri & conſeruari. Verba Concilij ex eo loco huc tranſpoſita, huiuſmodi ſunt: vbi periculi neceſsitas compulerit, id debemus reſoluere, quod minori nexu noſcitur obligari. Quid autem ex his leuius, quidue ſit grauius, pietatis acumine inueſtigemus? Etenim dum periurare compellimur, Creatorem quidem offendimus, ſed nos tantummodo maculamus; cum vero

Exponitur ſentẽtia Cõcilij Toletani Octaui.

vero noxia promiſſa complemus, & DEI iuſſa ſuperbe cõtemnimus, & proximis impia crudelitate nocemus, & nos ipſos crudeliori gladio trucidamus. Sic eſt in eo Concilio.

12 SECVNDA propoſitio: Si Loth ideo filias ſuas ſubiecit libidini Sodomitarum, quia putauit licere, de duobus malis eligere quod eſt minus; vetus namque ac celebre verbum eſt, Ex malis quod minimum; minus autem ei viſum malum eſt ſtuprum permittere in fœminis, quam in viris nefandum vitium: Si propterea, inquam, id fecit: nec probe fecit, nec rectum eius dicti ſenſum atque intellectum habuit. Nec illa ſententia. De duobus malis, eligendum eſſe minus, tribus modis intelligi poteſt. Etenim duo illa mala, aut ſunt ambo, vt vocant, mala pœnæ, vel ambo ſunt mala culpæ; vel alterum eſt malum pœnæ, alterum verò malum culpæ. Si ambo ſunt mala pœnæ, ſic vera eſt illa ſententia: eſt enim prudentis & cauti hominis, minorem plagam accipere, quò grauiorem repellat. Verum ſic intellecta ſententia, nequaquam honeſtat aut excuſat factum Loth: ſiquidem tam ſtuprum filiarum, quàm nefanda violatio hoſpitum, erat malum culpæ. Si autem vtrumque malum, fuerit malum culpæ, ſic ea ſententia minime vera eſt: nullum enim malum culpæ, quantumuis paruum & leue ſit, eligibile eſt, nec per ſe, cum ſit malum, & omnis electio ſit eius quod bonum, aut eſt, aut videtur; nec propter aliud, ſiue ob conſecutionem magni cuiuſpiam boni, ſiue ob vitandum ingens aliquod malum: nam vt ſupra oſtenſum eſt, non ſunt facienda mala, nec vt comparentur bona, nec vt fugiantur maiora mala. Quod ſi de duobus malis, alterum ſit malum pœnæ alterum verò culpæ; ſcire conuenit, quantumlibet malum pœnæ præoptandum eſſe cuilibet etiam minimo malo culpæ. Quemadmodũ enim imperfectiſſimus homo, eſt perfectior quàm perfectiſſimus equus: ita minimum malũ culpę, eſt impẽdio maius malum quàm ſit quantumlibet malũ pœnę. Quare nullum malum pœnæ non eſt ſubeundũ; quo euitetur quodlibet malum culpæ etiã minimũ: contra verò, ne minimũ quidẽ malũ culpę faciendũ eſt, etiãſi ea ratione ingẽs aliquod pœnæ malũ à nobis propulſaretur, nec aliter repelli poſſet.

Quomodo intelligẽda ſit illa vulgata ſentẽtia, Ex malis quod minus eſt, eligi oportere.

13 TERTIA propoſitio. Si propterea id fecit Loth quia credidit, ei, qui omnino paratus & promptus eſt magnum aliquod malũ facere, licite honeſteque ſuaderi poſſe, vt potius faciat quod minus eſt malũ, ſi aliter reuocari à magno ſcelere nõ poteſt; ſi hoc, inquam, ſpectauit Loth, non malam ille quidem ſecutus eſt ſententiam, vtpote quam nobiles Theologi approbarunt: ſed eam tamen male intellexit, nec bene ad vſum ſuum contulit. Nam etſi minus peccatum eſt, ſtuprum fœminæ, quàm nefandum vitium; patri tamẽ maius peccatum eſt proprias filias tradere cõſtuprandas, quam ſinere hoſpites ſuos nefando ſcelere violari: immo nulla hæc culpa eius eſt, ſi alia ratione id prohibere ipſe atque impedire non poſſit. Enimuero, admodum imprudens id conſiliũ fuiſſet, & perquam indecẽs, & peruerſa ratio ſeruãdi hoſpites per ſtuprum filiarum. Nã cũ ipſe pater eſſet, paterno iure tenebatur filiarũ pudorem quoquo

Chryſoſto. Caietanus. Sotus de quibus ſupra.

quoquo modo custodire. Potuisset autem Loth furentibus libidine Sodomitis dicere; si certum vobis est explere vestram libidinem; nolite quæso tam immani flagitio violare hospites meos: sed ite potius ad fœminas, quæ in hac ciuitate complures sunt, atque in iis vestram exsatu rate libidinem.

An pater ius habeat exponendi corpora filiarũ alienæ libidini, ob deuitandũ ingens quod piam scelus. B. Augustinus.

QVARTA propositio. Non quia Loth pater erat, tantum ius & 14
potestatem habuisse eum in filias suas putandum est, vt posset facere eas, sine suo assensu, pati alienam libidinem, quo detestabiliorem libidinem ab hospitibus suis arceret. B. Augustinus cum rem hanc in libro contra Mendacium capite 9. commemorasset, nihil super ea re statuit, sed iniudicatam reliquit in medium, accuratius vel à se in alio loco, vel ab aliis pensitandam, iudicandamque. Verba Sancti Augustini ex eo loco, huiuscemodi sunt: Nisi forte pro defensione huius viri (Loth) in eas se quispiam coarctet angustias, quia iniuriam pati culpa non est, maluisse virum iustum filias suas, sine culpa iniuriam pati, quàm hospites suos, eo iure quo filiarum dominus erat, & nouerat eas non peccare, si id in ipsis fieret, quod inuite fieri in se sustinebant. In filiabus autem non peccantibus, nec ipse peccabat, quia non eas peccare, si opprimerentur inuitæ, sed peccantes ferre faciebat; tanquam si ab improbis, vt sui serui cæderentur, offerret dominus, ne hospites suos pati cædis iniuriam sineret. De qua re non disputabo, quia longum est, vtrum dominus iure suæ potestatis recte sic vtatur in seruo, vt seruum suum cædi faciat innocentem, ne in domo sua amicus, etiam ipse innocens à violentis improbe vapulet. Hæc Augustinus. Verum procul dubio non potuit Loth paterno iure potestateque filias suas nefariæ libidini obiicere, quò detestabiliorem libidinem ab hospitibus suis auerteret, tum quod ea ratione perditum iuisset bonam famam filiarum, ob defloratam & amissam virginalem integritatem & pudorem; quam etiam ob rem ab iis viris, quibus iam illæ fuerant desponsæ, merito earum coniugium repudiandum erat: tum etiam ob grauissimum periculum, ne intimo animi sensu assentirentur illæ libidini alienæ, quam patiebantur, scilicet ob voluptatis delectationem in eo actu admixtam. Quid quod maior erat culpa, Loth filias suas in tantum & pudoris & pudicitiæ discrimen committere, quam sinere hospites suos flagitiose violari? Immo nulla in eo culpa eius rei futura erat, si non alia id ratione, quàm filiarum stupro impediri potuisset?

Excusatio Loth tradita à Caietano, præferenda cæteris est.

QVINTA propositio. Si factum Loth excusandum est, nullam 15
equidem video commodiorem excusandi eius facti rationem, quàm quæ supra tertio loco exposita, & à Caietano in Commentariis super hoc decimum nonum caput Geneseos tradita est. Ea nempe satis per se probabilis est, nec iis vrgetur incommodis, quibus aliarum quamlibet premi ostẽsum est. Verum ego nõ dissimulabo, inter cæteras super hoc facto Loth sententias supra enarratas, magis me in opinione B. Augustini acquiescere. Itaque existimo nõ recte fecisse Loth, atque eum tã inopinato, & repentino, atque atroci periculo, maloque vehementer pertur-

Probabilius videtur Auctori Loth peccasse in eo facto ex vehementi perturbatione animi.

perturbatum & confusum animo, arripuisse id consilij, quod primum ei tunc succurrit, & ad id mali arcendum valere posse visum est: non reputantem secum, æstimantemque, probum esset id consilium, an improbum, decensque sibi & domũi suæ, an indecens. Culpandus igitur est Loth: sed eam tamen culpam duæ res multum eleuant ac minuunt. Extenuat enim peccatum eius, ingens animi perturbatio, mentis iudicium impense confundens & perstringens: cuius ille satis grauem & efficacem causam habuit. Deinde multum de ea culpa deterit, flagrantissimum quoddam & acerrimum studium, magna sane dignum laude, hospites suos à tam nefaria & violenta atque intoleranda iniuria defendendi tuendique: simulque ardentissimum quoddam, idemque iustissimum tam execrandi eius gentis flagitij odium. His fortasse adderet quispiam, purgari posse à crimine factum Loth propter ignorantiam, eo tempore prorsus excusabilem. Etenim priscis illis temporibus atque hominibus, nequaquam oportebat liquido esse notum, licitum esset necne, leui quopiam admisso peccato, ingens aliquod bonum comparare, aut vrgens aliquod periculum malumque declinare; præsertim si nec boni consecutio, nec declinatio mali alia ratione posset contingere. Enimuero multis post seculis, & primariis philosophis, magnisque Theologis visum est, non esse in vitio ponendum, si quis interdum leuiter mentiatur, vt ea ratione maximum aliquod bonum consequatur, vel ingens periculum & malum effugiat. At enim, quantum scientiæ rerum moralium, omnibus retro seculis ante Saluatoris nostri aduentum, necessarium fuerit, & quænam ignorantia rerum agendarum aut fugiendarũ, in omni præterita ætate ab exordio vsque mũdi, excusabilis aut inexcusabilis fuerit, non est huius loci decernere: id enim pleniorem exactioremque disputationem requirit, quàm quæ in huius quæstionis tractatũ coarctari queat. Quare nihil ego ad præsens ea de re statuo, permittens eam iudicio & arbitrio doctorum hominum, quibus super istiusmodi rebus quærere ac differere, otium, studiumque, & cura fuerit.

An ignorãtia iuris potuit Loth excusare à peccato. vide Sotum supra posito loco.

Plato. Origenes. Chrysost. Cassianus.

SECVNDA DISPVTATIO.

De cæcitate, qua percussi Sodomitæ ostium domus inuenire non poterant:

Super illis verbis;

Et eos qui foris erant, percusserunt cæcitate à minimo vsq; ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent. VERSVS II.

16 NON fuit simpliciter cæcitas, qua percussi sunt Sodomitæ, id est, priuatio potentiæ visiuæ, aut visionis quantum ad omnia; sed tantum priuatio visionis quantum ad ianuam domus Loth: non enim discernebant situm, figuram, magni-

tudinem ianuæ domus Loth. Hoc genus cæcitatis Græce nominatur ἀοραςία, Latine dici posset, si ferret vsus, auidentia, quæ videntem alia omnia, facit non videre id, quod quis maxime quærit & cupit videre. 4. Regũ ca. 6. Consimili cæcitate percussi sunt milites à Rege Syriæ missi ad comprehendendum Eliseum. Nam cum alia omnia bene viderent, præsentem Eliseum videntes, non videbant, non agnoscentes esse eum ipsum, quem tantopere quærebant. Si enim Sodomitæ omnino cæci essent facti, non amplius laborassent in quærendo ostium domus Loth; sed tanta percussi calamitate, ab incœpto desistentes, & ducem itineris requirentes, domos suas regressi fuissent. Sed cur non sunt occisi ab Angelis? Nimirum quia atrociori mortis supplicio mox luendo reseruabantur. Cur autem non perfecta cæcitate puniti sint, hanc reor fuisse causam; vt ita vehemẽtius laborarent, & fatigarentur, obnixe quærendo ianuam domus Loth, nec tamen inueniendo, ex quo misere cruciabantur. Præterea eorum peccato fuit hæc pœna bene respondens. Nam sicut interiori mentis obtutu, cum ad alia consideranda & diiudicanda satis essent perspicaces, ad cognoscendam tamen & detestandam nefandi vitij fœditatem plane cæci erant: ita corporeo visu sic affecti & puniti sunt, vt cum alia omnia bene viderent, locũ tamen in quo execrandum scelus facere conabantur, minime viderent. Cæterum quæ diximus de cæcitate, ea firmari possunt auctoritate D. Augustini eadem tradentis tum in libro Quæstionum in Genesim quęstione 43. tum in libro 22. de Ciuitate Dei, vbi huiusmodi sunt eius verba: Cũ aliquid à quibusdam non videtur, quamuis adsit, à quibus alia, quæ pariter adsunt videntur: Græce dicitur ἀοραςία, quod verbum nostri interpretes Latine non valentes proprie reddere, in libro Geneseos cæcitatem interpretati sunt. Hanc enim passi sunt Sodomitæ, quãdo quærebant ostium iusti viri, nec poterant inuenire. Quæ si ea cæcitas fuisset, qua fit vt nihil possit videri; non ostium quod ingrederentur, sed duces itineris à quibus inde abducerentur, requisiuissent. Sic Augustinus.

S. Augustinus.

Quemadmodum illa cæcitas Sodomitarum facta sit.

VERVM quærat fortasse quispiam, quemadmodum & quibus ex causis talis cæcitas accidere Sodomitis potuerit. Sed facilis est respõsio. Tria enim vel quatuor necessaria sunt ad videndum, Obiectum, Medium, Potentia visiua, quibus, si placet, etiam adde sensum communem, penes quem scilicet ius est & potestas discernendi & diiudicandi sensilia obiecta externorum sensuum: quo fit vt sensu communi per vim morbi ægre affecto & perturbato, vt phreneticis contingit, perturbatæ itidem & peruersæ rerum præsentium visiones existant. Ex cuiuslibet autem harum quatuor rerum vitio, multoque magis ex omnium simul defectu, potuit ea cæcitas effici, quæ contigit Sodomitis. Ex obiecto quidem, dupliciter. Potuit enim ianuę Loth extrinsecus obtendi species quæpiam repræsentans in eo loco parietem continuum, & solidum, vel aliam quampiam figuram longe diuersam, quàm erat ianuæ Loth. Idem potuit fieri, impediendo ne ab eo obiecto, id est ianua domus Loth, producerentur species visibiles; aut productæ, ne pergerent & pertinerent

rent vsque ad visum eorum hominum: sine visibili autem specie, visio effici non potest. Ex medio autem impedimentum visionis accidere potuit, cum alias ob causas, tum hac ratione: potuit aër qui extrinsecus & proxime ianuam ambiebat, inde remoueri, alio corpore nullo succedente, ita vt id spatium prorsus vacuum esset: per vacuum autem, visio fieri nequit: siquidem vacuum nec illuminatum esse, nec species visibiles accipere ab obiecto, nec transmittere ad visum potest. Idem sine vacuo fieri posset, vel ita densando & obscurando aërem proxime ianuam, vt eius aspectum impediret; vel aëris loco aliud corpus illic substituendo sic affectum, vt idem præstaret. Ex potentia demum visiua, vitium & defectus visionis continget, male affecto sensu communi, ad quem vt ad centrum deuehuntur terminanturque species sensibiles externorum sensibilium: Si enim spiritus animales & sensitiui, qui impressas in se ferunt externorum sensibilium species, inordinate confuseque agitati & perturbati sint; necesse est, aut non repræsentari obiecta sensibilia, aut multo secus ac sunt repræsentari. Ea porrò specierum confusio & perturbatio, aut fit per vehementem aliquem ac violentum morbum, vt contingit phreneticis, qui quæ adsunt & habent ipsi sibi præsentia, vel non vident, vel aliter quàm sunt vident, vel pro iis longe diuersa vident: aut id fit pulsu agitatuque Angelico; nãque Angelus per motum localem in omnẽ corpoream naturam maxima pollet vi ac potestate.

18 SED consideremus illud quod sequitur: *Ita vt ostium domus inuenire non possent.* Hebræa verba magnam habent emphasim, hoc enim sonant: defatigabantur ad inueniendum ostium. Similem vim habent Græca: defessi sunt, vel vt legit Augustinus, defecerunt quærentes ianuam; id enim significat verbum Grecum παρελύθησα. Quanquam B. Chrysostomus id exponit de luxatione membrorum, dissolutione virium, & roboris ac vigoris corporis, quantum ad motus, defectionem. Quod super ea re scribit Chrysostomus, ad hanc ferme sententiam est: Percussi sunt illi cæcitate, & dissoluti sunt quærentes ianuam. Nam quia mentis eorum oculus excæcatus erat, idcirco & corporeo visu priuati sunt; vt discerent nihil sibi prodesse corporales oculos, si cæci sunt mentis oculi: & quia conspirauerant in malitiam omnes, & à nefario conatu non senes, non iuuenes, non pueri abstinebant; proptrea promiscue pariterque omnes cæcitate merito percussi sunt. Nec tantum excęcati sunt, sed insuper viribus quoque corporis destituti sunt; quando potiorem hominis partem, rationem & mentem, tantis flagitiis fœdauerant atque corruperant. Itaque qui prius ianuam effringere & conterere nitebantur, & ferociter minabantur ipsi Loth; confestim steterunt luxatis membris, & ante oculos sitam ianuam non videntes. Tunc vir iustus quasi respirauit, mirabundus secum reputans, quales apud se haberet hospites, quantaque pollentes virtute. Hæc Chrysostomus.

S. Chrysost. homil. 43. in Genesim.

Quodnã ostiũ Sodomitæ quęrẽtes, inuenire nõ potuerunt. Franciscus Ribera in caput primum Sophoniæ, numero 81.

19 VERVM occurrit quæstio circa illud: *Vt ostium inuenire non possent*, de quo intelligendum sit ostio, num de ostio domus Loth, an de ostio propriæ cuiusque eorum hominum domus. Noster Ribera, vir non sine

laude pietatis, & doctrinæ sacrarum literarum nominandus, omnino putat intelligi debere non de ostio domus Loth, sed de ostio domus cuiusque eorum: siquidem à domo Loth propter acceptã calamitatem digressi regressique in domos suas, suæ quisque domus ostiũ, quod ingrederetur, reperire non potuit. Noua fortasse, inquit Ribera, videbitur hæc explanatio loci Genesis; sed vetustissima est, vtpote quæ tradita nobis est à SPIRITV Sancto in lib. Sapient. cap. 19. his verbis: *Percussi sunt cæcitate; sicut illi in foribus iusti, cũ subitaneis, cooperti essent tenebris vnusquisque transitum ostij sui quærebat.* Sic Ribera. At enim contrariã interpretationẽ credo equidem non modo esse huic præferendam, sed solam esse veram, probandamque; quod ego tribus rationibus ostendam. Principio, Expositores huius loci, quod hic de ostio dictum est, similiter omnes interpretantur de ostio domus Loth. Ac ne sim longus, omissis minorum gentium Auctoribus, trium duntaxat clarissimorum Ecclesiæ Doctorum, Ambrosij, Augustini, & Gregorij, ad fidem eius rei astruendam vtar auctoritatibus. Ambrosius libro primo de Abrahã capite sexto, sic ait: Percusserunt illos Angeli cæcitate, vt ostium domus quod aperire cupiebant, non reperirent. Et hic quidem mirabilis declaratur Angelorum potestas; vt offusa impuris cæcitate, non reperirentur domus ostia. Sed etiam illud ostenditur, quia cæca est omnis libido, & ante se non videt. Sic Ambrosius. B. Augustinus libro 22. capite 19. de Ciuitate DEI ad hunc modum scribit: Hanc cæcitatem passi sunt Sodomitæ, quando quærebant ostium iusti viri, nec poterant inuenire. Quæ si ea cæcitas fuisset, qua fit vt nihil possit videri, non ostium quo ingrederentur, sed duces itineris à quibus inde abducerentur, conquirerent. B. Gregorius idem aperte sentit & tradit libro sexto Moralium: sed eius verba paulo infra adscribam. Ad eundem modum intellexisse atque exposuisse Chrysostomum, quod dicitur de ostio non inuento à Sodomitis, in aperto est, si quis legat quæ ab eo scripta sunt in homilia 43. in Genesim, & quę paulo ante sunt à nobis commemorata. Deinde, idipsum clarissime ostendit & fateri cogit Mosaïca eius loci narratio, quę sic habet: *Vimque faciebant Loth vehementissime: iamque prope erat vt effringerent fores. Et ecce miserunt manum viri, & introduxerunt ad se Loth, clauseruntque ostiũ, & eos qui foris erant percusserunt cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.* Quis non videt, ostium quod Sodomitæ non poterant inuenire, fuisse id quod ipsi volebant effringere, & intra quod Angeli manu prehensum Loth retraxerunt? Nam cum præcise vocetur ostium, non aliud vtique intelligere conuenit, nisi quod proxime ante bis nominatum fuerat.

Ambrosius.

Augusti.

Chrysost.

IAM vero locus ille prolatus ex libro Sapientiæ, minime fauet contrariæ expositioni, quin etiam aduersatur. Siquidem eo loco auctor eius libri, ad exaggerandam crudelitatem Ægyptiorum aduersus Hebræos, comparat Ægyptios cum Sodomitis, tum quantum ad scelus inhospitalitatis, tum quantum ad eius sceleris vindictam diuinitus factã: atque vtraque re ostendit Sodomitas esse superatos ab Ægyptiis. Sed præteribo

Locus libri Sapientiæ cap. 19.

20

ibo superiorum eius loci verborum expositionem, quam reperiet Lector germanissimam apud Iansenium in breuibus quibusdam notationibus, quas edidit in librum Sapientiæ; excutiam vero tantum ea verba quæ ad præsentem rem faciunt, & sunt eiusmodi: *Percussi sunt autem cæcitate.* Hoc dicitur in Ægyptios: & Græce additur: κὴ, vt sit hæc lectio: Percussi sunt autem Ægyptij etiam cæcitate; vt manifeste ostendit quod subditur: *Sicut illi in foribus iusti*, manifestum est spectare hoc ad Sodomitas; vt sicut simile fuerat eiusdem gentis crimen inhospitalitatis, ita similis vtrique genti inflicta sit pœna. Atque hic signanda sunt duo puncta. Sequitur: *Cum subitaneis cooperti essent tenebris.* Hoc non potest referri ad Sodomitas: nusquam enim legitur fuisse eos tenebris exterioribus opertos. Nec id referri potest ad cæcitatem qua percussi sunt: nam cum ea cæcitas fuerit imperfecta & secundum quid, priuans Sodomitas visione tantum ianuæ Loth; non sane propter eam vere diceretur, Sodomitas fuisse coopertos tenebris. Hoc igitur proculdubio spectat ad nonam plagam, qua percussi sunt Ægyptij, id est, ad triduanas illas tenebras, quas Scriptura Exodi 10. appellat palpabiles, & terribiles, atque omnifariam Ægyptiis offusas, vbicumque illi habitabant. Ergo quod adiungitur, *Vnusquisque transitum ostij sui quærebat*, non ad Sodomitas, sed ad Ægyptios referẽdum est. Lyranus quidem refert ad Sodomitas; sed illud tamẽ, *Ostij sui*, exponit de ostio Loth: quod appellatur ostium Sodomitarum, quod vniuersus Sodomitarum populus magno impetu id ostium petierat, & omnino intrare volebat; ac si obsisteretur, perrumpere ac perfringere constituerat; vt hospites Loth, quorum ardebat ac furebat libidine, nefando flagitio violaret.

Iansenius in ca. 19. sapiẽtiæ.

21 BEATVS Gregorius historiam hanc de Sodomitis, cum domum Loth ingredi conarentur, cæcitate percussis, nec postea ostium eius domus inuenire valentibus, secundum tropologiam exponit de hominibus inuidis; qui alienæ virtutis ac laudis inuidentia vruntur, tabescunt, obcæcantur; semperque aditum quærunt aliquem ad sanctorum hominum vitam & mores, dictaque & facta quoquo modo criminanda atque infamanda. Oratio B. Gregorij ad hoc spectans, ita se habet: Iniquorum hominum mentes, cum quædam à proximis bene gesta conspiciunt, tãquam in extenso liuoris sui equuleo torquentur: & grauem malitiæ suæ pœnam sustinent, cum bona in aliis tabescentes vident. Recte itaque dixit Iob: *Per diem incurrent tenebras.* Mens quippe eorum, cum de aliena melioratione affligitur, quasi de radio lucis obscuratur: & sæpe aperta bona proximi dum considerant, si quæ mala eius lateant inuestigant; & solicitis inquisitionibus laborant, vt quod in eo accusare possint, inueniant. Sana quidem membra conspiciũt, sed clausis cordis oculis, vulnus palpantes quærunt. Peruenire ad aliqua, quæ reprehendant, satagunt, & aliquem detractionis aditum quærunt: sed quia hunc inuenire non valent, cæci exterius circumeunt. Quod bene exprimitur, cum Loth, protegentibus Angelis, in domum reducitur; Sodomitæ autem domum eius intrare conantes cæcitate percussi, ostium

Pulchra B. Gregorij Disputatio aduersus inuidos & Sanctorum virorum obtrectatores. B. Gregorij lib. 16. Moral. cap. 16. sententia contra Inuidos. Iob. 5.

eius inuenire non possunt. Quid est, quod malis aduersãtibus, intra domum Loth reducitur & munitur, nisi quod iustus quidem dum prauorum insidias sustinet, ad mentem reuertitur, & imperterritus manet? Sodomitæ autem ostium Loth inuenire nequeunt, quia corruptores mentium, cõtra vitam iusti, nullum accusationis aditum deprehendunt: percussi enim cæcitate, quasi domum circumeunt, dum inuidentes bonis, eorum dicta factaque perscrutantur. Sed quia eis de vita iusti viri, fortis vndique ac laudabilis actio obuiat, errantes nihil aliud quàm parietes palpant. Bene igitur dixit Iob: *Tanquam in nocte, sic palpabunt in meridie.* Quia dum bonum quod vident, accusare nequeunt, cęcati malitia, malum quod non vident, ad accusationem quærunt. Hactenus ex Gregorio.

TERTIA DISPVTATIO.

Cur præceptum sit Lot, ne respiceret retro: & de vxore eius in statuam salis conuersa.

Super illis verbis:

Salua animam tuam, noli respicere retro, nec stes in omni circa regione. Respiciens autem vxor eius post se, versa est in statuam salis. Versu 17. & 26.

EXTSI Moses hæc verba iunctim non scripsit, sed disiuncte ac disite; ea tamen libuit hic in exponendo iungere, quod affinem habeant tractatum, & connexam sententiam, simulque absolutam diuinæ seueritatis præstent intelligentiam. Nam prior sententia grauitatem ostendit diuini præcepti, quod datum est Lot de non respiciendo retrorsum: posterior autem sententia, seuerissimam declarat eius præcepti ab vxore Lot neglecti ac violati diuinam vindictam.

Cur DEVS vetuit Lot respicere retro, quinque rationes. Prima Quæstio.

Quatuor porro quæstiones ferunt supradicta Mosis verba. Prima 22
quæstio: Cur DEVS tam seuere ac rigide vetuit Lot quæ retro erant aspicere? Equidem quinque rationes & causas eius rei satis idoneas & probabiles afferre possum. Prima ratio: ad probandam & exercendam obedientiam Lot id ei præceptum est: obedientia enim in iis quæ parua & leuia videntur, exploratius probatur. Sic probare voluit DEVS obedientiam Adæ, prohibens vnius arboris fructum edere. Similiter probare voluit DEVS obedientiam eius prophetæ, quem misit ad increpandum Ieroboam,

Ieroboam, mandans ei: *Non comedes panem, & non bibes aquam ibi; nec reuerteris per viam, qua iuisti.* Nimirum non magna laus obedientiæ est, nec satis efficax probatio eius, in maximis & grauissimis DEI mandatis exequendis, impigrum & strenuum esse. Secunda ratio: id factum est ad maiorem sceleratæ illius gentis detestationem, quæ adeo exosa execrataque fuit DEO, vt eam nullo bonorum virorum respectu, nedum commiseratione dignaretur. Simile est illud, quod Dominus noster iussit facere discipulos suos aduersus eos, qui prædicatores euangelicos auersarẽtur: *Excutite*, inquit, *puluerem de pedibus vestris.* Tertia ratio pertinet ad reuerentiam DEI consultorum & iudiciorum, eorum præsertim quæ humana æstimatione oppidò quam rigida & atrocia videntur; vt discamus ea non curiose atque irreuerenter scrutari rimarique; sed altissima humilitate, pietateque reuereri ac venerari, & sancto quodam ac salutari pauore formidare, exemplo scilicet Dauidis dicentis DEO: *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.* *Genes. 2. 3. Reg. 13.* *Psal. 118.*

Quarta ratio cur præcepit id Deus: Quò magis vrgeret excessum Loth ex illa ciuitate, iussit retro non respicere, significans summa esse opus festinatione; nec festinatione tantum, verum etiam rapida & præcipiti fuga; adeo erat propinquum & instans exitium. Consimili loquẽdi figura vsus est Dominus cum mandauit Discipulis vt neminem per viam salutarent: sic nempe commendans summam animi intentionem ad peragendum quod eis iniunctum fuerat prædicationis euangelicæ negotiũ. Idem locutionis genus est in iis verbis, quæ Eliseus dixit puero suo Giezi: *Accinge*, inquit, *lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade, si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si salutauerit te quispiã, non respondeas illi: & pones baculum meum super faciem pueri.* Ad similem quoque locutionis figuram spectant, quæ refert Matthæus capite vigesimoquarto: *Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Orate autem vt non fiat fuga vestra hyeme vel sabbato. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet.* Significare voluit Dominus hisce verbis magnitudinem malorum, quorum effugio postponenda essent omnia quamuis carissima & pretiosissima; quippe cum ea non aliter quam celeri & longinqua fuga liceret euadere. *Luc. 10.* *4. Reg. cap. 4.*

Quinta ratio: tale præceptum imposuit DEVS Loth, ad illustre quoddam, & admodum salutare documentum simul & exemplum iis, qui ex vitiosa & mundana vita & conuersatione vocati, & adducti sunt ad spiritualis, & religiosæ, ac prope cælestis vitę ac disciplinę institutionem atque exercitationem: quam vtique præfigurauit mons ille, ad quem iussus ab Angelis est Loth confugere, quo ingruentia mala effugere posset. Huiusmodi enim viros conuenit, vt B. Paulum imitantes, omnia quæ retro sunt obliuiscantur, & semel iam ab ipsis relicta & abiecta, quasi stercora & damna æstimantes, prorsus auersentur: ac sese ad anteriora semper extendentes, ad verticem montis, id est, culmen *Ad Philip. 3.*

euan

euangelicæ perfectionis acerrimo ſtudio, & indefeſſa ſedulitate contendant.

Secunda Quæſtio. Cur DEVS tam ſeuere punierit vxorẽ Loth, quatuor cauſæ.

Secunda quæſtio circa illa verba: *Reſpiciens vxor eius poſt ſe, verſa eſt* 23
in ſtatuam ſalis. Cur DEVS vxorem Loth, quia reſpexit ea quæ retro erant, tam atroci & horribili vindicta puniuit? Multas ſane ob cauſas, eaſque iuſtiſſimas. Primum ob inobedientiam profectam ex animo ingratiſſimo erga DEVM, qui tam amanter & benigne tantis ex malis eos extraxerat: atque illud ipſum præceptum non reſpiciendi retro, propterea eis tam ſeuere iniunxerat, quod ad eorum incolumitatem & ſalutem plurimum conduceret. Deinde punita eſt mulier propter incredulitatem, ex qua ſcilicet nata eſt inobedientia: non enim credidit quidquam referre ad incolumitatem & ſalutem ipſorum, ſi reſpicerent retro nec ne. Quapropter auctor libri Sapientiæ, vxorem Loth appellat animam incredibilem, id eſt, incredulam, id enim ſignificat ibi verbum græcum ἀπιςοῦσαν. Præterea fuit nimia eius mulieris curioſitas in reſpiciendo: ſiquidem nimis attentè ac moroſe curioſeque ad cladem ciuitatis & gentis reſpectabat, vt tradit Ioſephus libro primo Antiquitatum. Ad poſtremum, cogitet Lector non ſimplicem nudumque fuiſſe reſpectum, ſed acerbo cum animi ſenſu, doloreque coniunctum, quo vrebatur illa propter cognatos & amicos pereuntes, amiſſaque bona omnia, & propter excidium natalis ſoli. Ex quo fiebat, vt illa DEI vindicta videretur ei præter modum & ſupra delicti meritum atrox; ideoque non ſolum ei non probaretur, ſed etiam valde diſpliceret. Enimuero, ſi DEVS citra condignum, præſertim in hac vita peccantes punit, ex atrocitate huius vindictæ, magnitudo grauitaſque muliebris delicti æſtimari debet.

Locus Sapientiæ 10.

Ioſephus.

Tertia quæſtio, cur ſit mutata in ſtatuam ſalis.

Tertia quæſtio. Cur vxor Loth tali animaduerſionis genere punita 24
eſt, vt verteretur in ſtatuam Salis? Antequam eius rei probabilem cauſam & rationem affero, præmonendum, ac prædocendum eſſe Lectorem iudico, illa verba: *In ſtatuam Salis*, varie admodum exponi. Quidam enim cenſent eſſe figuratam locutionem, alij propriam. Qui locutionem faciunt figuratam, dupliciter eam interpretantur. Aben Eſra putat ſignificari, eam mulierem periiſſe igneo illo imbre cælitus miſſo, qui admixtum habebat ſulphur & ſal: firmatque hanc interpretationem teſtimonio ipſius Moſis, qui Deuteronomij 29. tradit, Sodomam ſulphure & ſale perditam fuiſſe. Verum nimis dura eſt interpretatio, quia mulier illa periit imbre igneo, ſulphure & ſale admixto, propterea verſam eſſe in ſtatuam ſalis. Nam cur non in ſtatuam ſulphuris? aut cur non omnes Sododomitæ qui eodem illo imbre percuſſi ſunt, & item iumenta eorum ac ciuitates, dicuntur in ſtatuam ſalis, vel in ſalem conuerſa? Alij per ſtatuam ſalis interpretantur monumentum quoddam eius rei incorruptibile & perpetuo mãſurum. Nam vt ſal à putrefactione & corruptione ſeruat corpora, ita pactum vel monumentum vt incorruptibile fore ſignificetur, appellatur Salis.

Aben Eſra.

Valet plurimum ad id probandũ quod ſcriptum eſt in libro Numerorum 25

rorum cap. 18. *Omnes primitias ſanctuarij quas offerunt filij Iſrael Domino, tibi dedi, & filiabus tuis iure perpetuo. Pactum ſalis eſt, ſempiternum coram Domino.* Pactum ſalis appellauit, id eſt, fœdus inuiolabile, vt declaratur adiuncta voce illa, ſempiternum. Cur autem pactum inuiolabile, ac ſemper duraturum, dictum ſit pactum ſalis, fatetur ingenue Caietanus ſibi eſſe incompertum. Lyranus ſuper eum locum, huiuſmodi cauſam reddit: Præceperat DEVS Leuitici 2. in omni ſacrificio & oblatione adhiberi oportere ſalem, idque perpetua lege ſanciuit. Inde natum eſt, vt quia præceptum diuinum de ſale adhibendo in omni oblatione, firmum atque irreuocabile erat: idcirco etiam alia pacta hominum, vt ſignificarentur ſemper duratura, dicta ſint pacta vel monumenta ſalis. Ad hanc ſententiam ſcriptum eſt in ſecundo Paralipomenon cap. 13. dediſſe DEVM Dauidi regnum Iſrael in pactum ſalis, id eſt pacto inuiolabili atque æterno. Quin etiam nonnullis fit credibile, priſcis illis temporibus, in firmandis pactis conſueuiſſe homines vti ſale, propter naturalem eius virtutem impertiendi rebus longiſſimam durationem, & velut quandam ſpeciem incorruptionis. Ergo vxor Loth, ſecundum hanc expoſitionem, verſa eſt in ſtatuam ſalis, id eſt, in monumentum quoddam inobedientiæ atque incredulitatis eius, ſimulque diuinæ iuſtitiæ ac vindictæ perpetuo manſurum, tãquam fideliſſimum teſtimonium omni poſteritati, ac ſaluberrimum documentum. Æternitatem porro eius monumenti euentus ipſe comprobauit. Namque id perduraſſe vſque ad ætatem Ioſephi, teſtis eſt ipſemet in libro primo Antiquitatum: teſtis etiam Borchardus, qui eam ſtatuam ſua ætate fuiſſe confirmat inter Engaddi & Mare mortuum. Eandem ſentẽtiam habet hoc loco expreſſam Thargum Hieroſolymitanum, ad hunc modum: Vxor Loth fuit de filiis populi Sodomæ, quæ reſpexit poſt ſe, vt videret quidnam futurum eſſet cum domo patris ſui: atque ita factum eſt, vt facta ſit columna ſalis, duratura vſque ad tempus reſurrectionis, quo mortui reuiuiſcent. Cæterum auctores, qui verba illa: *In ſtatuam ſalis*, non figurate, ſed proprie arbitrantur eſſe poſita (& proculdubio proprie accipienda ſunt) alij pro vocabulo ſtatuæ interpretantur cumulum ſiue aceruum, vt Dauid Kimchi, & Vatablus. In libro Sapientiæ cap. 10. ſic eſt: *Incredibilis animæ memoria ſtans figmentum ſalis.* Memoriam dixit, id eſt, memoriale; nam græce eſt, μνημεῖον; pro, figmentum, græce eſt στήλη, id eſt, columna.

Locus Numerorum capite 18. Quid ſit in ſcriptura pactum ſalis.

Caietanus in caput 18. Numerorũ.

Ioſephus.

Borchardus in Deſcriptione Terræ Sanctæ Par. 1. cap. 7.

Numerorũ 34. Thargũ Hieroſolymitarum.

Dauid Kimchi.

Vatablus.

26 SED exponamus cauſam, cur DEVS potiſſimum in ſtatuam ſalis vertendo vxorem Loth, peccatum eius punire voluerit. Nugatoria prorſus ac fabuloſa eſt ratio à quibuſdam Hebræis, vt refert Lyranus, tradita: Aiunt vxorem Loth in pridiano hoſpitum conuiuio, Loth petenti ſal in condimentum ciborum, dare noluiſſe: ſcilicet gentilitio hoſpitalitatis odio, quamobrem eo genere ſupplicij punitam eſſe, vt reſpõderet pœna delicto. Non deſunt qui quod de ſale ab iſtis dictum eſt, in probabiliorem trahant ſententiam; ſalem interpretantes, non eum qui condimentum eſt ciborum, ſed per metaphoram, hilaritatem,

Cur verſa ſit in ſtatuã ſalis fabuloſa ratio Hebræorum.

affabilitatem,iucunditatemque ingenij, morum & sermonis in hospitalitate,sodalitate, ac conuictu hominum:hæc enim omnia vocabulo salis dici,in quotidiano vsu est. Adest huic interpretationi Plinius in hæc verba scribens:Ergo vita humanior sine sale nequit degere: adeoque necessarium elementum est, vt transierit intellectus ad voluptates animi quoque;nam ita sales appellantur:omnisque vitæ lepos,& summa hilaritas, laborumque requies, non alio magis vocabulo constat. Honoribus etiam,militiæque interponitur,salariis inde dictis.Maxime tamen in sacris intelligitur eius auctoritas, quando nulla conficiuntur sine mola salsa, sic Plinius. Quoniam igitur vxor Lot hospites illos tristi ac tetrico vultu accepit, inaffabiliter, inhumaniter aspereque tractauit;idcirco dicta est salem non dedisse hospitibus.

Aug. lib. 16 de ciuitate Dei cap.30. Vera ratio cur vxor Lot in salē conuersa sit, ab Augustino tradita.

Cæterum nos probabiliorem eius rei causam disquiramus & tradamus:quæ non alia sane verisimilior occurrit,quam quæ à B.Augustino paucis verbis prodita est, ad hanc ferme sententiam: Vxor Loth vbi respexit,remansit.Et in salem conuersa,hominibus fidelibus quoddam præstitit condimentum,quo sapiant aliquid,vnde illud caueatur exemplum.Sed quidnam præcipue ac proprie illud est, quod exemplo moniti eius mulieris sapere debemus? Illud nempe quod Saluatorem nostrum docuisse memorat Lucas capite nono: *Ait ad illum* IESVS: *nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno* DEI: Idemque distinctius exponens B.Petrus: *Si refugientes*, inquit, *coinquinationes mundi, ijs rursus implicati superantur; facta sunt eis posteriora, deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti. Contigit enim eis illud veteris prouerbij, Canis reuersus ad suum vomitum; & sus lota in volutabro luti.* Quoniam autem exemplum eius quod contigit vxori Loth, attente consideratequeque cogitatum, animoque & memoria retentum, magno vsui esse poterat ad cœptam bene viuēdi rationem perseueranter colendam; idcirco discipulis suis dixit Dominus: *Memores estote vxoris Lot*: Recte igitur Rupertus: Quoties,inquit,stultus reuertitur ad stultitiam suam, sicut canis ad vomitum suum:in quocunque ordine vel proposito fuerit, exēplo vxoris Loth,in statuam salis conuertitur. Id autem est,ipsum quidem insensatum ac sibimet inutilem effici, sed aliis tamen prodesse plurimum;dum finem eius attendentes,corriguntur: quemadmodum petram salis lingentibus animalibus, palatum sapidum redditur, & edendi auiditas reparatur.Proinde Dominus in Euangelio cum dixisset: *In illa hora qui fuerit in tecto, & vasa eius in domo, ne descendat tollere ea: & qui in agro similiter, non redeat retro*; continuo subiungit: *Memores estote vxoris Loh.*Bene ergo non in statuam qualemcumque, sed in statuam versa est salis,cuius meminisse proficit ad sapientiam,secundum Euangelium CHRISTI. Sic Rupertus.

27

1. *Petri* 2. *Prou.* 22. *Matthæi* 24. & *Lucæ* 17. Locus Loc.17. Rupertus Cōmentariorum in Genesim lib.6.cap.12.

Supra dictā rationē esse historicā & literalem.

Nec vero ea ratio,quam exposuimus,mutatæ in statuam salis vxoris Loth, censenda est mystica & moralis,cum sit maxime propria & historica.Nimirum DEVS cum prodigiosam illam transformationem fecit,

28

fecit,id præcipue ac proprie spectauit,vt nos eius facti recordatione ac contemplatione ita saperemus,vt à pristinis vitiis, aut à mundanis studiis ad melioris & sanctioris vitæ rationem cultumque transgressi,quę semel à nobis probe repudiata & abiecta essent, ea deinceps nunquam animo & affectú respiceremus ac repeteremus.Enimuero, pulchrum est alienis periculis, experimentisque sapientem fieri: & seruare illud comicum præceptum:

„ *Id arbitror apprime in vita esse vtile,*
„ *Ex aliis periculum facere, sibi quod ex vsu siet.*

Fuisse porro illius portentosę mutationis hunc prȩcipuum finem,satis indicauit Dominus, cum dixit Apostolis suis: *Memores estote vxoris Loth*, tanquam propterea id potissimum esset factum, vt quasi perpetuum quoddam posteris foret monumentum,ne qui serio,iudicatoque elegerunt viam Domini atque eam ingressi sunt,retro vnquam aspicere ac redire concupiscant:sed si salui esse velint, perpetuo vlterius procedentes,ad extremum vsque pertendant.Eodem spectat quod Hebrei Ægypto egressi,& ad terram Promissionis vocatu DEI ductuque pergentes,regredi ad eandem terram Ægypti, grauissimo DEI præcepto interdicti sunt.Non igitur verbis solum DEVS loquitur hominibus, & mysteria eis ac documenta tradit, sed etiam factis. Nempe vt DEI verba sæpe facta sunt,ita facta ipsa,significantissima verba sunt. Multa id genus animaduertere est in diuina Scriptura.Quoties enim Prophetæ,quæ futura erant, sola rerum demonstratione, & factis quibusdam notabilibus prænunciabant?Hieremias capite 17. gestans collo ligneas catenas, vaticinatus est Babylonicam Iudæorum captiuitatem. Isaias capite 20. nudus & discalceatus per vrbem Hierusalem incedens, futuram Ægypti & Æthiopiæ calamitatem portendit. Oseas item iussus à DEO est vxorem accipere mulierem fornicariam, quo demonstraretur, populum Hebræum deditum esse fornicationi, hoc est,idololatriæ.Iam vero Ezechiel multa eius rei, atque illustria exempla dedit in persona sua. DEVS itaque vt verbis plerumque, ita non raro factis loquitur, & sua hominibus significat mysteria. Sic igitur hoc loco, per illam salis statuam locutus nobis, est id quod paulo supra exposuimus.

DEVM & verbis, & factis loqui.

Oseæ 1.

29 SED videamus quemadmodum hanc de vxore Lot historiam variis locis Philo secundum allegoricā & tropologicam intelligentiam, sane quam eleganter docteque tractauerit. Quatuor in locis ea de re prodidit.Primum in libro secundo Allegoriarum legis ita scribit:Multis animabus pœnitentiam expetentibus non concessit DEVS; sed illæ tanquam æstu refluo abreptæ sunt retrorsum: quemadmodum & vxor Lot in saxum versa est propter adamata Sodoma,& quia ad ingenium & ad ea in quæ DEVS animaduerterat, reuersa fuit.Deinde in libro de Temulentia sic ait: Lot duas filias ex vxore post in saxum mutata suscepit: quam minime aberrauerit, si quis interpretetur esse consuetudinem inimicam veritati; & quoties ab aliquo in vera & recta

Super conuersione vxoris Lot in statuam salis,varia Philonis disputatio allegorica.

ducatur,à tergo reſtitantem, reſpectantemque antiquas ſodales, & in morem inanimatæ ſtatuæ remanentem in earum medio. Eiuſdem præterea Philonis, in libro de Profugis, huiuſmodi ſunt verba: Quidam ſunt, quæ vera & recta ſunt, nec quærentes nec inuenientes; alij vtroque modo felices ſunt, nam quærendi eorum ſtudio & labori fructus inuentionis ſuccedit: alij alterutro fruſtrantur, nam vel quærendo non inueniunt, vel non quærendo inueniunt. Quicumque porro non quærunt, nec inuenire cupiunt, hi rationem ſuam per ineruditionem & inexercitationem afflixerunt grauiter: & cum poſſent acute cernere, cæcati ſunt. Sic ait ſacra hiſtoria vxorem Loth retrorſum conuerſam, mutatam eſſe in ſtatuam; non fabulam aliquam fingens, ſed veram ipſius rei proprietatem indicans. Quiſquis enim veri iuſtique contempto præceptore, per innatam ſimul & conſuetam ſocordiam relinquit anteriora per quæ poſſit videre, audire, aliiſque vti potentiis ad res naturales diiudicandas: & circumacta retrorſum ceruice, cæca vitæ negotia pluris facit quam partes ſui corporis; tanquam infamis quædam ſit ſtatua, nihil à ſurdo inanimatoque lapide differens. Non enim habent, vt Moſes loquitur, cor vt intelligant, nec oculos vt videant, nec aures vt audiant: ſed cæcam, & ſurdam, & ſtupidam omnique orbatam ſenſu, ac minime vitalem vitam ſibi reddiderunt; nihil eorum curantes, quæ curare eos in primis oportebat. Quarto demum loco ſuper eadem re, in libro qui de Somniis inſcribitur, hiſce verbis diſputat Philo: Lapidea columna tria ſignificat, ſtatum ſiue ſtabilitatẽ, & dedicationem, atque inſcriptionem: De ſtatu & inſcriptione iam diximus, ſupereſt vt dedicationem explicemus. Cælum ſane ac mundus dedicantur ſuo Creatori: & animæ quotquot ciues mundi caræ Deo ſunt, ſe ipſas DEO conſecrant, nullo diſtractæ mortalium rerum deſiderio: conſecratæ autem per totam vitam vehementer ſtudent, ac indefeſſe inſiſtunt bonis operibus, ſtulte porro facit qui non ſe ipſum, ſed aram DEO dedicat; putans eſſe in rebus creatis quidquam ſtabile aut dignum titulo, aut tale vt non etiam inſcriptum, breui debeat aboleri. Ideo clare in ſacris literis præcipitur: *Non ſtatues tibi ipſi ſtatuam*, nihil enim humanum vere ſtat, etiam ſi multi reclament: putant enim ſe non ſolum ſtare firmiter; verum etiam quãtiſcumque honoribus ac titulis eſſe dignos; oblíti eius qui ſolus vere ſtat, & ſolus honorari debet. Huiuſmodi enim à virtutis via deflectẽtes & auerſos, magis etiam in errorem inducit ſenſus, ceu cognata vxor eorũ; cogitque in Syrtes & breuia, vt anima tanquam nauis defixa hæreat more ſtatuæ. Nam & vxorẽ Loth poſtquam retro reſpexit, Scriptura narrat verſam eſſe in ſtatuam ſalis: & merito. Si quis enim in anteriora, viſu, audituque digna non proſpicit, hoc eſt, in virtutes & earum opera; malens à tergo relicta reſpicere, vanã gloriam, cæcas diuitias, inſenſatam & ſtolidam corporis firmitatem, dementem pulchritudinem, atque id genus alia conſectando; ſtabit velut ſtatua quædam inanima, & tabeſcet paulatim; Sal enim res eſt parum ſolida. Hactenus ex Philone.

Deut. 16.

Beatus

30 BEATVS Irenæus vxorem Loth in ſtatuam ſalis verſam, ad Eccleſiam refert, eiuſque robur & firmitatem: Eſt enim Eccleſia columna & firmamentum veritatis. Quod autem ſalis ſtatua eſt, id ad frugiferam doctrinam & ſapientiam pertinet, quæ in Eccleſia conſtanter & docetur & prædicatur: cuius doctrinæ ſale inſipientium hominum mentes condiuntur. Enimuero bonum eſt, frequenter DEI verbum audire, eoque tanquam ſpirituali quodam ſale, cordis arcana condire: hoc amplius & præſtabilius eſt, ipſum quoque, Apoſtolico exemplo, ſal terræ fieri, id eſt, aliorum etiam, qui adhuc terrena ſapiunt, quaſi ſaliendis mentibus condiendiſque cordibus ſufficere. Sed Irenæi verba ex capite quinquageſimoprimo libri tertij eorum quos ſcripſit aduerſus Hæreſes, huiuſmodi ſunt: Loth eduxit de Sodomis filias ſuas, & reliquit in confinio vxorem ſuam, factam ſalis ſtatuam vſque in hodiernum diem. Vxor igitur eius remanſit in Sodomis, iam non corruptibilis, ſed ſtatua ſalis ſemper manens: Et per ea naturalia quæ ſunt conſuetudinis hominis oſtendens, quoniam & Eccleſia, quæ eſt ſal terræ, ſubrelicta eſt in confinio terræ, patiens quæ ſunt humana: & dum ſæpe auferuntur ab ea membra integra, perſeuerat ſtatua ſalis, quod eſt firmamentum fidei, firmans & præmittens filios ad patrem ipſorum. Sic Irenæus.

B. Irenęi Allegorica expoſitio illius ſtatuę, ad Eccleſiã Chriſti pertinẽs.

31 RESTAT quarta quæſtio nequaquam intacta hoc loco prætereunda, quando, & vbinam regionis illius verſa ſit in ſtatuam ſalis vxor Loth: num antequam Loth intrauerit vrbem Segor, an interea dum inibi fuit, an potius cum egreſſus inde pergeret ad montem: nihil enim videtur horum liquido ex ſacra hiſtoria diſpici ac iudicari poſſe. Narratio ſane Moſaica clare demonſtrat, imbrem illum ſulphureum & igneũ cælitus miſſum non cecidiſſe, niſi poſtingreſſum Loth in vrbem Segor: non ſolum quia exitialem illam tempeſtatem Scriptura commemorat poſtingreſſum Loth in eam vrbem; ſed quia facit Angelum hęc dicentem Loth, *Feſtina & ſaluare ibi* (in Segor) *quia non potero facere quicquam donec ingrediaris illuc*. Eadem præterea narratio Moſis, poſt delapſum illius imbris ignei, & euerſionem illius regionis, commemorat transformationem vxoris Loth in ſtatuam ſalis. Itaque ſi diſpoſitio & ſeries narrationis congruit cum ordine temporis, & rerum geſtarum, apparet contigiſſe illud vxori Loth, poſt ingreſſum viri ſui in vrbem Segor, non enim ante cœpta eſt horribilis illa tempeſtas, vt proxime dictum eſt. Illud quoque ex narratione Moſis animaduertere licet, vxorem Loth ex vrbe Segor non exiiſſe cum viro ſuo pergente ad montem. Sic enim ait Scriptura: *Aſcendit Loth de Segor, duæ quoque filiæ eius cum eo; timuerat enim manere in Segor: & manſit in ſpelunca ipſe, & duæ filiæ eius cum eo.* Viden' in egreſſu Loth nullam vxoris eius, ſed duarum ſolum filiarum mentionem fieri? Ex his videtur concludi, conuerſionem illam vxoris Loth, factam eſſe vel in vrbe Segor, vel in itinere ad eam vrbem. Atque hoc ſecundum multo probabilius eſt: videtur enim id euenisſe in pergendo ad vrbem Segor. Significat enim Hebraica ſcriptura, dum illa ſequeretur præeuntem virum ſuum, mutatam eſſe in ſtatuam ſalis: nam-

De tempore ac loco mutationis in ſtatuã ſalis.

que in illis verbis : *Respiciens vxor eius post se, versa est in statuam salis :* Pro illo, *post se*, Hebræa sonant, *de post ipsum*, vt sit hic sensus: Mulier sequens antegredientem virum, auertensque faciem à tergo eius, & retrorsum respiciens, versa est in statuam salis. Annotatum enim à nobis est in alio loco huius operis, nullum esse certum Hebræis vsum reciprocorum nominum; sed ea varie adhiberi ab interpretibus scripturæ Hebraicæ, pro cuiusque loci sententia. Ergo simillimum vero fit, vxorem Loth, vt quę inuitissimo, ægerrimoque animo patriis sedibus excederet, lento admodum tardoque gradu secutam esse virum suum. Quo factum est, vt Loth iam vrbem ingresso, ipsa foris esset: cumque igneum imbrem horribili fragore cadẽtem, conuersa, morose curioseque respectaret, eodem in loco versa est in statuam salis.

Borchardus. Pro confirmatione huius opinionis nostræ facit, quod reliquit scriptum Borchardus in Descriptione Terræ Sanctæ, prima parte, capite septimo, numero 24. in hæc verba: Post Hierico contra Austrum est Segor oppidum, in quo seruatus est Loth, cùm subuertit Dominus Sodomam. situm est autem Segor sub monte Engaddi, inter quod & Mare mortuum est statua salis, in quam conuersa est vxor Loth. Quam ego statuam vt viderem, ingentes subij labores itinerum; nec tamen explere desiderium meum potui. Siquidem incolæ retulerunt mihi, locum illum esse inaccessibilem, vel certe non sine mortis periculo adiri posse, propter feras immanes & serpentes, præcipue autem propter Beduinos eius loci habitatores, homines perquam inhumanos, pessimorumque morum. Hæc Borchardus. Ex cuius relatione manifestum fit, statuam illam fuisse inter Segor & Sodomam: vbi namque est Mare Mortuum, ibi fuit antea vrbs Sodoma.

Caietanus in cap. 19. Geneſis. 32 HABEO probatorem huius sententiæ Caietanum, qui ante nos idem vidit, & in scriptis suis indicauit, quod nos ad præsens latius & distinctius exposuimus. Sic enim ille scribit; exponens illud: *Respexit vxor eius de post ipsum.* Describitur mora vxoris Loth, nõ solum tardando gressum ad sequendum Loth, sed etiam vertendo se ad respiciendũ. Remanebat enim post Loth senem, contra mandatum Angeli: & hæc positio siue conuersio mulieris retrorsum, describitur per illa verba; *Respiciens de post ipsum.* Est enim sensus, quod illa de situ post Loth, tardauit, respiciendo retro. Sed & Iosephus ait, sæpius eam tardasse vertendo se ad respiciendam ciuitatem. Quando autem id factum sit, an eundo in Segor, an inde ascendendo in montem, non est vsquequaque clarum. Scriptura enim nec in ingressu in Segor, nec in ascensu in montem meminit vxoris Loth: & tamen respectum eius retrorsum & mutationem in statuam salis narrat post memoratam pluuiam ignis & sulphuris, quam certum est non prius cœpisse, quàm Loth intrauit in Segor. Potest igitur intelligi, etiam post ingressum Loth in vrbem Segor, vxorem eius remansisse foris: & repente superueniente imbre igneo, totam illam planitiem occupante, male curiosam mulierem vertisse se ad spectandam ciuitatem & planitiem, & versam esse in statuam

Iosephus.

salis:

salis: quam Iosephus post tot secula, vidisse se affirmat: vt & hinc testimonium manifestum diuini miraculi haberetur; nec naturali cursui tribueretur conflagratio & consumptio ciuitatum & regionis. Ad hunc modum scribit Caietanus.

Est ciuitas hæc iuxta, ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea: nunquid non modica est? Et viuet anima mea. Idcirco vocatum est nomen illius Segor. VERSV 20. & 22.

33 ET sic Loth vir erat fidelis, & iustus, atque in operibus caritatis exercitatus, hic tamen defecit, plus nempe proprio iudicio & prudentia nitens, quàm diuino consilio ac prouidentia. Melius enim fuisset ei, recta iuisse ad mõtem, vt monuerat Angelus, quàm diuertisse in vrbem Segor, sicut elegit ipse. Quare mox consilij & facti sui pœnitens, repudiatum prius sequens consilium, inde refugit ad montem. Itaque repentinus pauor ex præsenti malo, & futuri metus, vicit in eo fiduciam diuinæ promissionis. Peccasse autem Loth perturbatione quadam timoris, confirmat B. Augustinus in Quæstionibus in Genesim quæstione quadrageſimaquarta. Hac, inquit, perturbatione timoris, non credidit Loth ipsi Domino, quem in Angelis cognoscebat: sicut eadem perturbatione illud de filiabus suis prostituendis dixerat: vt intelligamus non pro auctoritate habendum, quod dixit de turpitudine filiarum: non enim & hoc pro auctoritate habendum est, DEO non esse credendum. Sic Augustinus.

An Loth peccauerit recusando ire ad montem.

B. August.

34 ATENIM B. Gregorius consilium hoc & factum Loth recusantis ascendere montem, atque in parua vrbe Segor habitare præoptantis, secundum intellectum mysticum, in bonam partem interpretatur, vertitque in laudem prudentiæ ac modestiæ. Qui enim sibi paruitatis & imbecillitatis suæ conscius est, prudenter, humiliterque facit, recusans ascendere culmen montis, id est, sublimiora Ecclesiæ munera & ministeria appetere & assumere: sed eligens potius in parua ciuitate Segor habitare, hoc est, in humilibus atque infimis ministeriis & functionibus secure versari. Sanè si Lot feciſſet illud ex humilitate, & suę infirmitatis conscientia, laudandus esset: sed quia ductus ad id faciendum est cæca quadam perturbatione animi, & stulta incredulitate ac diffidentia diuinæ promissionis, non potest extra culpam poni. Verum quia expositio Gregorij, morale documentum habet vtilissimum ad reprimendam eorum audaciam & ambitionem, qui vltro se immiscent atque intrudunt Ecclesiasticis dignitatibus, ponam hic eius verba. Namque tractans verba illa: *Magna pars domus tuæ morietur, prius quam perueniat ad virilem ætatem*, ad hunc modum scribit: Ætas virilis, tempus est administrandi sacerdotij. Imitator itaque Doctoris reprobi, ad virilem ætatem

Quomodo S. Gregorius laudet factũ Loth.

B. Gregorius lib. 2. expositionis libri primi Regũ super caput 3.

tem ducitur,cũ ad Sacri Ordinis celsitudinem promouetur. Ad quam profecto ætatem cum peruenerit,moritur:quia ad tantum ministerium quisquis indigne accesserit, vel in eo indigne vixerit, condemnatur. Hinc ergo præcipites isti ad ambitionem, discant, & tanti ministerij subire onera expauescant. Nam qui mori prædicitur,quando ad virilem ætatem peruenerit,donec ad eam veniat, viuere eum significatur:quia nimirum infirmi,& magnis Ecclesiæ muneribus impares,si pusillitatis suæ modum considerant,habent in sancta Ecclesia locum,vbi se custodientes viuant. Vnde per Mosen dixit DEVS: *Bestia si montem tetigerit,lapidetur.* Huc etiam spectat, quod Loth exiens de Sodoma, ab ascensu montis abstinuit, & in Segor paruulam ciuitatem declinauit: nedum paruulus adhuc ad altiora nititur, virilem ætatem attingens moriatur. Sodoma quippe eximus, dum ardentis concupiscentiæ incendia declinamus. Qui statim ad sublimia non ascendimus: quia superioris ministerij summa non tangimus, dum infirmitatem propriam metiendo consideramus: ne si infirmæ ætatis nostræ tenere modum contemnimus qui paruuli secure viximus,in virili ætate misere moriamur. Idem Gregorius in tertia parte Pastoralis curæ cap. 38. comparat incendium Sodomæ ardori carnalis concupiscentiæ; paruam autem vrbem Segor infimo loco sitam,& in quam Loth ingressus effugit Sodomiticam cladem, comparat castitati & statui coniugali, in quem scilicet refugiunt qui concupiscentiæ incendio perire metuunt, neque tamen altitudinem montis,id est, sublimitatem virginalis aut cælibalis integritatis & puritatis audent ascendere. Non ponam hic verba Gregorij, licet ea grauissima sint; satisfactum ratus Lectori,indicato loco.

Exodi 20. *Gen.* 19.

35 SED cur Loth itionem ad montem tantopere horruit? Fortasse propter laborem ascensus longinqui admodum & ardui: aut ob penuriam habitationis & habitatorum, aliarumque rerum, sine quibus humana vita aut nullo modo, aut non satis commode agitari potest; aut vt sua causa imminens exitium remitteretur ei ciuitati, quæ cum parua esset, verisimile erat minus eam esse flagitiosam,& proinde minus inuisam & exosam DEO. Sunt qui putent, montem, ad quem Loth ire suaserat Angelus, fuisse montem Engaddi, ad cuius vtique radicem locata erat Segor: non enim amplius vna leuca (si Borchardo fidem habere iuuat) Segor distat ab ascensu eius montis. Quod si talis fuit mons, videtur profecto non sine causa Loth ab eo tantopere abhorruisse. Aiunt enim qui montes Engaddi visitarunt & peragrarunt, esse eos altissimos, & variis anfractibus atque præcipitiis horrendos; multas item habere rupes ita præruptas & prominentes,vt subter transeuntibus atque suspicientibus,incredibilem pauorem incutiant, scilicet, timentibus ne super ipsos decidant.

Montes Engaddi quales. Borchard.

36 IDCIRCO *vocatum est nomen eius Segor.* Quia Loth eam vrbem appellauerat modicam & paruam, idcirco factum est vt ea vrbs postea sit vocata Segor, siue Zohar nominè ipso significante paruitatem. Recte igitur Stephanus qui de vrbibus scripsit, de ea vrbe sic ait: Zoara pagus est ma

De Etymologia nominis Segor. Stephanus.

est magnus, & propugnaculum in Palæstina,in Asphaltite mari situm. Significat autem id nomen, Hebræorum lingua, paruum: quo Loth fugiens seruatus est à Sodomitica ira. Nec miretur Lector,non Segor, sed Zoara esse appellatum à Stephano: namque ad postremum ita esse vocitatam lingua Syra etiam in ætate B. Hieronymi, ipsemet testis est. Hinc apparet lapsum esse Theodoretum in enarranda vocis Segor etymologia. Ait enim vocem Segor significare hiatum terræ, eo quod in illa calamitate Sodomitica,habitatores eius vrbis,hiatu terræ absorpti sint. Sedenim ea interpretatio non conuenit voci Segor,sed voci Bala, seu Bale, quæ significat deuorationem. Prius autem vocatam esse Bala quàm Segor,patet ex decimoquarto capite Geneseos. Super quem locum S. Hieronymus in traditionibus Hebraicis hoc annotauit: Bale,inquit,lingua Hebræa,Latine dicitur deuoratio. Tradunt autem Hebræi hanc eandem in alio Scripturarum loco Salissam nominari: dicique rursus,vitulam cõsternantem,quòd scilicet,tertio motu terræ absorpta est. Et in eo tẽpore,quo quatuor reliquæ ciuitates diuino igne subuersæ sunt,illa paruula,nũcupetur: siquidem Segor transfertur in paruam, quæ lingua Syra, Zoara dicitur. Idem Hieronymus in eodem opere super hoc caput 19. Geneseos,quærens cur Loth Segor dereliquerit, & fugerit in montem, cum paulo ante eam vrbem prætulisset monti; ad hæc verba scribit: Quæritur,quare,cum primum fugæ montis prætulerit Segor, & eam in habitaculum suum voluerit liberari; nunc de Segor rursus ad montem migret? Respondebimus, veram esse illam Hebræorum coniecturam de Segor,quod frequenter terræmotu subruta, Bale primum, & postea Salissa appellata sit: timueritque Loth dicens: Si, cum cæteræ adhuc vrbes starent,ipsa sæpe subuersa est,quanto magis nunc in communi ruina non poterit liberari? Et hanc occasionem infidelitatis, etiam in filias coitus dedisse principium. Qui enim cæteras viderat subrui ciuitates,& hanc stare,seque DEI auxilio liberatum; vtique de eo quod sibi concessum audierat, ambigere non debuit. Sic Hieronymus.

Laps⁹ Theodoreti quæstion. 69 in Genesim.

S. Hieronymus.

Isaiæ 15.

QVARTA DISPVTATIO,

Super illis verbis,

Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham ignem & sulphur à Domino de cælo. VERSV 24.

An hisce verbis significatum fuerit mysterium Sanctissimæ Trinitatis.

37 HEBRÆI, etiam de Christianis sacrarum literarum tractatoribus; quicumque ad veritatem Hebraicam,& secundum illius linguæ proprietatem,diuinam Scripturam interpretati, editisque commentariis explanare studuerunt, nullum

in istis verbis mysterium agnoscunt: sed aiunt esse hebraismum, id est, peculiarem eius linguæ phrasim atque elegantiam. Itaque ea verba sic exponunt: *Pluit Dominus à Domino*, id est, à seipso; *de cælo*, id est, desuper; vt significetur eam pluuiam non esse factam ex causis naturalibus, nec modo naturali, sed solius DEI omnipotentia, præter ordinẽ cursumq; naturæ; nec illud incẽdium è terra extitisse, sed desuper esse missum in terram. Paraphrasis Chaldaica ea verba reddidit in hanc sententiam: *Pluit Dominus sulphur, & ignem à facie Domini de cælis.* Nec insolens & durum videri debet illud, *a Domino*, positum esse pro (à seipso:) siquidem proprietas est sermonis Hebræi, nec sine elegantia, pro ipsis pronominibus ponere nomina; vt qui de se loquitur, perinde loquatur ac si de eo alius loqueretur. Exempli gratia; Genesis 4. Lamech sic affatur vxores suas: *Audite me vxores Lamech*, pro, *Vxores meæ*: & 3. Regum cap. 1. Dauid dixit Nathan prophetæ & Sadoc Pontifici: *Tollite vobiscum seruos domini vestri*, pro, seruos meos: & Assuerus rex, vt proditum est in libro Esther cap. 8. dixit Mardochęo & Esther. *Vos scribite ad Iudæos prout visum vobis fuerit, in nomine regis*, pro eo quod est, in nomine meo. Similiter igitur hoc loco, illud: *Pluit Dominus à Domino*, significat pluisse Dominum à seipso: id est, solum ipsum fuisse creatorem effectoremque horribilis illius pluuiæ.

Thostatus. Atque hanc illorum verborum expositionem probauit maxime superiori seculo Thostatus in eo Tractatu, quem scripsit de Mysterio Sanctæ Trinitatis, disputans, An id contra Iudæos ex veteri Scriptura euidenter probari queat. In hac porro ætate nostra eandem interpretationem secuti sunt (vt taceam complures alios) Caietanus, Pagninus, Vatablus, & Oleaster. Istorum verò vnus & alter, quemadmodum ea verba in suis Commentariis, ad eam quam dixi sententiam, exposuerint; faciam, appositis hic eorum verbis, vt plane cognoscat Lector. Caietanus. Caietanus super his verbis; *Pluit Iehoua à Iehoua*: sic enim Hebraice est pro eo quod Latine legitur, *Dominus à Domino*: vox autem Iehoua significat fontem essendi: Caietanus, inquam, super illis verbis in hunc modum scribit: Non solum his verbis significatur, quod DEVS ipse, qui est fons essendi, sit etiam auctor tollendi esse viuentium: verum etiam quod præter naturalem rerum cursum, miraculum operatus est puniendo iniquos. Ad differentiam enim naturalium causarum naturali ordine occurrentium ad generandum sulphur & ignem, daiunctum est illud, à Iehoua, siue à Domino: nec sat fuit dixisse pluisse Dominum sed propterea repetitum est à Domino. Additur præterea *de cælis*, ad differentiam conflagrationis naturalis, per quam ardet pars aliqua terræ, cui cõtingit incendium ex inferioribus. Oleaster. At illa flamma, illa cõbustio Sodomitica, è cælis, id est, è supremo aëre descendit. Sic Caietanus. Oleaster autem eadem verba simili ratione interpretans, ita scribit: *Dominus*, id est, DEVS supremus, *pluit*, id est, pluere fecit ministerio aëris, aut Angelorum; *picem & ignem à Domino*. Id est, pix illa & ignis non ascenderunt à terra, sed à Domino cælitus

litus & desuper missa sunt. Sic ille.

39 AT ENIM, Patres, propter singularem antiquitatis doctrinæ, ac sanctitudinis laudem, reuerendæ in Ecclesia Christi auctoritatis & fidei, cum ex veteri Sriptura mysteriũ Sanctissimæ Trinitatis contra Iudæos vel Hæreticos argumentantur, hoc in primis testimonio Mosis vti solent. Vsus eo est Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, Tertullianus & Cyprianus in iis quæ scripserunt in Iudæos, Irenæus & Epiphanius aduersus Hæreses, Eusebius libro quinto de Demonstratione Euangelica, Hilarius libro quinto de Trinitate, Cyrillus libro primo eorum decẽ, quibus pugnauit in Iulianum Apostatam. Sed quid attinet Patres nominatim percensere, cum dicere in vniuersum liceat, quicumque id genus argumenti tractarunt, eos fere hoc item Scripturæ testimonium vsurpasse? Verum ante omnes Patrum auctoritates, videtur certam facere huic expositioni fidem Syrmiense Concilium, anno ab ortu Domini nostri trecentesimo quinquagesimo sexto, Constantio Imperatore, & Liberio Papa congregatum: de cuius congregandi processu, exituque legenda est Socratis historia libro 2. cap. 25. & Sozomeni libro 4. cap. 5. In eo autem Concilio decernitur, verba illa: *Pluit Dominus à Domino*, omnino esse intelligenda de DEO Patre, & Filio DEI. Dominus enim Filius pluit à Domino Patre, à quo scilicet, vt substantiam habet, ita potestatem faciendi quodlibet. Nam sicut ipse Filius dixit Ioan. 5. *Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Nec satis fuit ei Concilio, huiusmodi expositionem auctoritate sua firmare; sed insuper eam interpretationem, quam Hebræorum atque Thostati & Caietani esse diximus, anathematizat. Verba eius Concilij & Canonis huiusmodi sunt: Si quis illud quod scriptum est: *Pluit Dominus à Domino*, non de Patre & Filio perceperit, sed DEVM Patrem à seipso pluisse dixerit, anathema sit: pluit enim Dominus Filius à Domino Patre. Nec de fide istius Concilij videtur ambigendum: tum quia damnatio hæresis Photini in eo Concilio facta deinceps consequentibus in Conciliis approbata fuerit: tum quod id Concilium B. Hilarius in eo libro quem scripsit de Synodis, vt Catholicum ac syncerum commemorat & explanat.

Iustinus. Irenæus. Tertullian⁹. Cyprianus. Epiphanius. Eusebius. Hilarius. Cyrillus. Alexand. Concilium Syrmiense, Canone 16.

B. Hilarius.

40 ERGO, dicet quispiam, prior illa expositio eorum verborum, post illud Concilium, probari ac defendi nullo modo potuit, sed vt hæretica prorsus damnanda fuit. Minimè verò. Quis enim facile credat, Thostatum & Caietanum, viros maxime Catholicos & doctos, quod istiusmodi expositionem secuti sint; fuisse obnoxios Anathemati? Proinde, quo verum illius Decreti Syrmiensis intellectum capiamus, scire conuenit, Patres qui in eo Concilio fuerunt, id principaliter egisse, vt hæresim Photini Episcopi eius ciuitatis, aduersus quem illuc, vocatu Constantij Imperatoris conuenerant, penitus damnarent. Photinus porrò dicebat, Christum fuisse tantum hominem, nec ante matrem extitisse: & testimonia veteris Scripturæ de Christi diuinitate

An ob supra dicta verba Cõcilij, expositio Thostati & Caietani, vt hęretica damnãda sit.

Hęresis Photini.

& æternitate à Patribus interpretata, ea ipse ad solum DEVM Patrem referebat: vt hoc, *Pluit Dominus à Domino*, sic exponebat. Pluit Dominus Pater à seipso. Patres igitur qui in eo Concilio erant, illam Photini expositionem damnarunt, non vt per se falsam, & nullo modo probabilem; sed ad mentem & intentionem Photini; vtentis scilicet ea ad obscurandam, delendamque Christi æternitatis & diuinitatis fidem. Ac ne quispiam fortasse suspicetur, hoc me arbitratu, sensuque meo finxisse, audiat B. Hilarium, similiter vt dixi, mentem ac sententiam illorum Patrum enarrantem. Exponens enim rationem, cur diuersam expositionem illorum verborum: *Pluit Dominus à Domino*, tam seuero & atroci decreto damnarint, hunc in modum scribit: Hæc, quia Photinus, aduersus quem tunc conuentum fuerat, negauerat: propterea inferenda confessioni Fidei fuerunt: ne quis auderet, DEI Filium non antequam Virginis filium, fuisse prædicare; & superiora Scripturæ testimonia, stultissima hæreticæ insaniæ peruersitate, DEO innascibili coaptaret: & dum hæc ad Patrem refert, Filio diuinam æternamque substantiam denegaret. Sic Hilarius.

Hilarius.

Quëadmodũ & quatenus Syrmiense Cõcilium probatum fuerit, probandumque sit.

Sciat præterea Lector Concilium illud postea fuisse probatum non quantum ad omnia, sed quantum ad confessionem Fidei de diuinitate & æternitate Christi aduersus Photinum. Et huius quidem confessionis laudata & probata est sententia Patrum; non tamen modus loquendi, nec argumentandi ratio, qua Patres illi sunt vsi, perinde probata est. Etenim illi dixerunt Christum secundum diuinitatem non esse comparandum, nec æquandum Patri: dixerunt item Christum, etiam qua DEVS est, subiectum esse Patri, & in creatione mundi fuisse ei obsequentem atque ministrantem. Quæ sanè locutiones, vt molliter dicam, admodum impropriæ sunt: & acceptæ, vt verba sonant, plane sonant Arrianismum. Quocirca Beatus Hilarius sedulo curauit, istiusmodi locutiones in bonam sententiam pie interpretando, ad sanum rectumque conformare intellectum. Quid quod Patres illi anathematizant eos, qui negauerint, eum qui apparuit Abraham, & qui luctatus est cum Iacob, fuisse filium DEI? volunt enim ex eo concludere in Photinum, fuisse Christum non tantum hominem, nec solum esse cœpisse post ortum ex matre. Atqui iampridem longe probabilior apud Theologos est sententia, quæ tradita est à B. Dionysio Areopagita; & à S. Thoma, & Scholasticis Theologis magno consensu probata; & illas apparitiones, omnesque alias in Veteri Testamento factas fuisse per Angelos proxime administratas & peractas. Licet in quibusdam, Angeli auctoritatem DEI repræsentantes, ita locuti sint, vt si DEVS ipse loqueretur. Hæc propterea ego super eo Concilio pluribus verbis scripsi, ne quis forte propter eius Concilij auctoritatem, expositionem illam Hebræorum placitam Thostato & Caietano, hæresis nota inurendam esse existimaret.

Genes. 32.

Auctoris sententia.

QVÆNAM igitur est nostra sententia? Equidem inficias non ibo, 41
Thostati & Caietani interpretationem, secundum literalem sensum &
proprieta

proprietatem linguæ Hebrææ, nequaquam esse improbandam. Verba namque illa: *Pluit Dominus à Domino*, haud dubie hebraismum continent, significantem non fuisse pluuiam illam naturalem nec vsitatam; sed fuisse DEI à DEO, id est, factam à DEO sine concursu causarum naturalium; fuisseque pluuiam extraordinariam, & prodigiosam, & singulare quoddam ac proprium opus diuinæ omnipotentiæ. Atque hũc solum eorum verborum sensum & intellectũ habuere omnes Hebræi in veteri Testamento; præter admodum paucos, vt Dauidem, Isaiam, Danielem, & quosdam alios, quibus diuino lumine singulariter illustratis patefactum est mysterium Sanctissimæ Trinitatis; simulque declaratum est in illis verbis: *Pluit Dominus à Domino*, altissimum esse adumbratum & significatum mysterium; nempe, geminatione illius vocis, *Dominus*, significari duas personas diuinas, Patrem & Filium; cum autem dicitur, *Dominus à Domino*, significari æternam originem Filij à Patre, à quo scilicet substantiam & potestatem omnem, atque perfectionem habet.

42 Equidem non celabo Lectorẽ, quod mihi hac de re paulo attentius & acrius cogitãdi occurrit. Subiit animũ existimare, quod vniuersa vetus Scriptura, in qua scilicet mysteria Noui Testamenti adumbrate præfigurata, & operta significatione, præmonstrata continerentur, hebræo sermone scribenda & mandanda posteris erat; idcirco hebræam linguam sic esse à DEO conditam atque institutam, sic esse instructam atque ordinatam, vt eadem verba peculiarem eius linguæ phrasim, & natiuam quandam elegantiam denotarent; simulque magnum quodpiam mysterium, altisime inibi abditum, paucisque cognobile continerent. Itaque vulgus, & plerique omnes Hebræi, ea verba legentes vel audientes, genuinam linguæ suæ proprietatem & gratiam agnoscebant: & inde verbalem quendam sensum atque intellectum minime falsum animo concipiebant. At eximij quidam vates, excellenter à DEO illustrati, in illis ipsis verbis latens mysterium penetrabant ac introspiciebant. Nec id tamen enunciabant in vulgus; quod eiusmodi publicandorum mysteriorum opportunitas, tempori legis Euangelicæ, post Messiæ aduentum, esset reseruata. Sed enim quod breuiter & presse dixi, appositis aliquot exemplis, facilius cognitu fuerit, creditуque procliuius. Genesis capite primo scriptũ est: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Hebræi putabãt DEVM, cum vnus tantum sit, de se tamen pluraliter locutum esse, ad declarandam auctoritatem & maiestatem suam, quantam vtique eius qui creator hominis erat rerumque omnium, æstimari oportebat: Similiter enim magnates ac principes ostentandæ magnificentiæ causa, loqui consueuisse. Nonnulli tamen in eo populo diuinitus & similiter à DEO eruditi doctique intelligebant, pluratiua illa DEI oratione significari in vna DEI essentia pluralitatem & distinctionem diuinarum personarum. Alterum exemplum ex Psalmo secundo: *Ego hodie genui te*: hoc putabant Hebræi solum pertinere ad Dauidem, qui secundum propriam Hebrææ

Obseruandum documentum.

linguæ phrasim, tunc dicebatur à DEO genitus, quando ex maximis ereptus periculis & calamitatibus, in altissimo regiæ dignitatis fastigio collocatus est. Si quidem familiare sermonis hebræi est, magnas calamitates & miserias nomine mortis, contra vero ingentes prosperitates, vitæ vocabulo appellare. Quidam tamen in eo ipso populo sapientes viri, quibus diuina reuelabantur mysteria, in illis verbis agnoscebant æternam Filij DEI ex Patre generationem, vt indicat B.Paulus ad Hebræos primo. Tertium exemplum huius persimile ex libro 2. Regũ cap.7. *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium*; Id Iudæi in Salomonem duntaxat dictum putabant: atqui sub persona Salomonis, principaliter in Christum dicebatur. Quartum exemplũ ex capite 66. Isaiæ: *Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus. Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero?* Hoc secundum primam verborum speciem, & quasi extimam cutim, denotat numerosissimam propagationem Hebrææ gentis, DEI munere in posterum futuram: secundum interiorẽ vero altioremque intellectum, significat diuinam æternamque fœcunditatem diuinæ essentiæ ad intra, propter Filij ex Patre generationẽ, & Spiritus Sancti ex vtroque processionem. Simile igitur quippiam de istis quoque verbis: *Pluit Dominus à Domino*, cogitandum esse ac sentiendum puto.

QVINTA DISPVTATIO,

Super iisdem verbis:

Pluit Dominus sulphur & ignem à Domino de cælo.

De pluuia sulphurea & ignea, qua excidium Sodomiticæ gentis & regionis factum est.

Excidiũ Sodomiticum quam atrox & horrendũ fuerit.

SVMMVM fuisse in eam gentem, propter eius scelera, illud diuinæ animaduersionis in hac vita exemplum, multa sanè declarant. Primo instrumentum eius vindictæ, imbrem dico illum sulphureum & igneum, supra omnem naturæ vim, modumque, repente factum & cælitus missum; tantæque ad nocendum efficacitatis, vt omnia eius regionis, ipsamque regionem omnem non solum in extima cute, sed ad vsque intimos eius sinus atque viscera penitus exusserit & perdiderit: idque non lente aut longo tempore, sed repente atque in momento perfecerit; id enim aperte tradit Hieremias, cum in Lamentationibus capite quarto ait, *Maior effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ in momento subuersa est; & non ceperunt in ea manus.* Deinde, excidium

excidium illud, non vt alia quæ memorantur in sacris aut profanis libris, temporarium & breue fuit, veluti Noëticum diluuium, quod fuit annuum: sed si effectum eius spectes, per tria annorum millia vsque ad hunc mansit, mansurumque est vsque ad finem mundi: manet enim semper in ea regione & perpetua soli sterilitas, & pestilẽs cælum, & vtriusque tetra & horrenda facies, ac demum plantarum, animalium, & hominum vsquequaque vacuitas. Ad hæc frequenter in Scriptura Sodomiticum excidium & supplicium vsurpatur, quasi primum summumque exemplum seueritatis & atrocitatis suppliciorum. Cum enim DEVS significare vult se gentem quampiam grauissime puniturum ac prorsus exciturum, dicere solet, facturum se illi, sicut fecit Sodomæ & Gomorrhæ: quemadmodum Lector animaduertere potest in Deuteronomio cap. 29. Isaiæ 13. Hieremiæ 49. Amos 4. Sophoniæ 2. Quin etiam Sodomiticum excidium poni solet tanquam exemplum supplicij inferni & æterni: vt in posteriori epistola B.Petri cap.2. *Et ciuitates,* inquit, *Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens euersione damnauit: exemplum eorum, qui impie acturi sunt ponens.* Sed apertius Iudas Apostolus: *Sicut Sodoma & Gomorrha,* ait, *& finitimæ ciuitates, simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.* Illud, *Abeuntes post carnem alteram,* siue, *alienam,* significat infandum eius gentis vitium: nam mutuus concubitus masculorum, alienus est à naturali vsu & fine carnalis cõmixtionis, quam natura, & inter eos qui diuersi sunt sexus, & ad generationem prolis instituit atque comparauit. Illud porro: *Ignis æterni*, etsi iungi potest cum illo: *Pœnam sustinentes*, vt significet incendium illud Sodomiticum fuisse æternum, id est, irreparabile, mansurumque ad finem vsque Mundi; commodius tamen aptatur illi voci, *Exemplum*; vt sit sensus, Sodomiticum illud supplicium fuisse exemplum ignis æterni, qui paratus est Diabolo & Angelis eius. Verum quia supplicium illud Sodomiticum continet, & instrumentũ quo factũ est, & res eo instrumẽto euersas & perditas, de priori dicemus in hac Disputatione, de posteriori, qui illius supplicij effectus fuit, dicturi in ea, quæ hanc proxime sequetur.

Locus ex Epistola Iudę Apostoli.

Matth. 25.

44 MOSES ait pluisse sulphur & ignem. Fuit igitur pluuia sulphurea & ignea. Sed verbum pluendi & vox pluuiæ, si proprie sumantur, significabunt aquam sulphuream & igneam superne ingenti copia & vehementi impetu cadẽtem, & quæcumque contingeret penitus exurentem: ex qua fortasse aqua siue pluuia factus est lacus, postea dictum Mare Mortuum. Sin autem verbum pluendi Moses posuit metaphorice, sicut dicitur aliquando pluisse lapides vel lanam; existimare conuenit, cecidisse tunc ad modum pluuiæ densissimum sulphur ignitum. Verum præter sulphur, simul etiam admixtum cecidisse sal ardens & vrens, videtur indicari à Mose in Deuteronom. cap. 29. illis verbis: *Videntes plagas terræ illius & infirmitates, quibus eã afflixerit Dominus sulphure & salis ardore comburens, ita vt vltra non seratur, nec virẽs quippiã germinet in exemplũ Sodomæ & Gomorrhæ, Adamæ & Seboim, quas subuertit Dominus in ira*

De Imbre sulphureo, & igneo & salso.

Locus Deuteronomij cap.29.

in ira & in furore suo : Pro illo, *Salis ardore*, quidam Latini codices habent *Solis ardore*, sed nimirum mendose : namque Hebræi, Græci, & Chaldaici, emendatioresque Latini codices habent *Salis ardore* : atque itidem habet editio vulgata Sacrorum Bibliorum iussu Sixti V. nouissime recognita, & Romæ edita. Ad hanc sententiam pertinere quidam putant, quod est in Psalmo 106 : *Terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea.* Terram fructiferam appellat Sodomiticam, ante DEI vindictam : quippe tanta eius fuit vbertas & amœnitas, vt eam Moses paradiso comparare non dubitauerit. Eiusmodi terra versa est in salsuginem, id est, in terram omnino sterilem. Salsugo enim sterilitatem affert terræ, succum eius atque pinguedinem exedens & consumens. Quare Abimelech subuertens ciuitatem, seminauit per eam sal. Tanta porro eius salis copia, tantaque fuit vis & acrimonia, vt lacum illum penitus infecerit, & in sui mutauerit saporem: atque ex eo vocatur in Scriptura Mare salsissimum.

Locus Psalmi 106.

Genes 13.

Iudic. 9.

CÆTERVM pœna illa sulphuris & ignis, quã narrat Moses, aptissime respondet & competit peccato eius gentis. Nam quia illi execrata libidine ardebant intus atque inuicem, & foris ob infamiam fœtebant : idcirco & ignis deflagratione, & fœtore sulphuris puniti sunt. Hoc pluribus verbis pulchre declarat S. Gregorius explanans verba illa Iob capitis 18. *Aspergatur in habitaculo eius sulphur.* Quid est aliud sulphur, ait Gregorius, nisi fomentum ignis? Verumtamen sic ignem nutrit vt fœtorem grauissimum exhalet. Recte igitur in sulphure peccatum carnis accipitur : quod dum peruersis cogitationibus quasi quibusdam fœtoribus mentem replet, æterna ei incendia præparat. Et dum fœtoris sui nebulam in mente reproba dilatat, cõtra eam flammis subsequentibus quasi nutrimenta subministrat. Quod enim per sulphur fœtor carnis signetur, ipsa sacri eloquij testatur historia, quæ contra Sodomam pluisse sulphur & ignem Dominum narrat : qui cum carnis eius scelera punire decreuisset, in ipsa qualitate vltionis, notauit maculam criminis : sulphur quippe fœtorẽ habet, ignis ardorem. Qui itaque ad peruersa desideria ex carnis fœtore arserant, dignum fuit vt simul igne ac sulphure perirent : quatenus ex iusta pœna discerent, quid ex iniusto desiderio fecissent. Sic B. Gregorius.

Conuenientia punitionis Sodomorũ cum eorum peccato. 45

S. Greg. lib. 14. Moraliũ cap. 10.

ILLVD porro Sulphur, illumque ignem pluisse de cælo, ait Moses, id est, de supremo aëre, vbi Visiones ignitæ generari & agitari solent. Lapsus autem istiusmodi è cælo, clarum fecit indicium, qui portentum illud fecit & in terras misit, eum fuisse DEVM, ea re vlciscentem atque vindicantem tam diu eius gentis dissimulata crimina. Proinde inter Ethnicos scriptores qui prodigiosam illam cladem scriptis mandarunt, longius à vero aberrauit Strabo, quam Solinus & Tacitus. Hi namque incendium illud è cælo veniisse tradunt : Ille autem fuisse incendium terrestre, exhalatum eructatumque è terra. Audi Solinum cap. 37. Longo, inquit, ab Hierosolymis recessu tristis panditur sinus, quẽ de cælo tactum testatur humus nigra & in cinerem soluta. Tacitus vero 46

Solinus.

Cornelius Tacitus.

vero in libro quinto Historiarum ita scribit : Haud procul inde campi, quos ferũt olim vberes, magnisque vrbibus habitatos, fulminum iactu arsisse. Ego sicut Iudaïcas quondam vrbes igne cælesti flagrasse concesserim; ita halitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eoque fœtus segetum putrescere reor, solo cæloque iuxta graui. At Strabo iis potius assentiri videtur, qui illum è terra exstitisse ignem existimarũt : totamque regionem illam esse igneam, quatuor signis demonstrarunt. Namque in ea regione petræ cernuntur adustæ, terra cinerulenta, saxa quasi guttas picis stillantia, ac demum ingens feruentium ac sulphurearum aquarum copia. Credibile igitur fit, magnis terræmotibus quassata & patefacta terra, maximam erupisse vim ignis & aquarum feruentium : vnde lacus ille factus sit, & haustæ ciuitates, & omnis circumquaque regio exusta, vastata, & perdita. Strabonis verba ita se habent : Quod illa regio ignita est, permulta signa afferunt : nam & petras exustas ostendunt, & terram cinerulentam, & picis guttas ex petris destillantes, & flumina fœtido odore efferuentia, & habitationes passim euersas. Itaque fidem habent iis, quæ ab indigenis prædicantur, in eo loco tredecim vrbes olim habitatas esse, quarum metropolim Sodomam adhuc sexaginta stadiorum ambitum seruare. Et quod ex terræmotibus, & ignis efflatu, & ex aquis calidis & bituminosis atque sulphureis lacus eruperit; & quod petræ factæ sunt igniferæ, & vrbium partim absorptæ, partim ab iis quicumque fugere potuerunt derelictæ. Sic Strabo.

Strabo li. 17.

SEXTA DISPVTATIO.

De excidio Sodomitico quantum ad res eo incendio consumptas & perditas: VERSV 25.

Super illis verbis;

Subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, & vniuersos habitatores vrbiũ, & cuncta terræ viuentia.

47 QVO verba hæc Mosis, quibus effectus Sodomiticæ cladis enarratur, planius atque plenius cognita & percepta sint, quatuor super his verbis tractare quæstiones instituì : Primam de numero ciuitatum euersarum : secundam de amplitudine regionis vastatæ : tertiã de habitatoribus interfectis : quartam de plantarum, omniumque terra nascentium exitio. Atque in his comprehendi etiam debere interitum animalium, minime ambigendum est : siquidem, quod perniciem & exitium attulit homini-

bus & plantis, idem pariter exitiosum fuisse ac mortiferum animalibus necesse est. Prima igitur quæstio est de numero ciuitatum euersarum. Hic Moses duas tantum nominat, Sodomam & Gomorrham; dicens pluisse Dominum super Sodomam & Gomorrham Sulphur & ignem, & subuertisse eas ciuitates. Et sæpe in Scriptura, vbi mentio fit huius cladis, hæ tantum duæ ciuitates memorãtur. Solinus quoque, eo quem supra dixi loco, harum duntaxat commeminit. In libro Sapientiæ capite decimo scriptum est, descendisse ignem in Pentapolim, id est, in quinque ciuitates, Stephanus qui de vrbibus scripsit, decem fuisse vrbes ait, earumque principem & caput fuisse Sodomam. Huic numero tres alias vrbes Strabo addidit, scribens Sodomam fuisse metropolim tredecim vrbium, quibus pariter omnibus excidium contigit. Sed hoc tam verum est, quam illud eiusdem Strabonis, seruare adhuc Sodomam ambitum sexaginta stadiorum: nam nec fuerat vnquam tantæ magnitudinis ea vrbs etiam cum maxime florebat; & clade illa, funditus euersa, vel potius hausta & absorpta atque operta Mari mortuo, nullum sui tale reliquit vestigium. Sed nimirum quæ inibi narrat Strabo, ea non vt à se spectata, nec liquido sibi nota, sed aliorum tantum relatu accepta commemorat.

Prima quæstio.

Quot ciuitates euersæ fuerunt in clade Sodomitic.

Solinus.

Stephanus.

Strabonis erratum.

VERA igitur sentẽtia est, quatuor fuisse ciuitates clade illa excidio- 48
que destructas, Sodomam, Gomorrham, Adamam, & Seboim. Quinta vero, cui prius nomen fuit Bala, posterius autẽ Segor, similiter destructa fuisset, nisi DEVS, rogatu Loth, ei pepercisset. Fuisse autem quatuor ciuitates percussas ea clade, his argumentis conuincitur. Moses Deuteronomij 29. cladem illam plene enarrans, illarum tantum quatuor ciuitatum euersionis & combustionis mentionem fecit. Deinde, roganti Loth vt concederetur sibi refugium in vrbem Segor, annuens Angelus dixit ad eum: *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem pro qua locutus es. Festina, & saluare ibi, quia nõ potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc: idcirco vocatum est nomen vrbis illius Segor.* Aperte declaratur his verbis, seruatã esse ab illo excidio Segor in gratiam Loth. Isaias præterea capite 15. meminit eius vrbis tanquam etiam tunc stantis in sua ætate: *Cor meum*, inquit, *ad Moab clamauit: vectes eius vsque ad Segor, vitulam conternantem.* Idem sensit Iosephus libro primo Antiquitatum, vbi hanc narrat historiam; licet contrarium subindicet in libro quinto de Bello Iudaico cap. 5. sed ad fidem eius rei faciendam luculẽtissimum est, grauissimumque B. Hieronymi testimonium, de ea vrbe suis temporibus stante ac florente, hunc in modum scribẽtis: Bala, quæ est Segor, nunc Zoara nuncupatur, sola de quinque Sodomorum vrbibus, Loth precibus præseruata est: imminet Mari Mortuo, & præsidium in ea positum est militum Romanorum. Habitatoribus quoque propriis frequentatur, & apud eam gignitur balsamum, & poma palmarum, antiquæ vbertatis indicia. Idem eodem in libro in voce Segor, tradit, eam vrbem fuisse ad preces Loth de incendio liberatam, & vsque ad suam ætatem ostendi, eiusque meminisse Isaiam in visione contra Moab.

Quatuor solum ciuitates fuisse tũc euersas.

Vrbẽ Segor seruatã fuisse, à Sodomitico incẽdio, contra opinionẽ Lyrani, Theodoreti & Suidæ.

Iosephus.

S. Hieronym. de locis hebraicis.

Borchar

Borchardus item qui non amplius trecentis ante nos annis fuit, & in visitandis & pernoscendis locis Terræ sanctæ decenniũ consumpsit, de Segor, vti erat suo tempore scribens, ait sitam fuisse post Hierico contra Austrum, non procul Mari Mortuo, & sub monte Engaddi. Apparet igitur ex his quæ diximus, non esse veram opinionem Lyrani aientis destructam fuisse Segor post discessum Loth ex ea vrbe. Nec probabile est quod tradunt Theodoretus in quæstione 69. in Genesim, & Suidas in voce Loth, post egressum Loth ex ea ciuitate, omnes habitatores eius fuisse deletos, atque hiatu terræ absorptos. Nec mirũ, Scripturam, dum memorat illud excidium, nominare tãtum Sodomam & Gomorrham: nimirum insigniores erant istæ amplitudine, opulentia, potentia, atque improbitate; quarum scilicet imperio, ductu, exemploque mouebantur & regebantur cæteræ. Vbi porro scriptum est, ignem descendisse in Pentapolim, ibi vocabulo Pentapolis significatur regio illa ex quinque vrbibus sic appellata. In hanc descendit ignis, & combussit omnia, vna tantum Segor excepta.

Borchardus.

Lyranus in 14. 19. cap. Geneſis.

Theodoretus.

Suidas.

Locus sapiẽtiæ cap. 10.

49 SECVNDA quęstio est, quanta fuerit regio illius terræ, Sodomitico incendio exusta & vastata. Respondeo, fuisse eam omnẽ, quam operuit Mare Mortuum: namque eo loco erant celebres illæ quatuor ciuitates. Itaque magnitudo eius cladis æstimari debet ex magnitudine illius maris. Plinius libro 5. capite 16. scribit, longitudinem eius maris excedere centum millia passuum: Latitudinem maximam esse viginti quinque, minimam vero sex. Verum nulli scriptorum, eius lacus & regionis natura, situs, & magnitudo exploratior notiorque fuit, quam Iosepho inibi nato, educatoque, atque cum imperio diu versato. Is lib. 5. de Bello Iudaico ca. 5. de magnitudine eius lacus hisce verbis scribit: Longitudo eius lacus est quingentorum octoginta stadiorum; latitudo centũ quinquaginta stadiis patet. Sic ille. Ergo longitudo lacus habet duo & septuaginta millia passuum, superque quingentos passus: Latitudo autem prope decem & nouem millia passuum. Variis porro nominibus mare illud siue lacus appellatur in Scriptura. Vocatur enim Mare campestre, siue planicies, & Mare Salis vel salsissimum, & Mare Mortuum, & Mare solitudinis: Mare campestre dictum est propter planitiem & æquabilitatem loci quondam amœnissimi, & à Iordane vsquequaque irrigati ac fœcundati. Mare Mortuũ dictum est, quod nullũ animal gignat alatue, aut sustineat. Mare salis vel salsum siue salsissimum, ob saporem salsum, quem ei fecit copiosissimum sal de cælo lapsum. Verum salsedo, ob exuperantiam, excedit in amaritudinem. Aristoteles certe libro secũdo Meteororum de eo lacu ita scribit: Si est, sicut fabulantur quidam, in Palæstina tale stagnum, in quod si quis demiserit colligatum hominem aut iumentum, supernatat, & non submergitur in aqua, testimonium vtique erit dictis nostris. Dicunt enim amarum sic esse stagnum & salsum, vt nullus piscis innascatur: vestimenta autem purgari, si quis cum irrigauerit, ea quassauerit. Sic Aristoteles. Appellatur demum Mare solitudinis, quod post memorabilem illarũ vrbium deflagrationem, loca

Quantũ illius regionis vastauerit clades Sodomitica.

Plinius & Iosephus de magnitudine Maris Mortui.

Varia nomina illius lacus siue maris.

Cur mare cãpestre.

Cur mare Mortuum.

Cur mare salis.

Aristoteles.

Cur mare sõlitudinis.

circumquaque vicina, tetra peſtilentium aquarum euaporatione, ita perpetuo inficiantur, vt ſterilia pariter atque in ſalubria, ob idque hominibus & animalibus infeſta, ſemperque inhabitata & deſerta ſunt.

QVAM fuerit autem ex illo incendio facies eius regionis deformata, fœdata, & aſpicientibus horrifica, ſatis indicauit Moſes, narrans, cum 50
tempore ipſius cladis, Abraham procul intueretur Sodomam & Gomorrham, & vniuerſam terram regionis illius, vidiſſe aſcendentem fauillam de terra quaſi fornacis fumum. Ergo non ſolum ea regio vbi erant ciuitates illæ, quæ obruta eſt illo lacu; ſed vicina regio circumquaque per aliquot milliaria, eodē malo affecta, infectaque eſt. Audiat Lector Borchardum: Mare Mortuum ſemper eſt fumãs & tenebroſum, ſicut os inferni, ſicut oculis meis vidi, ob tetrum vaporem inde fumantem, vallis dicta quondam Illuſtris, à termino huius maris, ſecus deſertum Pharan, vſque ſupra Iericho, per mediam dictam, fere ſterilis & inutilis reddita eſt, ita vt ne germen quidem producat in ſui latitudine, quæ alicubi quinque leucarum eſt, alibi ſex: præterquam iuxta Iericho, vbi Cannamellæ, & horti & viridaria ſunt, irrigante fonte Eliſei. Tanta vero calamitas ei regioni accidit, in execrationem peccati Sodomorum, quod DEVS tot ſeculis vlciſcitur, vt etiam regio ipſa pœnas luere perpetuo videatur. A dextris inſuper & à ſiniſtris montes ſteriles ſunt & alidi, vel barbarę habitationes, per multa & longa terrarum ſtadia, quatenus ſcilicet exitialis ille vapor, impellente vento, pertingere poteſt. Sic Borchardus.

Borchardus primæ Partis cap. 7. num. 38.

TERTIA quæſtio de plantis, quale ſcilicet quantumque damnum 51
plantis eius regionis ex illo incendio acciderit. Si qua in re alia, in plantis maxime, perpetuum manſit diuini illius ſupplicij monumentum, continuo miraculo ſtuporem ſpectantibus incutiens atque horrorem. Cum enim antea fuiſſet regio illa, omnis generis pulcherrimarū plantarum feraciſſima; eadem poſt incendium & excidium regionis, aut nullas fert plantas, aut ſterilitatis admirandæ. Partim enim fructum ferunt nullum, partim prodigioſum, ſpecie nimirum inani, & falſa imagine fructus, nihil intus habentes ſolidi. Scite igitur Ioſephus ſcripſit, adhuc in ea regione diuini reliquias ignis cerni, renaſcentes nempe in fructibus cineres; nam colore quidem & ſpecie, aliorum fructuum ſunt perſimiles; tactu verò, in carpentium manibus reſoluuntur in fumum ac cinerem. Ethnici quoque ſcriptores huic miraculo teſtimonium perhibent. Solinus capite 37. tradit, poma illic gigni, quæ licet habeant ſpeciem maturitatis, mãdi tamen non poſſunt: nam fuliginem intrinſecus fauillae eam, ambitio tantum extimæ cutis cohibet; quæ vel leui tactu preſſa, fumum exhalat, & fatiſcit in vagum puluerem. Cornelij etiam Taciti concors eſt ſuper eadem re teſtimonium. Ait in quinto libro Hiſtoriarum, campos illos quondam vberrimos & amœniſſimos, fulminum tactu arſiſſe, terramque ſpecie torridam, vim frugiferam perdidiſſe. Nam cuncta ſponte edita, aut manu ſata, ſiue herbà tenus aut flore, ſeu ſolitam in ſpeciem adoleuere, atra & inania, velut in cinerem vaneſcunt.

Quantum plantis nocuerit clades Sodomitica.

Ioſephus li. 5. de Bello Iudaico.

Solinus.

Cornelius Tacitus.

neſcunt. Etenim lacus halitu inficitur terra, & ſuperfuſus corrumpitur ſpiritus; eoque fœtus ſegetum putreſcunt, ſolo, cæloque iuxta graui.

52 Quarta quæſtio, de hominibus illa clade interfectis. Clare dixit Moſes hoc loco, vniuerſos habitatores eius regionis fuiſſe deletos, etiam infantes. Namque illius gentis vniuerſam non ſolum ſtirpem, verum etiam progeniem, ſobolem, omnemque propaginem, prorſus exciſam atque extinctam eſſe, nullumque factum eius gentis reliquum eſſe ſemen, apertis verbis declarat Iſaias capite primo dicens: *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrhæ ſimiles eſſemus.* Verum paulo ſubtilius & diſtinctius de interitu eorū hominum dicamus. Non eſt dubium, quicumque in ea gente iam vſum rationis & liberi arbitrij habebāt, eos omnes tunc periiſſe. Quippe omnes fuiſſe infectos vitio illo infando & execrando, declarauit Moſes, concurſum eorum narrans ad domum Loth: *Prius*, inquit, *quàm irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum, à puero vſque ad ſenem, omnis populus ſimul. Vocaueruntque Loth, & dixerunt ei: vbi ſunt viri qui introierunt ad te nocte? Educ illos huc, vt cognoſcamus eos.* Nec viri tantum, etiam fœminæ tali vitio gaudebant, extra vas, libidinem virilem libenter patientes. Et vt hoc vitio caruiſſent, habebant tamen alia crimina, quæ memorat Ezechiel capite 6. ſuperbiam, luxum, inhoſpitalitatem, inhumanitatem erga peregrinos, & aduerſus pauperes crudelem auaritiam.

Locus Iſaiæ cap. 1.

53 Sed cur infantes, qui vt rationis vſu, ſic etiam iis criminibus carebant, quorum puniendorum cauſa clades illa inflicta eſt; cur, inquam, infantes pariter cum ſceleratis parentibus interempti ſunt? Non ſane propter propria ipſorum crimina occiſi ſunt infantes: verum duas ob cauſas, iuſto DEI iudicio, vita priuati ſunt. Primum quidem, quò acerbiorem faceret parentum cruciatum interitus liberorum; non ſolum propter naturalem flagrantiam amoris paterni erga filios, ſed quod eorum exſtinctu, omnem poſteritatis ſuæ tuendæ ac propagandæ ſpem ac facultatem penitus extingui cernebant. Præterea, eiuſmodi nece infantium declarare voluit DEVS, quantopere deteſtaretur atque odiſſet gentem illam; vtpote cuius nullam ſupereſſe ſobolem, nullumque ſemen relinqui voluit; ſed ſolam eorum, & immaniſſimi ſceleris, & horrendæ vltionis ac vindictæ, perpetuo apud poſteros viuere ac vigere memoriam. Frequenter autem DEVM filios punire corporali pœna propter ſuorum parentum ſcelera, nec paucis, nec obſcuris teſtimoniis atque exemplis in diuina Scriptura proditis, manifeſtum eſt. De ipſo enim DEO proditum eſt, viſitare ipſum iniquitates patrum in filios, in tertiam & quartam generationem. Dauidis filium ex adulterio Bethſabeæ natum, occidit DEVS propter Dauidis peccatum. Hebræorum quoque, qui grauiter DEVM offenderant in deſerto, filios portare iniquitatem patrum, & per quadraginta annos in deſerto laborioſe admodum ærumnoſeque vagari & afflictari fecit DEVS.

Cur etiã infantes illa clade Sodomitica com prehẽſi ſunt.

Exod. 20. & 36.

2. *Reg.* 12.

Num. 14.

An omnes qui rationis vsu præditi Sodomitico excidio perierũt, etiam Inferni suppliciis damnati, æterna morte perierint.

Cæterũ quæri potest hoc loco, an omnes adultæ ætatis, rationisque compotes, qui Sodomitica illa clade perierunt, etiam inferni suppliciis damnati, æterna morte perierint; an verò nonnulli temporario supplicio purgati & expiati, æternum inferni supplicium euaserint. Scrupulum dubitationis super ea re iniiciunt verba S. Hieronymi, qui cum de aliis, tum proprie de Sodomitis ita loquitur, vt non obscure significet, eos tantum in hac vita fuisse à DEO punitos; & perpessione illius incendij, & supplicij æternas, quæ post hanc vitam peccatores manent, pœnas effugisse. Verba B. Hieronymi, quæ talem fuisse eius sensum indicant, ex Commentariis eius in 1. caput Naum Prophetæ, eo loco vbi explanat illa verba, *Quid cogitatis contra Dominum? consummationem ipse facit: non consurget duplex tribulatio*, huiusmodi sunt: loquitur iuxta tropologiam, aduersus Marcionẽ, de quo supra diximus, & contra omnes veteres Hæreticos, qui bonum nescio quem confingentes DEVM, arguunt Hebræorum DEVM, quasi crudelitatis, quod multos puniat, & pro peccatis irroget cruciatus. *Quid ergo*, ait, *contra Dominum cogitatis?* quod si vobis videtur crudelis, rigidus, & cruentus, eo quod in Diluuio genus deleuit humanum, & super Sodomam ignem pluit, & sulphur, Ægyptiosque submersit fluctibus, atque Israëlitarum cadauera prostrauit in eremo: scitote eum ideo ad præsens reddidisse supplicia, ne in æternum puniret. Certe verum est quod in hoc loco per Prophetam dixit: *Non consurget duplex tribulatio*, siue, vt verterunt 70. Interpretes, *Non vindicabit bis in idipsum in tribulatione.* Ergo qui ad præsens puniti sunt, postea non punientur. Receperunt igitur & qui in Diluuio perierunt, & Sodomitæ, & Ægyptij, & Israëlitæ mala sua in vita sua. Sic eo loci Sanctus Hieronymus. Verum mox ipse, quasi nimiam laxitatem eius sententiæ restringens, coarctat id quod dixerat ad minora & leuiora crimina, affirmans magnis & grauibus puniendis criminibus non sufficere leuia præsentis vitæ supplicia. Sub ea enim verba, quæ proximè commemoraui, subdit hæc: Quærat hic aliquis, si deprehensus in adulterio decolletur, quid de eo postea fiat? Aut enim punietur, & falsum erit, DEVM non vindicare bis in idipsum: aut non punietur, & optandum erit adulteris, vt in præsentiarum breui & cita pœna, cruciatus frustrentur æternos. Ad quod respondemus, DEVM, vt omnium rerum, ita quoque suppliciorum scire mensuras, nec præueniri eum sententia iudicis, vt exercendæ amplius in peccatorem pœnæ non habeat potestatem: & magnum peccatum, non nisi magnis & diuturnis eluitur cruciatibus. Si quis autem ita punitus sit, vt ille in lege qui Hebræis maledixerat, & qui in Sabbato ligna collegerat, tales postea non puniri: quia culpa leuis præsenti supplicio compensata sit. Hactenus ex B. Hieronymo.

Gen. 7. & 8. Exod. 14. Num. 26.

Num. 15.

Auctoris sententia.

55 Ast ego nullam video rationem quæ mihi persuadeat, nonnullos de Sodomitis, cælesti incendio peremptis, euasisse ex suppliciis Inferni. Quin, magis diuinæ Scripturæ ac rationi competens & congruens esse arbitror, eos omnes, vt corporali & tẽporali morte, sic etiam spirituali & æterna

& æterna periisse. Nam si qui ex illis erepti sunt pœnis Inferni, id eis accidisse necesse est, aut quia erant boni & iusti; aut quia licet antea mali fuissent, attamen ingruente incendio & clade illa, condignam pœnitentiam egerunt; aut quia etsi mali atque impœnitentes mortui sunt, per illud tamen supplicium purgati expiatique, æternam salutem consecuti sunt. Hoc vltimum manifeste falsum, & contrarium sacris literis, & ab Ecclesia Catholica damnatum est. Nulli enim iam adulto, & peccatori, nisi vere, atque vt oportet pœnitenti, peccatum remittitur: *Nisi pœnitentiam habueritis*, dixit Dominus, *omnes similiter peribitis.* Nec temporarium præsentis vitæ supplicium, qualecumque & quantumcumque fuerit, explet meritum peccati mortalis, cui nempe secundum diuinam iustitiam debetur supplicium æternum: quemadmodum boni operis, & ex DEI gratia facti, nullum bonum temporale quantumlibet sit, sufficiens & iusta merces esse potest. Fuisse autem nonnullos inter Sodomitas qui perierunt, viros bonos & iustos, difficile creditu est: cum certum sit ne decẽ quidem fuisse inibi iustos, atque in his numerando etiam Loth & familiam eius. Quin vniuersam illam gentẽ sceleratam fuisse, demonstrat concursus omnium factus ad domum Loth, rabiosa & furiosa infandi sceleris patrandi cupidine. Sane si qui fuissent boni & iusti, quis non facile credat, DEVM eis parciturũ fuisse, & aliquod eius cladis effugium, sicut Loth, præbiturum? Minus porrò credibile est, malos antea fuisse omnes, sed eo puncto temporis quo venit cælitus incendium & excidium, nonnullos resipuisse & pœnitentiam egisse. Nam cum illi per totam vitam pessimi fuissent, & illa ipsa nocte sub cuius finem, excidium illud contigit, infando flagitio committẽdo intentissimi fuissent; cumque clades illa repentina, improuisa, & quasi momẽtanea fuerit, quis, obsecro, inducat in animum, eos tam repentina & celeri ruina oppressos, veram, & seriam, & tãtis sceleribus remittendis sufficientem egisse pœnitentiam?

Luc. 13.

Matth. 18.

56 Verum quia vel tota vel præcipua huius quæstionis difficultas, ex B. Hieronymi auctoritate, quam dudum commemorauimus, existit, quemadmodum eam interpretari conueniat, breuiter dicendum est. Ad illam igitur auctoritatem triplex dari responsum potest, ne opinioni nostræ officere & aduersari videatur. Primum responsum: non scripsit id Hieronymus ex suo sensu & arbitrio, sed ex aliorum sententia, quamuis eam sciret esse falsam. Etenim mos est B. Hieronymi, commemorare in suis Commentariis multorum sententias, tacitis auctorum nominibus, aperte falsas, & à Catholica fide abhorrentes; nec eas tamẽ improbare, nec significare Lectori non esse suas, nec sibi displicere; vt cõsuetudinis eius inexpertus atque ignarus Lector, facile in fraudem atque errorem inducatur, existimans illas esse Hieronymi sententias. Multa huius generis proferri, exempli gratia, possent, ex Commentariis eius in Epistolas Pauli ad Galatas, & ad Ephesios. Cur id fecerit Hieronymus, hanc reddit ipse causam libro primo Apologiæ aduersus Ruffinum: Expositoris esse officium, vt veterum nudas referat

Triplex interpretatio superioris sententiæ B. Hieronymi.

Valde obseruanda consuetudo B. Hieronymi in suis Commentariis.

senten

sententias, nec iudicium de illis ferat: sed Lectoribus optionem relinquat, vt id probent, quod ipsi verius esse iudicauerint. Alterum responsum; istud dixisse Sanctum Hieronymum, non quia putaret verum, sed ad mentem & sensum Marcionis, quem illic oppugnabat, aientis, mala & calamitates præsentis vitæ non esse à DEO bono, sed ab alio quodam malo principio. Verum sic contra eum Hieronymus argumentatur: Esto, non sit boni facere malum: at negari non potest, quin boni sit, paruo quopiam breuique malo, longissimum grauissimumque malum arcere; sicut boni medici est, secando, vrendoque membrum aliquod, certam ex morbo pestem & mortem auertere; & in nauigantibus nemo non laudabit, vrgente naufragij periculo, ad id euitandum, pretiosas vestes ac supellectilem in mare proiicere. Ad bonum igitur principium pertinet, temporalibus huius vitæ malis, æternas Inferni pœnas redimere. Atque huc præcipue spectauit Hieronymus, & id potissimum aduersus Marcionem probare intendit. Quod igitur dixit de Sodomitis, tamquam illi per temporale incēdium euaserint æternum, positum ab eo est exempli tantum gratia: exempla verò non semper ad veritatis amussim exigere necesse est. Cumque mox adiungat Hieronymus, quod à se dictum fuerat, non esse id accipiendum de grauissimis peccatis; satis apparet, non habere id locum in Sodomitis, quorum nempe grauissimum atque immanissimum peccatum fuit. Tertium responsum. Loquitur Hieronymus de iis qui tunc pœnitentes fuerunt. Itaque cum dicitur, Sodomitas, vel Ægyptios, vel Hebræos, qui per temporale supplicium quod in hac vita passi sunt, supplicium, quod est post hanc vitam, æternum effugisse, subintelligenda in eo est illa conditio, si qui tamen eorum seriam tunc & condignam egerint pœnitentiam. Neque enim tantus Ecclesiæ Doctor ignorare aut obliuisci potuit tam euidentes, certas, generales, ac sæpe vsurpatas diuinæ Scripturæ sententias; Nec sine pœnitentia cuiquam adulto remitti peccatum: Nec manente peccato mortali, remitti debitum ei pœnæ æternæ: Nec vllum præsentis vitæ temporale supplicium, sufficientem esse vel adæquatam peccato mortali punitionem.

Chronologia excidij Sodomitici.

Restat, vt quãbreuissime huius cladis Sodomiticæ Chronologiam indicemus. Ea verò clades contigit vno anno ante ortum Isaac. Siquidem quo die illi Angeli venerunt ad Abraham, denunciatum ei, fore vt ei post vnum annum ex Sara filius nasceretur; eodem ipso die, ad vesperam iuerunt Sodomam: lucescente autem die qui eam noctem proxime consecutus est, excidium Sodomiticum accidit. Nec probatione alia hæc indigent, cum legenti caput 18. & 19. Geneseos, meridiana luce clariora sint. Erat igitur Abraham id temporis nouem & nonaginta annorum, centenarius quippe generauit filiũ suum Isaac. Quamobrem ab aduentu eius ex Mesopotamia in Chananitidem, quo tẽpore fuisse eum septuagintaquinque annorum supra in capite 12. proditum est, quatuor & viginti anni præterierant. Porrò cum natus esset Abraham anno ducentesimo nonagesimo secundo post Diluuium, vt colligitur ex Chro 57

ex Chronologia, quam in capite 10. Geneseos habet Scriptura Hebraica, & vulgata editio Latina; consequens est, casum illum Sodomiticum, vno & nonaginta, superque trecentis annis post Diluuium accidisse. Sed quanto tempore plaga hæc Sodomitica decem plagas Ægypti antecessit? Haud dubie annis sex & quadringentis. Etenim supra, cum exponeremus caput duodecimum, ostendimus à septuagesimoquinto anno Abrahæ vsque ad Hebræorum egressum ex Ægypto, decem illis plagis procuratum effectumque, quadringentos & triginta fluxisse annos; & super caput decimumquintum Geneseos probauimus, ab ortu Isaac vsque ad idem tempus, quinque & quadringentos annos computari.

SEPTIMA DISPVTATIO,

De ebrietate Lot, & incestu filiarum eius:

Super illis verbis Mosis:

Ascendit Lot de Segor, & mansit in monte & in spelunca ipse & duæ filiæ eius cum eo, timuerat enim manere in Segor, & cætera quæ sequuntur vsque ad finem capitis.

58 DIXIMVS supra causas cur timuerit Loth manere in vrbe Segor: vel quia in tanta eius regionis ruina, non putauit eam vrbẽ stare posse, quæ sæpe alias subuersa fuerat: vel quia cernens omnem vsquequaque vicinam planitiem & regionem conflagrasse, timuit ne illuc etiam extenderetur incendium. Addunt præterea quidam, magno eum pauore perculsum, quod stantibus ædificiis eius vrbis, habitatores tamen hiatu terræ absortos vidit. Sed hoc gratis dicitur, & à nobis supra confutatum est. Illud quoque supra demonstratũ est, peccasse Loth in hac demigratione ex vrbe in montem: non solum ob turpem instabilis animi leuitatem; prius quidem recusantem ascendere montem, & manere cupientem in Segor; mox autem diffidentem habitationi Segor festinauisse ad montem, tutiorem sibi ratum eum locum, quem paulo ante, vt periculosum formidauerat. Verum præcipue Lot peccauit ob duplicem incredulitatem & diffidentiam diuinæ promissionis: nam nec primum credidit Angelo promittenti securitatem sibi in monte; nec ei postea credidit eandem pollicenti in vrbe Segor. Sedenim non leues insipientiæ suæ pœnas mox persoluit. Nam vbi bene sibi fore sperauit, ibi pessime fuit, duplici malo, ebrietatis & incestus fœdatus; ea namque

propter incredulitatem,iusto DEI permissu,vt testatur S.Hieronymus, ei contigerunt. Non igitur commutatio locorum tutiores ac meliores facit,nisi adsit rectus animi sensus,firmumque bene agendi propositũ; ante omnia verò DEI spiritus & gratia,quæ animos hominum in meliorem statum eommutet atque promoueat.Sin aliter, nihil plane proficitur commutatione locorum : scitum enim est quod dixit quidam Poëta:

Horatius lib.1.epist.

,, *Cælum non animum mutant,qui trans mare currunt.*

Gregorius homil. 1. in Ezechielẽ.

Et verum sanè est documentum illud B.Gregorij:sæpe,inquit, cum de vita proximorum querimur,mutare locum conamur,& secretum vitæ remotioris eligere:videlicet ignorantes, quia si desit spiritus,non adiuuat locus.Ecce Loth in Sodomis sanctus extitit,in monte peccauit. Et

Genes.3. primus ipse parens humani generis,in Paradiso cecidit. Quod si locus saluare posset, Satan de cælo non cecidisset. Quare Dauid nullum sibi extra DEVM cernens munitum & tutum locum , ipsum sibi DEVM fieri locum petiit , dicens ; *Esto mihi in* DEVM *protectorem & in locum munitum : vt saluum me facias.* Sic Gregorius. Nec minus verum & salutare documentum est , quod Glossa interlinearis addit super hoc loco ; Sicut , inquit , iustus in Sodomis fuit Loth , in monte autem peccauit : ita quidam seculares, inter malos statum rectitudinis tenent : cum verò ad altitudinem vitæ ascendunt , negligentiores facti grauiter peccant.

Psal.30. Glossa Interlinearis.

An Loth fuerit simpliciter iustus.

59 B.Augustinus in Quæstionibus in Genesim quæstione quadragesimaquinta scribit,Loth dictum esse iustum non simpliciter & absolute, sed secundum quid,& comparatiue.Nam perpendens illa verba:*Recordatus est* DEVS *Abrahæ , & liberauit Loth de subuersione vrbium in quibus habitauerat* ; sic ait : Commendat Scriptura meritis Abrahæ liberatum esse Loth , vt intelligamus iustum esse dictum Loth secundum quendam modum,maxime quod verum DEVM colebat ; & propter comparationem cum sceleratis Sodomitis , inter quos viuens, ad similem vitã nõ potuit inclinari. Origenes dixit eum fuisse quasi medium inter peccatores & iustos , quatenus ex cognatione Abrahæ fuit,ab eo educatus,& cum eo conuersatus , idemque inter Sodomitas multis annis habitauit.Nam sicut ex Abraham multa didicit quæ bona erant; sic ex Sodomitarum consuetudine factum est,vt nec in virtutibus multum proficeret,& leuioribus quibusdam vitiis inficeretur.At enim improprie locutus est Origenes , dicens Loth fuisse medium inter peccatores & iustos,significare volens eum imperfecte fuisse iustum , & minoribusquibusdam peccatis aspersum.Siquidem presse ac proprie si loqui volumus,inter peccatum mortale,& veram iustitiam medium esse nihil potest.Non enim quispiam iam adultus,potest esse peccati simul expers & iustitiæ, quod vocatur medium per abnegationem extremorum : nec item potest quispiam habere simulin se peccatũ & iustitiam DEI, quod vocatur medium per admixtionem & participationem extremorum.Quandiu verò manserit Loth in vrbe Segor, non indicat

Origenes homil. 5. in Genesim.

Scri

Scriptura : & ideo certum aliquod tempus definire,diuinare est : fuisse tamen inibi eius breuissimã mansionem, ingens pauor Loth ex proximo incendio,credibile facit ; fortasse eo tantum die , quo venit Segor, ibi mansit.

60 *Pater noster senex est,& nullus virorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos iuxta morem vniuersæ terræ.* Quorsum dixerint,*Pater noster senex est*, non est obscurum : significarunt enim accelerandum esse concubitum cum eo,ne propter senectutem aut moreretur antea,aut inualidus fieret ad generandum.Sed vnde,quæso,istę puellæ compertum habuerũt nullum illi excidio & incendio superfuisse mortalium? An ex patre suo vetustam audierant traditionem , fore vt sicut orbis terrarum semel quondam perierat aquarum diluuio,ita denique ignis ardore deflagraret? Sodomiticum vero incendium putarunt illæ , omnium terrarum fuisse commune. Enimuero fit hoc Origeni admodum credibile : sic enim scribit; Apparet filias Loth didicisse quædam de consummatione mundi per ignem futura,sed tanquam puellas id non integre perfecteque intellexisse. Audierant in fine seculi omnia elementa,ignis ardore decoquenda:videbant ignem,videbant sulphureas flammas , videbant cuncta vastari,matrem quoque suam periisse:suspicatæ igitur sunt tale aliquid eueniisse, quale contigisse audierant in temporibus Noe : & similiter ob reparandam mortalium posteritatem, se solas cum patre esse relictas. Ergo recuperandi generis humani desiderio inflammantur; atque instaurandi ex se seculi,dandum esse putant exordium.Et quamuis graue eis crimen videretur,furari concubitum patris;grauior eis tamen videbatur impietas,si humanæ,vt putabant,posteritatis spem,seruata castitate, deleri paterentur.Sic Origenes.

Origenes loco prædicto.

61 VERVM hic occurrit quæstio, An talis ignorantia earum mulierum,fuerit,vt dici solet,inuincibilis , id est,an aliquibus ex rebus, si ad eas illæ attendissent animum,facile & aperte cognoscere potuerint,incendium illud non fuisse generale,nec omnes terrarum regiones complexum.Multi & graues in primis auctores tradunt,inuincibilem fuisse hanc ignorantiam : nam inde rationem petunt excusandi purgandique quod ab eis factũ est.Ita sane senserũt Iosephus libro primo Antiquitatum,Irenæus libro.4.ca.51.Ambrosius lib.1.de Abraham cap.6.Chrysostomus homil.44.in Genesim, Theodoretus quæst. 69. in Genesim. Verum mihi valde placet sententia Caietani affirmantis , ignorantiam earum non fuisse inuincibilem:multa enim prompta eis fuisse & aperta argumenta , quæ contrarium eis persuaderent. Primo , videbant seruatam esse vrbem Segor & habitatores eius;montem etiam illum in quem se receperãt, vnde alias quoque terras extra regionem Sodomiticam positas, videre poterant,ab eo incendio esse intactas. Audierant præterea deflagrationem illam accidisse propter peccata eius gentis propria. Quare sicut peccatum quod puniebatur , non erat commune omnium hominum;ita nec supplicium commune omnium esse,putare debebant. Et vt nihil horum fuisset , certe de re tam graui tantique

An opinio filiatũ Lot, quod ões homines tunc periissent, sit excusabilis.
Iosephus.
Irenæus.
Ambrosius.
Chrysostomus.
Theodoretus.
Auctor sequitur Caietanum.

Ss 2

momenti, nihil ipsæ inconsulto atque insçio suo patre statuere debebant,sed eius arbitrium,iudicium & sententiam expectare.Ex ista opinione muliebri argumentantur quidam, habitatores Segor incendio Sodomitico periisse:nam si seruati fuissent,non vtique dixissent puellæ nullum hominum remansisse qui ad eas posset ingredi. Sed hoc facile diluitur:audierant illæ patrem suum timentem ne Segor quoque subuerteretur,& ob eum timorem relicta ea vrbe refugisse ad montem. Quod igitur pater inani,stultoque timore factum iri putauit, id ipsum illæ iam factum esse,muliebri leuitate ac temeritate putauerunt.

An si extinctis omnib⁹ viris solus Loth in terris remãsisset, licitus fuisset filiarum eius cũ ipso concubitus. Ambrosius. Genes. 2. August. lib. 22. contra Faustũ Manichæũ, capite 43.

Cæterum exoritur altera quæstio, an concesso, ignorantiam earum 62
fuisse inuincibilem, quin etiam posito tali casu & statu rerum, vt solæ illæ cum patre in terris superfuissent, an tunc fas & honestum fuisset, facere quod illæ fecerunt:id est, An licita fuisset filiarum cum patre cõmixtio,ad propagandum seruandumque genus humanum. Licitum id fore Ambrosius significare videtur, pro argumẽto afferens exemplum Euæ,quæ formata ex Adamo, eidem coniugali mixtione copulata est: Et quia necessitas seruandi generis humani præponderare videtur ac penitus obruere indecentiam omnem quæ est in tali coniunctione. At enim contra sentit B. Augustinus, eiusque sententia Theologis, mihique visa est probabilior. Censet autem Augustinus, etiamsi sciuissent illæ nullum virorum in terris superfuisse præter patrem suum,nihilominus tamen à concubitu paterno abstinere debuisse: Potius,inquit, nunquam esse matres,quam sic vti patre debuerunt.Nempe in tali casu, cura seruandi propagandique generis humani,non ad ipsas,sed ad patrem ipsarum pertinebat: quare eo inconsulto, tam graue facinus aggredi,vereri debebant: nec sibi eius rei deliberationem ac diiudicationem arrogare,sed patris arbitrio permittere.Ac licet coniunctio patris & filiæ non excludat finem matrimonij,qui est generatio prolis:ob naturalem tamen indecentiam & turpitudinem,quam fere omnes gentes auersantur & horrent,vetita est lege naturali talis commixtio, nec est ab homine dispensabilis.Quin etiam Ambrosius ipse in epistola 66. docet, coniugium patris cum filia pugnare cum lege naturali scripta in cordibus singulorum.Quare cum hic contrarium dixit,videtur id non serio & iudicato,sed obiter & disputandi causa dixisse.Nam exemplum Euæ, quod attulit Ambrosius, nequaquam adiuuat istam opinionem. Siquidem Eua non fuit filia Adami: ratio enim paternitatis & filiationis, atque omnis etiam cognationis & affinitatis, tota est fundata in carnali generatione, quæ fit per commixtionem viri & fœminæ & per semen virile ac sanguinem menstruum muliebrem. Quid quod, coniunctionem illam coniugalem Adami cum Eua, DEVS ipse, eorum creator, sua auctoritate & potestate constituit? Sed pergamus ad alia.

VENI,*inebriemus eum vino, dormiamusque cũ eo,vt seruare possimus patri nostro semen.* Facit hoc ad commendationem Loth: quem filiæ putabant, si vigilans & sui compos ac potens foret, ad suæ voluntatis 63
assensum

assensum nullo modo flecti & adduci posse.Pro illo,*Inebriemus eum vino*,Græce est,potemus eum vino:Hebraicè ad verbum est,demus ei bibere,vel faciamus eum bibere vinum:Est enim hebraïsmus, bibere vinum,pro eo quod est,large & affluenter,& vsque ad ebrietatem bibere,sic de Noë scriptum est Genesis 9. *Bibensque vinum, inebriatusque est*; in Psalmo 68. *In me psallebant qui bibebant vinum.* Quare Latinus interpres agnoscens hebraïsmum,expressit eius sensum,vertens, *Inebriemus eum vino.* Sed vnde illis vinum? Non ex vrbe Sodoma,vnde scilicet festinanter exire compulsæ sunt;sed ex vrbe Segor, vnde cum deliberatum patri earum esset emigrare in montem, acceperunt inde quidquid ad cibum,potũque pertinens auferre potuerunt.Non puduit quosdam Hebræos dicere, per miraculum fuisse vinum illud repente creatum à DEO:nam non modo nugatorium,sed etiam impium est dicere, DEVM fecisse miraculum quod deseruiret patrando duplici peccato, ebrietatis,& incestus. Verum quæritur, fuerit ne simplex vinum, an mixtura quapiam & conditura factum artificiose ad inebriandum,sicut Hebræi autumant.S.Augustinus putat,non qualitate,sed copia vini inebriatum esse Loth.Etenim Scriptura simpliciter loquitur de vino,nihil de mixtura & conditura eius significans. Nimirum cogitatio & deliberatio inebriandi patrem, subiit animum maioris filiæ,post ascensum montis: non igitur ex vrbe Segor tulerat vinum ad id præparatum:nec in monte talis mixtura & conditura fieri poterat. Verba B. Augustini super ea re,si ea Lector legere auet, huiusmodi sunt: An aliqua Sodomitarum arte pessima, etiam paucis poculis patrem sic inebriare potuerunt, vt illud peccatum cum ignorante,vel potius de ignorante committerent? Sed mirum si hoc Scriptura diuina tacuisset, vel seruum suum DEVS sine aliquo voluntatis suæ vitio:perpeti siuisset.Sic Augustiuus.

Vinum quo inebriatus est Loth,vnde fuerit & quale.

S. August.

64 SED ex iis quæ dicta sunt, quæstio existit, ebrietas Loth culpanda sit,& crimini danda,nec ne.S. Chrysostomus homilia 44. in Genesim omnino vindicat eam à crimine,scribens Loth ebrium esse factum non ex nimio vini amore, sed quia paulo largius bibit, non quidem ex incontinentia, sed vt leniret ac mitigaret tristitiam atque animi ægritudinem,tam suam quàm filiarum,ob bonorum amissionem,& cognatorum,amicorumque atque vxoris interitum, & ob præsentem solitudinem,& penuriam rerum omnium.Theodoretus partim incusat,partim excusat ebrietatem Loth, ad hunc modum scribens: Ebrietas Loth nonnullam habet reprehensionem,venia tamẽ temperatam. Siquidem perquam ægreferens,& anxius se omnibus simul bonis,sua etiam vxore spoliatum esse,vino animi ægritudinem solabatur:nec cum filiæ vinum illi largius funderent, quid filiæ struerent ac molirentur intelligebat, sed ad leniendam mitigandãque tristitiam, id fieri ab illis suspicabatur. Sic Theodoretus. At enimuero Beatus Augustinus ebrietatem Loth sine vlla excusatione reprehẽdit:immo vero eam ipsam excusationem ebrietatis eius, quam à Chrysostomo & Theodoreto afferri diximus commemorãs Augustinus,minime probabilem esse putat. Culpandus

An ebrietas Loth culpãda sit,an excusanda. S. Chrysostomus.

Theodoretus quæstione 69.in Genesim.

B.Augustin. lib.22. contra Faustum cap. 43.

est Loth,inquit Augustinus, non quantum ille incestus , sed quantum illa ebrietas merebatur.Nam & ebrietatem lex æterna condemnat,quæ cibum & potum secundum ordinem naturalem,non nisi gratia conseruandæ salutis admittit. Quid enim tandem cogebat , vt Loth filiabus suis crebra vina miscentibus, aut fortasse non mixta crebro porrigentibus consentiret aut crederet? An per hoc filias, nimirum tristitiam fingentes ita voluit consolari,vt illius destitutionis& materni luctus dolor de cogitatione mentis ebriæ fugaretur; etiam ipsas tantundem bibere existimans , & aliqua fraude agentes ne biberent ? Veruntamen etiam talem tristibus suis adhibere consolationem , quomodo virum iustum decuerit,non videmus.Hęc Augustinus. Idem sensit Origenes homilia quinta in Genesim. Et hos secutus est Caietanus.

Origenes. Caietanus. S. Thomas.

SANCTVS Thomas Secunda Secundæ quæstione 150.art.4. cum 65
supra dictam Augustini sententiam exposuisset, non obscure significauit,se proniorem esse ad excusationem ebrietatis Loth. Ait enim , in ebrietate duo esse attendenda ; & defectum qui consequitur ebrietatem,& actum præcedentem qui eam facit.Defectus consequens , cum sit in ebrio plane ligatus rationis vsus, est inuoluntarius ; & ideo per se peccatum esse non potest.Præcedens autem actus, si talis fuit , vt ex eo secuta sit ebrietas sine peccato ; tunc peccatum sequens totaliter excusatur à culpa,sicut forte (inquit S. Thomas) accidit de Loth.Si autem actus præcedens fuit culpabilis ; sic sequens peccatum non est sine culpa,quia redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus,quatenus scilicet dans quispiam operam rei illicitæ, incidit in sequens peccatum. Hactenus ex B.Thoma:qui significare videtur,largam illam vini potationem Loth , non fuisse culpabilem : ac proinde quæ inde secuta est ebrietas, culpa vacasse. Hæc sententia mihi quidem , vt magis lenis ac mitis quam opinio Augustini , ita non minus probabilis videtur. Nam etsi Loth paulo largius bibit ob leniendam mœstitiam,non tamen ita, vt putaret se temulentum fore. Nec postea sensit vel animaduertit se factum esse ebrium, sed præ nimia tristitia profundissimo se oppressum grauatumque somno existimauit: ideoque eandem potationem rursus iterare non est veritus.

Auctor sequés.S.Thomam, excusat ebrietatem Loth.

AT *ille non sensit,nec quando accubuit filia , nec quando surrexit.* Hoc vi- 66
sum esse Hebræis incredibile,refert S.Hieronymus hisce verbis:Quod dicitur:*Et nescivit cum dormisset cum ea,& cum surrexisset ab eo,*Hebręi appungunt desuper , quasi incredibile sit , & quod rerum natura non capiat,eoire quempiam nescientem.Sic Hieronymus.Sed miror equidem Hebræos,qui cum vel ipsos Scripturæ sacræ apices religiose obseruent & colant,tantamque diuinis Scripturis fidem & honorem habeant, vt se in his , quemadmodum eis dixit Dominus Ioan. 5. vitam æternam habere putarent;ausos esse in dubium vertere,quin etiam notare vt incredibile , quod hoc loco tam clare atque expresse tradit Moses : nisi eorum opinionem sic accipere conuenit , vt eam interpretatus est Lyranus.Ait enim putare Hebræos,Loth nescisse quando filia ad eum accessit,

Hieronym. in Traditio. hebraicis in Genesim.

Lyranus.

cessit , & quando recessit , vtroque scilicet in tempore profunde dormientem:at concubitum cum filia, non dormientem(id enim impossibile iudicant)sed vigilantem,sentientemque peregisse.Sed enim quamuis vigilans esset , & sentiret quod ageret : quia tamen , propter ebrietatem,pleno rationis & arbitrij vsu carebat ; non aduertebat cum qua muliere miscebatur : quin satis credibile fit , putasse eum esse vxorem suam, cum qua diu antea consueuerat:nam fuisse eam mortuam , tunc ei nec venit in mentem , nec in eo statu explicatam eius casus recordationem habere poterat.Nec Moses ait : Loth non sensisse quando concubuit cum filia;sed illud tantum ait, eum non sensisse quando filia accubuit siue accessit ad ipsum , & quando surrexit siue recessit ab ipso. Hanc opinionem Hebræorum sic expositam secuti sunt Lyranus,Thostatus & Oleaster, nam B. Hieronymus & Rupertus commemorantes eam,non aperte probant,nec tamen improbant.

67 VERVM quia firmamentum huius opinionis,illud est,non potuisse Loth dormientem, nec sentientem quod ageret,peragere concubitum cum filia,& eam grauidam facere, videamus quemadmodum hoc declaret & confirmet Thostatus.Ponam eius verba,quę sunt huiusmodi:Duobus modis potest vir cognoscere mulierem:vel cum apertione claustrorum eius,in quo proprie consistit carnalis commixtio : aut sine huiusmodi apertione. Et fieri quidem potest , vt sine apertione claustrorum mulier cognoscatur à viro,& ex eo concipiat & pariat si semen virile fusum ab eo per nocturnam pollutionem , modo aliquo delabatur in os matricis muliebris,vel forte eo infundatur opera Dęmonis incubi. Et hac ratione docet S. Thomas in Quodlibetis , puellam quandam in eodem lecto cubantem cum patre suo ; fuisse ab eo dormiente & nesciẽte cognitam & grauidatam. At vero si vir cognoscit mulierem penetrando locum eius genitalem, nõ potest id facere dormiens:siquidem requiritur intentio dirigens ad hoc executiua organa : maxime vero si fœmina sit virgo , cuius nempe claustra non modo aperienda sunt, verum etiam vi quadam & cum labore perrumpenda : quo fit vt quidam viri inualidi sint ad peragendum concubitum cum fœmina virgine.Quoniam autem filiæ Loth virgines erant, sicut ipse dixit Sodomitis:*Habeo duas filias virgines,quæ nondum virum cognouerunt* ; idcirco non videtur fieri potuisse vt Loth dormiens , nec quicquam sentiens, ita cum illis peregerit concubitum,vt grauidam fecerit vtramque. Hactenus ex Thostato. Exemplum autem illud quod ex Quodlibetis S. Thomæ cõmemorauit Thostatus,reperiet Lector in Quodlibeto 6.art. 18.vbi hæc sunt verba:Posset forte absque miraculo mulier,salua omnimoda virginitate concipere : sicut dicitur accidisse cuidam puellæ iam pubescenti, quam propter pudoris custodiã,in lecto suo pater habebat: qui cum in somno pollueretur,semen eius ad matricem filiæ descendit, & inde puella concepit.Sic B.Thomas.

Thostatus in caput 19. Genesis.

S. Thomas.

Caietanus significat,omnia quæ ab illis puellis cum patre suo Loth acta sunt,fuisse ab initio vsque ad finem,eo nesciente,nihilque sentiẽte peracta.

peracta. Altissimus enim somnus,qui ex ebrietate eum inuasit,omnem prorsus ei sensum eorũ quę vel cum ipso,vel ab ipso agebantur ademit. Verba Caietani ex Commentario eius super illud : *At ille non sensit nec quando accubuit filia nec quando surrexit*, hæc sunt : Honestis vocabulis totum factum Moses describit ab extremis actionibus,quæ sunt iacere in lecto paterno,& inde surgere.Est enim sensus,Loth nesciuisse omnino vniuersam rem gestã, à primo actu qui fuit accessus filiæ ad lectum eius, vsque ad vltimum actum qui fuit recessus eius à lecto ipsius. Nec est à ratione alienum, vt vir ebrius,opus venereum cum virgine perficiat,non cognoscendo quod facit : Vniuersum quippe opus hoc perfici posse,impedito rationis vsu,manifestum est. Sic Caietanus.

Caietanus.

Auctoris sententia, Dormiẽte Loth, incestum illum esse factum.

MVLTA porro mihi quidem admodum probabile faciunt,concubitum illum Loth cum filiabus, actum esse dormiente ipso, ac nihil sentiente.Principio, adest huic sententiæ Mosis narratio : habet enim, Loth neque accessum filiæ,nec recessum sensisse;significans,nominatis extremis, totum prorsus negotium ignoratum ei fuisse. Alioquin, ineptum & insulsum fuisset dicere, ad quãdam ipsius Loth excusationem, non sensisse eum filiæ accessum nec recessum,si tamen cõcubitum cum ea(in quo proprie crimen erat incestus) sensisset. Adiuuat opinionem hanc experientia,qua compertum est,multos etiam dormientes, solutam habere vim progressiuam,vsumque membrorum corporis;surgere eos de lecto,nec breui spatio deambulare,transferre aliqua ex vno loco in alium,facere demum quædam eorum similia,quæ vigilantes factitabant. Ad eundem igitur modum credibile fit,concubitum cum filia, à dormiente Loth per actum esse : præsertim puella corpus patris ad id applicante & accommodante.Nec fide caret,ad id quoque cooperatum esse Diabolum,formantem in phantasia dormientis Loth,imaginationem eiusmodi concubitus,& incitantem ad id reapse faciendum,quod dormiens per somnum facere sibi videbatur. Adstipulator huius opinionis videtur esse B. Irenæus. Nam libro quarto aduersus Hæreses cap. 51. ait Loth concubuisse cum filia, cum eius rei nullam habuisset nec concupiscentiam,nec voluntatem, nec sensum, nec cogitationem vllam. Suffragatur item Chrysostomus huic sententiæ : tractans enim verba illa:*Nesciuit quando accubuerit,vel surrexerit*:Ita scribit : vide quẽadmodum diuina Scriptura pro iusto illo satisfactionem dederit semel atque iterum : Nam prius dixit filias deliberasse inebriare eum vino, quod aliter ad facinus illud duci posse diffiderent. Nunc autem opinor superna dispensatione esse factum,vt sic ille vino grauaretur,vt omnino ignoraret : ne scilicet fieret criminis reus;ea namque peccata nos condemnant, quæ scientes & volentes facimus. Scriptura autem manifestum illi iusto testimonium perhibet, nescisse eum omnino, quod ab ipso vel cum ipso factum est. Hæc Chrysostomus. Mihi videtur hæc sententia multum congruere & consentire cum narratione Mosis. Quamobrem, & quia nihil habet non humana ratione credibile, aut naturaliter possibile, idcirco videtur superiori præferenda. Quanquam ego &

68

S. Irenæus.

ego & illam non plane improbabilem censeo, nec non satis commode defendi posse arbitror.

69 ILLVD quoque controuersum est inter Auctores, An filiæ Loth incestus admissi cum patre suo accusandæ & damnandæ sint; an ab eo crimine excusari & vindicari debeant? Duæ sunt opiniones, quarum vna est B.Irenæi, Chrysostomi & Theodoreti, vindicantium ab omni crimine illum concubitum. Hæc sunt B.Irenæi verba : Filiæ Loth, secundum simplicitatem & innocentiam, putantes vniuersos homines periisse, quemadmodũ Sodomitas; & vniuersæ terræ iracundiam DEI superueniisse; dicebant, *Potemus patrem nostrum vino, & dormiamus cum eo, & suscitemus de patre nostro semen.* Quapropter & ipsæ excusabiles sunt, arbitrantes se solas relictas cum patre suo ad conseruationem generis humani, & propter hoc circumueniebant patrem. Sic Irenæus. Idem tradit Chrysostomus;nec solum tradit,verum etiam argumentatur auctoritate diuinæ Scripturæ, nihil eas peccasse in eo concubitu: cum ipsamet Scriptura satisfactionem pro illis dare, & quasi apologiam scribere videatur. Considera, inquit, quemadmodum Scriptura omnia manifeste narrauerit,& nobis scopum ac finem ostenderit filiarum Loth, vt nemo eius filias condemnet, quasi congressus ille propter incontinentiam factus sit. Quomodo igitur pro filiabus respondet Scriptura? *Dixit*, inquit, *maior ad minorem, Pater noster est senex,& nullus est super terram, qui ingrediatur ad nos iuxta morem vniuersæ terræ.* Considera diligenter scopum earum, & omni eas crimine liberabis.Putauerunt illæ generalem totius orbis factum interitum, nullumque hominum amplius superstitem : deinde & patris viderunt senectutem. Vt igitur non aboleretur genus earum nomenque periret,ad illud facinus patrandum aggressæ sunt. Hæc enim erat priscorum hominum maxima cura, quemadmodum genus suum,filiarum generatione,& continua posterorum successione propagarent & perpetuarent.Nullus igitur audeat iustum Loth, aut filias eius condemnare. Quomodo enim non fuerit extremæ dementiæ, quos diuina Scriptura ab omni liberat crimine, immo pro quibus tantam apologiam componit,vt nos innumeris referti peccatis eos comdemnemus, & non audiamus Paulum dicentem : DEVS *qui iustificat,quis est qui condemnet ?* Hactenus verba sunt B. Chrysostomi. Eadem est Theodoreti sententia, iisdem argumentis instructa, atque iisdem propemodum expressa verbis. Tria igitur sunt principalia, quibus hæc firmatur opinio, argumenta : vnum est, auctoritas Scripturæ, quæ videtur eas excusare : alterum est, rectitudo intentionis earum,appetentium patris concubitum, non propter incontinentiam, sed desiderio seruandi propagandique generis sui & naturæ humanæ, quam in se tantum & patre, extinctis aliis omnibus, remansisse existimabant. Tertium argumentum est, facinus illud esse peractum diuina dispensatione,ad præfigurandum & præsignificãdum magnum quoddam mysterium. Hoc mysterium exponens Irenæus,ait Loth significasse Filium DEI;filias Loth significasse duas Synagogas.

An filiæ Loth peccauerũt crimine incestus. Prima opinio Irenæi lib.4.cap.51.

Chryso. homil. 44. in Genes.

Rom.8.

Theodoret. quæst. 69.in Genes.

B. Irenæus supra indicato loco.

Adeat eum Lector,si hæc ipsa,atque alia in eam sententiam ab eo scripta plenius nosse cupit. Consulat etiam Augustinum libro.22.contra Faustum cap.42.vbi breuiter euoluit mysteriũ,quod in illo facto Loth, velatum atque inuolutum continebatur.

Altera opinio,peccasse filias Loth. August.

A T verò B. Augustinus contra sentit, eiusque sententia posteriori- 70
bus doctoribus & Theologis magis probata est. Augustinus censet, peccasse tam Loth propter ebrietatem,quam filias eius propter admissum cum patre incestum.Copiose disputat super ea re in libro 22.contra Faustum à capite 42.vsque ad 46.Atque in ea Disputatione facinus illud filiarum Loth appellat peccatum,& flagitium,& rem diuina lege prohibitam : idque in Scriptura tradi ait, non ad imitandum,probandumque;sed ad cauendum & fugiendum. Nec vult excusari eas, quod putantes interiisse omnes viros præter patrem suum , voluerint per eius concubitum seruare genus humanum:potius enim, nunquam esse matres velle, quam sic vti patre debuisse. Nam quod diffidentes,patrem intelligentem , scientemque voluntati earum non assensurum, inebriare eum voluerunt ; id sane peccatum earum euidenter arguit. Nisi enim existimassent,talem concubitum turpem esse,non putassent vtique patrem suum,ad reparandum genus humanum tantopere eum concubitum fuisse auersaturum. Nec porro excusat eas recta intentio, quod non ex incontinentia id fecerint, sed desiderio prolis : non enim vt actio quæpiam bona sit, satis est , auctorem eius bonum habuisse finem ; sed præterea necesse est & obiectum esse bonum, & modum, & circumstantias : alioquin non peccaret is,qui pecunias diuiti furatur,vt eas largiatur egentibus.In illo autem facto, & turpissimus fuit concubitus , per quem assequi eum finem voluerunt : & modus adducendi patrem ad eum concubitum,per ebrietatem scilicet,priuando eum vsu rationis,fœdissimus etiam fuit.Non nego,minus eas peccasse, quam si ex intemperantia venereæ voluptatis , ad appetendum etiam cum patre concubitum prolapsæ essent:nõ parum enim recta earum intentio fœditatem atque atrocitatem criminis eleuat ac diluit : censeo tamen & mortale,& graue fuisse earum peccatum.

August. vbi supra.

D I C E R E autem,Scripturam excusare & purgare eas à peccato, vt 71
inquit Chrysostomus , nullo modo placet Augustino.Nulla enim extat in narratione Mosis approbatio eius facti,sed nuda tantum & simplex commemoratio. Nam licet significetur , id eas fecisse non ex incontinentia,sed per ignorantiam , & desiderio prolis;id tamen non satis fuit ad plenam eius facti excusationem & purgationem:Nec vero propterea honestum & licitum fuisse illud factum putare conuenit, quod ea re magnum quodpiam mysterium præfiguratum fuerit:quippe cum D E V S vt peccata hominum conuertit in bonum ; sic ea sæpe rerum futurarum figuras & signa facit. Non ideo, inquit Augustinus, factũ Loth aut filiarũ eius iustificamus, quia significauit aliquid, quod futuram quorundam peruersitatem prænunciaret. Aliud enim illæ vt hoc facerent intenderunt,aliud D E V S:qui hoc fieri permisit,vt etiam inde

inde aliquid demonstraret,manente recto iudicio super peccatum hominum tunc præsentium,& vigilante prouidentia sua pro significatione futurorum. Proinde illud factum cum in Scriptura narratur , prophetia est:cum vero in eorum vita,qui hoc commiserunt consideratur, flagitium est.Sic Augustinus.Peccauit,igitur Loth,peccarunt etiam filiæ eius ; sed harum, quam illius,grauius fuit peccatum. Loth enim, si quid peccauit,ebrietate tantum peccauit , atque ea leuissime peccauit: cum etiam sine peccato ei contingere illam ebrietatem potuisse , supra disputatum sit. At filiarum Loth duplex fuit , & vtrumque satis graue crimen.Nam & scienter ac dedita opera patrem inebriarunt,& rationis vsu priuarunt:atque insuper incestum cum patre suo concubitum peragere non horruerunt.

72 R E S T A T ad concludendam terminandamque huius capitis explanationem,breuiter tractãda illa quæstio, cur D E V S passus sit,Loth, virum cæteroqui probum & iustum, in tam horrendum execrandumque incestum prolabi. Strabus duas eiusmodi permissus diuini reddit causas : vnam quidem , duplicem incredulitatem eius : quippe qui nec Angelo monenti vt iret ad montem credidit, illic se tutum & securum fore : nec eidem Angelo tutam in vrbe Segor pollicenti habitationem, fidem habens,in eius promissione acquieuit.Alteram causam fuisse ait, ebrietatem eius , quæ turpissimo incestui locum fecit. His causis tres aliæ possent adiici. Harum vna est , vt exemplo Loth erudirentur posteri omnes , quàm suspecta & formidabilis res esse debeat ; quamque periculosa & lubrica ad exitium iudicanda sit , virorum solitaria cum fœminis habitatio & consuetudo;etiam cum iis fœminis,quarum concubitum, propter arctissimam cognationem, proximamque necessitudinem , naturaliter omnes perhorrescunt. Habes in Loth exemplum patris & filiæ : habes item exemplum fratris & sororis in Amnon & Thamar. Deinde in hoc facto Loth , contemplari & admirari est, supereminentem omnibus bonis iuxta malisque bonitatem D E I : quippe qui maxima peccata & mala sæpè in causas ingentium bonorum conuertat.Ecce tibi,quàm turpis fuit origo gentis Moabiticæ ; ex fœdissimo nempe concubitu filiæ cum patre suo.At ex ea gente fuit Ruth quæ ad populum D E I aggregata nupsit Booz; vnde genus & progenies fuit Dauidis, omniumque regum Iuda ; & quod super omnia est, Saluatoris & Domini nostri Iesu Christi. Quamobrem specialiter ea mulier commemorata est à Matthæo in Genealogia Saluatoris nostri: & ad eam multi referunt illud Esaiæ vaticinium:*Emitte Agnum Domine dominatorem terræ,de Petra deserti ad montem filiæ Sion.*

Cur passus sit D E V S Loth prolabi in illud facinus. Strabus.

2. Regum cap. 13.

Ruth.1.

Matthæi cap. 1.

Isaiæ 16.

73 T E R T I A demum causa fuit , vt casus ille Loth doceret omnes, quantopere timenda,cauenda,auersandaque sit ebrietas,quæ nescientes etiam ac nihil sentientes , in fœdissima & funestissima malæ præcipitat. Audite (super hoc casu Loth loquens Origenes ait)& cauete,ô vos,quibus ebrietas nõ in crimine,sed in vsu est. Decepit Loth ebrietas,quẽ Sodoma nõ deceperat.Vritur ebrius flammis mulierum,quem

Quantũ mali sit in Ebrietate. Origenes homil.5.in Genesim.

sobrium sulphurea flamma non attigerat. Verum grauissimis verbis
Ambrosius libr. 1. de Abrahã, ca. 6. super ea re disserens Ambrosius: Discamus hinc, ait, vitandam ebrietatem, per quam crimina cauere non possumus. Nam quæ sobrij cauemus, per ebrietatem ignorantes committimus. Parum est quod ea inflammat libidinem,& accendit cupiditates corporis: ipsam quoque mentem subruit,& animum capit, & sensum extorquet. Nesciunt quid loquantur qui nimio vino indulgent, & iacent sepulti; ideoque si qua per vinum deliquerint, apud sapientes iudices, venia quidem facta donantur, sed leuitatis notantur auctores. Quanta ipsa deformitas, vt soluantur vires, incessus vacillet? Multi se fortes putant, num fortiores quàm Loth? num continentiores quàm Noe? Non vtique vitia Pa-
Genes. 9. triarcharum Scriptura exposuit, quos victos vino legimus; sed vt tu disceres quid caueres. Ille nudus iacuit, iste filiarum errori patuit: & Noe iustus deceptus est, quia vini vis adhuc ignorabatur: sed in illo instructus es, ne tu ignorares. Loth filiabus se credidit, & per senectutem madidam vino solutus, commisit incestum ignarus. Tu sic bibe ne capiaris. Instruant nos Patriarchæ non solum docentes, sed etiam errantes. Ideo iteratum est exemplum ebrietatis, vt confirmaretur magisterium cautionis.
Sic Ambrosius.

***

BENE-

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA SVPER CAPVT Vigesimum Genesis.

Abimelech castigatus à DEO propter ablatam Saram Abrahæ,& in somno monitus & territus, reddidit eam intactam, & muneribus ornatam.

PROFECTVS *inde Abraham in terram australem, habitauit inter Cades & Sur: & peregrinatus est in Geraris. Dixitque de Sara vxore sua, Soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Geraræ, & tulit eam. Venit autem* DEVS *ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem quam tulisti: habet enim virum. Abimelech verò non tetigerat eam, & ait: Domine, num gentem ignorantem & iustam interficies? Nonne ipse dixit mihi, Soror mea est; & ipsa ait: Frater meus est? In simplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc. Dixitque ad eum* DEVS: *Et ego scio quod simplici corde feceris: & ideo custodiui te ne pec-* VERSV 1. 2 3 4 5 6

7 *cares in me,& nō dimisi vt tangeres eam. Nunc ergo redde viro suo vxorem,& orabit pro te:quia Propheta est,& viues:si autem nolueris reddere, scito quod morte morieris,*
8 *tu & omnia quæ tua sunt. Statimque de nocte consurgens Abimelech, vocauit omnes socios suos:& locutus est vniuersa verba hæc in auribus eorum,timueruntq; omnes viri valde. Vocauit autem Abimelech etiam Abrahã, & dixit ei: Quid feciſti nobis? quid peccauimus in te,quia induxiſti ſuper me, & ſuper regnum meum peccatum grande? quæ non debuiſti facere, feciſti nobis. Rurſumque expoſtulans ait: Quid vidiſti,vt hoc faceres?Reſpondit Abra-*
11 *ham,cogitaui mecum dicens, Forſitan non eſt timor* DEI *in loco iſto, & interficient me propter vxorem meam:alias autem, & vere ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia*
12 *matris meæ,& duxi eam in vxorem. Poſtquam autẽ edu-*
13 *xit me* DEVS *de domo patris mei, dixi ad eam: Hanc miſericordiam facies mecum:in omni loco ad quem ingredie-*
14 *mur, dices quod frater tuus ſim. Tulit igitur Abimelech oues & boues,& ſeruos & ancillas & dedit Abrahã: redditq; illi Saram vxorem ſuam,& ait:Terra coram vo-*
15 16 *bis eſt,vbicumque tibi placuerit habita. Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecũ ſunt: & quocumque per-*
17 *rexeris,memento te deprehenſam. Orante autem Abraham, ſanauit* DEVS *Abimelech & vxorem,ancillasque*
18 *eius:& pepererunt. Concluſerat enim Dominus omnem vuluã domus Abimelech propter Saram vxorem Abrahæ.*

Profe-

Profectus inde Abraham in terram auſtralem,habitauit inter Cades & Sur; & peregrinatus est in Geraris. VERSV 1.

1 POST diutinam manſionem in conualle Mambre iuxta Hebron, profectus inde eſt Abraham, haud multo poſt incendium Sodomorum. Certe intra eundem annum, & nunciata eſt Abrahæ futura generatio Iſaac, & Sodomitica clades euenit,& Abraham profectus eſt Gerara, & natus ei eſt Iſaac:idque manifeſtum fit conſideranti Moſaicæ narrationis contextum à capite 18. vſque ad 21.Sed cur diſceſsit ex conualle Mambre,quem locum tot annos coluerat? Hebræi tradunt,cauſam inde abeundi fuiſſe flagrantiſſimum eius viri ſtudium exercendæ hoſpitalitatis:quam virtutem,poſt cladem Sodomiticam:colendi facultatem eo in loco non habuit,nullis illac peregrinis aut viatoribus iter facientibus, propter vaſtitatem atque inſalubritatem vicinæ regionis. Sunt qui putent,Abraham emigraſſe ex eo loco,non ferentem vicinę regionis Sodomiticæ peſtilentem halitum, cõtinua ex Mari Mortuo euaporatione longe lateque,graui odore,noxiaque virtute diffuſum. Sed cur vereamur dicere,cauſam fuiſſe illinc excedendi,famẽ inibi ortam; cum aliquot poſt annos filius eius Iſaac eadem famis cauſa coactus fuerit, relicto diu à ſe habitato loco,in eandem vrbem regionemque Geraræ proficiſci?Sic enim infra Geneſis 26. ſcriptum eſt: *Orta fame ſuper terram, poſt eam ſterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Iſaac ad Abimelech regem Palæſtinorum in Gerara.* Sterilitas quæ hic dicitur accidiſſe tẽpore Abrahæ, aut ea fuit de qua ſcriptum eſt ſupra Geneſ.12. propter quam petiit Abraham Ægyptum: aut ea intelligenda eſt, propter quam dicitur hoc loco Abraham ex conualle Mambre conceſſiſſe in Gerara: quod videtur ſupradictis verbis magis conſentaneum; cum tam pater quàm filius ad eandem regionem vrbemque profecti ſint.

2 *In terram auſtralem*: Gerara enim auſtralior eſt quàm Hebron,cum ſit in extrema parte auſtrali Terræ Sanctæ, & propinqua Ægypto. Immo vero ſupra Geneſ.10.ſtatuitur Gerara terminus auſtralis terrę Chanaan. Sic enim illic ſcriptum eſt: *Factique ſunt termini Chanaan venientibus à Sidone Geraram, vſque ad Gazam, donec ingrediaris Sodomam & Gomorrham.* Sidon enim ſignat terminum aquilonarem Terræ Sanctæ, Gerara verò auſtralem: Gaza verò deſignat terminum Occidentalem, quemadmodum Sodoma & Gomorrha terminum Orientalem. *Habitauit inter Cades & Sur.* Significant hæc duo nomina duas ſolitudines, ſicut exponit B. Hieronymus in libro De locis Hebraicis; quarum vna Ægypto iungitur, ad quam populus Hebræus, transfre- Hieronymus.

rato

tato Rubro Mari, primo peruenit: Altera verò quæ Cades vocatur, vsque ad Saracænorum eremum extenditur. Thostatus contra Lyranum disputat, & probat idem esse desertũ Sur & desertum Ethan, eundemque locum duobus illis vocabulis fuisse appellatum. Argumentatur hoc ille ex capite 15. Exodi, & 33. Numerorum: siquidem quæ de deserto Sur traduntur Exodi 15. verbi gratia quod Moses Hebræos Mari Rubro egressos duxerit per desertum Sur, & quod per eam solitudinem ambulauerunt tribus diebus non inuenientes aquam, & quod venerunt in Marà, vbi cum essent amaræ aquæ, tactu ligni versæ sunt in dulces: eadem hæc prorsus omnia prodita sunt de deserto Ethan in libro Numerorum cap. 33. vt nullus plane ambigendi locus sit, eandem solitudinem istiusmodi duobus vocabulis fuisse nominatam.

Sur & Ethan idem desertum.

Gerara. *Et peregrinatus est in Geraris.* Dicitur Gerara Geraræ vt supra Genesis 10. & Gerara Gerarorum, vt hic & infra Genes. 26. Erat autem id temporis Gerara vrbs regia, & metropolis terræ Philistinorum, terminusque terræ Chanaan ad plagam australem. Hic diu habitauit Abraham: hic natus creditur Isaac, atque ibidem viginti quinque annis vna cum patre suo habitasse: atque ex eo ipse loco ductus esse à patre itinere trium dierum vsque ad montem Moriam immolandus DEO. Ab ea vrbe regio Geraritis seu Geraritica, cuius frequens est apud B. Hieronymum mentio, nominata est.

VERSV 2. *Dixitque de Sara vxore sua, soror mea est.*

3 QVIA huiusmodi dissimulatio coniugij inter se & Saram bene successerat ei apud Ægyptios, vt supra dictum est Genes. 12: idcirco etiam apud Palæstinos, in simili periculo, eadem vti voluit dissimulatione. Nec sane ea re obiecit in apertum discrimen pudicitiam Saræ. Nimirum virtus Saræ diu multumque spectata ei & probata erat: & se ac Saram vxorem in singulari cura, tutela, & protectione DEI esse, nec semel, nec obscure fuerat expertus. Sciat porrò Lector consilium hoc dissimulandi coniugium, non fuisse tunc repẽtinum Abrahæ, nec nouum, sed fuisse antiquissimum, & ab eo sæpe vsurpatum. Nam ex quo tempore Abraham discessit ex patria sua, cum apud extraneas atque ignotas gentes peregrinaturus esset, conuentum ipsi cum Sara est, vt dissimulato coniugio, sororem se eius diceret. Hoc suum antiquum consilium aperuit Abraham regi Abimeleh, vt hoc ipso capite paulo infra legitur. *Postquam*, inquit Abrahã *eduxit me* DEVS *è domo patris mei, dixi ad eam: Hanc misericordiam facias mecũ, in omni loco ad quem ingrediemur, dices quod frater tuus sim*: Ergo non solum apud Ægyptios & Palæstinos tali dissimulationis artificio vsus est, verum etiã apud alias gẽtes, quascumque peregrinando peragrabat. Scriptura tamen huius facti Abrahę non

non meminit, nisi in Ægypto & Palæstina; scilicet, propter memorabilem casum, qui vtroque in loco, & vtrique regi tã Ægyptiorum, quàm Palæstinorum contigit.

PRIMA DISPVTATIO.

Quomodo Sara iam nonagenaria, tantæ fuerit pulchritudinis, vt etiã à regibus expeteretur propter formam.

4 SED mirandum Lectori fortasse accidet, Saram in tam graui iam & tam inueterata ætate (erat enim, id temporis, nonagenaria) tanto fuisse decore ac pulchitudine prædita, vt vel ipsos reges ad sui amorem inflammare posset; & idcirco merito timuerit Abraham, ne propter eam ipse in discrimen vitæ raperetur. Tria enim sunt quæ pulchritudinem mulieris commendant: mollitudo & teneritudo carnis; læuitas corporis, omnes penitus excludens rugas, præsertim in facie & manibus; & insuper viuacitas quædam & suauitas coloris. Atqui hæc ipsa, quasi elegantem quandam scripturam, inducit & obliterat senectus. Enimuero recte Poëta quidam cecinit:

„ *Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,* Ouidius.
„ *Fit minor, & spatio carpitur illa suo.*

Hoc argumento permotus Hugo Sancti Victoris, significat in suis Annotationibus in Genesim super hunc ipsum locum, Mosem narrasse hanc historiam non in loco suo; nec seruato temporum ordine, sed prepostere ac per recapitulationem: quod enim hoc capite scriptum est, ante multos annos gestum fuerat, nimirum cum Sara esset septuagenaria, vel minor etiam natu. Verum ego propterea non assentior Hugoni, quod Abraham, ex quo tempore separatus à Loth, habitare cœpit in conualle Mambre iuxta Hebron, vt scriptum est Genesis 13; mansit inibi, nec inde migrauit aliò, ante cladem Sodomiticam, vt ex serie narrationis Mosaicæ à capite 13. vsque ad 20. præsertim autem ex principio capitis 18. facile perspicitur. Ante cladem verò Sodomiticam, & priusquam ex conualle Mambre demigraret Abraham, Saram fuisse nonagenariam, manifesto proditum est in capite 17. Genesis. Puto igitur fuisse hanc historiam suo loco, & secundum ordinem temporum ac rei gestæ, descriptam à Mose. Hebræi pulchritudinem Saræ in tam senili ætate, negant fuisse naturalem; sed assignant eam miraculo; DEVM enim mirabiliter conseruasse pulchritudinem eius mulieris in omni ætate quoad vixit, in testimonium eximiæ sobrietatis, & castitatis, ac sanctitatis: & fortasse ad multiplicem virtutis Abrahæ ac Saræ probationem, propter pericula vitæ ac pudicitiæ, quæ variis in locis, & apud varias gentes, ob præstantem Saræ pulchritudinem, Saræ contigerunt.

Hugo S. Victoris.

Opinio Hebræorum.

SED non est necesse ad miracula confugere, cum eius quod quæritur, aliunde suppetat satis idonea & probabilis ratio. Ea verò triplex nunc mihi sese offert. Principio, ætas nonagenaria Saræ, non debet videri admodum senilis, æstimanti omne spatium vitæ eius, quod infra Genesis 23. definitum est centum viginti septem annis. Itaque post hunc casum qui Saræ nonagenariæ accidit, superuixit ipsa triginta septem annos. Erat igitur tunc ætas muliebris centum & triginta annorum, sicut nunc est octoginta annorum: & tunc nonagenaria ætas muliebris, erat sicut nunc quadragenaria aut paulo amplius. Non est autem insolitum, hoc tempore reperiri mulierem quadragenariam valde decoram, & pulchram. Deinde, id accidit Saræ ob summam eius castitatem & continentiam: quippe quæ statim vt sensit se sterilem, & inualidam ad generandum, abstinuit à copula carnali, vt supra ostendimus super illis verbis quæ sunt in capite 18. *Postquam consenui, & dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* intemperantia autem veneris cito mulierem inueterat, & vehementer deformat, ac turpat. Ad hæc accidit tertia ratio: erat Saræ naturalis & solida pulchritudo, eratque ipsa optimo corporis temperamento; numquam ipsa lactauerat filios, numquam pepererat: frequens porro lactatio, crebræque partiones, mirum dictu, quantum muliebrem venustatem, & corporis eius gratiam deflorent. 5

VERSV 3. *Venit autem* DEVS *ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem quam tulisti; habet enim virum.*

Iosephus. HANC omnem de Abimelech historiam, scite & concinne Iosephus enarrat primo libro Antiquitatum, ad hunc modũ scribens: Migrauit Abraham in Gerara Palæstinæ, Saram tanquam sororem suam secum ducens, eadé arte qua quondam, nimirum insidiarum metu: timebat enim Abimelech eius loci regem, qui & ipse amore Saræ captus, ea potiri cupiebat. Eam cupidinem morbus grauis, diuinitus immissus, præpediuit. Itaque medicorum ope destitutus cum esset, in somnio monetur abstinere se ab iniuria coniugis hospitis. Mox cum meliuscule habere cœpisset, indicauit amicis, se morbo illo punitum esse propter mulierem ablatam hospiti, cuius vera & legitima erat vxor. Accersitum igitur Abrahamum, securum esse iubet de pudicitia vxoris; nam DEO eius curam gerente, illibatam se illi atque intactam reddere: idque ita esse, DEVM testabatur, & mulieris conscientiam: nec eam se fuisse expetiturum, si nuptam esse sciuisset: Adhæc, rogabat eum vt æquo animo id ferret, DEVMque propitiaret ipsi. Et siue apud se manere vellet, nihil ei defore; siue abire mallet, deductores ei pollicitus est, atque omnia quorũ causa ad ipsum venerat. Respondit Abraham, non omnino fictum atque inanem fuisse consan- 6

guinitatis obtentum; fratris enim sui esse filiam. Sine hac verò simulatione, intutam sibi apud alienas & ignotas gentes fore peregrinationem credidisse: salutem item Regis futuram sibi curæ, & se in eius regione ac ditione libenter mansurum. Tum Rex tam agri, quàm pecuniarum partem ei cessit, & conditiones pacis, bona fide, vtrinque constitutæ sunt icto fœdere super quodam puteo, qui Bersabee vocatus est; id autem nomen significat, puteum iuramenti; quo vocabulo hodieque appellatur. Nec ita multo post Abraham filium ex Sara suscepit iuxta DEI promissa. Hactenus verba fuere Iosephi. Verum in extremis hisce verbis, manifesto memoriæ vel incuriæ lapsu, errauit Iosephus in historia. Is namque fœdus percussum inter Abimelech & Abrahã in Bersabee, ait fuisse tunc factum, & ante ortum Isaac: cum ex capite 21. Geneseos, clarum sit, id factum esse post ortum Isaac, & fortasse non paucis annis, si id contigit post eiectionem Agar & Ismaëlis è domo Abrahæ, vt narratio Mosis ostendit.

Iosephi lapsus.

7 SED quæritur, cur DEVS in simili causa ablatæ per ignorantiam vxoris Abrahæ à Pharaone & Abimelech, dissimiliter tamen vtrumque regem tractauerit. Etenim Pharaonem, non verbo appellatum, non visione aliqua præmonitum, grauissime flagellauit: Abimelech autem in somnis apparuit, eumque de abductione Saræ, verbis corripuit; satisfactionem eius accepit; simplicitati & ignorantiæ eius testimonium perhibuit; denique qualis & quantus vir esset Abraham, indicauit. Hanc quæstionem exponit & soluit Ambrosius hisce verbis: Fortasse te moueat, qua ratione Pharao quæstionibus à DEO grauiter afflictus sit, cum & ipse ignorauerit vxorem esse Abrahę Saram, quam sororem audierat: Abimelech autem nullam pœnam exceperit. Verum Ægypti regem noueris, ducem fuisse vitiorum, quique quo plus habuerit licentiæ, eo plus flagitij commiserit. Abimelech autem fidelis æstimatus est DEO, à quo meruit audire, *Et ego scio quia puro corde fecisti hoc.* Nec dubium est, cæteris eius operibus indignationem Domini esse reuocatam; quippe qui interioris arbiter est conscientiæ, & animi ac mentis interpres. Denique Abimelech non distulit obsequium, sed statim diuinis monitis obtemperans, reddidit vxorem Abrahæ: & pretio se ipse mulctauit, quod vidisset alienam, dotemque pudoris exoluit. Hinc quoque colligi potest, Abimelech clementiora meruisse, quod Abraham pro eo rogauit & impetrauit. Sic Ambrosius. Ex cuius verbis, immo vero ex ipsa narratione Mosis apparet, Abimelech probum fuisse virum, DEI veri cultorem, iustitiæ amantem, & obseruantem, ab iniuria facienda etiam peregrinis & ignotis hominibus abhorrentem; & adulterium, tanquam graue quoddam malum, nec Regi tantum, sed Regno calamitosum, detestantem. Hæc autem in regibus rara sunt; & vel in rege Christiano, non parua commendatione laudeque digna essent. Quid ergo mirum, dissimiliter hunc tractatum esse à DEO, atque Pharaonem? Quamquam etiam Abimelech fuisse aliquo modo castigatum à Deo, licet nõ ob aliquod eius peccatum, patet ex iis quæ sub finem huius capitis dicentur.

Cur DEVS in simili causa, dissimiliter tractauerit Pharaonem, & Abimelech.

Ambros. lib. 1. De Abraham cap. 7.

Rupertus li. 6. commentariorum in Geneſim ca. 15.

Rupertus quod Sara bis ablata fuerit Abrahæ, primum à Pharaone Ægypti rege, ſecundum à rege Abimelech, figuram ait fuiſſe duarum Hebræi populi captiuitatum, vnius quidem Ægyptiacæ, alterius vero Babylonicę. Sed Ægyptiaca, grauiſſimis cum Ægypti plagis ſoluta eſt: Babylonica vero à rege Cyro ſublata eſt, magna cũ reuerentia & honore erga DEVM, erga Hebręos autem ſumma cũ beneuolẽtia & benignitate, vt narrat Eſdras in Exordio libri ſui. Quod autẽ Sara in ætate ſenili, pulchra & amabilis videretur, ſignificauit pulchritudinẽ diuinæ religionis, quæ in captiuitate etiã, Iudæis ſeruitute oppreſſis, nihilominus tamen apud Gentes amabilis, honorabilis, & admirabilis erat: adeo vt eius ritus & cæremonias, ad ornandas decorandaſque ſuperſtitiones ſuas Gentes traducerent. Huc ſpectat quod priori libro Machabæorum cap. 3. ſcriptum eſt, ex lege Moſis ſcrutatas eſſe Gentes ſimilitudinem ſimulacrorum ſuorum, id eſt, ſimiles ritus & cæremonias in ſacrificando, & cętero Deorum cultu obſeruaſſe, earum quas ab Hebræis, ſecundum legem Moſis, DEO exhiberi cognouerant. Admonendus eſt Lector, illis verbis quę leguntur hoc loco: *Dixit de Sara vxore ſua, Soror mea eſt*, proxime adiuncta eſſe in libris Græcis hæc alia verba: *Timuit enim dicere, quia Soror mea eſt: ne forte occiderent eum viri ciuitatis propter eam.* Quæ verba nec habet Scriptura Hebraica, nec vulgata editio Latina: ſed ea videntur ſumpta ex capite 12. Geneſis, & huc inſerta. Sic enim eo, quem dixi, loco ſcriptum eſt: *Noui quod pulchra ſis mulier, & quod cum viderint te Ægyptij, dicturi ſunt, vxor illius eſt: & interficient me, & te reſeruabunt. Dic ergo, obſecro te, quod Soror mea ſis: vt bene ſit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui.*

Locus 1. Machabęorum, cap. 3.

VERSV. 3. *Dixit Dominus ad Abimelech per ſomniũ nocte, & ait illi.*

Locus Iob cap. 33.

ET verum eſt, & ad hunc locum apte quadrat, quod ſcriptum eſt in libro Iob cap. 33. *Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo ſuo: tunc aperit aures virorum, & erudiens eos, inſtituit diſciplina. Vt auertat hominem ab ijs quæ fecit, & liberet eum de ſuperbia: eruens animam eius à corruptione, & vitã illius vt nõ tranſeat in gladium.* Non eſt dubium quin diuina reuelatio, quæ homini fit in vigilia, præſtantior ſit (ſi tamen cætera ſint paria) quam ea quæ fit in ſomno. Huius rei hanc reddit S. Thomas rationem: Maiorem vim prophetici luminis eſſe eam neceſſe eſt, quæ hominem in vigilia occupatum diſtentumque variis rebus ſenſibilibus, ab his omnibus poteſt eum abſtrahere, & eleuare ad ſupernaturalia; quàm eſt ea virtus diuini luminis, quæ animam hominis per ſomnum abſtrahit quam à ſenſibilibus & à rerum exteriorum auocamentis omnibus impedimentiſque liberam inuenit. Verum diuinarum reuelationum quæ fiunt in ſomno, duo ſunt genera: vnum eſt in quo diuina reuelatio fit obſcure, tãtum per imaginarias quaſdam ſimilitu-

S. Thom. 2. 2. quæſtio. 174. art. 3.

Duplex genus reuelationum in ſomno, & vtrum nobilius.

ſimilitudines obſcure repræſentantes aliquid, eiuſmodi fuit ſomnium Pharaonis de ſeptem ſpicis & ſeptem bobus, Geneſ. 41. & primũ ſomnium regis Nabuchodonoſor de magna illa ſtatua Dan. 2. Alterum genus reuelationis factæ in ſomno, eſt multo nobilius ſuperiori: in quo ſcilicet dormiens audit ſecum loquentem, vel hominem quempiam, vel Angelum, vel DEVM, ſibique diſtincte aperteque declarantem multa: tale fuit ſomnium Iacob patriarchæ, quod infra narratur Geneſ. 28. ſomnia item quæ Beato Ioſeph diuinitus contigerunt, quæ Matthæi 1. & 2. capite commemorantur. Dixi hoc genus ſomni præſtantius eſſe priori, quod inter ſigna rerum, principatum ſine controuerſia teneant verba; ea quippe ſignificantius atque expreſſius res declarant, quam aliud qualecumque fuerit ſignum. Cogitet igitur ac ſecum reputet Lector, quam honoratũ fuerit hoc ſomnium Abimelech; in quo DEVS cum eo, ſine vllo ænigmate, nulliſque ambagibus, ſed clare, & quaſi familiariter ſermocinatus eſt. Cur autem DEVS ſæpe in ſomno multa homines doceat & arcana & myſteria, quinque rationes expoſuimus ſub finem primi libri Commentariorum noſtrorum in Danielem, in quarta Quæſtione eius Diſputationis, quam de ſomniis copioſe tractauimus.

SECVNDA DISPVTATIO.

De multiplici ſignificatione huius vocis Propheta:

Super illis verbis,

Nunc redde viro ſuam vxorem, & orabit pro te, quia Propheta eſt, & viues. VERSV. 7.

ILLA Coniunctio (quia) cum ſit cauſalis, incertum eſt cuius rei cauſam exponat, cum dicitur: *Quia Propheta eſt*: poteſt enim triplex ſenſus ex hiſce verbis elici. Vnus ſenſus eſt; ne vereare quam primum vxorem reddere viro ſuo, quaſi timens, ne is putet fuiſſe eam à te corruptam, & idcirco vehementer indignetur tibi: nam quia eſt Propheta, certe nouit, eam te ſimplici animo accepiſſe; & mundam atque intactam eam apud te permanſiſſe. Alter ſenſus eſt: Ne contemnas iſtum virum, tametſi peregrinus eſt, quia Propheta eſt; quaſi dicat, vir eſt perinſignis virtute & ſapientia, & plurimum apud me valet gratia & auctoritate: quare iniuriam ei factam non potero diſſimulare, nec inultã prætermittere. Tertius ſenſus eſt: Redde vxorem iſti viro, quia Propheta eſt, id eſt, vir eximie ſanctus & mihi carus; & quodlibet à me impetrare poterit. Quocirca orabit pro te, & continuo liberabere iis malis, quibus es obnoxius

propter vxorem ei ablatam. Atque hic tertius sensus videtur Scripturæ verbis congruentior. Hoc enim indicant illa verba: *Nunc ergo redde viro suo vxorem, & orabit pro te: quia propheta est, & viues.* Simile quippiam legitur in libro Iob: vbi DEVS dixit amicis Iob: *Iratus est furor meus in vos: ite ad seruum meum Iob, & ipse orabit pro vobis: faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Monet Caietanus, ex hoc loco intelligi, diuinas apparitiones & visiones, quas habuit Abraham, & superioribus capitibus commemorauit Moses, fuisse similes visionibus Prophetarum: ipsumque Abraham fuisse primum Prophetam in Scriptura nominatum

Iob. 42.

Caietanus. Primus nominat Propheta fuit Abraham.

Philo in eo libro, qui de legitimo rerum diuinarum hærede inscriptus est, tractans hunc ipsum locum Mosis, in quo Abraham laudatur propheta, ait, priscis illis temporibus, non solum Abrahæ, verum omnibus insigniter probis & piis viris, in Scriptura tribui gratiam prophetię Etenim Propheta, inquit Philo, nihil ex se proloquitur, sed omnia submonente alio. Malum autem virum non est fas esse interpretem diuini numinis: Ergo nemo malus, propriè correptus furore diuino dicitur, sed in solum sapientem id competit: quandoquidem is DEI tantum est instrumentum resonans, ab eo contactum & pulsatum inuisibiliter. Proinde, etiam cum Propheta loquitur, videtur tamē tunc is quiescere: alius vero eius vocalibus instrumentis, ore linguaque vti, ad indicanda quæcumque vult: eaque instrumenta pulsans arte musica inuisibiliter, sonoram, concinnamque diuinæ virtutis ac sapientiæ Symphoniam efficit. Idem Philo in libro qui est de Præmiis & Pœnis, quis proprie & quid sit Propheta, breuissime ad hunc modum definit: Propheta est interpres DEI, dictantis intus oracula.

Philonis de Prophetę dignitate sententia.

Definitio prophetæ.

Thostatus annotauit, dupliciter sumi in Scriptura nomen Prophetæ: dicitur enim is Propheta, cui aliqua reuelantur à DEO hominibus publicanda: qua significatione nomen Prophetæ crebro vsurpatum & peruulgatum est: tales vtique fuerūt prophetæ, quorum libros prophetales habemus. Dicitur etiam Propheta, qui diuinas reuelationes habet, & cum quo DEVS consilia & arcana sua communicat, licet ea nec verbis nec scriptis enuntiet hominibus, nec in publicum edat. Huius generis propheta fuit Abraham: fuit itidem Iosue, de quo scriptum est Ecclesiastici 46. *Fortis in bello Iosue, successor Mosis, in prophetis magnus secundum nomen suum.* Quanquam Iosue etiam priori modo, propheta dici potest; quippe qui multa sibi à DEO reuelata & mandata enuntiabat & exponebat populo.

Duplex significatio vocis Propheta, secūdum Thostatum.

Locus Ecclesiastici cap. 46.

Oleaster porro super etymologia vocis hebręæ significantis prophetam, disputat ad hunc modum: Si certa nobis esset radix verbi (naba) facile intelligeretur cur Abraham dictus sit propheta. Quod si radix est (ban) id est, intellexit; tunc (nabi) intelligentem significaret. Si autem radix sit (nub) quod est loqui, significabit ea vox loquentem. Sed prior significatio magis arridet; & credibilius fit Abraham dictum esse prophetam, quod diuinas visiones haberet & intelligeret. Si autem is proprie

Oleaster de Etymologia vocis propheta.

proprie propheta esse existimatur, qui futura diuinitus sibi reuelata prænoscit & prædicit, non sane defuit Abrahæ, huiusmodi perfectio & dignitas prophetiæ. Siquidem is DEO reuelante, prænouit futuram posterorum suorum in quadringentos annos peregrinationem atque seruitutem: præsciuit etiam futurum Sodomorū incēdium & exitium. Vt nihil dicam de benedictione omnium gentium, prouentura ex semine ipsius, id est, Christo; cuius tempus optatissimi aduentus, fuisse reuelatum ei & præcognitum, declarant illa Saluatoris nostri verba: *Abraham exultauit vt videret diem meum: & vidit, & gauisus est.*

Genes. 15. 18. & 19.

Ioan. 8.

12 Nolo vt hoc nesciat Lector, vocem, Propheta, & verbum Prophetare, variam in sacris literis & multiplicem habere significationem & vsum. Ego sex in diuina Scriptura obseruatas significationes, hic breuiter exponam. Primo nomen Prophetæ significat eum, qui diuina mysteria & arcana, mortalibus occulta, & humana ratione incomprehensibilia, diuinitus sibi reuelata cognoscit, atque aliis enunciat. Et quia videt, quæ mortalium nemo videre potest, & ita nouit futura, quasi præsentia videret; propterea qui dicuntur prophetæ, antiquitus vocabantur Videntes, vt scriptum est capite nono libri primi Regum. Deinde verbum Prophetandi significat psallere & cantare diuinas laudes certis quibusdam modulis atque instrumētis musicis. Nam vigesimoquinto capite prioris libri Paralipomenon, filij Asaph & Heman dicuntur prophetasse in citharis, cymbalis, & psalteriis: & Idithum dicitur ibidem prophetasse in cithara super confitentes & laudantes Dominum. Ad hanc significationem pertinet, quod de Saule dictum esse traditur in primo libro Regum capite decimo: *Et Saul inter Prophetas.* Vox itē Prophetæ ponitur in vate & poëta ethnico. Priscos enim poëtas, tanquam vates & prophetas colebant Ethnici, rati eos diuino spiritu afflari, & diuino instinctu & agitatu versus tanquam oracula edere. Ad hanc significationem & sententiam B. Paulus capite primo Epistolæ ad Titum, Epimenidem vatem, appellauit proprium Cretensium prophetam. Nonnumquam etiam in diuinis literis prophetare significat idem quod desipere, furere, & more arreptitiorum aliena & inepta loqui. Sic legitur 1. Reg. c. 18. Saulem, cum inuasisset eum Spiritus malus, prophetasse in medio domus suæ. Nam quia prophetæ, aliena & remota à communi sensu & consuetudine hominum & loquebantur & agebant, cum singulari quadam & notabili corporis agitatione, ita vt vulgo furere viderentur; idcirco qui desipientes furebant, dicti sunt prophetare. Verum quod magis miretur Lector, verbum prophetandi significat interdum facere miraculum aliquod, ad declarandum testāndumque, fuisse aliquem prophetam. Ad hanc vtique sententiam scriptum est Ecclesiastici capite 48. mortuum Elisei corpus prophetasse: quod alterius cuiusdam hominis cadauer, illatum in sepulcrum Elisei, repente contactu eius, ad vitam excitatum est. Prophetare demū in diuina Scriptura eandem vim & notionē habet, atque interpretari & exponere res diuinas, & occultas, & ab humana intelligentia remotas.

Auctoris sēntia de sex significationibus vocis propheta.

Locus 1. Reg. cap. 18.

Locus Ecclesiastici cap. 48.

Ad hanc

Locus Pauli 2. ad corinth. 14.

Ad hanc significationem spectat egregia illa B. Pauli disputatio, de comparatione doni prophetiæ,cum dono linguarum : in qua disputatione concludit Paulus, multo esse præstantius & vtilius munus prophetandi, quam variis linguis loquendi. Etenim qui variis loquitur linguis,admiratione magis auditores afficit,quàm vtilitate:at qui prophetat,cum res diuinas & occultas, scituque perutiles sapienter interpretetur,non solum admiratione implet audientes,verum eos præterea vtiliter erudit,mirificeque consolatur,& in Fide vehementer confirmat. Secundum hanc quoque significationem dictum est in cap. 7.

Locus Exodi cap. 7.

Exodi, Aaron fuisse prophetam Mosis:nam oracula & mandata, quæ Moses à DEO accipiebat,ea ipsa verbis suis Aaron (erat enim vir eloquens vt de eo scriptum est Exod. 4.) enũciabat & exponebat Pharaoni atque Ægyptiis. Philo quidem certe hanc solam nominis Prophetæ significationem spectauit,cum ita definiuit Prophetam(vt supra dictum est)Propheta,est interpres DEI dictantis intus oracula.

Philo.

VERSV 9.

Vocauit Abimelech Abraham,& dixit ei : quid feciſti nobis?quid peccauimus in te,quia induxiſti ſuper me, & ſuper regnum meum peccatum grande ?

13 VIDE modestum Regẽ,qui regalem celsitudinẽ ac libertatem,legi subiectã & adstrictã tenuit:nec putauit licere sibi (quãuis rex esset) quodcũque liberet;sed legem naturalem & humanam,ex æquo prohibentẽ omnes adulterio, religiose custodiuit. Enimuero sapienter à Platone dictũ est,

Plato lib. 4. de legib.

probæ ac beatæ reipublicæ argumentum esse, si leges in ea dominẽtur, & Principes ipsi legibus subiecti sint.In qua ciuitate,ait Plato,lex subdita est, ibi video perniciem ei paratam esse : in qua vero lex domina est Principum,& Principes serui sunt legis,ibi video salutem,& omnia bona,quæ dij bene moratis ciuitatibus dare solent.Sic Plato.Cęterum huic regi Abimelech, nimium quantum dissimiles fuere Romani quidam Imperatores. Caligulam crudelitate ac libidine in omnes sæuientem,cum Antonia eius auia blande simul & grauiter cotripuisset,dixisse ferunt,Memento, omnia mihi,& in omnes licere.Nero,Locustam veneficam mulierem,veneni,quod perdendo Britanico parabatur,exitialem vim temperare volentem, ad occultandam scilicet facinoris inuidiam,sua manu verberauit, hanc vocem adiiciens:Sane,inquit, legem Iuliam timeo : erat autem lex Iulia contra veneficos lata,qua se teneri Nero,cum summus esset Princeps,non putabat.Iuliæ solicitanti Antoninum Caracallam priuignum suum ad incestas suas nuptias, cum ille dixisset:Vellem si liceret;adiecit illa;Si liber,licet:An nescis te Imperatorem esse,& leges dare,non accipere?

Suetonius in Caligula & Nerone.

Spartianus in Caracalla.

INDV

14 IVDVXISTI *super me,& super regnũ meum peccatum grande.*Lumẽ rationis,quod lucet homini ad internoscendũ à malis bona,euidẽter demõstrat peccatũ adulterij esse magnũ,fœdũque, & pernicioſum:Et cuiuis rectæ ac sanæ mentis non fugiendũ modo,sed perhorrescendum.Ecce Abimelech,& Rex,& homo gẽtilis,vsque adeo exhorruit adulterium, vt vehemẽter expostulauerit cum Abrahã,quod se,propter illam coniugij dissimulationem, in discrimen adulterãdi propemodum adduxisset.*Induxisti*,inquit,*super me & super regnum meum peccatum grande.*Peccatum grande vocat adulterium,tum propter magnitudinem culpæ & fœditatem maculæ,qua ex eo turpificatur animus:tum propter magnitudinem pœnæ,qua sæpenumero etiam in hac vita punitur;& propter atrocitatem calamitatum,malorumque, quæ adulteria priuatim & publice consequuntur,nec ea solum iis qui adulterãtur contingunt & nocẽt,sed vna cum illis aut propter illos,totas etiã ciuitates & regna subuertũt.Exempla eius rei in veteribus monumentis extant multa, & sane nobilissima,è quibus apparet,non raro propter vnius hominis adulterium,maxima & florentissima imperia periisse.Repetat memoria Lector vno Paridis & Helenæ adulterio, quantum malorum Troianis inuectum sit. Sexti Tarquinij per vim cum Lucretia commissum adulterium,non ne regalem omnem potentiã apud Romanos funditus euertit? quãtis calamitatib. percussus & attritus fuerit Dauid propter adulterium eius cum Bersabee, audiamus Nathan prophetam eas ipsas calamitates ei venturas,DEI verbis denuntiantem : *Non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum,eo quod tuleris vxorem Vriæ Hethæi,vt esset vxor tua.Itaque hæc dicit Dominus, Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua ; & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxorib.tuis in oculis solis huius.Tu enim feciſti abscondite:ego autẽ faciam verbum istud in conspectu omnis Israel,& in cõspectu solis huius.Et quia blasphemare feciſti inimicos nomẽ Domini,filius qui natus est tibi, morte morietur.*

Quantũ malũ ferat adulterij flagitium.

2.Reg.ca.12.

Vere Soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ:& duxi eam in vxorem.

VERSV 12.

15 ET olim,& nostra memoria multi suntopinati,Sarã fuisse veram Abrahæ sororem,sed non vterinam,eodem scilicet patre,diuersa vero matre genitam. Hoc significauit Clemens Alexandrinus sub finem libri secundi Stromatum. Eidem sentẽtiæ adhæsit Lippomanus in catena super vigesimum caput libri Geneſis,& Dominicus Sotus libro 2.De Iustitia & Iure quæstione 3. Caietanus vero id ipsum magna asseueratione tradit tum super caput 11.Geneſis,tum maxime super hoc caput 20. Quin etiam B. Hieronymus in eam sententiam delapsus videri potest. Nam in Traditionibus Hebraicis in Geneſim super hoc caput 20. ait,

An Sara fuerit vera soror Abrahę. Clemens Alexand. Lippoman. Dominicus Sotus. Caietanus. B.Hieron.

magis esse consentaneum scripturæ Hebraicæ huius loci, Saram fuisse veram sororem Abrahæ, non autem filiam fratris eius Aran: Excusari vero Abraham ob tale coniugium, quod tales nuptiæ nondum essent lege prohibitæ. Creditur hæc opinio validissime roborari, firmarique eo argumento, quod ex supra positis Abrahæ verbis ducitur. Etenim dupliciter argumẽtari licet ex illis verbis Abrahæ, Saram fuisse veram eius sororem, non tamen vterinam: tum quia dixit: *Vere Soror mea est.* Quid est (vere) nisi proprie, & secundum naturam, nec tantum secundum morem loquendi quarundam gentium: tum quia proxime adiunxit Abraham, *Filia patris mei, & non filia matris meæ.* Quid enim apertius dici, aut quibus aliis verbis expressius declarari potuit, Saram fuisse veram quidem sororem eius, sed non vterinam?

Non est animus tractare in præsentia celebrem illam quæstionem, 16
fuerit ne Sara vera soror Abrahæ, an tãtum filia fratris eius Aran: nam cum ea quæstio satis copiose, nec incuriose tractata sit à nobis in secundo Tomo Commẽtariorum nostrorum in Genesim lib. 16. per totam Disputationem 14. superuacaneũ vtique foret, illic disputata, denuo iterare, & quod veteri prouerbio vetatur, actum agere. Nunc igitur illud solum nobis faciundum est, vt argumentum ex hoc loco sumptum, quo labefactari creditur communis sententia, eo, quem dixi, loco à nobis comprobata, dissoluamus. Illud itaque: *Vere soror mea est,* non dixit Abraham, vt significaret, Saram esse veram & germanã sororem suam; sed vt ostenderet se non esse mentitum, cum dixit, eam esse sororem suam, id. n. verum esse: nẽpe morẽ esse gentis suæ non solum eiusdem patris filios aut filias, verum etiam auunculos & fratrum filios ac filias nominare fratres & sorores. Quare aduerbiũ illud, *Vere,* nõ iungitur cum sequenti vocabulo, *Soror*: quasi denotetur eam fuisse veram & germanam sororem Abrahæ: sed pertinet ad veritatem sentẽtiæ, quam dixerat Abrahã; vt hic sit sensus: non sum mentitus, cum dixi, eam esse sororem meam; nam secundum consuetudinem gentis nostræ, cum ea sit filia fratris mei, vere dici potuit soror mea. Iam vero illud: *Filia patris mei, & non matris meæ,* hanc habet sententiam: omnes qui erant ex familia Thare, ipsum appellabant patrem, & idcirco inter se appellabantur fratres & sorores. Audi Chrysostomum in homilia 45. in Genesim hæc ipsa verba explanantem: Quia, inquit, eundem illa patrem vocat, quem & ego patrem appello; idcirco & ipsam ego sororẽ vocaui. Erat præterea quædam præcipua & propria ratio, cur Sara auum suum Thare appellaret patrem. Siquidem Aran pater Saræ, multo tempore ante Thare mortẽ obierat; quapropter Sara, mortuo patre, ipsum Thare non solum in aui, sed etiam in patris loco habebat. Sed quid illud significat; *Filia patris mei, & non matris meæ?* Hoc videlicet; Thare ex alia vxore generasse Abrahamum, & ex alia ipsum Aran patrẽ Saræ: quare Abraham & Sara, eundem virum, id est, Thare, appellabant patrem; ille quidem vt genitorem suum; hæc verò, tum quia erat auus, tum quia eum vice patris sui iam mortui colebat. Non poterant autem similiter

S. Chrysost.

Genes. 11.

ean

eãdem fœminã appellare matrẽ, cum alia fuerit fœmina ex qua Thare generauit Abrahã, & alia ex qua procreauit Aran patrem Saræ. Atque hæc sane satis fuerint huic loco explicando & illustrando; nam cætera, quæ ad diligentem atque vberem eius quæstionis tractatum spectant, ex eo loco, quem indicaui lectori, cognoscenda sunt.

Tulit Abimelech oues & boues, & seruos & ancillas, & dedit Abraham: reddiditque illi Saram vxorem suam. VERS. 14.
Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo.

17 CAIETANVS putat donum mille argenteorum, non fuisse diuersum à dono paulo ante cõmemorato ouium, boum, seruorum & ancillarum: sed munus hoc animalium & hominum, fuisse æstimatum mille argenteis: vt sensus sit, ecce dedi munus fratri tuo, æstimabile mille argenteis. Sed fuisse diuersa dona, & mille argenteos fuisse pecuniam numeratam, magis indicat narratio Mosis. Ex Græca certe translatione id manifestum, & extra omnem dubitationem est. Hanc enim Græca verba sententiam reddunt: *Sumpsit Abimelech mille didrachmas, & oues, & vitulos, & pueros, & ancillas, & dedit Abraham.*

Sed quod genus pecuniæ ac monetæ est argenteus? Hebraicæ dicitur Ceseph, cuius in hoc ipso libro infra bis mentio fit capite trigesimo septimo, & quadragesimo quinto & in libro secundo. Reg. cap. 18. & Oseæ cap. 3. Noster Ribera in caput 3. Oseæ, auctoritate Budæi & Alciati probat, argenteum eiusdem fuisse ponderis & pretij, ac drachmam Atticam, & denarium Romanum; vt argenteus fuerit æqualis ferme pretij, ac Iulius Romanus, & Real Hispanicũ. At enim, idem Ribera in cap. 8. Amos, eodem Budęo auctore affirmat, Argenteũ Hebræum pependisse duas drachmas Atticas. Verum partim ex ipsa Sacra Scriptura, partim ex interpretatione Ioseph & B. Hieronymi, quos ego meliores censeo istiusmodi rerum, quæ erant in vsu Hebræorum, interpretes, quàm Budæum & Alciatum, secus existimare oportet. Hæc igitur tria, Siclus, Stater, & Argenteus, eiusdem pretij ac ponderis fuerunt, id est, quatuor drachmarum. De Siclo, testis locuples est Iosephus libro tertio Antiquitatum, scribens tales esse Siclos apud Hebræos, quales sunt apud Græcos Tetradrachmi Attici: idemque tradit B. Hieronymus super caput quadragesimo quinto Ezechielis. Proinde non possum non vehemẽter mirari, cur idem Hieronymus in Traditionib. Hebraicis in Genesim super caput 24. dixerit, Siclum habere pondus vnciæ, id est, octo drachmarum; sic enim scribit, Bace, quod in hoc loco pro didrachma scribitur, semiuncia est, Secel verò, qui Latino sermone Siclus corrupte appellatur, vnciæ pondus habet. Sicille. Quod autem stater etiam fuerit quatuor drachmarum, affirmat B. Hie-

Argenteus, quod genus monetæ fuerit. Franciscus Ribera.

Siclus stater, Argenteus, idem valebant. Iosephus. D. Hieron.

ronymus super 4.& 45.caput Ezechielis, idemque patet ex Euangelio Matthæi cap.17.

Idem quoque sentiendum est de Argenteo: nam in libro 2.Regum cap.18.pro eo quod legitur ibi Argenteus, Iosephus libro 7. Antiquitatũ vertit Siclũ.Et 70.interpretes eodem modo loquuntur de argẽteo, atque de Siclo:siquidẽ vtrũque appellarunt didrachmum. Etenim hoc loco pro mille argenteis,posuerunt ipsi mille didrachmas.Iidẽ verò similiter siclum appellarunt didrachmum Exodi 30.Leuitici 23. & vltimo:& Numerorum 3.Quod autẽ illi didrachmũ æquale fecerint siclo, indicio est,quod didrachmum constare volunt viginti obolis; totidem autem obolis constare siclum,apud Ezechielem scriptum est capite 45. Verum dicet quispiam, cur Septuaginta siclum vocarũt didrachmum, cum Iosephus,vt supra diximus,siclum fecerit tetradrachmum? An illi locuti sunt de didrachmo Hebræo,quem creditur maiorem duplo fuisse attico? Sane Iosephus libro 14. Antiquitatum scribit Minam siue libram Hebraicam pependisse duas libras Romanas, & præterea dimidiam:& talentum Hebraicum quod vocatur Chichar,pendebat quinquaginta minas Hebræas,centum verò atticas.Illud profecto maiorem habet admirationem & dubitationem,cur 70.Interpretes,qui hoc loco argenteos reddiderũt didrachmas,infra cap.37.& 45.verterint,aureos; cum aureus non vtique minus decem drachmas argenti æstimetur.Ergo donum mille argenteorum, quod rex Abimelech dedit Abrahæ, non minoris erat,quàm nummorum aureorum,vel potius vt vulgo dicitur, scutatorum quadringentorum.

TERTIA DISPVTATIO,

VERSV 16. Super obscuritate & interpretationum varietate illorum verborum:

Hoc erit tibi in velamentum oculorum ad omnes qui tecum sunt: & quocumque perrexeris, memento te deprehensam.

MAGNA putatur esse huius loci obscuritas, & perdifficilis explicatus. Obscuritatis causa est, tum diuersitas lectionis Græcæ & Hebraicæ à Latina lectione: tum quorundam verborum ambiguitas. Atque hinc,quod magis etiã auget obscuritatem, variæ admodum expositorum interpretationes extiterunt.Græcè sic habet hic locus:*Hæ(mille didrachmæ) tibi erunt in pretium faciei tuæ,& omnibus quæ tecum sunt: & omnia vere dicito.*Hanc lectionem sequitur & exponit B.Chrysost.in homilia 45.in Genesim,ita scribens Quid 18

Lectio Græca.

S.Chrysost.

Quid est,*in honorem vultus tui,& omnia vere dic*? nempe, pro iis quæ per ignorantiam tentaui facere,te, quæ vxor es iusti, in domum meam introducens: pro hoc solum, quia contumelioſus in te visus sum, mille didrachmas dedi,resarcire volens,quod aduersus te ac virum tuum admisi. Verum tu omnia verè dic, id est, omnes à te discant, quod nihil factum est à me iniquum,cum intacta exieris de domo mea.Doce item virum tuum,me à peccato mundum esse atque innocentem.Sed quare hæc dicit?vt cum hoc iustus ab ea didicerit,multisque fuerit rationibus edoctus,pro eo preces Domino offerat. Vnde subditur:*Orauit Abraham* DEVM;*& sanauit* DEVS *Abimelech,&c.* Hæc Chrysostomus. Ab hac lectione Græca, & Chrysostomi expositione non longe recedit paraphrasis Chaldaica, sic habẽs hoc loco:*Ecce ipsum est tibi velamen honoris, pro eo quod misi & tuli te: vidique te omnesque qui tecum sunt, & in omni eo quod locuta es,verax inuenta es,*quæ lectio sic exponitur: ipsum argentum quod donaui fratri tuo,argumentum est tuæ pudicitiæ, quod nihil tecum rei habuerim, nec te attigerim, etiam si mecum fueris. Sed quia pronomen relatiuum Hebraicum ambiguum est, & reddi potest, tam ipsum quam ipse:nonnulli referunt ad Abraham, sic exponentes: Ipse frater tuus cui donaui argentum,erit tibi velamen honoris,hoc est,ipse defendet,& tuebitur te,si quis velit famam tuam lædere.

Paraphrasis Chaldaica.

19 HEBRAICA porrò lectio valde diuersa est, nec vno modo exprimitur ab iis, qui student Hebraicæ veritati. Vatablus hanc sequitur lectionem:*ipse est tibi velamen oculorum, & omnibus qui tecum sunt; & cum omnibus his correpta fuit.* Quorum verborum hanc ille putat esse sententiam: Frater iste tuus propugnator erit pudoris tui: quicumque enim tibi eum esse virum nouerit,oculos suos auertet à te, & ab ancillis tuis. Per hæc autem omnia quæ Saræ acciderunt sub Pharaone & Abimelech,castigata & correpta fuit, ne postea diceret se sororẽ esse Abrahæ. Itaque Vatablus verba quæ in Hebræo sunt de correptione Saræ, non facit esse regis Abimelech,sed scriptoris huius historiæ,qui fuit Moses. Caietanus & Oleaster sic legunt ex Hebræo: *Ecce ipse tibi velamen oculorum omnibus qui tecum,& omnibus:& fuit castigata.*Isti dupliciter dissentiunt cum Vatablo:tum quia illud:*Et omnibus,* iungunt cum præcedentibus,ad hunc modum:Erit tibi velamen oculorum, & domesticis tuis, & simpiciter omnibus.Vatablus autem iungit cum sequentibus, sic legens: *Cum omnibus his castigata fuit.* Tum etiam quia illud, castigata est vel fuit,referre videntur ad Abimelech, quasi ab eo Sara verbis correpta & castigata fuerit. Vatablus verò refert ad casus in quos inciderat apud Pharaonẽ & Abimelech, quibus illa castigata & erudita est ne in posterum tali dissimulatione vteretur. Verum prior expositio probabilior est. Credi autem potest fuisse castigatam & admonitam, vel quod cum esset mulier pulcherrima, detecto vultu, sese ostentaret in publico; vel quod vsa esset dissimulatione coniugij, obtentuque sororiæ coniunctionis cum Abraham:nam ex vtraque re magnum peccandi & ipsi & aliis periculum creabatur.

Lectio Hebraica. Vatablus.

Caietanus. Oleaster.

Universidad de Deusto. Biblioteca

Auctorisanotatio.

CÆTERVM vt sententiam huius loci plane pleneque cognitam habeat Lector,sciat,pro illo pronomine,hoc, cum dicitur, *Hoc erit tibi velamen oculorum*,esse Hebraice(hu) quod est masculini & neutrius generis;& Latine reddi potest,hic,siue ipse,vel hoc,siue ipsum. Potest itẽ ad tria referri,vel ad mille argenteos donatos à rege Abimelech ipsi Abrahæ;vel ad illud artificium dissimulandi coniugium;vel ad ipsum Abraham:ex hac autem triplici relatione,triplex quoque huius loci sententia & interpretatio efficitur.Primo igitur,si legamus,*hoc*, siue *ipsum*, vt habet Latina lectio,potest referri ad mille argẽteos,vt sit hic sensus: Dedi fratri tuo mille argenteos, vt hoc sit tibi in velamen oculorum. Hamerus. Sed quid est, *In velamen oculorum* ? Dupliciter id exponitur. Gulielmus Hamerus sic interpretatur,vt emas tibi tuisque ancillis,velamen vultus ad operiendam pulchritudinem,ne sit ea quasi quædam illecebra & irritamentum libidinis. Lyranus. Hebræi verò , vt refert Lyranus , sic exponunt: Quod donaui Abrahæ , id erit tibi in velamentum oculorum omnibus qui tecum sunt:vt non possint dicere,quod ego fœdaui te, & postea dimisi vacuã.sicut fieri solet contemptis & leuibus mulierculis : sed hæc mea munificentia erga virum tuum,ostendet, me compulsum fuisse à DEO reddere te viro tuo,cui te mundã & intactam reddidi.Hoc igitur donum meũ argumenti loco futurũ est aduersus omnes qui de te male loqui voluerint,eo quod fueris in domo mea.Altera sententia & interpretatio existit,si illud pronomen(hoc)referatur non ad argenteos, sed ad illud artificiũ dissimulandi coniugiũ per obtentẽ sororię ac fraternæ appellationis;vt sit hic sensus:ista dissimulatio cõiugij,appellando maritum tuũ fratrẽ, quod est quasi quoddã veritatis velamen,vsurpãda tibi est apud eos qui tecũ sunt,id est,apud domesticos & notos,qui cum sciant eum esse maritum tuum , non decipientur ista dissimulatoria locutione tua,nec per ignorantiam, in te,nec in virum tuum peccabunt. Quocumque igitur perrexeris,id est, cũ fueris inter extraneos & ignotos,memento te esse deprehensam,id est , detectam esse tuam dissimulationem,cognito,te veram esse vxorem eius,quem appellabas fratrem. Proinde noli apud extraneos,& qui vos minime norunt , tali dissimulatione vti.Hanc expositionem sequuntur Lyranus,Thostatus, & Lippomanus. Atque has duas sententias atque interpretationes bene admittit & capit lectio Latina.

TERTIA demum sententia & expositio fit, si pro illo,(hoc)legatur(hic siue ipse)nam & id sonat vox Hebræa,vt diximus, & sic legunt qui vertunt ex Hebręo.Illud autem pronomen,hic siue ipse,refertur ad Abraham,vt significetur,ipsum Abraham, quem illa fratrem appellabat, futurum ipsi velamen oculorum. Sed hoc velamen aliter exponit. Caietanus. Caietanus,& aliter Oleaster.Caietanus sic interpretatur : ipse maritus tuus,vt maritus manifestus & notus, erit velamen oculorum omnibus ad concupiscendum te in vxorem ; id est, nemo siue eorum qui tecum sunt,siue aliorum,qui norunt illum esse maritum tuum,etiam si videat te pulcherrimam esse mulierem,audebit te concupiscere, & sumere in vxorem

vxorem sibi.Sunt autem hæc verba monitoria,vt Sara in posterum dicat aperte,Abraham esse maritum suum:quia hoc titulo,velabit oculos omnium ne concupiscant ipsam. Propterea igitur Moses significans verba regis fuisse monitoria cum nonnulla reprehensione,subiunxit,vt est in Hebræo,*Et castigata fuit* , castigata nempe de præterita dissimulatione ; & monita , ne deinceps eo dissimulationis artificio vteretur. Et hæc quidem est sententia interpretationis Caietani.Oleaster autem similiter legens non(hoc)sed(ipse) & referens ad Abraham , hoc modo exponit:Ipse,quem tu fratrem appellas,sub isto nomine fratris,erit tibi velamen oculorum,id est , operimentum verecundiæ apud omnes tam domesticos quàm externos, qui tibi exprobrare voluerint adulterium mecum commissum, prætexendo appellationem sororis & fratris:iuste enim poteris te purgare dicens , te id fecisse persuasam à viro tuo , qui suæ consulens vitæ,auctor tibi fuit,vt dissimulans te vxorem eius esse, tantum præ te ferres te esse sororem.Sic Oleaster.Qui etsi hunc sensum germanioré cæteris esse dicit,fatetur tamen,si legatur pronomen(hoc) vt habet Latina lectio,posse id commode exponi,referendo pronomen (hoc)ad mille argenteos donatos Abrahæ,ad hanc sententiam:hoc,scilicet donum mille argenteorum datum à me fratri tuo , erit tibi velamen oculorum,id est,operimentum verecundiæ:nempe quod ea pecunia satisfecerim ei peccato,quod in eum admisi,auferendo illi vxorem; licet insciens atque imprudens , nec vestri gnarus coniugij,id fecerim.

Oleaster.

22 EX iis quæ dicta sunt apparet,Latinam lectionem huius loci,secundum superiores duas expositiones,& secundum traslationem Græcam, optime constare;& cum Hebraica Scriptura, secundum quam &(hoc) &(hic)legi potest.pulchre consentire.Quod autem subditur, *Quocumque perrexeris memento te deprehensam*,hunc habet intellectum :ad quascumque gentes extraneas & ignotas iueris,noli apud eas ista dissimulatione vti;cum iam bis deprehensa sis,id est,retecta sit dissimulatio,& plane cognitum, te veram esse illius vxorem : nimirum DEO id reuelante , & reges,à quibus ablata fueras viro tuo , mirabiliter castigante. Sed Lippomanus in Catena super hunc locum putat, pro eo quod hic habet Latina lectio,*Memento te esse deprehensam*,legi debere,*Memento te esse reprehensam* , tum quod ea lectio omnino conueniat cum lectione Hebraica,quæ habet, *Et fuit castigata*,siue,*reprehensa*:tum quod testatur ipse,eam lectionem vidisse se in aliquot Latinis codicibus.

Lippomanus.

Orante autem Abraham,sanauit DEVS *Abimelech,& vxorem , ancillasque eius, & pepererunt : concluserat enim* DEVS *omnem vuluam domus Abimelech propter Saram vxorem Abrahæ.*

23 ECCE quod DEVS dixerat regi Abimelech : *Orabit pro te : quia Propheta est , & viues* , id nunc manifesto & indubitabili argumento , affectuque ostenditur. Si quidem orante Abrahamo pro salute Abimelech & domo eius, conti

VERSV 17. & 18.

continuo ei,& omni eius familiæ perfecta incolumitas & salus reddita est. Quo morbo laborauerit domus Abimelech, significauit Moses dicens: *Concluserat enim Dominus omnem vuluam domus Abimelech.* Videtur autem DEVS clausisse os vuluæ, vt fœtus iam maturus partui, exire non posset; ex quo necesse erat mulieres acerbissimis doloribus cruciari. Et hanc clausuram oris vuluæ, indicat translatio Græca, quæ habet, DEVM clausisse deforis vuluas mulierum: cui etiam lectioni consonat Chaldaica paraphrasis, in qua legitur, clausisse DEVM ostium vuluæ. Aut fortasse, quia in enixu necesse est maiorem in modũ dilatari meatus, & distendi os vuluæ muliebris, vt locus egressui fœtus ex vtero sufficiens præbeatur; DEVS naturalem facultatem ita dilatandi & distendendi meatus & os vuluæ, ligatam, & impeditam tenebat. Sed cur DEVS morbo percussit Abimelech, hominem immerentem atque innocentem, vt ipsemet testatus est DEVS? Chrysostomus significat, id propterea factum, vt reddita regi sanitate propter Abrahæ deprecationem, ex eo magis explendesceret gratia & auctoritas, qua valebat Abraham apud DEVM. Verum illud est probabilius dictu, afflictionem illam Abimelech, non fuisse pœnam vllius peccati ab eo commissi, sicut DEVS ipse confirmauit illis verbis: *Et ego scio quod simplici corde feceris,* sed fuit quasi quoddam frænum, quo retineretur rex à coëundo cum Sara, & quò diuina admonitio & comminatio, efficacior foret ad persuadendum ei, vt quam primum Saram redderet intactam viro suo. Et hoc indicant illa DEI verba: *Ego custodiui te ne peccares in me, & non dimisi vt tangeres eam. Nunc ergo redde viro suo vxorem: si autem nolueris reddere, scito quod morte morieris tu, & omnia quæ tua sunt.* Putat Auen Esra doctor Hebræus, nullo fuisse Abimelech proprio morbo vel malo affectum; sed dici eum morbo percussum, & sanitate donatum, propter vxorem suam & ancillas quibus hæc ipsa contigerunt. At enim, redarguũt istum Rabbinum verba Scripturæ, quæ ait: *Sanauit* DEVS *Abimelech, & vxorem & ancillas eius.* Commemorans igitur separatim & distincte, sanatum fuisse Abimelech, & sanatam fuisse vxorem eius, & ancillas, clare indicat, etiam ipsi Abimelech proprie inflictum esse morbum, & tributam sanitatem. Refellit præterea Iosephus istum Hebræum: ait enim adeo graui morbo correptum esse Abimelech, vt salus eius iam esset à medicis desperata. Tradunt quidam, eum in veretro ita esse diuinitus percussum, vt nec coire cum muliere posset, ne dum vellet: & magnis ea in parte cruciatibus afflictaretur.

Cur percussus à DEO sit Abimelech qui nihil peccauerat. Chrysostomus.

Auen Esra.

Iosephus 1. li. Antiquit.

BENEDI

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA SVPER CAPVT Vigesimumprimum Geneseos.

Nascitur Abrahæ iam centenario, & Saræ nonagenarię promissus filius Isaac: in cuius ablactatione grande fit conuiuium: Eiicitur Ismael cum matre Agar: Inter Abimelech Palæstinæ regem & Abraham, ictum fœdus iureiurando confirmatur.

VERSV 1. ISITAVIT *autem Dominus Saram, sicut promiserat, & impleuit quod locutus est.* 2 *Concepitque & peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei* DEVS. 3 *Vocauitque Abraham nomen filij sui quem genuit ei Sara, Isaac.* 4 *Et circumcidit eum octauo die, sicut præceperat ei* DEVS, 5 *cum centum esset annorum: hac quippe ætate patris, natus est Isaac.* 6 *Dixitque Sara; Risum fecit mihi* DEVS, *quicumque audierit, corridebit mihi.* 7 *Rursumque ait, Quis auditurus crederet Abraham, quod Sara lactaret filium quem peperit ei*

8 iam ſeni? Creuit igitur puer, & ablactatus eſt: fecitque
Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.
9 Cumque vidiſſet Sara filium Agar Aegyptiæ ludentem
10 cum Iſaac filio ſuo, dixit ad Abraham, Eiice ancillam
hanc & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum
11 filio meo Iſaac. Dure accepit hoc Abraham pro filio ſuo.
12 Cui dixit DEVS, Non tibi videatur aſperum ſuper
puero, & ſuper ancilla tua: omnia quæ dixerit tibi Sara,
13 audi vocem eius: quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Sed
& filium ancillæ faciam in gentem magnam: quia ſemen
14 tuum eſt. Surrexit itaque Abraham mane, & tollens pa-
nem & vtrem aquæ, impoſuit ſcapulæ eius, tradiditque
puero, & dimiſit eam. Quæ cum abiiſſet, errabat in ſoli-
15 tudine Berſabee. Cumque conſumpta eſſet aqua in vtre,
16 abiecit puerum ſubter vnam arborem quæ ibi erat. Et
abiit, ſeditque è regione procul, quantum poteſt arcus iace-
re, dixit enim: Non videbo morientem puerum: & ſedens
17 contra, leuauit vocem ſuam, & fleuit. Exaudiuit autem
DEVS vocem pueri: vocauitque Angelus Agar de cælo,
dicens: Quid agis Agar? noli timere: exaudiuit enim DEVS
18 vocem pueri de loco in quo eſt. Surge, tolle puerum, & tene
19 manum illius, quia in gentem magnam faciam eum. Ape-
ruitque oculos eius DEVS: quæ videns puteum aquæ, abiit,
20 & impleuit vtrem, deditque puero bibere. Et fuit cum eo:
qui creuit & moratus eſt in ſolitudine, factuſque eſt iuue-
21 nis ſagittarius. Habitauitque in deſerto Pharam: & acce-
22 pit illi mater ſua vxorem de terra Aegypti. Eodem tem-
pore dixit Abimelech & Phicol princeps exercitus eius ad
23 Abraham: DEVS tecum eſt in vniuerſis quæ agis. Iura
ergo per DEVM, ne noceas mihi & poſteris meis, ſtirpique
meæ: ſed iuxta miſericordiam quam feci tibi, facies mihi
24 & terræ in qua verſatus es aduena. Dixitque Abraham,
Ego

Ego iurabo. Et increpauit Abimelech propter puteum 25
aquæ quem vi abſtulerant ſerui eius. Reſponditque Abi- 26
melech, Neſciui quis fecerit hanc rem: ſed & tu non in-
dicaſti mihi, & ego non audiui præter hodie. Tulit itaque 27
Abraham oues, & boues, & dedit Abimelech: percuſſe-
runtque ambo fœdus. Et ſtatuit Abraham ſeptem agnas 28
gregis ſeorſum. Cui dixit Abimelech, Quid ſibi volunt 29
ſeptem agnæ iſtæ quas ſtare feciſti ſeorſum? Et ille: Septem, 30
inquit, agnas accipies de manu mea, vt ſint mihi in te-
ſtimonium, quoniam ego fodi puteum iſtum. Idcirco vo- 31
catus eſt locus ille Berſabee, quia ibi vterque iurauit.
Et inierunt fœdus pro puteo iuramenti. Surrexit autem 32
Abimelech & Phicol princeps exercitus eius, reuerſique
ſunt in terram Palæſtinorum. Abraham verò plan- 33
tauit nemus in Berſabee, & inuocauit ibi nomen Domi-
ni DEI æterni. Et fuit colonus terræ Palæſtinorum 34
diebus multis.

Quis auditurus crederet Abraham, quod Sara lactaret filium, quem peperit ei iam ſenè. VERSV 7.

1 PRO illo: *Lactaret filium*, Hebraice eſt pluraliter, lacta-
ret filios. Cum autem vnum tantum filium pepererit
& lactauerit, cur pluraliter dixit, lactaſſe filios, Hebræi
more ſuo, ſuper ea re meras nugas & fabulas tradunt, ſi-
cut Lector videre poteſt apud Lyranum. Non diſplicet Lyranus.
mihi quod annotauit Caietanus, id eſſe dictum ad declarandum mira- Caietanus.
culum. Non enim ſolum & prole & lacte diuinitus Sara donata eſt: ſed
tanta lactis copia redundauit, vt propter nimiam exuberantiam neceſ-
ſe fuerit eam alios quoque infantes à ſe lactandos ſuſcipere. Verum il-
la mihi & ſimplicior, & planior, & credibilior videtur ſententia,
poſitum eſſe plurale pro ſingulari, vt ſæpe fit in Scriptura. Cur
autem præter partum, mentionem fecerit lactationis, cauſam eſſe

vult Chrysostomus,ne quis suspicaretur, partum fuisse simulatum, & infantem suppositititium, propter nimiam vtriusque coniugis senectutem : eam vero suspicionem abiicere cogebantur, quicumque aspiciebant Saram lactantem suis vberibus infantem suum. Propter hoc, inquit Chrysostomus,dati sunt ei lactis fontes, vt partum magis credibilem faciant:ne quis suppositititium esse putaret puerum.Fontes enim lactis prædicabant omnibus, genuinum esse partum, & præter humanam expectationem euenisse.

Chrysost.hom.l. 45. in Genes.

ADVERTAT Lector hoc loco laudatissimum fuisse morem illorum priscorum & Sanctorum hominum, vt matres quæ filios genuerant,eædem proprio eos lacte suo alerent : nec aliis mulieribus lactandos & nutriendos traderent : quod sane nunc quàm est in vsu, tam est in vitio. Audiamus ea de re sententiam Ambrosij:Quod Sara lactet infantem suum,prouocantur eo exemplo fœminæ,vt meminerint dignitatis suæ,& lactent ipsæ filios suos.Extat super hac ipsa re docta & elegans Phauorini philosophi disputatio, quam commemorat Gellius in Exordio libri duodecimi : Matres quæ filios suos non lactant, negabat ille esse totas atque integras matres, sed imperfectum quoddam atque dimidiatum matris genus appellabat : quippe quæ prolem enixæ, statim ab sese abiiciebant. Quale enim est,aluisse in vtero, sanguine suo, id quod non videbant;non alere autem postea suo lacte, quod videant iam viuentem, iam hominem, iam matris officia implorantem? Frustrantur porro istiusmodi matres consilium & solertiam atque opus naturæ : ea quippe vbera dedit fœminis, & in tempore impleuit lacte, liberorum vtique alendorum gratia. Nempe in eo mirabilis est naturæ solertia : quod postquam sanguis ille opifex,in penetralibus suis omne corpus hominis finxit & quoad fuit in vtero, nutriuit:aduentante iam partus tempore in supernas se partes profert, & ad fouenda vitæ atque lucis rudimenta præsto est, & recens natis, notũ & familiarem victum offert. Nec verum est (nam & hoc vulgo dici solet) dum alatur infans & viuat, nihil interesse cuius id lacte fiat. Siquidem vere à sapientibus viris creditum & proditum est, sicut valet ad fingendas animi & corporis similitudines, vis & natura genitalis seminis : non secus ad eandem rem, lactis quoque ingenium,virtutes ac proprietates valere. Neque in hominibus id solum, sed in pecudibus quoque animaduersum est. Nam si ouium lacte hœdi aut caprarum lacte agni alantur,constat ferme in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem.In arboribus etiam, & frugibus maior plerumque vis & potestas est, ad earum indolem vel detrectandam, vel augendam, aquarum & terrarum quæ alunt, quàm ipsius quod iacitur seminis. Ac sæpe videas arborem lætam & nitentem, in locum alium transpositam, deterioris terræ succo deperiisse. Nec illud negligendum & aspernandum est, quod quæ partus suos à se ablegant, & aliis nutriendos dedunt; vinculum illud & quasi coagulum animi & amoris, quo parentes cum filiis natura cõsociat:interscindunt:aut certe diluunt ac deterunt.Nam vbi infantis aliorsum

Laudabilis apud Priscos mos matrũ suis vberibus filios lactantium.

Ambrosius lib. 1. de Abrahã cap.7. Quã incommodũ & indecẽs sit infantes nõ à propriis matrib⁹, sed ab alienis lactari, elegans Phauorini disputatio. Gellius.

aliorsum dari;facta ex oculis amotio est;vigor ille maternæ flagrantiæ, sensim ac paulatim restinguitur : nec multo minor amandati ad nutricem aliam filij, quam morte amissi, oblitio est. Ipsius quoque infantis affectio animi,amoris,consuetudinis,in ea sola,vnde alitur,occupatur: & proinde (vt in expositis vsu venit) matris quæ genuit,neque sensum vllum,neque desiderium capit : sed amor eius erga parentes, magnam fere partem, non naturalis ille quidem est,sed quasi ciuilis & opinabilis.Permittit sane Plato,vt infantes alienis mulieribus lactandi tradantur:sed id fieri tunc solum concedit,cum propriæ matres, ob exiguitatem lactis, alendis illis minime sufficiunt. Sara igitur clarissimum matronarum exemplum & decus,vnicum filium suum Isaac proprio lacte nutrire ipsa voluit; quo videlicet & parentum amor in filium ardentior esset,simulque filij flagrantior & perseuerantior in parentes pietas existeret.

Plato lib. 5 Politicorũ.

3 DIXIT *porro Sara, Quis auditurus crederet Abraham, quod Sara lactaret filium quem peperit ei iam seni?* Mirabilitas eius partus non in eo fuit,quod Sara peperisset filium viro suo iam seni ; cum Cetura, Abrahæ triginta septem annis seniori quàm tunc erat,multos postea peperit filios Genes.25.Verum partus Saræ propterea erat admirandus, & videbatur incredibilis,quod ipsa quodammodo senior viro,suo & sterilis & sanguine menstruo destituta, concipere tamen & parere potuisset. Dixi Saram seniorem quodam modo fuisse quam Abraham:nam etsi tunc illa erat nonagenaria, & Abraham centenarius ; attamen in sexu muliebri ætas nonagenaria, prouectior videtur,quam in virili sexu centenaria. Deinde, Sara post id temporis non superuixit nisi triginta septem annos,vt colligitur ex cap.23.Geneseos:Abraham vero superuixit septuagintaquinque annos,vt patet infra Genes. 25. Quare nonagesimus annus Saræ,vt propinquior extremo vitæ eius,& totius ætatis termino,seniorem faciebat eam,quam centenarius annus ipsum Abrahã.

Creuit igitur puer & ablactatus est, fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius. VERSV 8.

4 QVANDIV lactatus fuerit Isaac,& quoto ætatis suæ anno sit ablactatus,non indicat Scriptura.Sanctus Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Geneſim super hunc locum, refert duas Hebræorũ super ea re opiniones:quibusdam quinquennale ablactationis tẽpus statuentibus; aliis vero vsque ad duodecimum annum extendentibus. Lippomanus triennale fuisse apud Hebræos lactationis infantiũ tempus, probat auctoritate matris Machabæorum martyrum; quæ vni filiorum suorum

S. Hieronymus.

Quot annis lactatus sit Isaac.

Lippomanus.

2.*Machab.7.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dixit, se portasse eum in vtero nouem mẽsibus, & triennio lactasse. At enim, satis verisimile est, quemadmodum tempore Abrahę, duplo longior erat humana vita, quam tempore Machabæorum; Isaac enim vixit centum octaginta annos: ita quoque spatia & interualla singularum ætatum, vt pueritiæ, adolescentiæ, iuuentutis & senectutis. Quare spatium infantilis ætatis, & tempus lactationis infantium, haud paulo fuisse longius quam est nunc, non temere credi posset.

Augustinus quæst. 50. in Genes. Cur Abraham in die ablactationis Isaac fecerit grande cõuiuiũ. 1. *Cor.* 3.

Ambrosius libr. 1. de Abraham capit. 7.

Rupertus lib. 6. Commentariorũ in Genes. capit. 19.

FECITQVE *Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.* Merito quæritur, ait Augustinus, cur Abraham, nec die quo natus est ei filius, nec die quo circumcisus est, sed die quo ablactatus est, epulum fecerit. Quod nisi ad aliquam spiritualem significationem referatur, nulla solutio quæstionis est. Tum scilicet esse debere magnum gaudium spirituale ætatis, quãdo fuerit factus homo nouus spiritualis, id, est, non talis, qualibus dixit Apostolus: *Lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis, sed nec adhuc potestis, adhuc enim estis carnales.* Similia tradit Ambrosius: Sed huiusmodi rationẽ spiritualẽ ab istis patribus traditã, cur Abraham in die ablactationis filij sui lautum & splendidum epulum dederit; copiosius & luculentius tractat Rupertus, cuius verba hic apponere non alienum putaui & gratum fore Lectori existimaui; sunt enim spirituali eruditione, pietate, & dulcedine condita. Quid opus erat, inquit Rupertus, in die ablactationis fieri tam grande conuiuium, aut scribi à Mose, nisi quia certi subest pulchritudo mysterij, quæ lactentes adhuc paruulos, ad solidum cibum prouocare possit? Est enim quoddam lac, & quædam infantia, quam verus Isaac, scilicet Christus cito excessit: & quam supergredi oporteat quemque idoneum Christi imitatorem. In quo qui tardiores existunt, redarguuntur per Apostolũ dicentem: *Cum deberetis iam magistri esse propter tempus, indigetis vt doceamini quæ sint elementa exordij sermonum* DEI, *& facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ, paruulus enim est: perfectorum enim est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali.* Hanc infantiam puer Iesus spiritualiter excessit testante Luca; *Iesus proficiebat sapientia & ætate, apud* DEVM *& homines.* Non quod aliquid antea nescierit, cum sit ipsa DEI Sapientia: sed quia paulatim de carnalibus legis cæremoniis intermittens sermonem, ferebat pueros ad perfectionem. Illic profecto grande fuit conuiuium: nam derelictis lacteis, id est, infantilibus ritibus, verbi gratia, brutorum animalium sacrificiis, traduxit suos ad verum & vnicum Sacrificium corporis & sanguinis sui. Hoc est vtique grande illud conuiuium, de quo dixit Isaias: *Faciet Dominus exercitum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium medullatorum, conuiuium vindemiæ defæcatæ.* Et quia per hoc conuiuium peccata soluũtur, continuo adiunxit: *Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & præcipitabit mortem in sempiternum.* Et quia verus iste Isaac, verus est risus,

5

Ad Heb. 5.

Luc. 2.

Isaiæ 25.

sus, & vera lætitia omnium, post modicum adiecit propheta: *Iste Dominus & sustinuimus eum, & exultabimus & lætebimur in salutari eius.* Igitur si huius historiæ simplicem sequaris literam, videntur leuia quæ de isto conuiuio scripta sunt: sin autem interiorem penetres spiritum, multum ad rem pertinuit narrasse, quia creuit puer, & ablactatus est, & Abraham fecit grande conuiuium in die ablactationis eius. Hactenus ex Ruperto.

6 AVGVSTINVS igitur non aliam putat reddi posse causam celebrati conuiuij in die ablactationis Isaac, nisi spiritualem, ab ipso traditam, & à Ruperto latius expositam. Atqui Caietanus aliam reddit causam, quæ sensum historicum & literalem spectat, ita scribens: Laudabilis consuetudo, vt initium comedendi primogeniti, celebraretur communi lætitia magni conuiuij. Ergo secundum Caietanum, ratio illius facti fuit, tunc laudabilis consuetudo ita faciendi in ablactione infantium. Huius autem introducendæ consuetudinis congruens tunc fuit ratio, nempe vt cum infans primogenitus primum comedere per se inciperet, tunc id communi multorum conuiuantium lætitia celebraretur. Verisimile igitur est fecisse id Abraham, quia sic erat in more, vel apud Chananæos, inter quos versabatur; vel apud Chaldæos, vbi natus educatusque fuerat; vel apud suos gentiles. Erat autem id rationi valde consentaneum, quia tunc primum homo clare fari, tunc suis ipse pedibus firmiter ingredi, tunc solido vesci cibo, eumque suis manibus sumere incipit.

Caietanus.

PRIMA DISPVTATIO.

De Lusu Ismaelis cum Isaac, propter quem ille Abrahæ domo eiectus est;

Super illis verbis:

Cum vidisset Sara filium Agar Aegyptiæ ludentem cum filio suo, dixit ad Abraham: Eijce ancillam hanc & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.

7 ILLVD, *Cum Isaac filio meo*, non est in Hebræo, sed ad explendam sententiam, quæ Hebraicè præcisa & imperfecta est, additum est à septuaginta Interpretibus: à quibus sumpsit Latinus interpres. Sed mirum videri posset, cur Sara propter puerilem lusum Ismaelis cum Isaac, vsque adeo commota & indignata sit, vt ad eiiciendum Ismaelem & matrem

matrem eius obfirmato penitus animo incubuerit. Lusus sane ita naturalis est pueris, vt à ludo puer græce vocetur παῖς, inde παιδία, ludus, à verbo παίζω, quod est, ludo: quasi puer græce dictus sit à ludendo. Nihil enim æque pueris cordi & voluptati est, quam ludere, & vt dixit Horatius,

Horatius lib. 1. Sermonum.

» *Ædificare casas, plostello adiungere mures,*
» *Ludere par impar, equitare in arundine longa.*

Quintil. lib. 1.

Quin etiam lusus puerorum, ingenij eorum & indolis specimen præbere, & futuræ spei significationem dare solet. Nimirum scite dixit Quintilianus: Nec me offenderit lusus in pueris, est enim & hoc signũ alacritatis: neque illum tristem, semperque demissum, sperare possum erectæ circa studia mentis fore cum in hoc quoque maxime naturali ætatibus illis impetu iaceat.

Qualis fuerit lusus Ismaelis cum Isaac. S. Hieronymus.

CVR igitur lusu illo Ismaelis tantopere aduersus eum incitata sit 8 Sara, disquirendum est: non enim fas est credere, fœminam modestissimam & sanctissimam, temerario quopiam animi impetu, cæcaque perturbatione id fecisse. B. Hieronymus libro secundo Commentariorum in Epistolã Pauli ad Galatas super caput quartum, vbi Paulus hæc ipsa verba Mosis de Sara commemorat, ponit eandem hanc quæstionem atque eam diligenter explicat. Cuius super ea re disputatio, intelligenti lectori, pleni horum verborum Commentarij vice esse potest; ad hunc autem modum scribit Hieronymus, explanans illa verba Pauli: *Qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum.* Non puto inuenire nos posse, vbi Ismael persecutus fuerit Isaac: sed tantum illud legimus, cum vidisset Sara filium ancillæ ludentem cum filio suo, dixisse ad Abraham, *Eijce ancillam & filium eius &c.* At enim simplex lusus inter infantes, abdicatione & expulsione dignus
Act. 22. non erat. Verum Paulus quasi Hebræus ex Hebræis, & ad pedes magistri Gamalielis edoctus, ex illis verbis Saræ dicentis: *Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ*, intellexit non fuisse lusum illum simplicem. Sed quia Ismael, quasi maior natu, & iam grandis circumcisus, sibi primogenita vindicabat, Scriptura iurgium paruulorũ vocauit lusum. Vnde Sara hæc verba non sustinens, & consuetudinem Ismaelis iam à parua ætate sibi primogenita vindicantis non patiens, erupit in illam vocem, *Eijce ancillam & filium eius.* Quod cum durum visum fuisset Abrahæ (semper enim primogenitis maiora debentur) non solum Ismaelem non esse priorem in hæreditate, sed ne æqualem quidem cum minore fratre accipere portionem: DEVS qui liberam intus esse, & foras expelli volebat ancillam, Saræ verba confirmauit. Sicut igitur tunc maior frater Ismael, lactantem adhuc & paruulum persequebatur Isaac, sibi circumcisionis prærogatiuam & primogenita vendicans: ita & nũc secundum carnem Ismael, aduersus minorem fratrem de Gentibus collectum populum Christianum, sustollitur, inflatur, erigitur. Hactenus ex Hieronymo: qui lusum Ismaelis interpretatur iurgium & altercationem cum Isaac, arrogando sibi ius primogenituræ.

Verum

Verum quod extremis hisce verbis dixit Hieronymus, fuisse tunc Isaac adhuc lactentem, minime consentit cum narratione Mosis, scribentis id contigisse post ablactationem Isaac: & idipsum affirmate tradit Hieronymus in Traditionibus hebraicis in Genesim super hunc locum. Auctor Commentariorum in vndecim Epistolas Pauli, falso præferens nomen Hieronymi, cuius Commentarij vna cum genuinis Hieronymi Commentariis coniuncti feruntur, super quartum caput Epistolæ ad Galatas, ait fuisse quinquennem Isaac, cum eum persequebatur Ismael. Sed auctor iste tantum abest vt fuerit Hieronymus, vt ne catholicus quidem fuerit: sed germanus Pelagianus, vt liquide cognoscet Lector ex Cõmentariis eius in cap. 7. 8. & 9. Epistolæ ad Romanos. Quinquennem autem fuisse tunc Isaac nec probat iste auctor, nec sane probari potest. Nam vt demus quinquennem fuisse ablactatum, quæ fuit opinio quorundam Hebræorum vt refert Hieronymus: attamen cum ille lusus siue persecutio post ablactationem facta sit, quanto post tempore facta fuerit incertum est.

Non fuit S. Hieronymus auctor Commentariorũ in vndecim epistolas Pauli licet illi nomine Hieronymi pręnotentur.

9 VERVM enimuero, paulo enucleatius declaremus qualisnam fuerit lusus ille Ismaelis cum Isaac. Sanctus Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim ait, dupliciter hoc ab Hebræis exponi: siue quod Idola ludo fecerit, iuxta illud quod Exodi trigesimosecũdo scriptũ est: *Sedit populus mãducare & bibere, & surrexerunt ludere*; siue quod aduersus Isaac, quasi maioris ipse ætatis, ioco sibi & ludo primogenita vẽdicaret. Lyranus ex sententia Hebræorũ tradit, verbum Hebræũ esse æquiuocum, quippe quatuor habere diuersas admodum significationes: nam significare, & ludere, & idololatrare Exodi 32. & pugnare vsque ad cædem, vt secundo Regum cap. 2. & lasciue iocari ac venereum actum exercere, vt Genesis 26. Hic igitur secundum Hebræos, participium illud, ludentem, accipitur in triplici posteriori significatione: vt intelligamus Saram vidisse Ismaelem ludentem, id est, facientem aliqua per ludum & iocum quæ pertinebant ad idololatriam; vel in ludo percutientem Isaac, & vitæ eius insidiantem; vel lasciue & obscœne cum eo iocantem.

Opinio Hebræorum de lusu Ismaelis cũ Isaac.

Lyranus tradit quatuor significationes huius verbi ludere.

VERVM refellit Lyranum non modo Thostatus, sed etiam Paulus Burgensis, vir omnium suæ ætatis in scientia linguæ Hebrææ, rerumque hebraicarum facile princeps. Contendunt isti, verbum illud hebræum, nusquam significare in Sacris literis vel actum idololatriæ, vel occisionem, vel lasciuiam veneream. Nam Exodi 33. cum dicitur: *Surrexerunt ludere*, illud ludere, non significat idololatrare, sed ludos agere saltando, vociferando, cantando. Non enim quia ludebant in honorem vituli conflati, idcirco ludere significat adorare vitulum, & idololatrare. In 2. autem libro Regum cap. 2. vbi dixit Abner ad Ioab: *Surgant pueri, & ludant coram nobis*, non significat ludere idem quod occidere, sed singulare certamẽ & duellum, quod est velut ludus militaris: quemadmodum etiam appellabantur ludi gladiatorij. Sensus itaque eorum verborum hic est: Descendant vtrinque milites nostri in singulare certamen; vt

Thostatus & Burgẽsis contra Lyranum.

Locus 2. Reg. cap. 2.

ſtrenuitatem ſuam & dexteritatem, ac peritiam bellicam oſtentent. Nec in 26. capite Geneſis, cum dicitur Abimelech vidiſſe iocantem ſiue ludentem Iſaac cum Rebecca, illud, iocantem ſiue ludentem, ſignificat cum vxore coëuntem: ſed ita libere iocantem, vt id non poſſet cadere in honeſtas perſonas, quæ coniugali vinculo inuicem non eſſent adſtrictæ. Dicamus igitur breuiter, pro illo participio ludentem, Hebraice legi Meſſahech, à verbo, Sadach, quod ſignificat, ludere, illudere, irridere, vel ſubſannare: & ferme, quantum ad ſignificationem, eandem vim habet, atque Latinum verbum ludere, quod ſignificat & ludere proprie dictum, & illudere, & præterea decipere. Hoc igitur loco illud, ludentem, commode interpretabimur, illudentem ei, contemptim & contumelioſe tractantem, & propter natiuitatis & circumciſionis prærogatiuam, principatum ſibi in patris domo arrogantem. Ad eandem ferme ſententiam poſitum eſt idem verbum Hebræum Geneſ. 39. vbi Latinus interpres vertit illud, illudere, cum dicitur: *Introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis.*

VERSV 10. *Eiice ancillam hanc & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ, cum filio meo Iſaac.*

Quatuor cauſæ, cur iuſte Sara domo ſua eiecerit Iſmaelem. Chryſoſt. homil. 46. in Geneſim.

CVR tantopere aduerſus Iſmaelem commota & indignata fuerit Sara, quatuor peridoneæ ac probabiles cauſæ reddi poſſunt. Primam cauſam ſupra expoſuimus, cum diſputaremus ſuper illis verbis: *Ludentem cum Iſaac filio ſuo.* Enimuero non putauit illa ferendam eſſe Iſmaelis arrogantiam, ſuperbe contemptimque illudentis filio ſuo Iſaac, & ſe illi, quantum ſpectat ad hæreditatem paternam, præferentis. Alteram cauſam exponit Chryſoſtomus hiſce verbis: Quoniam Sara & ſe in extrema eſſe videbat ætate, virumque ſuum prope decrepitum eſſe, verita ne forte cito atque etiam repente ambo morerentur; atque Iſmael, quòd ex Abrahæ concubitu natus eſſet, quoquo modo tentaret ſe in hæreditatem intrudere, & ex æquo cum Iſaac eam adiret: idcirco dixit: *Eiice ancillam & filium eius*: Diſcat, inquit, iam nihil commune habiturum filium ancillæ cum filio meo. Neque enim cõgruum eſt, vt filius Ægyptiæ & ancillæ cum filio matrisfamilias & dominæ, quaſi æqualis ſit conditionis & dignitatis, domi noſtræ verſetur. Tertiam cauſam, equidem reor fuiſſe hanc: Videbat Sara malæ indolis eſſe Iſmaelem: perſpiciebat procliuem eſſe eum ad vitia: cernebat turbulentum eius ingenium, agreſtem & ferocem animum, & ad ſæuitiam propenſum. Verita igitur eſt, ne domeſtica conſuetudine, ſimilibus Iſaac moribus & vitiis imbueretur atque inficeretur. Nouerat quippe, teneræ puerorum ætati, eorum quibuſcum viuunt vitia, facile ac tenaciter adhæreſcere. Vera ſanè eſt illa Senecæ ſententia: Sumuntur, inquit, à conuerſantibus mores: & 11

Seneca lib. 3. De Ira.

res: & vt quædam in contactis corporibus vitia tranſiliunt, ſic animus mala ſua proximis tradit. Et illud Ouidij verum eſt:

„ *Dum ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi,*
„ *Multaque corporibus, tranſitione nocent.*

Prudenter igitur Sara filij ſui non ſolum ſaluti, ſed etiam moribus conſulens, longe à domo ſua amandari Iſmaelem voluit.

Quartam ego cauſam non dubitans dixerim fuiſſe, ſingularem inſtinctum & impulſum DEI, quo diuinitus ad id faciendum Sara incitata eſt. Etenim DEVS voluntatem & ſententiam Saræ comprobauit, eamque iuſſit Abraham amplecti & exequi. Atque eius rei hanc DEVS reddidit cauſam: *Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen*: id eſt, ſolos deſcendentes ex te per Iſaac, appellari volo ſemen tuum: at ſi domi tuæ ſimul ſint Iſmael & Iſaac, cum ille ſit ſemen tuum, atque etiam primogenitus tuus, ſine dubio poſteri eius appellarentur ſemen tuum. Sed pulchre hanc rationem à DEO redditam enarrat Caietanus: Nulla, inquit, alia ratio redditur diuini huius iudicij, niſi dicendo, *Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Erat quidem Iſmael ſemen Abrahæ: nam de eo dixit DEVS: *Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia ſemen tuum eſt*: vterque igitur erat ſemen Abrahæ: ſed ſingulare quippiam atque eximium cenſuit DEVS fore in Iſaac, propter quod appellatio ſeminis Abrahæ, fieri deberet per Iſaac, & non per Iſmaelem: quam ob cauſam iuſſit Iſmaelem eiici de domo Abrahæ. Si enim in domo Abrahæ manſiſſet Iſmael, quoniam erat primogenitus eius, propagatio nominis Abrahæ in ſemine, directius & prius pertinuiſſet ad Iſmaelem quàm ad Iſaac: eiectio autem Iſmaelis effecit, vt ſolus Iſaac ſucceſſor eſſet in domo Abrahæ, ac proinde per ipſum ſolum, nomen ſeminis Abrahæ propagaretur. Quod ſi hanc cauſam profundius conſideraueris, hoc eſt, relatiue ad Meſſiam, qui per Iſaac naſciturus erat ex ſemine Abrahæ, & in eo benedicendæ erant omnes gentes, magni pendes huiuſmodi cauſam à nobis expoſitam. Sic Caietanus.

Caietanus in cap. 21. Geneſis.

Geneſ. 17.

12 ILLA porrò verba: *Non erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac*, nonnihil ingerunt dubitationis. Qualis enim, aut quanta eſſe potuit hæreditas Abrahæ in terra Chanaan, cui DEVS in ea regione nihil hæreditatis, ac ne paſſum quidem pedis (vt verbis vtar B. Stephani) dedit? eum nempe affirmat B. Paulus, in terra Promiſſionis, tanquam in aliena, demoratum eſſe, habitando in caſulis. Sed hoc expedire, nihil eſt negotij. Abraham nulla poſſidebat bona, vt vocant, ſtabilia; non vrbes, aut pagos; non agros vel prædia; non ſyluas aut nemora; non domos, nec talium bonorum erat eius hæreditas. Sedenim abundabat auro & argento, ac multiplici & pretioſa ſuppellectile: gregum armentorumque copioſiſſimus erat, ampliſſimamque habebat familiam: ingenti ſeruorum, ancillarum, operariorumque multitudine egregie inſtructam & ornatam. Et huiuſmodi quidem bonorum poſſeſſio, vocabatur patrimonium & hæreditas, & ſubſtantia, & poſſeſſio

Qualis fuerit hæreditas Abrahæ.

Actor. 7. Ad Heb. 11.

Abrahæ,cuius vtique nolebat Sara participem fieri Ismaelem. Legimus infra Genesis 25. Abraham cuncta quæ possidebat, dedisse filio suo Isaac, filiis autem concubinarum largitum esse munera, & separauisse eos ab Isaac, dum adhuc ipse viueret. Ex quo intelligitur, Abraham postea secutum esse iudicium Saræ de separandis aliis filiis ab Isaac, quantum ad contubernium & conuictum.

VERSVII. & 12.

Dure accepit hoc Abraham *pro filio suo. Cui dixit* DEVS: *Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua: omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.*

MERITO durum,& inhumanum, & iniquum videbatur 13
Abrahæ, vxorem & filium suum eiicere: & nisi diuina reuelatione doctus,& certior factus esset ita fieri oportere, nullo modo voluntati Saræ assentiri & obsequi debuisset. Erat quippe contra paternam caritatem, naturalem ac legitimum filium, quem alere & educare debebat, eiicere domo, & paterna cura, institutione, atque gubernatione abdicare. Agar porrò, quæ vera erat vxor eius, contra coniugalem fidem & caritatem erat, toro & contubernio suo priuare: & quam vtique sustentare ac tueri, eique petenti debitum reddere debebat, eam in manifestum perdendæ pudicitiæ ac vitæ discrimen obiicere, ingens flagitium videri poterat. Verumtamen vbi Abraham cognouit DEI voluntatem & sententiam, non acquieuit carni & sanguini: sed omnem vincens maritalem & paternum affectum, continuo vxorem & filium eiecit. In quo, nulla matrimonio facta est iniuria: nam vt nunc Ecclesia, iustas ob causas, nonnumquam inter coniuges diuortium facit, quantum ad torum: ita tunc DEVS, quantum ad torum & contubernium, segregari voluit Agar ab Abraham. Itaque nõ est dissolutum vinculũ matrimonij inter Agar & Abraham: ac proinde quoad vixit Abraham, iuncta matrimonio eius fuit Agar, nec alij viro nubere potuit. Quærit B. Augustinus, quomodo Abraham, cum esset Propheta, non intellexerit dictum illud Saræ de eiiciendo Ismaele, esse prophetiam; immo eo dicto valde contristatus sit: cum tamen prophetiam illam, & mysterium verbis illis adumbratum, magis ipse quàm Sara nosse debuisset. Sed intelligendum est, inquit Augustinus, vel ex reuelatione hoc dixisse Saram, cui prius illud fuerat à DEO reuelatum; Abraham verò, quem de hoc postea Dominus instruxit, paterno affectu pro filio esse commotum. Vel existimare licet, ambos primo nescisse, quidnam illud significaret; sed per Saram nescientem, illud esse dictum prophetice, cum illa muliebri animo esset commota propter ancillæ superbiam. Sic Augustinus. Addat præterea Lector,

Augustin. in Quæst. oribus in Genesim. quæst. 51.

Lector, non semper ipsis Prophetis præsto esse spiritum prophetiæ, vt vel ipsi quotiescumque volunt prophetare; vel aliorum dicta, sint prophetiæ nec ne, certo nosse ac diiudicare possint.

SECVNDA DISPVTATIO.

De viatico quod Abraham eiectis domo sua Agar & Ismaeli dedit;

Super illis verbis:

VERSVI4. *Surrexit itaque Abraham mane, tollens panem & vtrem aquæ, imposuit scapulæ eius; traditque puerum & dimisit eam.*

14 LECTIO Græca quam Sanctus Hieronymus & Augustinus referunt, à qua nec discrepat Hebraica, significat, Abraham imposuisse humeris Agar Ismaelem. Sic autem habet Græca lectio Latine reddita: *Sumpsit panem & vtrem aquæ, & dedit Agar, ponens super humerum eius, & paruulum, & dimisit eam.* Verum indecens, & ideo incredibile videtur, grandem iam adolescentem, non vtique vigesimo anno minorẽ, matris insedisse ceruicibus. Quod de Ismaelis ætate dixi, ita ostenditur: Eiectio Ismaelis facta est post ablactationem Isaac, licet quanto post tempore, incertum sit: Isaac verò iam quinquennis ablactatus est: Ismael porrò quartum & decimum annum agebat, cum natus est Isaac: videat Lector super hoc disputantem Sanctum Hieronymum in Traditionibus Hebraicis in Genesim super hunc locum. Caietanus intelligens ex lectione Hebraica, Ismaelem fuisse impositum humeris ipsius Agar, interpretatur illud de Ismaele imposito humeris Agar, esse Hebraismum, & metaphoricam locutionem. Siquidem ponere aliquid super humeros alicuius, est id fidei eius, & prudentiæ, & curæ committere. Ad hanc sententiam dictum est apud Isaiam capite nono: *Factus est principatus super humerum eius*: & apud eundem capite 22. *Dabo clauem Domus Dauid super humerũ eius, & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.* Ad hunc modum Caietanus. Sed expeditior est soluendi huius nodi ratio, qua vsi sunt Hieronymus & Augustinus. Nam cum in lectione Græca duo sint verba, prius quidem *dedit*, posterius autem *imposuit*: vox illa, puerum vel paruulum, iungi debet cum priori verbo *dedit*, non cum posteriori, *imposuit humeris eius*.

Hieronym. Caietanus.

Quid sit ponere aliquid super humeros alicuius.

Augustquæ. 53. in Genesim.

15 Cæterum ex iisdẽ verbis altera exoritur quæstio: Quomodo Abra-

Cur tam exiguũ viaticũ Abrahã dederit vxori suæ Agar & filio Ismaeli.

ham qui prædiues erat, & liberalis in omnes, amandans ex domo sua vxorem & filium, tam exiguo viatico eos instruxerit; non pecuniam tribuens, non eorum quæ ad victum conferunt, copiam; non iumenta, non famulos: sed panem solum & aquam, idque in paucos dies. Itane, qui in hospites & alienos tam erat benignus & largus, eum in vxorẽ suam & filium, adeo fuisse parcum & restrictum existimare conuenit? Pulchram sane disceptationem reperiet Lector super hac quæstione inter Thostatum & Caietanum, pro contrariis inter se sententiis acriter propugnantes. Caietanus putat, Abraham omnia dedisse abundanter, quæ ad iter illud commode faciendum conducebant, id est, abundantiam cibariorum, pecuniam, seruos, iumenta, & id genus alia: nominari autem tantum panem & aquam, secundum phrasim Hebraicam, qua quicquid ad cibatum & victum pertinet, appellatione panis & aquæ significatur. Et sententia quidem Caietani & verba, huiusce modi sunt:

Disceptatio inter Caietanũ & Thostatum.

Caietan. super cap. 21. Genesis.

Quæstio est, inquit Caietanus, quomodo decuerit, vt Abraham ditissimus, tam exigue, immo tam misere prouiderit vxori & filio, tantum panis & aquæ duntaxat dans, quantum humeris suis gestare mulier poterat. Solutio est, appellatione panis & aquæ, intelligi omnia victualia: & Abraham prouidisse copiose, & tam prouidenter, vt etiam dederit vas conseruatiuum aquæ in itinere. Hoc enim decebat patrem diuitem, qui filium inuitus emittebat. Nec verò victualia, nec puerum portanda dedit ipsi Agar: sed iumenta & famulos dedit pro rebus, & pro puero, & pro Agar. Verum quia tam rerum, quàm pueri curam dedit ipsi Agar, idcirco dicitur posuisse omnia super humeros eius. Metaphoricus quippe sermo est, quo significatur, non cuipiam famulo, sed ipsi Agar onus curæ rerum & pueri fuisse impositum. Nefas enim est credere, vxorem & filium emissos esse pedites, & sine larga prouisione. Nec fictus est hic sensus, sed literalis, & insinuatus ex multis: primum ex decentia Abrahæ; tum ex sexu & conditione Agar, quæ vxor eius erat; deinde ex ætate pueri & filij proprij; præterea ex pane & aqua, hoc est, victualibus portandis. Adhæc enim opus fuit iumentis, & consequenter etiam famulis, cum reliquo paratu. Neque enim Abraham peius tractauit Ismaelem, quàm alios filios, quos postea ex concubina genuit, quibus largitus est munera, vt infra legitur Genesis 25. Hactenus Caietanus.

Opinio Thostati.

16 At contra Thostatus arbitratur, Abraham non plus dedisse, quàm quod verba Mosis declarant, panem dico & aquam. Nam cum sit narratio historica, verba eius proprie, & vt sonant, accipienda sunt. Non igitur vocabulo panis & aquæ, intelligendus est omnis cibatus & potus, vt nonnunquam in Scriptura significari solet: ad hoc enim excludendum, signate dictum est, dedisse vtrẽ aquæ; vt de pura & sola aqua, & non de quolibet potu intelligeretur. Similiter igitur nomine panis, non quodlibet ad cibatum spectans, sed solus panis intelligendus est. Enimuero, eiectis domo cum indignatione matrisfamilias, credibilius fit, exiguum & tenue viaticum esse datum, quàm copiosum cibatum, vna

vna cum seruorum comitatu, & seruitio iumentorum. Id autem propterea fecit Abraham, quòd iussus à DEO fuerat, omnia quæ dixisset ei Sara facere, & omnino voluntati eius obsequi. Sola itaque necessaria ad sustentationem vitæ, vti sunt panis, & aqua, dedit Abraham. Cum enim in ea regione, magna esset aquarum inopia, subsidium aquæ ad aliquod tempus necessarium fuit: tum quia, vt traditur Ecclesiastici 29. *Initium vitæ hominis, aqua, & panis.* Abraham porrò certus erat, DEVM Ismaeli minime defuturum: ab eo quippe promissum sibi fuerat, se non modo salutem Ismaelis curaturum & conseruaturum, sed insuper facturum se eum in gentem amplissimam. Sedenim quanquam tunc Abraham non plura dedit Ismaeli & Agar, postea tamẽ, (vt par est credere) abunde suppeditauit eis quæcumque ad victum & vestitum, aliasque degendæ vitæ commoditates pertinebant. Desertum enim Pharan, vbi dicitur habitasse Agar cum Ismaele, prope distabat à Geraris, & Bersabee, & Hebrone, quibus in locis reliquum vitæ suæ tempus exegit Abraham. Denique sub finẽ vitæ, munera largitus est Ismaeli: namque de eo quoque intelligi debet, quod scriptum est infra Genesis 25. Abraham largitum esse munera filiis concubinarum: neque enim alias concubinas, id est, minus principales vxores, habuit Abrahã, nisi Agar & Ceturam.

Genes. 17.

17 Atque huic sententiæ libenter equidem subscribo; eamque Theodoreti etiam auctoritate firmare possum, ad hunc modum scribentis: Etsi Abraham valde diligeret Ismaelem, prompte tamen & alacriter facit, quod DEVS præceperat: adeoque diuinis de Ismaele promissis credidit, vt non datis illi seruis vel ancillis, non auro vel argento, sed cum sola matre pauciſque panibus, & vtre aquæ, domo amandauerit. Nimirum certus erat, haud dubie præstaturum DEVM, quod de puero promiserat, facturum se eum in gentem magnam. Quocirca cum in solitudine puer siti vexatus, aquam desideraret; missus à DEO Angelus, puteum aquæ potabilis ostendit. Progenies verò & posteritas Ismaelis, quàm fuerit numerosa, vt DEVS pollicitus erat, testificantur ea, quæ sunt ante oculos: à finibus enim Ægypti vsque ad Babylonem, Ismaelis progenie desertum abundat. Sic Theodoretus.

Theodoret. quæst. 71. in Genesim. Auctoris sẽtentia.

Genes. 17.

18 Duæ restant diluendæ obiectiones. Dictum est supra, Ismaelem non fuisse impositum humeris Agar, vt Græca lectio significare videbatur; idque declaratur verbis Angeli dicentis Agar: *Tolle puerum & tene manum illius.* Ex quo manifestum est, inquit Hieronymus, eum qui matris manu tenetur, non oneri matris fuisse, sed comitem. Quod autem matris manu tenetur, solicitus monstratur affectus. Verum aduersari videtur huic sententiæ Moses scribens, Agar proiecisse puerum subter vnam arborem: si proiecit, ergo portabat eum. Sed intelligendum est, ait Augustinus, proiectum esse non à portante, sed, vt fit, ab animo, tanquam mox moriturum. Neque enim cum scriptum est; *Proiectus sum a facie oculorum tuorum*, portabatur, qui hoc dixit. Et est in quotidiano loquendi vsu, cum proiicitur aliquis ab aliquo cum quo erat, ne ab

Duæ obiectiones.

Hieronym.

Aug. quę. 54. in Genes. *Psalm. 30.*

ne ab illo videatur, aut cum illo maneat. Altera obiectio, hæc est: non videri credibile, Ismaelem fuisse id temporis annorum ferme viginti, vt supra dictum est; cum in hac historia nominetur puer siue paruulus; neque enim in tam grandem adolescentis ætatem, apte quadraret pueri vel paruuli appellatio. Sed hoc soluens B. Hieronymus, Verum est, inquit, illud Hebræorum linguæ idioma, omnem filium, ad comparationem parentum, infátem vocari & paruulum. Nec miremur, barbaram linguam suas habere proprietates, cum hodieque omnes filij vocentur infantes. Sic Hieronymus.

Hieron. in Traditionibus hebraicis in Gen.

Hoc factum Abrahæ tam parce duriterque vxorẽ & filium tractantis, Rupertus secundum allegoricam intelligentiam, sane quam apte ac decenter declarans, ad veterem illum Hebræum populum & Synagogam accommodauit: cuius verba hic adscribam. Ergo ne, ait Rupertus, sic auarus fuit diues ille regum victor, & trecentorum decem & octo vernaculorum dominus, vt præter panem & vtrem aquæ, nihil filio donaret, quem tristis eiiciebat; nec saltem vnum illi asellum commodaret, sed ea scapulæ matris imponeret? Sedenim in istis ipsis, quæ ridicula videntur, litera seruit spititui, & ea sub vili textu sermonis, futura præcinit, quæ nunc præsentia totus aspicit orbis. Eiecta namque ancilla, panem non qualemcumque, sed panem hordeaceum: & vtrem non vini, sed aquæ in scapula portat, sub onere curua. Nimirum Synagoga, vera patris Abrahæ hæreditate priuata, solum literalem sensum baiulãs, sub onere importabili anhelat. Nam importabile esse onus occidentis literæ, Petrus quoque testatur dicens: *Quid tentatis ceruicibus discipulorum imponere iugum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus?* Iam vero Agar per desertum oberrans, puerum, iam siti deficientem ac moribundum subter arborem infeliciter abiecit: Nempe Synagoga abiecta à DEO & deserta, carnali legis scientia magis onerata quam refecta incedit: & filios suos in peccato suo moriẽtes, subter arborem Crucis abiicit: perseuerante nimirum super illos atroci illa sententia, quam ipsa eorum sæuissima mater edixit: *Sanguis eius, super nos & super filios nostros.* Hæc Rupertus.

Rupertus libro 6. Commentariorũ in Genesim cap. 22.

Act. 15.

Matth. 27

19

IN eo autem quod subditur, missum esse Angelum ad Agar: & aperuisse DEVM oculos eius, vt videret puteum aquæ; ex quo ipsa vtrem impleuit, & dedit puero bibere; non est cogitandum habuisse tunc Agar oculos clausos; sed propterea dicitur aperuisse DEVS oculos eius, quia fecit eam videre puteum quem antea non videbat, vel propter nimiam animi anxietatem & perturbationem, vel propter distantiam putei ab eo loco in quo ipsa erat, vel propter occultationem eius in abstruso quopiam loco, & à conspectu hominum remoto. Sed hoc Rupertus tradit ad mysteriũ illud, quod Paulus docuit de futura sub mundi finem Iudæorum conuersione. *Vbi enim plenitudo Gentium intrauerit, tunc etiam Israel saluus erit.* Tunc mittet DEVS Angelum suum, id est Henoch & Eliam, qui Agar, id est, Synagogam in solitudine errantem, ad rectam veritatis viam reducent. Tunc DEVS aperiet oculos Synagogę, amoto

20

Ad Rom. 11. 2 *ad Cor.* 3.

amoto velamine, quod nunc positum est super cor Iudæorum, & spiritali, veroque intellectu videbit puteum Scripturarum, puteum vtique aquarum viuentium. Et inde potum dabit filio suo, id est, verum diuinarum Scripturarum auditoribus suis propinabit intellectũ, ad CHRISTI, qui Scripturæ finis est, fidem eos adducens.

Eodem tempore dixit Abimelech *&* Phicol *princeps exercitus eius ad* Abraham: DEVS *tecum est in vniuersis quæ agis: iura ergo per* DEVM, *ne noceas mihi, & posteris meis & cætera.* VERSV 22.

21 RVRSVS Moses in hac historia Abrahæ, regis Abimelech satis laudabilem & honoratam infert mentionem. Quale enim est, vt rex Gentilis, peregrinum hominem, & in ditione sua versantem, propter excellẽtem eius virtutem tanti faciat, vt etiam regni sui plurimum interesse putauerit, si cum eo amicitiam iungeret, ac fœdus iniret? Arguit id profecto cordatum animum prudentemque, & virtutis, in quocunque hominum eam cerneret, peramantem atque obseruantem. Quod sane cõtra, non raro accidere solet magnis quibusdam principibus, qui voluntatem, vel potius libidinem suam pro summa & inuiolabili lege esse volunt. His nempe, vt recte quodam loco Salustius dixit, boni quam mali suspectiores sunt, & aliena virtus formidolosa; nec vlli magis infesti atque exosi, quam quos vel suspiciendos facit virtus, vel dignitas metuendos. Scitum verumque est quod Polybius scriptum reliquit: Egregia facinora, & res præclare gestas, magnam plerumque inuidiam conflare, graueque struere calumnias; quibus ciues quidem, cognatorum & amicorum multitudine freti fultique, facile obsistunt; hospites vero ac peregrinos, quia omnis præsidij expertes sunt, vtroque malo facile opprimi & conteri. Verum regi Abimelech (quod magnum probitatis eius argumentum est) Abrahæ priuati & peregrini hominis excellens virtus, atque illustris facinorum eius gloria & fama, non solum inuidiosa & inuisa non fuit, sed admiranda & honoranda; eiusque amicitia, expetenda sibi & ambienda visa est. Quatuor porro rebus ad optandam Abrahæ amicitiam & confœderationem impulsus est Abimelech: Primo, admirabili victoria, quam ille de quatuor regibus à se debellatis reportauerat: tum honorifica gratulatione, ornatissimo encomio, splendido conuiuio, & honore amplissimo quem exhibuerat ei Melchisedech rex Salem & Sacerdos DEI altissimi: Ad hæc, miraculo natiuitatis Isaac, ex patre sene, & matre sterili, supra naturę ordinem poteſtatemque generati: denique admiratione præstantis sapiẽtiæ & virtutis eius, omnia prudenter deliberantis, mature aggredientis, & ad

Salustius.

Polybius libro 1.

Quæ res ad duxerint Abimelech regem ad captandam Abrahæ amicitiam. *Genesis* 14. Ibidem.

prosperos atque optatos exitus perducentis. Itaque verissime in Abraham dici poterat, quod postea in laudem iusti ac sapientis viri cecinit Dauid: *Erit tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium suum non defluet, & omnia quæcumque faciet prosperabuntur.* Psalm. 1.

VERS. 29. 30. 31.

Et statuit Abraham *septem agnas gregis seorsum. Cui dixit* Abimelech: *Quid sibi volunt septem agnæ istæ? At ille: Septem, inquit, agnas accipies de manu mea, vt sint mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum. Idcirco vocatus est locus ille Bersabee, quia ibi vterque iurauit.*

ONNVLLI putarunt separationem illarum septem agnarum, fuisse cæremoniã quandã & ritũ, quo percutiendũ erat fœdus. Sed istos redarguit tam interrogatio Abimelech, quã responsio Abrahæ. Ille nãque nesciebat quid significaret illa segregatio septẽ agnarum: at ritus & modus percutiẽdi fœdera in ea regione, & apud eas gẽtes vsitatus, regẽ illũ latere nõ poterat: Abrahã vero respondẽs interrogationi Regis septem agnas sepositas à se fuisse, vt signũ & testimoniũ forent, quod ipse fodisset puteũ illum; satis indicauit septem illas agnas non pertinuisse ad ritum pangendi fœderis. Equidẽ reor, non alia cæremonia ictũ fuisse inter illos fœdus, nisi iureiurãdo vtrinque adhibito. Quod non obscure significauit Moses narrans eos iureiurãdo percussisse fœdus super puteo illo, & inde postea vocatum esse puteũ iuramenti. Existimat Augustinus, datas esse agnas illas regi Abimelech in pretiũ, quo emit Abraham aliquantũ terræ spatiũ circa illum puteũ, vbi postea plantauit ipse agrum, sicut paulo infra dicitur. Nam pro eo quod nos legimus: *plantauit nemus*, ipse Græcam lectionem secutus legit, *plantauit agrum.* Aug. quæst. 56. in Gen.

22

Idcirco vocatus est locus ille Bersabee, quia ibi vterque iurauit. Vox Bersabee composita est ex, ber, quod significat puteum, & ex sabe, quod significare potest tam septem, quam iuramentum: quare Bersabee interpretari licet, & puteum septem, & puteum iuramenti. Ac fortasse ad vtrumque signandum consulto tale nomen impositũ est, quod vtrumque circa puteum illum factum sit. Etenim Abraham septẽ agnas electas ex omni grege dedit Abimelech, *Vt sint* inquit, *mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum.* Quapropter dicebatur puteus septem. Quoniam verò Abimelech & Abraham iuxtà illum puteum, adhibito iureiurando, percusserunt fœdus; idcirco vocatus est puteus iuramenti. Ergo quoad mansit appellatio illa Bersabee, manifestum & perpetuum fuit duarum rerum testimonium & argumentum, & quod Abraham puteum

23

puteũ illum sibi fodisset & comparasset; & quod iuxta eum, fœdus inter Abimelech & Abraham iureiurando ictum & sancitum esset. Ex illo autem puteo vicina ciuitas similem traxit appellationem, vt & ipsa diceretur Bersabee. Erat autem ea ciuitas vltima totius terræ Promissionis versus austrum iuxta Gerara, & magnam illam solitudinẽ, in qua oberrantes Hebræi diu versati sunt. Erat enim Bersabee extremus terminus totius longitudinis terræ Promissionis versus meridiẽ: sicut ex aduerso, Dan, alter erat terminus versus Septentrionem. Quapropter in Scriptura longitudo totius terræ Promissionis declarari solet his verbis: A Dã vsque Bersabe. Erat hæc vrbs in sorte tribus Simeonis, vt patet Iosue 19. Sed quia sors Simeonis continebatur intra sortem Iudę, vt eodem illo capite Iosue traditur; hinc factum esse puto, vt ciuitas Bersabee, in capite 15. libri Iosue, inter vrbes Iudę australes numeretur. Ex supra dictis concludit S. Hieronymus, Isaac non esse natum in conualle Mambre, siue in vrbe Hebrõ, sed Geraris, cui propinqua erat vrbs Bersabee: ambæ vero in terra Palæstinorũ erant, vbi regnabat Abimelech. Vrbs Bersabe. S. Hieronymus. Vbi natus Isaac.

VERS. 33. 34.

Abraham plantauit nemus in Bersabee: & inuocauit ibi nomen DEI *æterni, & fuit colonus terræ Philistinorum diebus multis.*

24 PRO vocabulo illo (nemus) septuaginta verterũt, agrum: vox Hebræa Essel significat arborem, præcipue vero amplam, & patulis ac frondosis diffusam ramis. Verum singulare positum est pro plurali, arborẽ dico pro arboreto: eum namque locum Abraham multis ac magnis arboribus compleuit, in modum scilicet nemoris. Id autem fecit ille, non commodioris solum amœnioris que habitationis gratia, sed vt esset locus diuino cultui sacratus: quo ipse ad sacrificandum DEO, & vt diuinis laudibus celebrandis, rebusque diuinis meditandis, quieto atque intento animo assidue operam dare posset, frequenter secedere solebat. Recte igitur Caietanus dixit, fuisse locum illum quasi oratorium & templum, ad colendum DEVM, tam ipsi Abrahæ, quam domesticis eius, aliisque sociis verum DEVM colentibus. Hebræi tradunt, referente Thostato, solitũ Abraham, hospites qui domum eius frequentabant, deducere in eum locum, vt ibi DEVM laudarent, & de rebus diuinis inuicem sermocinarentur, sibique adessent sacrificanti. Iuxta traditionem hanc Hebræorum est, quod in Targo Hierosolymitano scriptum legimus hisce verbis: Abraham hortum plantauit plenum optimis fructibus: & peregrinos suscipiens hospitio, gratis omnia illis suppeditabat, nihil aliud exigens pro pretio, nisi vt conditorem rectoremque cæli & terræ agnoscerẽt & colerent, cuius nempe donum esset, quidquid comedissent & bibissent. Sic veram religio- Caietanus. Thostatus. Targum Hierosolymitanum.

nem edoctos,& ad melioris vitæ instituta conuersos,dimittebat.

Vsus arborũ & nemorũ in cultu Deorũ apud Gentiles. *Plinius li. 12. cap. 1.*

Omnis ferme illa Gentilitas,veri DEI cognitionis expers,& impiis 25
falsorum Deorum superstitionibus mancipata,in excelsis montibus siue collibus,in syluis ac nemoribus, iuxta proceras & late iucundeque vmbriferas arbores,idololatriam exercebat. Audiat Lector Plinij verba id ipsum strictim cursimque indicantis : nam loquens de arboribus & arboretis,ita scribit:Hæc fuere quondam numinum templa : priscoque ritu , simplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant:nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quam lucos, & in iis silentia ipsa adoramus. Arborum genera,numinibus suis dicata, perpetuo seruantur, vt Ioui esculus , Apollini laurus , Mineruæ olea, Veneri myrtus,Herculi populus:Quin & Syluanos Faunosque,& dearum genera syluis , ac sua numina non secus ac cœlo attributa credimus.Sic Plinius.Hunc morem Gentilium,Iudæos ad Idololatriam delapsos,nefarie atque impie imitantes grauissimis verbis incusat,& reprehendit DEVS per Oseam dicens:*Super capita montium sacrificabant & super colles accendebant thimiama, subter quercum, & populum , & therebintum,quia bona erat vmbra eius.* Ad abolendam igitur Gẽtilium istiusmodi cõsuetudinem & superstitionem, lege Mosaica interdictum Hebræis est lucorum & arborum vsu ad cultum DEI tractandum eaque vetitum est habere iuxta templum.Sic enim legimus Deuteronomij 12.*Subuertite omnia loca,in quibus Gentes quas possessuri estis , coluerunt deos suos super montes excelsos ac colles,& subter omne lignum frondosum.Dissipate aras earum,confringite statuas,lucos igne comburite , & Idola comminuite : disperdite nomina earum de locis illis. Vos autem non ita facietis Domino* DEO *vestro.*

Ose a 4.

Cur lex Mosis nemora & arbores intra,iuxtaue tẽplum Dei esse vetuerit , quatuor rationes reddit Philo in libro de Monarchia.

Cur autẽ lex Mosaica tantopere detestata sit lucorũ & arborũ cul- 26
tum in operatione sacrorũ,breuissime Philo nonnullas causas exponit, disputans cur lex Mosis lucos vel arbores,intra iuxtaue templum DEI esse vetuerit.Primo,inquit,quoniam verũ DEI templum, non amœnitates postulat,sed seueram castimoniam. Deinde, quia non est fas illuc importare,quæ faciunt ad virorẽ arborum, hoc est, brutorũ & hominum excrementa.Tertio,quia sylуestris materię nullus est vsus,cum sit,vt poëtæ loquuntur,telluris inutile pondus:fructiferæ autem arbores , parum cordatos & pios ab intentione animi , religioneque sacris debita retraherent.Præterea condensa syluarum maleficis conueniunt, ex latebris securitatem & insidiarum occasionem quærentibus:at patentia,& oculis exposita loca,quæ introgressi , & videri ab aliis , & videre alios possunt,sacris maxime apta sunt & accommodata.

Lyranus.

Et fuit colonus terræ Palæstinorum dieb.multis. Dies multos, phrasi he- 27
braica,dixit Moses, pro eo quod est, longo tempore. Sed quot annis Abraham illic moratus est? Secundum Lyranum , vigintiquinque annis ; secundum Hebræos autem, vt traditur in Maiori eorũ Chronologia , quã doctissimus Genebrardus Latino sermone interpretatus est, vigintisex annis. Verum istos Hebræos , suo ipsos gladio (vt dicitur) quispiam

quispiam iugulare posset. Constat enim Abraham in terra Palæstinarum non modo vsque ad immolationem Isaac,verum etiam aliquandiu post,habitasse , sicut infra aperte dicitur sub finem cap. 22. illis verbis: *Reuersus est Abraham ad pueros,abieruntque Bersabee simul, & habitauit ibi.* Isaac porro secundum istorum Hebræorum Chronologiam , triginta-septem annorum erat,cum ductus est ad immolandum ; & ante ortum eius iam venerat Abraham Gerara,metropolim terræ Palæstinorum,vt supra dictum est Genesis 20. Ex his plane concluditur , Hebræos fateri debere,plus triginta septem annos in terra Philisthinorum habitasse Abraham. An vero diutius ibi versatus sit Abrahã,quam in vrbe Hebron, siue in conualle Mambre , vt Lyranus Hebræique arbitrantur , videat Lector Thostati hoc loco,aduersus Lyranum super ea redisputationem. Thostatus.

Hoc porro factum Abrahæ qui plantauit nemus in terra Palæstinorum ad inuocandum ibi nomen DEI, præter exteriorem historiæ corticem,interioris cuiuspiam mysterij quasi medullam continet.Hoc autem mysterium ita Rupertus enarrat : Ad mysterium vtique hoc pertinet:nam Abrahæ fides à Iudæis translata,& in Gentibus plantata,grande diuersis ex hominibus tanquam ex variis arboribus nemus effecit. Tale nemus & per Isaiam DEVS ipse promittens desertæ Gentilitati, diuersa diuersorum Sanctorum merita sub variarum similitudine arborum hunc in modum distinxit : *Dabo in solitudine cedrum , & spinam, & myrtum,& lignum oliuæ:ponam in deserto abietem,vlmum,& buxum simul. Vt videant,& sciant,& recogitent , & intelligant pariter.* In huiusmodi nemore , quæ est Ecclesia CHRISTI de Gentibus congregata , rite inuocatur & colitur DEVS secundum fidem Abrahæ. Sic igitur relicta terra populi Iudaici,colonus est Abraham terrę Palęstinorum;quæ vox cadentes significat:quales prius fuimus nos: nunc autẽ fixę & pulchræ transplantationes in domo Domini. Quocirca Apostolus, cum præterita fidelium in Gentilitate vitia enumerasset,mox adiunxit: *Et hæc quidem fuistis:sed ablati estis,sed sanctificati estis , sed iustificati estis in nomine Domini nostri* IESV CHRISTI, *& in Spiritu* DEI *nostri.* Rupertus. lib. 6. commentariorũ in Genes. cap. 27. *Isaiæ. 41.* *1. ad Corinth. 6.*

TERTIA DISPVTATIO,

De Allegorica expositione huius historiæ de Agar & Aara, & de Isaac atque Ismael , quam B. Paulus in Epistola ad Galatas indicauit.

ALLEGORIAM huius historiæ B. Paulus comprobauit auctoritate sua, & expositione sua nobilitauit , simulque nos ad explicationem atque vberiorem eiusdem tractationem , exemplo suo incitauit. Consentaneum igitur fuerit, vt qualis sit Apostoli expositio , declarando eius verba , ostendamus: *Ad Gal. ca. 4.*

inchoatamque ab eo expositionem, pleniore eiusdem allegoriæ tractatu persequamur. Docet autem Paulus, quæ tradit Moses in libro Geneſis de Agar & Sara, de Iſmaele item atque Iſaac, in iis contineri, ſecundum allegoricam intelligentiam, magnum quoddam myſterium ſpectans ad CHRISTI Eccleſiam; quo ſcilicet præſignificata eſt perinſignis differentia Eccleſiæ atque Synagogæ, populique Chriſtiani atque Iudaici. Ponam verba B. Pauli, quæ ſunt in capite quarto Epiſtolæ ad Galatas, adiuncta eorum interpretatione. Sic autem ille ſcribit.

Dicite mihi qui ſub lege vultis eſſe, legem nõ legiſtis? Scriptum eſt enim, quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera: Sed qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt, qui autem de libera, per repromiſſionem: quæ ſunt per allegoriam dicta.

DISPVTAT Paulus aduerſus errorem in quo verſabantur Galatæ à quibuſdam ſeducti, exiſtimantes, etiam credentibus in CHRISTVM, & legem Euangelicam profeſſis, legis inſuper Moſaicæ obſeruationem eſſe neceſſariam. His autem verbis videtur illud dicere Paulus: Vos Galatæ vultis adhærere legi Moſis: at lex ipſa vos à ſe repellit, & ad CHRISTVM mittit; teſtificans non ex ſe quærendam vobis & ſperandam eſſe iuſtitiam ac ſalutem, ſed ex fide & gratia CHRISTI. *Legem non legiſtis*, Græce eſt, *non audiſtis*? Vocabulo autem legis ſignificatur primus liber Moſis, qui inſcribitur Geneſis, in cuius 16. & 21. capite prodita ſunt, quæ hic à Paulo commemorantur. Quanquam ſi proprie loquamur de lege Moſis, cum de ea nullum fiat verbum in libro Geneſis, ſed in aliis quatuor libris ea tractetur, in eos potius libros nomen legis competit, quam in librum Geneſis. Ergo hic legem vocat ipſum Pentateuchum Moſis. Apud Ioannem autem cap. 15. nomen legis poſitum eſt pro libro Pſalmorum: *Sed vt adimpleatur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt; Quia odio habuerunt me gratis.* Apud Lucam vero cap. vltimo vocabulum legis comprehendere videtur vniuerſam Scripturam, præter Prophetas & Pſalmos, cum dixit Dominus: *Neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moſis, & in Prophetis, & in Pſalmis de me.* 28

Vox legis varie ſumitur in ſcriptura.

Pſal. 34. & 68. & 108.

Sequitur in ſupradictis verbis Pauli: *Quoniam Abraham duos filios habuit*, ſcilicet Iſmaelem & Iſaac. Habuit præterea ſex alios filios ex Cethura vxore quam duxit poſt obitum Saræ, Geneſ. 25. ſed quia ſolum illi duo pertinebant ad hiſtoriam & myſterium quod eo loco Paulus tractare inſtituerat, propterea duos tantum Abrahæ filios nominauit, 29

Vnum

Vnum de ancilla, & vnum de libera. Agar prius fuerat ſimpliciter ancilla, ſed poſtea, vera fuit vxor Abrahæ quantum ad inſolubile coniugij vinculum, legitimumque matrimonij vſum ac primarium eius finem, quæ eſt procreatio liberorum; atque hoc nomine Agar ſeruilem exuit conditionem, & libera dici potuit. Sed nihilominus tamen manſit ea in ſeruili ſtatu, quantum ad dominationem & gubernationem familiæ ac domus Abrahæ, quæ penes ſolam fuit Saram. *Sed qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt: qui autem de libera, ſecundum repromiſſionem: quæ ſunt per allegoriam dicta.* Illud, *ſecundum carnem*, aliquãdo vitium denotat, & cum quadam reprehenſione ac deteſtatione dicitur, vt ad Romanos 8. *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini.* & ſecundæ ad Corinthios 10. *In carne ambulantes, non ſecundum carnem militamus.* Verum non ſic accipitur hoc loco: non enim Abraham cum flagitio & peccato genuit Iſmaelem. Significat igitur illud, *ſecundum carnem* non aliud in præſentia, niſi ſecundum ordinem, curſum, facultatem ac modum naturalem carnalis generationis hominum. Non enim ſupra vim carnis eſt, vt ex puella fœcunda, vir etiam ſenex filios generet; quippe cum id vt multis exemplis compertum eſt, naturale & vſitatum ſit. Quoniam vero illud *per repromiſſionem* Paulus oppoſuit ei quod eſt *ſecundum carnem*, videri fortaſſe poſſet illud *per repromiſſionem*, ſignificare Iſaac non eſſe genitum per commixtionem carnis, ſed alio quopiam inuſitato modo; quod tamen falſum eſt: ergo *perre promiſſionem* idem ſignificat quod, non per vim carnis, nec ſecundum vſitatum ordinem & curſum naturæ, ſed ſolius DEI poteſtate, qui generationem Iſaac promiſit Abrahæ Geneſis 17. & 18. Nam quod ſenex iam centenarius, ex ſene nonagenaria & ſterili filios generet, id profecto non fert hominis caro, non capit natura, ſed vim eius omnem excedit. Quæ autem fuerit illa DEI repromiſſio, expreſſe magis oſtendunt illa verba Pauli ad Romanos 9. *Non qui filij carnis, hi filij* DEI, *ſed qui ſiſtij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine. Promiſſionis enim verbum hoc eſt: Secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius.* Geneſ. 18.

30 QVÆ *ſunt per allegoriam dicta*, Id eſt, Iſta narrationes, præter hiſtoriam rei geſtæ, magnum in ſe habet myſterium, ſcilicet præfigurans aliud quiddam ſummi momenti poſtea gerendum: & hoc vocatur allegoria. Eſt autem duplex allegoriæ genus: vna, eſt verborum, altera rerum. Illa eſt figurata oratio, tota plane metaphorica, ob idque ſubobſcuram reddens ſententiam, quæ quidem communis eſt diuinæ Scripturæ cum externis humaniſque doctrinis; & ſicut apud Poëtas, ita quoque apud Prophetas frequens eſt. Allegoriam rerum ita deſcripſit breuiſſime Ambroſius: Allegoria eſt cum aliud geritur, & aliud figuratur, Exempli gratia; triduana Ionæ manſio intra ventrem ceti, & inde poſtea eius penitus illæſi egreſſio, figurauit triduanam corporis CHRISTI ſepulturam, & glorioſam eius reſurrectionem. Et hoc hiſtoria illa ſignificauit ſecundum ſenſum allegoricum, quem Dominus noſter interpretatus eſt Matthæi 12. quemadmodum etiam illud de Serpente

Duplex. Allegoria.

Ambroſ. li. 1. De Abraham cap. 4. Ionæ 3. Matth. 12. Num. 21.

quem

quem Moſes exaltauit in deſerto Ioan. 3. Cum autem Paulus ait: *Quæ ſunt per allegoriam dicta*, ſatis indicat, in illa hiſtoria præcipue ac potiſſimum fuiſſe à SPIRITV Sancto ſpectatam atque intentam eam, quam ipſe hic docet allegoriam. Et vero, cum ſenſus allegoricus ſiue myſticus fere pertineat ad res nobiliſſimas & præſtantiſſimas, & potiſſimum à DEO intentas, vt ad CHRISTVM, & Eccleſiam eius, cæleſtemque patriam; hinc efficitur, hunc ſenſum myſticum potiorem eſſe, & à SPIRITV Sancto magis intentum quàm hiſtoricum. Hoc genus allegoriæ rerum, proprium eſt ſacræ doctrinæ, nec in humanis diſciplinis & ſcripturis locum habere poteſt. Etenim ſolius DEI eſt, qui ſacras inſpirauit & dictauit Scripturas, omnia quæ futura ſunt, certe ac perfecte noſſe: nec ſolum noſſe, ſed ea diſponere, ordinare, & quocumque vult dirigere. Quapropter ſolus ipſe poteſt inſtituere ac perficere, vt res prioribus temporibus geſtæ, aliarum rerum quæ poſtero tempore gerendæ ſunt, veram certamque figuram gerant.

Allegoricus ſenſus potior literali.

Allegoria rerum eſt propria diuinę ſcripturæ.

Hæc enim ſunt duo teſtamenta: vnum quidem in monte Synai, in ſeruitutem generans, quæ eſt Agar.

SENSVS eſt: Agar & Sara figurant & ſignificant duo Teſtamenta, vetus & Nouum, illud generans ſeruilem ſpiritum timoris; hoc autem donans filialem ſpiritum amoris & libertatis ſpiritualis. Ergo illud: *Hæc ſunt*, habet hunc ſenſum: Quæ de Agar & Sara ſcripta ſunt, figurant & ſignificant duo Teſtamenta. Similiter cum Paulus dixit: *Petra autem erat* CHRISTVS idem dicere voluit atque, Petra illa figurabat CHRISTVM. Vocabulum porro Teſtamenti, licet ſecũdum communem Latine loquendi conſuetudinem non dicatur niſi in eo quod fit ab homine iam morituro, & quod per eius mortem firmatur, vt alio loco docet Paulus: hic tamen & alibi ſæpenumero vſurpat id vocabulum Latinus interpres pro fœdere & pacto: haud dubie imitatus LXX. Interpretes, qui ſimiliter vſurpant Græcam vocem διαθήκην; cum tamen ea vox proprie ſignificet teſtamentum hominis iam morituri. Quanquam ea voce ſignificari etiam pacta, conuenta, & promiſſiones, prolatis exemplis ex Ariſtophane, & Demoſthene Budæus probat in Commentariis linguæ Græcæ. De duplici hoc Teſtamento ſiue pacto luculentiſſimum extat Hieremiæ vaticinium: *Ecce*, inquit, *dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Iſrael & domui Iuda pactum nouum nõ ſecundum pactum quod pepigi cum patribus veſtris in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de Terra Ægypti: pactum quod irritum fecerunt: ſed hoc erit pactum quod feriam cum domo Iſrael, poſt dies illos, dicit Dominus. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & ero eis in* DEVM, *& ipſi erunt mihi in populum.* Hoc ipſum vaticinium

31

1. Cor. 10.

Vox Teſtamentũ quid ſignificet in ſcriptura. Gal. 3.

Budæus.

Hiere. 31.

nium commemorans Paulus in Epiſtola ad Hebræos capite octauo, præclare diſputat de hoc duplici Teſtamento. *Vnum in monte Sina*, ſcilicet promulgatum & traditum: ibi enim lex vetus publicata & impoſita eſt Hebræis, vt ſcriptum eſt Exodi 20. Græce eſt, *à monte Sina*, videlicet profectum inde, originem atque principium ſuum habens.

32 *In ſeruitutem generans.* Duplicem ſeruitutem habebat lex Moſis; tum obſeruantiam multiplicium & prægrauium cæremoniarum, quod B. Petrus iugum importabile appellauit: tum vero ſeruilem ſpiritum timoris, quo populus ille propter metum pœnæ potius, quam propter amorem iuſtitiæ à malis abſtinebat. Triplicem ſane veteris Teſtamenti ſeruilem conditionem ac proprietatem animaduertere licet; vnam quantum ad cognitionem, alteram quantum ad affectum, tertiam quãtum ad fructum & effectum diuinorum promiſſorum. Quantum ad cognitionem, quia ſerui conſilia & arcana dominorum minime norũt, ſed ea filiis & amicis tantum declarantur. Et idcirco Dominus Apoſtolis ſuis dixit: *Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat dominus eius: vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis.* In veteri autem Teſtamento myſteria Fidei, gratiæ, & gloriæ cæleſtis pauciora erant plane cognita: ſed cum rerum, tum verborum figuris & quaſi integumentis inuoluta atque obſcurata Hebræis tradebantur. At in Nouo Teſtamento euolute, aperte, & expreſſe quibuſlibet traduntur. Et ad hoc vtriuſque populi diſcrimen indicandum, facit quod B. Paulus quodam loco commemorat, Iudæos non potuiſſe gloriam ſplendentem in vultu Moſis aſpicere, nec faciem eius niſi velo ante opertam intueri: de ſe autem aliiſque Noui Teſtamenti alumnis & cultoribus ait: *Nos autem reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, &c.* Cognitio igitur rerum diuinarum in veteri Teſtamento, fuit tanquam ſeruilis, in Nouo autem quaſi libera, qualis nempe amicorum & filiorum eſſe ſolet. Deinde, ſeruilis etiam fuit conditio veteris Teſtamenti quantum ad affectum, qui plurimum & in pleriſque ſeruilis erat. Hebræi nempe conabantur ſeruare legem Moſis & DEI iuſſa perficere metu ſuppliciorum, quæ violatoribus eius legis conſtituta erant. Contra vero Nouum Teſtamentum & lex Euangelica, quoniam tota eſt fundata DEI atque proximi caritate; Caritas autem diffuſa in cordibus hominum per Spiritum Sanctum, inde foras pellit omnem timorem, facitque hominem mero iuſtitiæ amore, & bonum facere, & malum declinare, idcirco lex vetus, lex timoris ac ſeruitutis recte dicta eſt, Noua autem lex amoris & libertatis. Ad poſtremum, in eo quoque cernitur ſeruilis conditio veteris Teſtamenti, quod ſui cultoribus non bona ſpiritualia, & cæleſtia, atque æterna pollicebatur, ſed corporalia, terrena, temporalia, id eſt, non propriam filiorum DEI hereditatem, ſed leuia quædam & minimi pretij munuſcula, tanquam ſeruis, vel ex ſerua matre & concubina natis. Atque hoc exiſtimari poſſet fuiſſe præfigaratum ab Abraham, quem in libro Geneſis cap. 25. proditum eſt, dediſſe filio ſuo Iſaac omnem hæreditatem, omneſque ſuas facultates;

Act. 15.

Triplex conditio ſeruilis veteris Teſtamẽti.

Ioan. 15.

2. ad Corinth. 3. Exodi 34. 2. ad Corinth. 3.

Rom. 5. 1. Ioan. 4.

aliis vero filiis quos ex concubinis susceperat, dedisse munera, eosque à contubernio & societate Isaac segregauisse.

Notabilis obseruatio.

RESTAT illud explicandum, *Quæ est Agar.* Relatiuum illud, *quæ,* 33 refertur ad vocem testaméti quę anteceſſit, in hunc sensum: quod Testamentum vetus, generans in seruitutem, figuratum & significatum fuit per Agar ancillam. Licet enim vox Latina testamenti sit neutrius generis: attamen græca vox διαθήκη, significans testamétum, quam exprimere voluit Latinus interpres, est fœminini generis. Est vero à viris doctis obseruatum atque traditum, Latinum interpretem in transferendis ex Græco vel Hebræo nominibus, retinere solitum casus & genera eorum nominum quæ habent in ea lingua vnde transferuntur; exempli causa, Apocalypsis vndecimo: *Hi sunt duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* iuxta præcepta linguæ Latinæ dicendum erat, *stantia*: sed græce candelabrum est fœminini generis λυχνίαι. Et ante capite 10. dixerat: *Accipe librum & deuora illum &c. & erit in ore tuo dulce tanquam mel.* Dulce dixit, quia græce liber est neutrius generis. Et infra cap. 14. *Et cum illo centũ quadraginta quatuor millia habẽtes nomen eius,* pro *habentia*; quia græce est fœminini generis. Et Sapientiæ 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum; & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis,* illud pronomen (hoc) refertur ad vocabulum (Spiritus) reclamante quidem Latina grammatica; sed interpres spectauit vocem græcam πνεῦμα, quæ significat Spiritum, & est neutrius generis. Ad hæc adde illud itẽ quod est Genes. 3. *Inimicitiam ponam inter semen tuum & semen mulieris; & ipse cõteret caput tuum:* vbi illud, ipse, refertur ad semen mulieris: namque in hebræo vox semen masculini generis est. Idem quoque in casibus nominum factitauit Latinus interpres, vt videre est in iis locis: *Scitis quia principes Gentium dominantur eorum: Et sciret quoniam omnium potentior est sapientia.* hæc enim contra vsum quidem linguæ latinæ, sed iuxta consuetudinem tamen linguæ græcæ posita sunt. Verum eo reuertamur vnde propterea paulisper ad hæc digressi sumus, vt Lector intelligeret, cum in illis verbis *quæ est Agar,* illud relatiuum, quæ diximus referri debere ad vocabulum testamenti, non debere id videri absurdum. Quanquam posset illud (quæ) referri ad seruitutem; siquidem proxime dictum fuerat, vnum testamentum datum esse in monte Sina in seruitutem generans, quæ est Agar, id est, quæ seruitus figurata & significata est per ancillam Agar.

Mat. 20. *Sap. 10.*

Sinæ

Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei quæ nunc est Hierusalem, & seruit cum filiis suis.

34 GRÆCE repetitur hic nomen Agar, sic enim græce est: *Quæ est Agar: Agar enim Sina mons est in Arabia, qui cõiunctus est ei quæ nũc est Hierusalem.* Tradunt autem interpretes græci, vocem Agar idem significare Arabum lingua, atque lingua hebræa vocabulum Sina, montem scilicet illum in quo per Mosem lata est lex. secundum græcam igitur lectionem, supradicta verba hunc habent intellectum: Agar aptissime figurauit vetus Testamentum, non sua modo seruili conditione, quod in domo Abraham & Saræ fuerit serua: verum sua insuper appellatione, quod Agar lingua Arabica significet Sina montem vbi lex vetus promulgata est. Sed in latinis libris, & apud latinos expositores semel tantum hic legitur nomen Agar, nec alia est lectio huius loci, nisi quam supra posuimus. Cuius tamen triplex est interpretatio: vna vim orationis Paulinæ positam esse in etymologia vocabuli, Arabia, quod significat humilitatem, afflictionem, depressionem siue occasum, vt hoc significet Paulus: Non sine causa vetus Testamentum datum esse in Sina monte qui est in Arabia: sed vt ea re præsignificaretur, populum cui ea lex imponebatur, fore seruili timore depressum & afflictũ. Altera interpretatio ducitur ex ipso situ Arabiæ, quia est regio extra terram Promissionis posita; quo significabatur, per vetus Testamentum promissam filiis DEI hæreditatem haud quaquam obtineri posse. Tertia interpretatio pondus argumenti collocat in illis vltimis verbis, *Et seruit cum filijs suis:* ita vt ea referantur ad Arabiam: & Paulus ex seruili conditione Arabiæ & Arabum, argumentetur seruilem quoque conditionẽ & statum (quantum ad mentem & spiritum) fuisse eorum qui erant sub veteri Testamento.

35 Verum quæ proxime sequuntur verba, *Qui coniunctus est ei quæ nunc est Hierusalem,* perdifficilem habẽt explicatum: perobscurum enim est quid significet illud, *qui coniunctus est.* Sciendum igitur pro illo, *Coniunctus* græce verbum esse συστοιχεῖν, quod vt tradit Budæus in Commentariis linguæ græcæ, in iis tantum rebus proprie dicitur, quæ res siue in natura, siue in proprietate, qualitateue aliqua, quendam inter se cõsensum, cognationem, & conuenientiam habent: vnde συστοιχα appellantur inter se cognata: & συστοιχία vocatur series & dispositio rerum inter se cognatarum. & ratione aliqua similium. Ergo Latinum illud vocabulum *Coniunctus,* ad supradictam significationem verbi græci reuocatum non aliud significat, nisi habens proportionem, conuenientiam & similitudinem: vt sit hæc sententia: Mons Sina cum ea, quæ nunc est Hierusalem coniunctus est, non sane vicinitate loci & spatij,

Budæus.

sic enim longe distat; sed proportione quadam & conuenientia, & per similitudinem & per quandam analogiam. Nam sicut mons Sina, cum in eo dabatur lex, magnũ incussit terrorem Hebræis, seruilemque indidit spiritum timoris, quo ad obseruandum illam legem compellebantur; præterea mons ille extra terram Promissionis erat, nec eius accolæ ad populum DEI pertinebant: ad eundem plane modum se habet terrena hæc Hierusalem & Synagoga; quippe quæ dare non potest Spiritum libertatis, nec facere sui cultores compotes promissæ in cælis hæreditatis. Quantus autem pauor & terror inuaserit Hebræos, cum eis lex in monte Sina daretur, planissime intelligitur ex 20. capite Exodi, & 5. Deuteronomij.

Isaiæ 54. *Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Scriptum est enim, Lætare sterilis quæ nõ paris: erumpe & clama quæ non parturis; quia multi filij desertæ, magis quam eius quæ habet virum.*

PONIT B. Paulus legi Mosaicæ Synagogæ, ac terrenę illi Hierusalem; opponit inquam, legem Euangelicam & Nouum Testamentum: Et quatuor pulcherrimis epithetis, tanquam illustribus quibusdam notis insignitam describit Ecclesiam Christianam. Primo appellans eam, *de sursum*: Tum vocans *Hierusalem*: Deinde nominans *liberam*: Ac demum multo fœcundiorem esse dicens quam fuerit Synagoga. *De sursum*: Tribus de causis Christiana Ecclesia dicitur esse de sursum. Primo quidem propter Christum legislatorem & caput eius, qui de se ipso dixit: Ego de sursum, siue de supernis sum; & sæpe dixit se de cælo descendisse. Deinde quod in quibus rebus perfectio & præstantia Christianæ Ecclesiæ consistit, eæ res supera & cælestia spectant, fidem dico, spem & caritatem. Admiranda quoque virtus Sacramentorum huius Ecclesiæ de sursum prouenit. Disciplina quoque eius & conuersatio in cælis est, non enim quæ sunt super terram, sed quæ sursum sunt quærit, & sapit, vbi Christus eius sponsus est, iam illic corde habitans, vbi thesaurum suum esse nouit. Secundo loco vocatur, *Hierusalem*; quæ vox significat visionem pacis: gaudet enim Ecclesia Christi perpetua pace, non mundana & terrena, sed spirituali & cælesti, quam ei Christus iam morti proximus, quasi testamento legauit dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quo modo mundus dat, ego do vobis.* Ad hanc sane Christianam Hierusalem apte videtur quadrare illud quod Dauid cecinit: *Lauda Hierusalem Dominum: quia confortauit seras portarum tuarum, benedixit filijs tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.*

Tertio loco appellatur *libera*: eius namque typum gessit Sara, quæ libera

Cur Ecclesia Christi dicatur esse de sursum.

Philip. 3. Coloss. 3.

Cur Ecclesia Christi appellari soleat Hierusalem.

Ioan. 14.

Psal 147.

bera erat. Sed quid mirum eam dici liberam, cum vnica sit sponsa Christi, qui de se dixit: *Si Filius vos liberauerit, vere liberi eritis.* Quoniam vero libera est, generat itidem filios liberos; siquidem vt fertur vulgo, partus sequitur vterum. Est porro quadruplex libertas; Ciuilis, quæ opponitur seruili conditioni hominis: Moralis, quæ excludit seruitutem cupiditatum & vitiorum, metumque quarumlibet rerum aduersariarum, quam antiqui Philosophi, vt maximum hominis bonum, laudando in cælum extulerunt: Spiritualis, ex perfecta caritate quæ foras timorẽ pellit, prouenies, per quam vtique non seruili timore, sed filiali amore & reuerentia seruitur DEO: Cælestis demum quæ omnem excludit tam corporis quam animi seruitutem, omnesque perfectæ libertatis numeros implet, quam feret secum consumata totius hominis post resurrectionem fœlicitas. Ecclesia igitur Christi, morali & spirituali libertate iam nunc gaudet, spe & voto cælestem libertatem præcipiens, in tempore eam adeptura. Quarto loco declaratur fœcunditas Ecclesiæ Euangelicæ illis verbis: *Lætare sterilis quæ non paris, quia multi filij desertæ, magis quàm eius quæ habet virum.* Gentilitas enim quæ multo maxima & præstantissima Ecclesiæ Christi pars est, ante Domini nostri aduentum, plane sterilis erat, nullos DEO generans filios, sed diabolo potius: eratque deserta & quasi despecta à DEO propter ignorantiam veri DEI, fœdissimamque idololatriam. Sed postquam conuersa est ad Christum, & fidem eius ac legẽ amplexata, vsque adeo fœcundata est, vt præ illa, fuerit effœta & sterilis facta Synagoga. Itaque quod de se Anna mater Samuelis lætabunda & gloriabunda cecinit. *Quæ sterilis erat, peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est*, id verius in Christi Ecclesiam & veterem Synagogam dici posset.

Cur Ecclesia vocetur libera, & de quadruplici libertate. *Ioan. 8.*

1. Ioan 4.

Esa. 54.

1. Reg 1.

Nos autem fratres, secundum Isaac, promissionis filij sumus. Sed quemadmodum tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum: ita & nunc.

DIXERAT Paulus, in iis quæ scripta erant de Agar & Sara, Isaac & Ismahele, occultam latere allegoriam magni cuiusdam mysterij significatricem: nunc allegoriam illam aperit, & quod in ea mysterium erat inuolutum & tectum, explicat atque enudat: demonstrans triplicem congruentiam inter historiam & allegoriam. Quarum vna est, Iudæos fide Christi carentes, similes esse Ismaelis qui natus est secundum carnem ex ancilla; Christianos autem similes esse Isaac qui per repromissionẽ & secundum spiritum natus est ex libera. Altera est, sicut tunc Ismahel persequebatur Isaac; ita nunc carnales filij Abrahæ, id est, Iudæi inse-

Gen. 21. & 25.

ctantur Christianos, spirituales Abrahæ filios. Tertia est, quemadmodum tunc Agar & Ismael domo Abrahæ eiecti sunt, nec hæreditatis Abrahæ participes fuerunt: ita Synagogam & Iudæos Christi fidem & gratiam auersantes, eiici ex domo DEI, priuarique hæreditate filiorum DEI. Hoc autem eis denũtiauit Christus dominus cum dixit: *Auferetur à vobis regnum* DEI, *& dabitur genti facienti fructus eius.* Tametsi posteriorem hanc similitudinis partem, vt nimis horribilem atque odiosam Iudæis, non declarauit Paulus, sed ex iis quæ dixerat, cogitandam & perpendendam reliquit. *Matth.21.*

Quomodo Ismael persecutus sit Isaac.

Vnde autem cognouerit Paulus, Ismahelẽ persecutum esse Isaac, cũ Genesis 21. scriptum modo sit, Ismahelem lusisse cum Isaac, eumque lusum adeo Saræ displicuisse, vt de eiicienda Agar & Ismahele protinus egerit cum Abram: vnde vnquam hoc acceperit Paulus, disputans B. Hieronymus, valde probabilem eius rei rationem, & peridoneã verborum Pauli expositionem tradit, cuius verba paulo supra exposuimus numero 8. Sicut ergo tunc maior frater Ismahel, ait B. Hieronymus, paruulum adhuc persequebatur Isaac, sibi Circumcisionis prærogatiuam, sibique primogenita vendicans: ita & nunc secundum carnem Israël, aduersus minorem fratrem, ex Gentibus congregatum populum Christianum extollitur, inflatur, erigitur. Consideremus insaniam Iudæorum; qui & Dominum interfecerunt, & Prophetas atque Apostolos persecuti sunt, & aduersantur voluntati DEI; & videbimus multo maiores persecutiones (quas nos etiam historiæ docent) à Iudæis in Christianos, quàm à Gentilibus concitatas. Sed quid mirum de Iudæis? Hodie quoque inter Christianos, qui carnaliter viuunt, persequuntur eos qui cum Christo resurgentes, ea quærunt quæ sursum sunt, non autem quæ super terram. Sed faciant quod volunt: cum Ismahele persequantur Isaac: eiicientur tamen foras cum ancilla matre Ægyptia; nec accipient hæreditatẽ, quam solus qui de repromissione natus est, consequetur. Eleganter autem & illud est dictum, quod qui erat carnalis, persequebatur spiritualem. Numquã enim spiritualis persequitur carnalem: sed ignoscit ei quasi rusticano fratri, sciens posse eum per tempus proficere. Et si quando filium Ægyptiæ viderit irascentem, recordatur vnius omnium patris, qui bouem creauerit & culicem; non ignarus in magna domo esse non solum vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & fictilia. Hactenus ex B. Hieronymo.

S. Hieron. in 4. cap. Epistolæ ad Galatas.

2. ad Timoth. 2.

Donatistæ.

Sciendum porro, olim Donatistas hæreticos hac sententia Pauli abusos, cum eos Catholici Principes propter hæresim, multaque maleficia iuste insectarentur ac punirent; gloriari solitos, & dicere, se filios esse Abræ secundum spiritum, Catholicos verò secundum carnẽ, quod ipsos Catholici persequerentur: quibus suffragari videtur, quod paulo ante dixit S. Hieronymus; Nunquam spiritualis persequitur Carnalem; sed contra. Videat Lector 48. & 50. Epistolam B. Augustini. Verumtamen duplex est persecutio: vna bona, qua

S. Augustin. Duplex persecutio: vna bona, qua

persecutione vtuntur boni aduersus malos, vt vel eos corrigant si conuerti volunt; vel si obfirmati sunt in malo, vt eos de medio tollant, ne Domini gregem inficiant & perdant: sic Hæreticos persequuntur Catholici. Altera est persecutio mala & detestabilis, cum quis insectatur alium, vel odio probitatis & virtutis eius, vel inuidia prosperitatis; cupiensque malo aliquo aut corpus eius, aut animum afficere. Hoc persecutionis genere vtuntur homines improbi & carnales contra spirituales & sanctos viros. Talis profecto erat persecutio Iudæorum, de qua hic loquitur Paulus, aduersus Christianos.

boni persequuntur malos: altera mala qua mali persequuntur bonos.

Sed quid dicit Scriptura? Eijce ancillam & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. *Genes.21.*

38 HORRIBILIS admodum est conuenientia huius historiæ cum allegoria: Significatur enim, carnales Hebræos fidem & gratiam Christi auersantes, ex domo DEI eiectum iri, nec hæreditatis filiorum DEI fore participes. Scilicet verissimum est quod Dominus noster dixit, *Seruus non manet in domo in æternum, filius manet in æternum.* Verum super historia quam ex libro Geneseos hic memorat Paulus, quæritur quo modo fas, aut potius quomodo non iniquum fuerit, legitimam vxorem & filium ex ea legitime susceptum abiici, eosque maritali & paterna prouidentia atque cura destitui? Hanc quæstionem ita soluit B. Thomas: Quemadmodum, inquit, in lege Mosis per dispensationem licebat dari libellum repudij ad euitandum vxoricidium: ita ex eadem dispensatione licuit Abrahæ eiicere Agar, ad significandum mysterium quod Paulus explicat ad Galatas 4. Similiter quod Ismael Abrahæ filius, hæres eius non fuerit, ad mysterium pertinet, vt ibidem ostendit Apostolus. Quin etiam quod Esau maior natu quam Iacob, eodemque patre ac matre natus, paterna tamen hæreditate exclusus fuerit, vt traditur Malachiæ 1. & ad Romanos 9. id quoque mysterij causa factum est. Illud præterea ad mysterium pertinuisse putandum est, quod filij omnes Iacob tam ex ancillis quam ex liberis nati, hæredes essent, vt quodam loco disputat Augustinus; videlicet ea re præfiguratum est, Christo per baptismum nasci filios, & hæredes suos fieri, tam ex ancilla quam ex libera natos, id est, baptizatos tam per bonos quam per malos ministros. Sic B. Thomas. Verum enodatior fuerit, nisi fallor, & planior hæc propositæ quæstionis expositio. Dicimus eiectionem illam Agar & Ismaelis factã esse non dissoluto matrimonij vinculo, sed tantummodo quantum ad torum & contubernium, propter pacificam & quietam domus Abrahæ gubernationem, melioremque educationem Isaac: nec factam esse sententia & voluntate Abrahæ, sed monitu & iussu DEI, qui est omnium dominus, nullique adstrictus legi.

Ioan.8.

S. Thom. in 4. sententiarum Distin. 33.

Deut 24. Matth.19.

Augustin. Tractatu 11. in Euãgelium Ioannis.

legi. Nec mirum, abiecisse Abraham curam filij, quam eius vice susceperat DEVS; vt iam ante promiserat ei Genesis 17. idque reipsa præstitit, vt narratur Genesis 21.

CÆTERVM omissa historia, excutiamus paululum eius allegoriam. Eiectio ancillæ & filij eius, non adumbratam, sed expressam habet figuram reprobationis Synagogæ, non recipientis Dominum nostrum Iesum pro vero Messia, immo vero infensissime eum insectantis, ac denique crudelissime occidentis. Id enim atque eam ob causam, Iudæis venturum, multis ante seculis vaticinatus est Daniel, vt quæ sunt in capite nono postrema eius verba declarant. Eandem quoque Iudęorum ex domo DEI eiectionem & exhæredationem apertis verbis denuntiauit eis Saluator noster dicens: *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob, in regno cælorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores.* Et alio loco, *Auferetur*, inquit, *à vobis regnum* DEI *& dabitur genti facienti fructus eius.* Eiectionem porro carnalium Iudęorum ex domo DEI, ad hunc modum declarat Rupertus: In eo ancilla & filius eius eiicitur ne ludat cum Isaac, quod Hierusalem illa, & famosissimum illud templum DEI destruitur, & populus ille captiuus in omnes gentes ducitur, & sic totus ordo seruilium cæremoniarum dissipatur: quod factum est sub Vespasiano & & Tito principibus Romanorum. Videlicet ne nouæ legis Ecclesiæ vetus Synagoga tunc vehementius insultaret, si in statu pristino perseueraret: cum ea nunc, etiam sic eiecta, superbire, & primogenita sibi vel filio suo adscribere audeat. Illam vtique eiectionē passus est ille filius ancillæ quia lusit cum filio liberæ, id est quia Christum regem, id est totius libertatis principem illusit, flagellauit, crucifixit, & occidit: & deinde domesticos eius, libertos eius, male pertinaci odio persecutus est. Sic Rupertus.

Matth.8.

Infra 21.

Rupertus libr.6.Commentariorū in Genesim cap.20.

39

PVLCHRE item B. Augustinus in Epistola 49. in responsione ad sextam quæstionem, cum carnalem illam Synagogam dolentem de Gentium conuersione ac salute, similem feciisse Ionæ irascenti atque indignanti, quod DEVS pepercisset Niniuitis, quibus ipse, eius nomine, supremum denuntiasset exitium: deinde comparat vetus Testamentum promittens bona terrena & temporalia, cum hedera (ipse cucurbitam appellat) quæ breuissimi temporis vmbraculum præbuit Ionæ aduersus æstum; nam mox à verme corrosa exaruit. Vmbraculum, inquit Augustinus, hederæ super caput Ionę, promissiones erant in veteri Testamento bonorum temporalium; & erant tanquam vmbra futurorum bonorum, quasi ab æstu temporalium malorum vmbraculum quoddam præbentes. His enim promissionibus ac bonis populus ille carnalis, ab illius temporis aduersitatibus quodammodo protegebatur. Vermis autem matutinus percutiens & siccans hederam, Christus Dominus noster fuit: vermis quidem appellatus propter humilitatem carnis, quippe sub persona Dauidis ipse de se dixerat: *Ego sum vermis & non homo.* Et quia sicut vermis, sine commixtione vtriusque sexus, &

Pulchra Sancti Augustini cōparatio Synagogæ cum Iona Propheta, & veteris Testamenti cum Hedera inumbrāte Ionam.

Ionæ 4.

Heb.10.

40

Psal.21.

& sine virili semine natus est. Matutinus autem vermis propterea dictus est, quia mane & in diluculo surrexit à mortuis. Per vermem autem illum percussa & siccata est hedera; quoniam per CHRISTVM & eius Euangelium, cuncta illa quæ apud Iudæos vmbratili quadam significatione, ad tempus viguerant, vacuata & exinanita penitus emarcuerunt. Et cunctus ille populus amisso Hierosolymitano regno, & Sacerdotio, & sacrificio (quod tamen totum fuerat vmbra futuri) in captiua dispersione, magno tribulationis æstu aduritur, sicut Ionas à Solis ardore. & dolet quidem ille grauiter, & tamen dolori eius atque vmbræ quam diligebat, salus gentium & pœnitentium hominum præponitur. Hactenus ex Augustino.

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA SVPER CAPVT *Vigesimumsecundum Genesis.*

De Immolatione Isaac.

QVAE *postquam gesta sunt, tentauit* DEVS *Abraham, & dixit ad eum, Abraham Abraham. At ille respondit, Ad sum. Ait illi: Tolle filium tuum Vnigenitum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium quem monstrauero tibi. Igitur Abraham de nocte consurgens, strauit asinum suum, ducēs secum duos iuuenes, & Isaac filium suum: cumque concidisset ligna in holocau-* VERSV 1. 2. 3

4 stum, abiit ad locum quem præceperat ei DEVS. Die au-
5 tem tertio eleuatis oculis, vidit locum procul, Dixitque ad
pueros: suos Expectate hic cum asino: ego autẽ & puer illuc
vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad
6 vos. Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac
filium suum: ipse verò portabat in manibus ignem & gla-
7 dium. Cumque duo pergerent simul, Dixit Isaac patri suo:
Pater mi. At ille respondit, Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis
8 & ligna: vbi est victima holocausti? Dixit autem Abra-
ham, DEVS prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi.
9 Pergebant ergo pariter: Et venerunt ad locum quem osten-
derat ei DEVS, in quo ædificauit altare, & desuper ligna
composuit: cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum
10 in altare super struem lignorum. Extenditque manum, &
11 arripuit gladium, vt immolaret filium suum. Et ecce An-
gelus Domini de cælo clamauit, dicens, Abraham, Abra-
12 ham. Qui respondit, Adsum. Dixitque ei: Non extendas
manum tuam super puerum, nec facias illi quicquã. Nunc
cognoui quod timeas Dominum, & non pepercisti vnigeni-
13 to filio tuo propter me. Leuauit Abraham oculos suos, vi-
ditque post tergum arietem inter vepres hærentem cor-
nibus, quem assumens, obtulit holocaustum pro filio.
14 Appellauitque nomen loci illius, Dominus videt. Vnde
vsque hodie dicitur, In monte Dominus videbit. Voca-
15 uit autem Angelus Domini Abraham secundo de cælo,
16 dicens: per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti
hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter
17 me. Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut
stellas cæli, & velut arenam quæ est in littore maris: possi-
18 debit semen tuum portas inimicorum suorum. Et benedicen-
tur in semine tuo omnes gẽtes terræ: quia obedisti voci meæ.

Reuersus

Reuersus est Abraham ad pueros suos, abierũtque Bersabee 19
simul & habitauit ibi. His itaque gestis, nuntiatum est 20
Abrahæ quòd Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri
suo: Hus primogenitum, & Buz fratrem eius, & Camuel 21
patrem Syrorum: Et Cased & Azau, Pheldas quoque, & 22
Iedlaph, ac Bathuel de quo nata est Rebecca: octo istos genuit 23
Melcha, Nachor fratri Abrahæ. Concubina verò illius, no- 24
mine Roma, peperit Tabee, & Gahã, & Tahas, & Maacha.

PRÆFATIO.

HANC de immolatione Isaac historiam Mosis, propter eius facti mirabilitatem, omnibus seculis famosissimam, & luculentissimis scriptorum cuiusque ætatis encomiis celebratissimam, duo Hebræorum, quorum extant scripta, vetustissimi grauissimique scriptores, Philo & Iosephus, breui quidem, sed pereleganti oratione exposuerunt. Hanc ego ex vtriusque verbis & sententiis mixtam & cõcinnatam enarrationem, præponere hoc loco volui, ob eã maxime causam, quod nonnullas illi circũstantias eius facti expresserũt in Mosaica narratione prętermissas, quæ scilicet illustriorẽ ac iucundiorẽ reddũt eius rei expositionẽ. Abraham supra modũ amabat filiũ suũ Isaac, tanquam vnigenitũ, & quem in senectute, cũ iam desperasset prolẽ, supernaturali DEI munere sibi donatum suscepisset. Hunc patris affectũ puer ipse vehementius inflãmabat, impensè deditus virtutũ studiis, sed ante omnia pietatẽ erga parentes & DEVM colens. Tali successore fortunarũ suarũ relicto, haud grauate Abrahã vita excessurus videbatur. At enim volẽs DEVS pietatis & obedientiæ eius viri periculũ facere, cũ apparuisset ei, & cõmemorasset beneficia ad id vsque tẽpus, à se in eum collata, iubet eum sacrificij loco immolare sibi filiũ Isaac in monte Maria, triũ inde itinere dierũ distãte. Ille, quamuis maiore quàm dici possit, filij amore teneretur, nihil cõtra respõdit, nullã interposuit morã, & quasi rẽ leuissimã aut iucundissimã imperasset, ad exequẽdũ mãdatum confestim accingitur: nefas ratus, vlla in re DEO non obtẽperare, cuius quicquid boni sit in homine, benignitas eius munus & beneficiũ est: nimirũ maiore DEI amore amorem filij vincens. Ergo celans vxorem tam DEI mandatũ, quàm suã de pueri cæde sententiam, & cum nemine domesticorũ communicato oraculo, duos è tam numeroso famulitio natu maximos sibique fidelissimos assũpsit, quasi sacra ex more facturus. Assumpto itaque Isaac cum duobus seruis, proficiscebatur ad mõtem, in quo postea Salomonicum

Philo in libro de Abraham.
Iosephus li. 1. Antiquit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

templum conditum est:& biduo quidem comitatus seruis,cũ tertio die procul montem prospexisset, relictis in campo seruis, cum solo puero ligna ferente,montem ascendit;lapides congerit, aram extruit, sed victima nusquam apparet. Tum Isaac,Ecce,inquit, ignis & ligna, pater: sed vbi victima? ecquis obsecro alius,arcani consilij sibi conscius, non offusa menti caligine,ad hæc verba turbatus, & lacrymans, aperuisset propositum suum,non amplius affectum continere valens?At ille scopulo similis stetit,immobilisque,nec mutatus corpore,nec animo: sed constanti vultu,constãtioreque ratione,Fili,inquit, etsi nullum animal præsto hic ad sacrificium est, DEVS sibi tamen victimam prouidebit: cui nempe possibilia sunt omnia,etiam quæ non possunt ab hominibus expediri.Eo dicto,citius correptum filium imponit aræ,nihil vtique repugnantem, tametsi iam grandis esset, quintum vtique & vigesimum annum agens. Iam strictum gladium & dextera sublatum vibrabat pater ad feriendum filium, cum ex aëre inclamans Angelus, facinus impedit, iubens iniuriam abstinere à puero, bis nominatim appellans Abraham, vt auersus & retractus cædem omitteret. tunc DEVS illis ariẽtem ad victimam ex improuiso præsto esse fecit. illi ex insperato, sibi inuicem redditi, & auditis suæ suorumque posterorum felicitatis, DEI promissis, mirandum in modum recreati, mutuo se complectebantur.Atque ita puer mirabiliter seruatus est, DEO remunerante patris virtutem,& certante cum amico mutuis officijs.Et hoc quidem facinus etsi caruit effectu, nihilominus tamen pro integro & absoluto non modo in sacris memoratur voluminibus,sed etiam in prudentium piorumque lectorum animis insculptum esse debet. Atque hæc sunt quæ ex Philonis & Iosephi scriptis contracta, hic præfanda duximus.

Rupertus li. 6. commentario.ca. 28.

CVR verò factum hoc Abrahæ DEVS sacris literis consignatum prodi memoriæ voluerit,huiusmodi quandam Rupertus causam affert: Thesaurum fidei & timoris Domini,ait Rupertus,examinator cordium DEVS occultum esse noluit: sed hactenus longa peregrinatione, & diuturna seminis sui expectatione satis spectatum,adhuc vno tentationis incendio ardentissime conflagrare curauit. Ex hac namque fortissima tentatione,fides eius splendidissima rutilat,Apostolo teste,cum dicit: *Fide Abraham obtulit Isaac cum tentaretur: & vnigenitum offerebat, in quo susceperat repromissiones*,& de quo dictum ei fuerat:*In Isaac vocabitur tibi semen;arbitrans quia de mortuis suscitare potens est* DEVS. Item,Timor Domini sanctus,permanens in seculũ seculi,qui ex amore descendit,ex isto quoque facto clarius splenduit: ipso testãte Domino cum postea ei dixit: *Nunc cognoui quod timeas Dominum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.* Recte igitur scriptor huius historiæ præfatus illud est; *Tentauit* DEVS *Abraham*, non vtique vt sciret ipse, quem nulla latet cogitatio; sed ne ignoraremus, nos futuri eius filij, qualis ille fuerit pater, cuius nobis fides ad imitandum proposita est. Sic negotiatori quærenti pretiosa quæque, venditor sedulus, quicquidlibet examinat, non vt ipse quæ vendit cognoscat, sed ne emptor dubitet dare

Ad Heb. 11. *Genesis* 21. *Psal.* 18.

Ieb. 42.

dare omnia sua, & illa sibi comparare. Sic Rupertus. Nos igitur nobilissimam hanc historiam subtiliter, copiose, & diligenter, quoad possumus, interpretari cupientes,quæ in eius tractatu dicturi eramus, ea libuit in breues aliquot disputationes conferre ac digerere:vt distincte ordinateque tradita,& faciliora essent legentibus ad intelligendum, & maiori cum vtilitate ac voluptate legerentur.

PRIMA DISPVTATIO.

De tempore immolationis Isaac:

Super illis verbis:

Quæ postquam gesta sunt, tentauit DEVS *Abraham.* VERSV 1.

1 ILLVD, *Quæ postquam gesta sunt*,a perte indicat quę narrantur hoc capite de immolatione Isaac,fuisse acta post historiam antecedentis capitis. Verum non post omnia quæ in eo commemorata sunt;sed post ejectionem Ismaelis,post fœdus inter Abraham & regem Abimelech percussum, post conditum nemus ad inuocandum nomen Domini:non autem post habitationem Abrahæ in terra Palæstinorum, de qua extremis verbis capitis vigesimi primi ita scriptum est: *Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis*.Non enim postquam desiit Abraham habitare in terra Palæstinorum, factum est quod hic narratur de immolatione Isaac: cum sub finem huius capitis scriptum sit, Abraham post liberatum ex immolatione Isaac,reuertisse in Bersãbeè,ibique habitasse.Ergo Moses significauit illis verbis tẽpus huius rei gestæ: verũ nimis generaliter & indefinite:dixit.n.id euenisse post ejectionem Ismaëlis,& fœdus Abrahæ & Abimelech.Sed neque cõstat quoto ætatis Abrahę anno illa contigerint,nec quãto post illa tẽpore,hoc de immolatione Isaac,euenerit.

Auen Esra. De ætate Isaac cũ immolare eum voluit Abraham. Iosephus li. 1.Antiquit.

2 Auen Esra,vt refert Thostatus, tradit fuisse tũc Isaac decem aut duodecim annorum. Sed istum Rabbinũ satis redarguit narratio ipsa Mosis,aientis Abraham imposuisse humeris Isaac portanda ligna in holocaustum,quod sane onus tam teneræ ætatis vires excessisset:præsertim vero in ascensu eius montis arduo & laborioso. Iosephus scribit fuisse id temporis Isaac vigintiquinque annorum: cui sententiæ illud etiam necessario consequẽs est,fuisse tunc Abraham cẽtum vigintiquinque annorum; is namque centenarius genuerat Isaac. Illud item ex eo sequitur,accidisse id non solũ viua Sara, sed annis ante eius obitum duodecim:ea quippe nonagenaria peperit Isaac, & obiit annos nata centũ vigintiseptem Genes. 23. Facit pro hac opinione ordo ipse narrationis Mosaicæ;siquidem post hanc historiam de immolatione Isaac,describitur excessus & sepultura Saræ.

Hebræorum Chronolog.

Hebræi in Maiori Chronologia quam ipsi appellant Seder Olam Rabba, tradunt fuisse eo tempore Isaac triginta septem annorum: quoniam autem eo ipso anno mortua est Sara, incertũ fit, an quod de immolatione Isaac scribitur, ante obitum eius an post contigerit. Verum quia Moses post hanc historiam, de morte & sepultura Saræ scripsit, satis probabiliter credi posset, viua Sara, sed proxime ante eius mortẽ, quod scriptũ est de immolatione Isaac, accidisse. At. n. verò, quia nihil hac in re certi est, præter auctoritatẽ Iosephi atque Hebræorũ Traditionẽ, integrũ sit Lectori ac liberum, vtrã malit sequi sententiã: quanquam Iosephi auctoritas in historia rerum Iudaicarũ haud paulo præponderat quibuslibet Hebræorũ Traditionib. Illud præterea proditum est ab Hebræis, Isaac ductũ esse ad immolandũ prima die eius mensis, qui septimus à Iudæis numeratur, & partim cum nostro Septẽbri, partim cum Octobri cõpetit. Huius rei nec obscurum indicium, nec infirmum esse argumentũ videtur, quod eum diem Iudęi ex præcepto legis Mosaicę, festũ agere solerẽt clangendo tubis corneis: in memoriã nempe (vt antiqua & indubitabili Maiorũ traditione persuasũ illi habebãt) erepti ex nece patris sui Isaac, & in eius locum substituto, ad immolandum, ariete. An verò Sara resciuerit DEI præceptum de immolando Isaac, incertum est. Aiunt Nyssenus in oratione de funere Pulcheriæ, & S. Augustinus in Sermone de Tẽpore 73. Negat autẽ S. Chrysostomus in homilia de S. Iob & Abraham: cui ego potius assentior. Illud enim præceptum, soli Abrahæ datũ esse à DEO, satis apparet ex narratione Mosaica. Nec credibile fit, id communicasse Abraham cum Sara: videlicet ne dilectissimã vxorem incredibili dolore afficeret: neue ob eius dolorem, vehementius ipse animo fortasse perturbatus, non ita promptè, vt par erat, nec alacriter DEI mandatum exequeretur.

Quo mense ductꝰ Isaac fuerit ad immolandum. *Leuit.23.*

SECVNDA DISPVTATIO.

Quemadmodum intelligi debeat quod in exordio huius historiæ scripsit Moses, tentatum esse Abraham, à DEO *cum ei præceptum est de immolando filio:*

Super illis verbis:

VERSV. 1. *Tentauit* DEVS *Abraham, &c.*

4 NON est dubium quin illud DEI præceptum de immolando Isaac, non ex DEI absoluta & efficaci voluntate profectum sit, nec eo consilio datum vt impleretur: nam & hoc exitus ipse declarauit, prohibente DEO fieri, quod antea fieri præcepisse videbatur. Fuit ergo præceptum illud quasi tentamentum

tum quoddam & experimentum animi ac virtutis Abrahæ: quo scilicet præcellens eius fides & obedientia, notior omnibus atque illustrior existeret. Verum statim animos hæc legentium subit admiratio simulque dubitatio, quemadmodum DEVS sanctissimum & sibi carissimum virum Abraham tentasse dicatur; cum Apostolus B. Iacobus perspicue & affirmate dicat neminem à DEO tentari. Verba eius ex 1. capite epistolę ipsius hęc sunt: *Nemo cum tentatur, dicat quoniam à* DEO *tentatur:* DEVS *enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.* Et Dominus noster monuerit discipulos suos, vt vigilarent & orarent ne intrarent in tentationem; & idem ipse docuerit eos deprecari à DEO, ne induceret ipsos in tentationem: quasi magnum quoddam sit malum tentatio, cuius vtique DEVS auctor esse non possit. Tentare item tanquam Diaboli proprium, simpliciter ei tribuitur in Scriptura. Et ideo Paulus: *Ne forte,* inquit, *tentauerit vos is qui tentat.* Quocirca præcise & absolute Diabolus in Scriptura vocari solet Tentator. Si tentare igitur malum quodpiam est, & Diaboli proprium officium, ob idque bonis viris formidandum, & horrendum; qua ratione verè dictum est à Mose, tẽtatum esse Abraham à DEO? Hanc quæstionem quemadmodum enodent B. Ambrosius & Augustinus, primo loco exponam: tum de ratione, ac distinctione bonarum ac malarum tentationum, partim ex DEO, partim ex Diabolo prouenientium, aliquanto subtilius & enucleatius disseram.

Locus Iacobi ca. 1. Epistolæ. *Luc.22. Matth.6.* *1.ad Thess. 3. Matth.4.*

5 Beatus igitur Ambrosius ita scribit: Aliter DEVS tẽtat, aliter Diabolus tentat vt subruat, DEVS tentat vt coronet. Denique probatos sibi tentat DEVS; vnde & Dauid dixit: *Proba me* DEVS *& tenta me.* Et sanctum Abraham probauit ante, & sic tentauit; ne si ante tentaret quàm probasset, grauaret. Probauit eum, cum exire de Charra iussit, & obedientem reperit. Probauit, cum fidei titulo fretus liberauit nepotem; cum de præda nihil attigit: cum promisit seni filium, & quamuis esset centum annorum, & Saræ vuluam consideraret emortuam; tamen credidit, nec fide hæsitauit, qui hæsitare posset ratione sterilitatis & senectutis. Probauit etiam eum hospitij sedulitate. Probatum igitur, quasi fortiorem tentandum putauit maioribus, & quibusdam imperiis durioribus. Et hoc quidem exemplo docemur, quia veris probatur quis, tentatur autem sæpe compositis & fictis. Non enim volebat DEVS immolari à patre filium, nec impleri hoc munus volebat, qui ouẽ pro filio immolandam obtulit: sed tentabat affectum patris, si DEI præcepta præferret filio; nec paternæ pietatis contemplatione, vim deuotionis inflecteret. Sic B. Ambrosius, qui duplicem his verbis facit tentationem, vnam DEI, alteram Diaboli: easque fine distinguit, quòd illius finis sit cœlestis corona; huius vero, hominis ruina. distinguit præterea probationem à tentatione: & Abraham vult antecedentibus eius factis esse probatum à DEO, & ideo iam dignum vt in durissimum tentationis certamen à DEO committeretur, ampliori scilicet gloriæ corona donandus.

Ambros. lib. 1. De Abraham cap. 8. *Psal.138. Genes.12.* *Ad Rom.4.*

Nec

Aug.que.57. in Genes. Iacobi 1.

Nec Ambrosio dissimilia super eadē re tradit Augustinus, qui quo- 6
dam loco sic habet: Quęri solet quomodo verum sit quod DEVS tentauerit Abraham; cum dicat Iacobus neminem à DEO tentari. Verum secundum locutionem Scripturarum solet dici, tentat, pro eo quod est, probat: tentatio autem illa, de qua Iacobus loquitur, non intelligitur nisi qua quisque peccato implicatur. Cum autem alio loco dicitur: *Tentat vos* DEVS *vt sciat si diligitis eum*: etiam hoc, *vt sciat*, genere quodam locutionis dictum est, ac si diceretur, vt scire vos faciat: quoniam vires dilectionis suæ hominem latent, nisi diuino experimento etiam eidem innotescant. Idem Augustinus alio loco sic ait: Tentatur Abraham de immolando dilectissimo filio suo Isaac, vt pia eius obedientia probaretur, sæculis in notitiam proferenda non DEO. Neque enim omnis est culpanda tentatio: quia & gratulanda est, qua fit probatio. Et plerumque, aliter animus humanus sibi ipsi innotescere nō potest, nisi vires suas sibi non verbo, sed experimento, tentatione quodammodo interrogante respondeat: vbi si DEI munus agnouerit, tunc pius est; tunc solidatur firmitate gratiæ, non inflatur vanitate iactantiæ. Sic Augustinus.

Deut.13.

Aug.libr.16. De Ciuitat. Dei.cap.32.

De varietate tentationū, variisq; earū finibus & effectis, obseruanda sententia. Ierem.4. Psal.77. Rom.1.

Verum quæ Patres presse ac strictim super ea re dixerunt, nos expli- 7
catius dicamus & distinctius. Tentationum duo sunt genera: alia enim tentatio est bona, & alia est mala: & harum quadruplex est differentia. Vna quidem petitur ex earum auctoribus & effectoribus: namque tentationis bonæ auctor est DEVS; malæ autem Dæmon. Sicubi autem in sacris literis significatur DEVS auctor malæ tentationis, intelligendum est malam tētationem tribui DEO non effectiue, sed permissiue; ad eum nempe modum, quo dicitur decipere aliquos, & facere errare, & indurare, & tradere in reprobum sensum. Nam quia finit ista accidere hominibus, cum ea facile prohibere posset; finit, inquam, non dando efficax auxilium, quo arceantur & vitentur eiusmodi mala; idcirco vulgari modo loquendi dicitur talium malorum auctor. Sic item inferre dicitur malas tentationes, quia derelinquit hominem, & auxilio suo destituit, noxiis tentationibus impugnandum & vincendum. Hoc aperte scriptum est libro secundo Paralipomenon capite trigesimo secundo de Rege Ezechia, qui derelictus à DEO, vitiosa quadam tentatione oppugnatus & superatus est. Sic enim ibi legitur: *Dereliquit illum* DEVS, *vt tentaretur*. Malas verò tentationes finit DEVS accidere tam bonis quàm improbis, sed diuerso fine: illis in maius eorum bonum, vt vel victi, postea humiles & cauti fiant, & acriores atque ardentiores ad bene agendum exurgant, vt B. Petro Apostolo accidit: vel vt vincendo tentationem, crescat magis eorum virtus atque clarescat; sicut B. Antonio & Benedicto aliisque plurimis contigit. Malos vero permittit malis eiusmodi tentationibus afflictari in maius eorum malum; sic nimirum exigentibus grauissimis eorum peccatis; sic poscente DEI iustitia scelerum iudice atque vltrice. Nec ob hanc solum causam; verum etiam vt ne sceleratorum hominum vel simulata virtus, vel dissimu

Quomodo Deus significetur auctor malarū tentationū: & cur eas tā bonis viris quā malis cōtingere sinat. Matth.26.

dissimulata improbitas, per eiusmodi tentationes retecta atque enudata, fallere alios, & in errorem inducere possit.

8 Altera differentia tentationis bonæ & malæ ducitur ab obiecto, in quo vtraque versatur. bona quippe tentatio ferè circa mala corporis aut externa versatur, vt sunt morbus, paupertas, & aliorum hominum infectationes, iniuriæ, cruciatus, mors. At mala tentatio vt plurimum spectat mala spiritualia, cuiusmodi sunt cogitationes & affectiones libidinosæ, auaræ, ambitiosæ, aliaque vitiosarum cupiditatum irritamenta. Tertia differentia ducitur ex modo quo fit vtraque tentatio. Etenim bona tentatio fit per externa mala, quibus corpus vel animus afflictatur: mala vero, suggerendo prauas cogitationes, excitādoque & inflammando appetitum vel libidinis vel iræ, & instigando ad flagitia. Quarta demum differentia spectatur ex fine: finis enim bonæ tentationis, est vtilitas, bonumque spirituale eius qui tentatur: malæ autem tentationis finis, est spirituale damnum ac pernicies eius, cui accidit tentatio.

9 Ad quem autem finem DEVS tentet, palam fiet, si quatuor hominum genera distinguamus, qui tentantur à DEO. Primo tentat DEVS interdum peccatores, sed emendabiles, vt tentationibus pulsati redeant ad mentem, & resipiscant; paccatorumque suorum vere pœnitentes, & veniam, & DEI gratiam consequantur. Tentat deinde bonos, sed imperfectos & torpentes in via DEI, vt tentatione tanquam acri quodam calcari instigati & incitati, ad maiores in studio virtutum faciendos progressus promoueantur. Tentat præterea viros bonos, & magis ac magis proficientes, vt præbeat illis materiam amplioris profectus. Tentat denique viros perfectos ad maiorem sui ipsius gloriam, in exemplum atque imitationem insignis alicuius virtutis, vt patientiæ in Iob, & Tobia: fidei & obedientiæ, in Abraham: castitatis in Ioseph Patriarcha & in Susanna: inuictæ fortitudinis & constantiæ, vt in sanctis Martyribus, quorum durissimæ tentationes incredibiliter ad confirmationem & propagationem fidei Christi profecerunt. Sed quid ego de aliis dico? etiam ipse Dominus noster Iesus Christus tentatus est, non solum à Diabolo in deserto, sed etiam à DEO patre ipsius, grauissimis malis & doloribus obiectus; vt propterea non dubitauerit Paulus dicere, habere nos Pontificem tentatum à DEO per omnia; & ipsemet in Cruce iam moribundus clamauerit: DEVS DEVS *meus, vt quid dereliquisti me?* Est verò illud DEI proprium, nec tentare quemquam bonorum supra vires eius; & quantum in ipso est, facere semper cum tentatione prouentum: nec permittere Diabolo liberam tentandi potestatem, sed solum quatenus ab ipso præfinitum ei fuerit. Diabolus porrò quem ad finem tentet, ita notum est, vt expositione non egeat. tentat videlicet bonos, vel vt eos à studio virtutis remoueat; vel vt in eo negligentes reddat; vel vt de eo insolentes & superbos faciat. malos verò tētat, vel ne è vitiis emergere velint; vel vt in iis profundius eos demergat. Satis igitur apparet ex iis, quæ super bonarum & malarū tentationum varietate cursim disputauimus, quem-

Ad quem finem DEVS tenter.

Iob 1.2. Tob.2. Iacobi 5.

Matth.4. Ad Hebr. 4.

Matth.27. 1.Corint. 10.

Ad quē finē tentet Diabolus.

admodum intelligere atque interpretari oporteat sacram scripturam cum quibusdam locis tradit tentari quosdam à DEO, & aliis locis negat quemquam à DEO tentari.

Cæterum proposita quæstio nondum vsquequaque videtur dissoluta, cum restet etiamnum hic scrupulus; tentare enim est experimentum capere de aliquo, vt eius ignotus nobis animus, aut virtus, aut doctrina, quasi tentationis experimento & periculo facto, enotescant, & certa nobis fiant. Audiat Lector B. Thomam, quid sit tentare, ad hunc modum breuiter edocentem: Tentare est proprie, sumere experimentum de eo qui tentatur: quod quidem & verbis & factis potest fieri. Verbis quidem, vt experiamur an sciat quod quærimus; vel an possit, aut velit illud implere: factis autem, cum per ea quæ facimus, exploramus alterius prudentiam, aut voluntatem, aut potestatem. Id verò vel fit aperte, cum quis tentatorem se profitetur, sicut Sampson proposuit Philistæis problema ad eos tentandum: vel fit insidiosè & occulte, quemadmodum Pharisæi tentauerunt Christum, vt legitur Matthæi vigesimosecundo. Sic B. Thomas. Liquet igitur tentationem arguere in eo qui tentat, ignorationem, vel certe dubitationem eius rei, cuius explorandæ, noscendæque gratia tentat alium: ignoratio autem cuiusquam rei & dubitatio, cum altera sit priuatio, altera defectus scientiæ, in DEVM cadere non possunt, cuius rerum omnium absolutissima est scientia. Caietanus paucis resoluit hunc nodum; ait enim tentare dici de DEO non proprie, sed metaphorice; sicut irasci, dolere & pœnitere, quæ in DEVM dicuntur non quantum ad affectum, sed quantum ad effectum; sic etiam tentare aliquem dicitur DEVS, quod ad similitudinem hominis tentantis alium, facit quædam aut dicit, quibus eius animus, aut quæ animo gerit & tenet, eluceſcant & enotescant, aut illi ipsi, aut aliis. Verba Caietani ex Commẽtario eius in Genesim super hunc locum Mosis ita se habẽt: *Tentauit* DEVS *Abraham*: hoc est, ad similitudinem tentantis se habuit: tentare enim non conuenit DEO proprie, quia est actio nescientis, sed metaphorice, sicut irasci & pœnitere. Et signate hic pro vocabulo DEVS, Hebraice ponitur Elohim, quæ vox significat DEVM sub ratione iudicis, ad insinuandum vtique quod non crudeliter nec iniuste, sed secundum diuini iudicij rationem non alligatam humanæ pietatis regulis, hanc tentationem Abrahæ DEVS exercuerit. Sic Caietanus.

10

S. Thomas. 2. 2. quæst. 92. art. 1.

Iuel. 5.

Caietan. in cap. 22. Genesis.

Verum in hac quæstione explicanda copiosior & luculentior fuit B. Augustinus, cuius verba ex sermone secundo eius, de immolatione Isaac hic adscribam. Sic ergo, inquit Augustinus, ignarus est DEVS rerum, sic nescius cordis humani, vt tentando hominem inueniat? Absit: sed vt ipse homo sese inueniat. Nouerit igitur caritas vestra, tẽtationem DEI non id agere vt ipse aliquid cognoscat quod antea nescienbat: sed vt illo tentante, quod est occultum, prodatur. Non enim sibi homo ita notus est vt Creatori. Nam nec æger sic notus sibi est, vt medico. Ægrotat homo, ipse patitur, medicus non patitur; & ab eo tamen qui

11

Aug. in Sermone De tẽpore 72.

qui non patitur, expectat audire quod patitur. Ideo clamat Dauid, *Ab occultis meis munda me Domine*: Sunt enim multa in homine occulta ipsi homini, quæ neque aperiuntur, nec inueniuntur, nisi in tentationibus. Si DEVS cessat tentare, magister cessat docere. DEVS tentat vt doceat, Diabolus tentat vt decipiat; qui tamen, nisi is qui tentatur, dederit ei locum, inanis & irridendus repellitur. Quapropter dixit Apostolus: *Nolite locum dare Diabolo*. dant autem homines locum Diabolo ex concupiscentiis suis. Non vident homines Diabolũ cum quo pugnant, verum si seipsos interius vincant, etiam de illo foris triumphant. Tentatus igitur est Abraham, vt se ipse sciret: aut si se iam sciebat, vt nobis notus fieret; aut igitur sibi, aut certe nobis prodendus erat: sibi, vt sciret vnde gratias ageret; nobis, vt sciremus vel quid à Domino deprecaremur, vel quid in homine imitaremur. Hactenus ex Augustino. Etiam apud homines sæpe tentatio fit non ob ignorantiã eius qui tentat, sed ad docendos vel instruendos alios: Magister enim tentat discipulum, cuius sibi exploratum & notum est ingenium ac doctrina: tentat, inquam, varia interrogando, & perplexas obiiciendo quæstiones, vt prudenter & scite respondendo, quantum ingenio valeat, & quantos in studiis processus habeat, manifestet & probet aliis.

Psal. 18.

1. *ad Thess.*

12 Duplex igitur videtur fuisse huius tentationis Abrahæ finis: vnus quidem vt manifestaretur Abrahæ fides & obedientia, videlicet ad gloriam DEI, ad immortalem eius viri laudem, ad exemplum eruditionemque atque imitationem aliorum, alter finis fuit, vt per simulatam illam à DEO immolationem Isaac, præsignificaretur ac præfiguraretur maximum illud pietatis sacramentum, quo DEVS pater in eo ipso loco vnigenitum Filium suum, pro nobis hominem factum, vere immolaturus aliquando erat pro redemptione mundi. Vtrumque hũc finem complexus Theodoretus breuiter sic exposuit: Tentauit DEVS Abraham non vt disceret quæ iam sciebat, sed vt ignorantes doceret, quàm iusta de causa Patriarcham diligeret. Quocirca tres dies, & totidem noctes, amoris diuini periculum in eo fecit: & patriarcha quidem medius inter naturam constitutus & fidem, cum vtrinque prehensaretur, fidei dedit palmam victoriæ. Atque hæc quidem erat vmbra dispensationis pro nobis iam nunc factæ. Pater siquidem Filium dilectum obtulit pro mundo; & Isaac typus fuit Diuinitatis Christi, aries autem humanitatis: tempus item vtrobique æquale, tres scilicet dies, & tres noctes. Ob hanc autem causam B. Paulus dixit Isaac fuisse datum Abrahæ in parabolam siue in similitudinem: videlicet vt illustrem Filij DEI in terras venturi, & pro salute hominum morituri typum & figuram tanto ante præferret. B. Augustinus ita citat locum illum Pauli: *Pro hoc etiam eum in similitudinem adduxit*: quæ verba exponens, subiungit: In cuius similitudinẽ, nisi illius de quo dixit idem Apostolus: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum?* Propterea & Isaac, sicut Dominus crucem suam, ita sibi ligna ad victimæ locũ, quib. erat imponẽdus ipse, portauit. Postremo quia Isaac

1. *Tim.* 3.

Theodoret. quæst. 72. in Genesim.

Locus Pauli ad Hebræos cap. 11.

Augusti. De Ciuitat. Dei li. 16. cap. 32.

Ad Rom. 8.

Matth. 27.

occidi non oportebat, postea quam est pater eum ferire prohibitus, Quis erat ille aries, quo immolato impletum est significatiuo sanguine sacrificium, illum dico arietem quem vidit Abraham cornib. in frutice teneri? Quis ergo illo figurabatur, nisi Iesus Christus, antequam immolaretur, spinis Iudaicis coronatus?

Decies tentatum esse Abrahã secũdum Hebræos.

Ponam huic Disputationi finem, si prius Lectorem monuero, pro- 13
ditum esse ab Hebræis, Abrahã decies fuisse tentatum à DEO. Primo cum iussus est derelinquere patriã & cognatos, & ire in terrã ignotam. *Genes. 12.* Secundo, cum propter famẽ cõpulsus est peregrinari in Ægypto. *Ibidem.* Tertio cum ei ablata est vxor à Pharaone, & vterque magno in discrimine versati sunt; ipse quidem perdendæ vitæ, vxor autem pudicitiæ. *Ibidem.* Quarto cum ob iurgia & rixas frequentes inter pastores suos & Lot, coactus est dissociari ab eo, quem filij loco habebat & diligebat. *Infra 13.* Quinto, cum Agar, quam vxorem duxerat, iam ex se grauidam, impulsu Saræ domo eiecit. *Iusta 16.* Sexto, cum in senili corpore & valde iam durata carne iussus à DEO est circumcisionis sectionem & vulnus accipere. *Infra 17.* Septimo, cum per regem Abimelech ablata est ei vxor. Octauo cum vxorem Agar & filium Ismaelem, primò Saræ instinctu, tum DEI iussu, à suo contubernio & conuictu penitus segregans, alio amandauit. *Infra 20.* Nono (quod antea dictum oportuit) cum validos quatuor regum exercitus parua manu adortus, & fortissime dimicans debellauit, vt filium fratris sui Lot in seruitutem abstractum, ex eorum potestate eriperet. *Infra 21.* Decimo cum iussus est immolare filium suum Isaac. Et quoniam hæc omnium ante dictarum tentationum fuit longe grauissima, idcirco Moses hanc solam nominatim appellauit tentationem. Sic Hebræi. *Supra 14.*

TERTIA DISPVTATIO,

De loco immolationis Isaac,

Super illis verbis:

VERSV 2. *Vade in terram visionis: & ibi offeres eum super vnum montium quem monstrauero tibi.*

Hieronym. in Tradit. Hebr. in Genes. cap. 22. De significatione vocis Moria.

IATINVS interpres vertens, *Terram visionis*, secutus vi- 14
detur Symmachũ, qui eodem modo vertit. Sic enim super hoc vocabulo scribit S. Hieronymus: In Hebræo est Moria, quod Aquila vertit τὴν κατοφανῆ, hoc est, lucidam: Symmachus, τῆς ὁπτασίας, hoc est, visionis. Aiũt ergo Hebræi hunc montẽ esse, in quo postea tẽplum conditũ est in area Ornæ Iebusæi. Sic n. secundi Paralipomenon cap. 3. scriptum est, *Cœperũt ædificare templum in mense secundo, in secunda die mensis, in monte Moria*, qu

pro

proptera interpretatur lucens & illuminans, quia ibi est Dabir, hoc est, Oraculum DEI, & lex, & SPIRITVS Sanctus docens homines veritatem, & inspirans prophetias. Hæc Hieronymus. Sed cum Hebræis, quos sequi videtur Hieronymus, dissentit Rupertus, contendens non aliam ob causam dictam esse terram visionis, nisi quia DEVS ibi se videndum exhibuit Abrahæ, eumque respexit; duplici sane respectu, tum misericordiæ, vetans immolare filium; tum beneficentiæ, tantam eius obedientiam amplissimorum bonorum magnificentissimis promissionibus remunerans. Ruperti verba hæc sunt: Verumtamen quid opus est ab Hebræis nominis huius, id est, terræ vel montis visionis etymologiam dubitabilem quærere, aut vt opinabilem inuestigare; cum ex præsenti loco Scripturæ liquido constet, propter præsentiam siue respectum gratiæ DEI, Abraham sic locum illum appellasse? Nam quia DEI tentantis oculos super se apertos atque defixos præcordialiter sensit, clamante Angelo Domini, cum arripuisset gladium Abraham: *Non extẽdas manum super puerum*: &, *Nunc cognoui quia timeas Dominum*, ideo subiungitur: *Appellauitque nomen loci illius, Dominus videt: vnde vsque hodie dicitur; Dominus videbit.* Constat ergo quod ob causam prædictam iubilans atque ineffabiliter gratulabundus Abraham, illum suæ lætitiæ locum, visionis nomine signauit, in quo visum se esse à Domine, veraciter confiteri potuit. Itaque vt cætera multa, sic & hoc per anticipationem paulo ante dictum est, *Vade in terram*, cum additamento nominis huius, *Visionis*. Ita Rupertus, cuius solam hanc eius nominis interpretationem, retectis cæteris omnibus approbat Eugubinus. Rupertus li. 6. Commẽtario in Genes. cap. 28. Eugubinus.

15 LIPPOMANVS autem putat vocatam esse terram visionis eam Lippomanus in Catena in Genesim.
partem Iudææ, quæ maxime montana est; sic forte dictam, vel quod propter montium altitudinem è longinquo conspicua & aspectabilis sit; vel quòd terra illa futura erat Prophetarum habitatio, quibus multiplices factæ sunt cælestes visiones & reuelationes; maxime autem quia in ea Filius DEI verus homo factus & visibilis omnibus habitaturus erat; sicut Baruch dixerat: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* *Baruch. 3.* Oleaster porrò varie originem vocis Moriah, & inde natam multiplicem eius significationem enarrans, ad hunc modum disputat: De etymologia vocis, Moriah, dubitatur. quidam enim deducunt à (Marar siue, Mar) quod est Myrrha: quod locus ille myrrha & cynnamomo & aloë abundaret: de quo Canticorum quarto dicitur: *Ibo ad montem myrrhæ.* alij deriuant à (Iarà) quod est timere: quòd in eo monte Dominus postea coli & timeri deberet. sunt qui deducant à (Iarah) quod est docere, & descendere: quod ex eo monte descensura & proditura esset doctrina & lex, iuxta, illud Isaiæ secundo: *De Sion exibit lex.* Mihi autem, si ea vox deducatur à Mar, videtur iste mons appellatus amarus propter amaritudinem Abrahæ immolantis filium, aut filij immolati. Sin autem radix eius sit (iarà) quod est timere, sic dictum puto à timore quem ibi habuit Isaac: vel potius à timore præsentiæ diuinæ, futuræ ibi in templo. Nec desunt qui vocis Moriah significatio- Oleaster in cap. 22. Genesis.

nem arceſſant à verbo (Raah) quod eſt videre, vt ſignificet terram viſionis, in qua ſcilicet DEVS Abrahæ ante apparuerat: quæ quidem interpretatio minime improbanda eſt. Hactenus ex Oleaſtro.

Geneſ. 4. & 8.

TRADVNT Hebræi, in eo ipſo monte Abel & Cain ſacrificaſſe; & 16
poſt Diluuim, Noe ſacrificium obtuliſſe DEO in odorem ſuauitatis; atque in eo ipſo multa poſt ſecula conditum eſſe Salomonicũ templum. Equidem de templo Salomonico aſſentior Hebræis, cum apertis verbis id proditum ſit in libro ſecundo Paralipomenon, capite tertio. Conſiderandum eſt Lectori quod in primo ſermone de immolatione Iſaac ſcriptum reliquit his verbis Sanctus Auguſtinus: Audite illud ſacramentum fratres cariſſimi. Hieronymus presbyter ſcripſit ſe ab antiquis & ſenioribus Iudæis certiſſime cognouiſſe, quòd ibi immolatus ſit Iſaac, vbi poſtea CHRISTVS crucifixus eſt. Etiam hoc antiquorum ratione refertur, quod & Adam primus homo, in eo loco vbi Crux CHRISTI fixa eſt, fuerit ſepultus: & ideo Caluariæ locum dictum eſſe, quia caput humani generis ibi dicitur eſſe ſepultum. Sic Auguſtinus. Verum mons Caluariæ extra vrbem Hieruſalem erat, & diuerſus à monte Moriah, ſuper quo templum ædificatum eſt: ſed quia propinqui erant, & fortaſſe eiuſdem totius montis partes, pro vno monte & loco accipi poſſunt. At enim Abel ſacrificaſſe in eo monte, mihi quidem valde dubium eſt, nec ſit veriſimile. Quin magis eſt credibile Adam è Paradiſo eiectum, aut ſemper, aut longiſſimo tempore non procul ab eo loco habitaſſe: tum propter amorem & venerationem loci Paradiſi: tum quod propinqua ei regio, particeps eius eſſet tam fertilitatis & amœnitatis, quàm ſalubritatis. Paradiſum verò fuiſſe in Meſopotamia, aut non inde procul, in tertio libro primi Tomi Cõmentariorum noſtrorum in Geneſim copioſe diſputauimus. De Noe porro quod tradũt Hebræi, ſine dubitatione dixerim falſum eſſe: id enim manifeſte redarguunt duæ Moſis ſententiæ, quæ ſunt in capite octauo huius libri: altera eſt, ceſſante diluuio requieuiſſe arcam ſuper montes Armeniæ: altera verò eſt, egreſſum Noe de arca, ædificaſſe ibi altare Domino, & obtuliſſe holocauſta ſuper altare. Quam longe autem remoti ſint montes Armeniæ à monte Moriah, nemo neſcit, niſi qui Coſmographiæ omnino neſcius eſt.

Auguſt. in ſermone de Tẽpore 71.

An Abel & Noe ſacrificauerint in monte Moria.

Geneſ. 8. Ibidem.

CÆTERVM mons Moriah, poſt cõditum in eo templum, conſtructamque vrbem, erat Orientali vrbis muro prope adiacens, excelſus, præruptus, & vndique præceps: cui primam claritatem & nobilitatem dedit hiſtoria hæc Abrahæ ibi filium immolaturi, ſed eius poſtea loco Arietem cornibus inter vepres hærentem offerentis: cuius rei imago in pictura expreſſa tempore Gregorij Niſſeni percelebris fuit. De hac enim imagine in Oratione pathetica de Pictura eius rei ſic ille ait: Vidi ſæpius deſcriptionis eius rei imaginem, & ſine lacrymis tranſire non potui, cũ tam efficaciter & ad viuum ob oculos hiſtoriã eius rei poneret. Memorantur hæc in ſecunda Nicæna Synodo Act. 4. Can. 2. Hunc

17

Gregorius Niſſenus.

2. Paral. 3.

montẽ Moriah vel partem eius Dauid ab Orna Iebuſæo ſexcentis ſiclis aureis emit: & extructo in area eius montis altari, holocauſtum DEO obtulit, quod ignis de cælo deſcendens conſumpſit. Romani, Tito Imperatore, capta vrbe, incenſoque templo, altiores partes eius montis demoliti ſunt, eaſque cum ruinis templi in torrentem Cedron deiecerunt, remanente eo monte, multo quam antea erat depreſsiore: qua de re Borchardus ad hunc modum ſcribit: Mons Moriah ſuper quem Domini templum & Regis palatium conſtructa fuerant, aliquando altior erat ipſa vrbe, vt patet ex ſitu templi, & ex iis quæ tradit Ioſephus: quæ loca nunc ſunt omnino explanata, & fere demiſsiora reſiduo ciuitatis: explanatus enim fuit mons, in quo templum erat, à Romanis, & tractus in torrentem Cedron cum omnibus ruinis templi & atriorum; quod hodie palam eſt, & cuiuis licet videre.

Borchardus in Deſcrip. Terræ Sanctę. Par. 1. ca. 7. num. 42.

18 ORIGENES porro quæſtiunculam hanc ponit, cur DEVS non prius iuſsit Abraham ire in montem Moriah, ibique de immolando filio præcepit ei: ſed hoc ei præceptum dedit, cum eſſet Geraris, atque inde eum diſcedere, & triduano itinere ad montem Moriah, exequendi præcepti ſui gratia pergere voluit. Ad hanc quæſtiunculam reſpondet ille, quo magis DEVS eius viri animam & affectum probaret, voluiſſe eum per tres dies itineris, acerbiſsima filij immolandi cogitatione & intentione cruciari. Sed audiamus Origenem: Intuemini, inquit, per ſingula, quomodo fiant & creſcant ánimi & virtutis eius tentamenta. *Vade*, ait, DEVS *in terram excelſam*, nunquid non potuerat prius duci Abraham cum filio ad illam terram, & poni ſuper montem Sacrificio illi deſtinatum, & ibi ad eum dici vt offerret filium? Sed prius ei dicitur quod offerre debet filium ſuum, ſimulque iubetur ire in terram excelſam & aſcendere in montem. Quorſum hoc ſpectat? nimirum vt dum ambulat, dum iter agit, per totam viam cogitationibus diſcerpatur, vt hinc perurgente præcepto, inde vero vnici filij affectu reluctante crucietur: Propterea igitur imperatur via, & montis aſcenſio, vt per hæc omnia ſpatiũ certaminis accipiant affectus & fides, amor DEI & amor carnis; præſentium gratia, & futurorũ expectatio. Nec ſatis fuit Patriarchæ tantum DEI opus peracturo, pergere in terram excelſam, ſed inſuper iubetur montem aſcendere; videlicet vt fide elatus terrena derelinquat, & ad ſuperna conſcendat; & vt loci altitudo, fidei & obedientiæ in operando ſublimitatem ſignificaret.

Origenes homil. 8. in Geneſ.

QVARTA DISPVTATIO.

Quam fuerit præceptum illud diuinum de immolando Iſaac graue, difficultatumque plenum: ac, ſi ratione humana æſtimaretur, quam aſperum & atrox, ſæuumque Abrahæ videri potuerit:

VERSV 2.

Super

Super illis verbis.

Tolle filium tuum quem diligis Isaac, & offer eum in holocaustum.

SEPTEM res hiisce verbis tanguntur, ad commouendum 19
& perturbandum, confundendumque animum & affectum Abrahæ, potentissimæ; nempe quæ alium quemlibet mortalium, ab eo DEI mandato exequendo vel omnino reuocassent, vel certe vehementer retardassent: quæ vero sint eiusmodi, cursim attingam. Primum eorum est illud, *Filium tuum*: Est enim arctissimum necessitudinis vinculum, & flagrantissimum amoris incendium inter patrem & filium: quo fit vt præoptent patres mori se potius quàm filios: & se filiis superstites esse, acerbissime doleant. Alterum est illud, *Vnigenitum*: nam si multos Abraham filios habuisset, leuior ei ac tolerabilior vnius eorum fuisset amissio: at vnum habere solum, eoque orbari, atque vna cũ eo, suæ posteritatis spe omni priuari, id sane paternum animum incredibiliter acerbare & cruciare poterat. Sed quomodo dicitur Isaac fuisse vnigenitus Abrahæ, cum viueret tum Ismael, quem ille genuerat ante Isaac? An quia eiectus domo eius Ismael, & ab eius consuetudine victuque longe ablegatus, quasi pro mortuo erat Abrahę? An vnigenitum vocauit Isaac, non simpliciter, sed respectu Saræ, quæ principalis erat Abrahæ vxor, & materfamilias; & item respectu hæreditatis Abrahæ, quæ ad solum Isaac quasi ad vnicum filium peruentura erat? An potius propterea Isaac appellatus est vnigenitus, quia ipse solus natus fuerat secundum DEI promissionem, & præter ordinem cursumque naturæ; Ismael autem natus fuerat secundum carnem, quemadmodum præclare docet Paulus ad Galatas quarto? An demum vnigenitus nominatus est respectu posterorum Abrahæ? nam quasi solus Isaac fuisset filius Abrahæ, ita soli posteri Isaac, censendi erant posteri Abrahæ, testante DEO: *In Isaac vocabitur tibi semen.*

Quomodo dictus sit Isaac fuisse vnigenitus Abrahæ. *Genes.* 16.

Genes. 21.

TERTIVM est illud, *quem diligis*. Erat sane Isaac multis de causis 20
maxime diligendus Abrahæ: quod esset ingenio & moribus optimis & suauissimis: quod patris esset reuerentissimus atque obsequentissimus: quod eum iam senex genuisset; quod ingenti potentiæ DEI miraculo, & singularis erga se beneuolentię eius perillustri testimonio accepisset; quod per illum numerosissima & clarissima promissa sibi à DEO esset posteritas. Pro eo quod nos legimus, *quem diligis*, hebraice est, *quem dilexisti*, id est, quem perpetuo vsque adhuc dilexisti. Nullum enim in omni præterito tempore factum dictumque fuerat Isaac, quod vel minimam Abrahæ offensionem afferre potuisset. Obseruate curioseque annotauit noster Ribera, in rimandis pensitandisque propriis hebrææ linguæ & Sacræ Scripturæ locutionibus, vir peracris iudicij, exactæque curæ, Scripturæ consuetudinem esse, vt sæpe certam quampiam temporis differen

Franciscus Ribera in cap. 1. Oseæ num. 31.

differentiam vsurpet, quo eius rei quam narrat durationem & permansionem in ea differẽtia temporis significet. Exempli causa, Ioannis primo; *In principio erat verbum*, id est, semper erat. & in Psalmo primo: *Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit & in cathedra pestilentiæ non sedit*; Id est, nunquam abiit, nunquam stetit, nunquam sedit. Et Oseæ primo: *Fornicans fornicabitur terra à Domino*, quasi diceret, Non solum antehac fornicata est, nec tantum nunc fornicatur, verũ etiam in posterũ perget fornicari, nec à fornicando desistet. Similiter hoc loco: *quem dilexisti*, id est, quẽ ad hunc vsque diem perpetuo dilexisti, sine vlla nẽpe amoris vel cessatione vel etiã imminutione.

21 Quartum est illud, *Isaac*. Enimuero præcipuam quandam & vehementem excitat amoris flagrantiam, audire proprium nomen eius, qui eximie atque vnice diligitur. quo ardentior autem erga quempiam amor est, eo fit acerbior ex illius amissione dolor. Nomen sane Isaac risum & gaudium significabat: nam per eum ingens, & solidum, & perpetuum gaudium parentibus eius, atque omni eorum posteritati promissum fuerat. Sed enim illo DEI præcepto de eo immolando, omnia parentum gaudia, & præterita, & præsentia, & in posterũ sperata, obrui ac penitus deleri videbantur. Pulchre hoc exaggerat Origenes: Vide, inquit, tentationis pondus. caris ac dulcibus appellationibus iterum ac sæpe repetitis, paterni suscitãtur inflammãtur affectus: vt amoris euigilante memoria, ad immolandum filium paterna dextera retardaretur; & vt aduersus fidem animi, tota carnis militia repugnaret. Esto Domine quod commemoras de filio patrem; adiicit carissimum, quem præcipis iugulari, sufficiat hoc ad supplicium patris; addis tamen rursus: *Et quem diligis*, sint & in hoc parenti triplicata supplicia: quid opus præterea fuit, nominatim ei commemorari Isaac? nunquid nesciebat Abraham, filium illum suum vnigenitum & dilectissimum, vocari Isaac? nimirum hoc addere voluisti vt recordatus Abraham, quia dixeras ei, *In Isaac vocabitur tibi semen*, memorque tot & tantarum promissionum, quæ sub hoc nomine ei datæ fuerant, vehementior & atrocior ei contingeret desperationis tentatio. Hæc Origenes.

Genes. 21.

Orig. hom. 8. in Gen.

22 Quintum est illud: *Offeres*. non dixit: Dabis eum aliis immolandum, sed tu ipse duces eum ad immolandum: tu immolationis eius testis & spectator eris: tu manibus tuis eum trucidabis, & cremabis. Sextum est illud, *Mihi*: nam etsi non est id expressum à Mose, necessum tamen est hoc loco intelligi. Poterat autem id vehementer conturbare animum Abrahæ: nouerat enim ipse, DEVM humanas victimas detestari, sciebat non delectari eum morte hominum, ne dum innocentium. Ille sibi filium pro singulari munere ac beneficio promiserat: ille longissima generationis eius expectatione diu multumque fidem & spem suam probauerat: denique magno potentiæ suæ miraculo, ex sene ac sterili vxore eum dederat: atque in eo vno omnes eius promissiones sibi datæ nitebantur. Quomodo igitur quasi horum omnium oblitus, aut pœnitens, eum de medio tolli, sibique immolari iubebat? Septimum est

Universidad de Deusto
Biblioteca

illud *In holocaustum.* Alia quidem certe mortis violentæ genera, non omnino resoluunt, & consumunt, & delent corpus hominis mortui. Nimirum ex suspendio & suffocatione integrum manet corpus: decollationi aut lacerationi membra; bestiarum deuorationi saltem ossa supersunt: at ex holocausto, nihil prorsus præter paucum vilemque cinerem restat: vt nullum esse videatur mortis genus æque corporis humani, vt sic loquar, annihilatiuum, atque est holocaustum. quare holocausti modo cremandum & interimendum esse Isaac, id singulari quodam atque incredibili Abrahæ animum dolore perurebat.

Philonis in lib. de Abraham præclara sentētia.

VERVM hæc, quæ nos carptim diximus, & per capita, summatimque indicauimus potius quam expressimus, Philo perpetua, & oppido quā diserta atque erudita disputatione pertractans, ad hunc modū scribit: Apud omnes qui recte sentiūt, nihil honestius, nihilque optabilius ducitur, quam DEO parere. hoc autem ita Abraham facere studuit, vt nullum vnquam DEI mandatū non prompte & alacriter exequeretur quantumuis molestiis & ignominiis, laboribusque ac doloribus refertū esset. Quamobrē & id quod diuino oraculo iussus est de immolando filio, fortiter constāterque pertulit. Cū enim nulla in ea regione consuetudo esset immolandi liberos, ipse primus auctor futurus erat noui & inusitati exēpli: quod mihi videtur nemo laturus fuisse, etiā si ferreū & adamantinū habuisset animū: cū natura enim, vt quidā dixit, pugnare, difficillimū est. Pater erat factus vnici filij, quē amabat super modū vulgaris amoris, etiā fama celebrati. Aderat & aliud vehemens amoris incitamentum, quod in senecta ei natus fuerat: nā sero natos impotentius parentes adamāt; vel quia diu desideratos: vel quia nullā posteā sperant prolē, natura iam effœta, & ad extremū perducta terminum. Præterea è numerosa sobole vnū quempiā offerre DEO, tanquā liberorū primitias nihil mirandū fuerit, cū præsto sit ex aliis superstitibus liberis haud mediocre solatium, & doloris ex vnius interitu concepti leuamentū. Cum vero vnicus offertur, res est nullo sermone explicabilis, nullū habēs respectū cōsuetudinis domesticę; sed tota prona ad pietatis officiū, eximia sane & vix cuiquā alij tētata. Nā alij tametsi pro salute patriæ, vel exercitus, concedūt liberos suos Diis mactādos, ipsi tamē aut domi manent interea, aut procul absistūt ab altaribus, aut si cōtingat eos sacris interesse, auertunt oculos, & ne spectari quidē sustinēt alienū necis ministeriū. hic vero tanquā sacerdos, ipse pater amātissimus aggreditur mactationē egregij filij, quem fortasse etiam, sacrificiorum ritu, membratim concisurus erat, adolendum altaris ignibus: adeo cauerat, ne pietate erga filium distraheretur pietas DEO debita: totum enim, quantus erat, animum Sanctitati deuouerat, nihil curans cognatum sanguinem. Quid horum quæ diximus, cum cæteris commune est? quid non eximium; & quod nulla possit æquari facundia? vt merito quoduis ingenium minime malum aut inuidum, obstupescere debeat immensæ huius pietatis miraculo. Ad hunc vsque locum pertinēt, quæ commemoranda hic duximus Philonis verba.

23

Cur in senectute geniti vehemētius à parētibus amentur.

QVINTA

QVINTA DISPVTATIO,

Vnde notum & certum fuerit Abrahæ, DEI fuisse visionem illam, & præceptum de Immolando filio: & non fuisse illusionem quampiam & fallaciam Dæmonis:

Super illis verbis:

Igitur Abraham de nocte consurgens, strauit asinum suum, ducens secum duos iuuenes & Isaac filium suum: cumque concidisset ligna in holocaustum, abijt ad locum quem præceperat ei DEVS. VERS. 3.

24 EX illis verbis: *Igitur Abraham de nocte consurgens*, satis apparet, visionem illam & apparitionem DEI factam esse Abrahæ noctu; Namque statim eam exequi voluit. Idque apertius ostendit hebraica lectio superiorum illorum verborum, quæ dixit DEVS ad Abraham: *Tolle filium tuum vnigenitum &c.* Siquidem hebraice est, *Tolle nunc filium tuum*, Quid est illud *Nunc*, nisi confestim, quamprimum, & sine vlla mora? Cum igitur Moses dicat eum surrexisse de nocte ad exequendum DEI mandatum, non obscure significat noctu fuisse mandatum ei datum à DEO. An vero visio illa & apparitio DEI, in vigilia facta sit Abrahæ, an in somno non æque manifestum est. valdè tamen probabiliter ratiocinatur Caietanus, eam vigilanti Abrahæ esse oblatam. Posui hic verba eius super hunc ipsum locum quem nunc tractamus. Illa verba, inquit, Caietanus, *Abraham de nocte consurgens*, non indicant, tunc Abrahamum vigilasse è somno, & lecto surrexisse: sed duntaxat, illum diuini mandati exequendi solicitum ac sedulum, præuenisse matutinum tempus, ad sternendum asinum, ad scindenda ligna, & alia præparanda aditer. Visionem hanc nocturnam, esse factam vigilanti Abrahæ, apparet ex eo quod nulla hic fit mentio somni, aut surgendi è lecto; & manifeste præcipitur Abrahæ: *Tolle nunc filium tuum*: dormienti enim non præcipitur: Tolle nunc, sed Tolle excitatus à somno: vt bis patet in Ioseph sponso beatæ Virginis. Et consentaneum rationi est, vt tale tantumque præceptum, quod videbatur aduersum ius naturale, & aduersus promissionem diuinam factam Abrahæ de progenie per Isaac, fieret modo certissimo: constat autem certiora esse nobis, quæ vigilantibus, quam quæ dormientibus reuelantur. Hæc Caietanus.

Caietanus in capit. 12. Geneſis.

Matth. 2.

Quæ res potuissent (secundum rationem humanam) dubium reddere Abrahã, nũ illud visum illudq; præceptũ ex DEO esset.

SED grauior est illa quæstio, vnde notum certumque fuerit Abrahæ, illam visionem, illudque de immolando filio præceptum, ex DEO esse profectum: & non sit veritus, ne forte illusio esset & deceptio dæmonis: præsertim cum multa essent, quæ eum dubium & ambiguum ea de re possent facere. Principio, non ignorabat Abraham, DEVM auersari & execrari humanas victimas: proptiumque esse Dæmonis, quem pro DEO stulta & cæca Gentilitas colebat, humani sanguinis effusione lætari, hominumque gaudere cædibus. Deinde, præceptum illud contrarium videbatur virtuti Iustitiæ, occidere scilicet hominem innocentem. Præterea, contra paternam videbatur pietatem, etiam ferinam excedens crudelitatem, patrem suis ipsum manibus trucidare & cremare filium suum. esse quoque id videbatur contra fidẽ diuinarum promissionũ: neque enim DEVS vt homo mentiri, aut vt filius hominis mutari potest: quomodo igitur præceptum de occidendo Isaac poterat esse DEI, qui non semel promiserat posteritatem Abrahæ per ipsum Isaac fore amplissimam, clarissimamque? non igitur tale præceptum cum fide ac veritate diuinę promissionis cõgruere videbatur. Illud quoque deterrere poterat Abraham ab eo mandato implendo, quod ei plane contrarium meminisse poterat esse illud DEI præceptum datum Noe: *Quicumque fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe* DEI *factus est homo.* Hæc igitur atque alia horum similia, dubium & ambiguum reddere poterant animum Abrahæ, de veritate illius visionis, æquitateque præcepti.

Num.23.

Genes.9.

Supra 4.

Quẽadmodũ Deus eos quibus mysteria sua reuelat, faciat certos, eam reuelationẽ à se profectam esse. Gregor. lib. 4. Dialog. cap.48.

VERVM enimuero, quam fuerit persuasum Abrahæ, certumque illam visionem, illudque præceptum fuisse DEI, liquido, tanta eius in exequendo DEI mandato celeritas, sedulitas, alacritas indicauit. Etenim DEVS tanta sui luminis copia eius animum mentemque perfudit, atque illustrauit; tantaque sui oraculi certitudine confirmauit, vt non solum de eo nihil prorsus dubitaret; verum etiam certius sciret illud esse DEI oraculum & præceptum, quàm cum Saram vxorem, vel filium Isaac loquentes audiret, esse eorum verba quæ ipse audiebat. Solet enim DEVS, eorum quibus mysteria sua patefacit, sic mentem illustrare, sic voluntatem afficere, sic eos de fide & veritate suæ reuelationis certiores facere, vt ipsum esse eius reuelationis auctorem agnoscãt, firmissime iudicent, & sine dubitatione vlla credant. Firmari etiam hoc potest peæclara quadam B. Gregorij sententia: Sancti viri, ait Gregorius inter illusiones atque reuelationes, ipsas visionum voces, & imagines, quodam intimo sapore discernũt, vt sciant quid à Bono Spiritu percipiant, & quid ab illusore patiantur. Nam si erga hæc mens hominis cauta non esset, per deceptorem spiritum, multis se vanitatibus immergeret. Dæmon enim nonnunquam solet multa vera prædicere, vt ad extremum valeat animam ex vna aliqua falsitate laqueare. Sic Gregorius. Quemadmodum igitur naturale mentis nostræ lumen, facit nos euidenter cernere veritatem primorum principiorum, eamque statim, citra vllam demonstrationem, assensu nostro complecti: sic in

25

26

in visionibus & reuelationibus à DEO datis, lumen diuinum animis nostris affulgens, efficit vt eas visiones ac reuelationes vere diuinas esse intelligamus, certoque credamus.

Obseruandum documentum.

27 Placet mihi quod super hac ipsa re annotauit Thomas Anglus: ait ille visiones & reuelationes diuinas factas primis prædicatoribus, & quasi fundatoribus Fidei, doctoribusque & rectoribus populi fidelis, disciplinæque morum, & cultus diuini ordinãdi, pureque administrandi magistris; sicut in lege naturæ, Patriarchis; in lege scripta, Prophetis; in lege demum Euangelica, Apostolis; reuelationes, inquam, eiusmodi viris factas, clarissimas, distinctissimas, exactissimas fuisse. Nam cum per eos cæteri illuminandi, docendi, firmandi, & dirigendi essent, conuenientissimus erat, ipsos maxime à DEO esse illuminatos, eruditos confirmatosque. Namque hic vim & locum habet celebris illa Aristotelis sententia & regula philosophica; Quod est causa vt alia sint talia, id maxime tale esse necesse est. Quo fit vt ignis, & Sol, qui cætera calefaciunt & illuminant, ille calidissimus, hic lucentissimus sit. Ponam hic verba Thomæ, ne forte Lector ea hoc loco desideret. Est pro certo supponendum, inquit Thomas, fuisse Abrahæ, hoc præceptum fuisse à DEO; alioqui nimis temerarie atque impie acceptasset opus tam inusitatum, præsertim vero non præmisso multiplici consilio prouido, & matura deliberatione. Primis enim Patriarchis & Prophetis fiebant visiones vniuersales, & fundamentales, & infallibiles, tanquam fundatoribus & quasi radicibus totius diuini cultus & Ecclesiæ DEI: & ideo nullo modo dubiæ erant tales visiones, sicut sunt quæ cõmuniter fiunt singularibus personis quibusdam, quas non est securum sequi, nisi per aliam certitudinem rationis, vel Catholicæ fidei, vel Scripturæ, earum veritas primitus innotescat. Hoc igitur concesso, sciendum est, debuisse Abraham celerrime ac feruentissime implere illud præceptum; & in filio suo potius, quam in alio quocunque homine: minusque impium fuit, quod ipse sic voluerit immolare filium suum, quam si facere id voluisset in alio quopiam extraneo. Nimirum immolando filium vnigenitum, sibique tam amore naturæ, quam gratiæ dilectissimum, non potuit vereri, & suspectus sibi esse, ne forte id faceret impio aliquo motu animi; verum securus erat se solo DEI amore ac timore ad id faciendum esse inductum. De personis autem extraneis id vereri & suspicari poterat: tum quia quanto hoc erat difficilius, & repugnantius naturali & carnali affectui, tanto id erat perfectioris virtutis propter DEI amorem perficere. Deinde quia id quod naturali iure erat suum, & sibi subditum, potius decuit offerri ab ipso, quam rem extraneam, nec suæ potestati subiectam. Similiter Isaac sine vlla dubitatione obedire patri suo debuit: quippe cuius sanctitatem, & diuinas reuelationes ei factas, optime nouerat, & facile aduertere poterat, quod pater suus vir sanctissimus, nunquam se filium eius vnigenitum & dilectissimum immolare sustinuisset, nisi certissimus esset, id à DEO fuisse imperatum. Sic Thomas Anglus.

Aristot. libr. 2. Metaphys.

Thomas Anglus in cap. 22. Genesis.

Universidad de Salamanca Biblioteca

Superiorum rationũ solutio.

RESTAT vt rationes diluamus paulo supra positas, quæ videban- 28
tur magnam Abrahæ ingerere debuisse de veritate eius visionis, æquitateque præcepti, dubitationem. Prima ratio hæc erat: iniquum videri præceptum occidendi hominem innocentem; præsertim vero vt pater suis ipse manibus filium suum trucidaret. Verum ita soluitur hęc ratio. Si præceptum illud ab homine quopiam esset datum, proculdubio iniquissimũ fuisset: nemo est enim omnium mortalium, qui supremum ius, & sine exceptione vlla potestatem habeat auferendi vitam cuiuis homini, etiam innocenti. At enim qui Abrahæ cædem filij imperauit, DEVS erat: apud quem nempe nullus hominum per se innocens est: quique supremam habet & absolutissimã potestatem in vitam & mortem cuiuslibet hominũ, vt qui hominũ effector & dominus sit: idemque potest mortem ipsam in multo maius & optabilius bonum eius qui moritur conuertere, quàm ipsa eius vita erat. Cum igitur hæc notissima essent Abrahæ, certum ei & indubitatum erat, & sibi & filio optimum atque glorioſissimum fore, si alacriter illud DEI mandatum explerent. Nec ignorabat ille summæ pietatis esse, quò perfectius DEI voluntati obtemperetur, in se suosque esse crudelem.

S. Thomas 1.2. quæstio. 94. art. 6. ad 2.

VERVM quæ nos hic strictim & cursim transgressi sumus, ea di- 29
stincte magis & enucleate declarat B. Thomas. Omnes, inquit, naturali morte moriuntur, communiter tam nocentes quam innocentes: quæ quidem naturalis mors, diuina potestate inducitur propter peccatum originale, secundum illud primi Regum secundo: *Dominus mortificat & viuificat.* Et ideo absque aliqua iniustitia, ex DEI mandato potest infligi mors cuicumque homini, vel nocenti, vel innocenti: Nec id fuerit contra legem naturalem: nam sicut in rebus humanis, quicquid à DEO præcipitur, hoc ipso est debitum fieri; sic in rebus naturalibus, quicquid à DEO fit, id est quodammodo naturale. Idem alio loco: Abraham, cum consensit occidere filium, non cõsensit in homicidium, quia debitum erat eum occidi ex DEI mandato; quippe qui dominus est vitæ & mortis. Ipse enim est qui pœnam mortis infligit omnibus hominibus, tam iustis quàm iniustis, propter peccatum primi parentis: cuius sententiæ si homo sit coadiutor auctoritate diuina, non erit homicida, sicut nec DEVS. Nec sane in præteritis relinquẽdum est, quod ab eodem auctore in hanc ipsam sententiam proditum est alio loco:

Ibidẽ quęst. 100. art. 8.

2.2. quæstio. 104. art. 4.

Sicut DEVS, inquit, nihil operatur contra naturam, quia hæc est natura vniuscuiusque rei, quod in ea DEVS operatur, vt habetur in Glossa ad Romanos vndecimo: operatur, tamen aliquid contra solitum cursum naturæ: ita etiam DEVS nihil potest præcipere contra virtutem, quia in hoc præcipue consistit virtus & rectitudo voluntatis humanę, vt ea DEI voluntati conformetur, & eius sequatur imperium, quamuis sit contra consuetum virtutis modum. secundum hoc igitur, præcepum datum Abrahæ vt filium innocentem occideret, non fuit contra iustitiam, quia, DEVS est auctor mortis & vitæ. Hactenus ex B. Thoma.

GLOSSA

30 GLOSSA verò quam superioribus verbis citauit S. Thomas, sententia ipsa & doctrina est B. Augustini contra Faustum Manichęum disputantis, & hunc in modum scribentis: Quid sit secundum naturam, & quid contra naturam, homines, qui sicut vos errant, nosse non possunt. Dici autem humano more contra naturam esse, quod est contra naturæ vsum mortalibus notum, nec nos negamus. DEVS autẽ creator & conditor omnium naturarum, nihil contra naturã facit: id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis modus, & numerus & ordo naturæ. Sed contra naturam non incongrue dicimus aliquid DEVM facere, quod facit contra id quod nouimus in natura. Hanc enim etiam nos appellamus naturam, cognitum nobis cursum solitumque naturæ: contra quem DEVS cum aliquid facit, magnalia, vel mirabilia nominantur. Hæc S. Augustinus.

Aug. Contra Faustũ libr. 26. cap. 3. Quid secundum naturã, & quid contra naturam esse, iudicari debeat, notabilis B. Augustini sententia.

31 NEC vero Abrahæ suspicio vlla accidit, ne præceptum illud prioribus DEI promissionibus sibi datis esset contrarium: siquidem is firmissime credebat fore, vt cum immolatus esset Isaac, rursus à DEO reuocaretur ad vitam: quemadmodum de eo testificatus est Apostolus, dicens: *Fide, Abraham obtulit Isaac, cum tentaretur: & vnigenitum offerebat, in quo susceperat repromissiones; arbitrans quia à mortuis suscitare potens est* DEVS. Etenim miraculum generationis Isaac supra naturæ ordinem & potentiam factæ, fidem faciebat non solum possibilis, sed etiam sperandæ, ac futuræ eius ex mortuis resurrectionis. Illud porrò DEI præceptum datum Noe, de non fundendo humano sanguine, sciebat Abraham intelligi oportere de homicidio, propria voluntate & auctoritate facto, non autem de eo quod fit auctoritate & præcepto eius, qui mortis inferendæ legitimum ius & potestatem habet. Dominus autem DEVS, ipse est qui mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit: Ipse claues habet mortis & inferni.

Ad Hebr. 11.

Genes. 9.

1. Reg. 2.

Apoc. 1.

32 CÆTERVM verba illa: *Die autem tertio eleuatis oculis vidit procul locum,* duplicem habent quæstiunculam: vnam, quomodo Abraham in eo itinere, quod vix erat (vt fertur) vnius diei, triduum consumpserit: alteram, vnde cognouerit Abraham illum esse locum à DEO destinatum immolationi Isaac. Ad priorem quæstionem, ex sententia B. Hieronymi, ita respondendum est: habitasse eo tempore Abraham Geraris: à quo loco ad montẽ vsque Moriah, vbi filium immolaturus erat, triduanum esse iter. Hieronymi verba hęc sunt: Notandum quod à Geraris vsque ad montẽ Moriah, iter dierũ trium sit, & cõsequenter illuc die tertio peruenisse dicatur. Male igitur quidã, Abraham putant illo tempore ad quercũ habitasse Mambre; cum inde vsque ad montẽ Motiah, vix vnius integri diei sit iter. Sic Hieronymus. At verò Thostatus, supponens tunc Abrahã vel habitasse Bersabee, vel in cõualle Mambre; ab vtrouis loco affirmat distare montẽ Moriah minus viginti milliaribus, & vix vnius itinere diei. Quod autẽ ta diu in eo itinere moratus sit Abrahã, factũ esse putat DEI cõsilio ac volũtate; videlicet vt Abraham lento procedens gradu, diutius acerbissima cogitatione immolandi filij

Hierony. in Traditioni. Hebra. in Genes. super 22 cap.

Thostatus in capit. 22. Geneſis.

vexa

vexaretur,& ita constãtia fidei & obedientiæ eius vehementius exerceretur ac probaretur. Ac narratio quidem Mosis, si quis eam attente consideret, Thostato magis quàm B. Hieronymo suffragari videtur. Moses quippe sub finem huius 22.capitis narrat,Abraham peracto immolationis negotio, vnà cum Isaac & seruis abiisse Bersabe, & ibi habitasse: non videtur autem dubitandum,quin eo redierit, vnde discesserat immolaturus Isaac.Illic enim domicilium suum, illic omnem familiam & bona reliquerat. Quo fit vt discessisse eum ex vrbe Bersabe aut verum,aut vero simillimum esse videatur.

SI Lectori hæc placet sententia, & credibile fit, quod ait Thostatus, ab vrbe Bersabe vsque ad montem Moriah vix vnius diei esse iter; quod de triduo illius itineris narrat Moses, sic explicandum erit. Dicat enim necesse est, tres illos dies non esse computandos ab eo tempore, quo Abraham iter aggressus est:sed ab eo tempore, quo DEI mandatum de immolando filio datum ei est. datum verò fuit mandatum sub initium noctis,quæ computanda est cum die præcedenti. Residuo eius noctis comparauit se ad iter:quod sequenti mane aggressus est pedibus, & toto die persecutus. Nocte eius diei quieuit: atque insequenti mane repetens iter,haud longe progressus,procul vidit montem immolationi destinatum. Ex quo igitur mandatum DEI accepit, & quousque vidit montem immolationis, transactum est triduum,non quidem totale, sed partiale, quemadmodum de triduo mortis & resurrectionis Christi Domini nostri dici solet.Aut hoc itaque sequatur Lector,aut quod à Thostato traditum supra diximus. 33

AD posteriorem quæstiunculam respondendum est, cognouisse Abraham illum esse locum destinatum immolationi Isaac, DEO monstrante, sicut ipse prædixerat ei dicens: *Offeres eum in holocaustum, super vnum montium,quem monstrauero tibi.* & paulo infra: *Pergebant*,inquit, *pariter, & venerunt ad locum, quem ostenderat ei* DEVS: monstrauit autem eum DEVS, interiori monitu & indicatu, sicut Samueli ostendit Saulem, esse eum quem vngere debebat in regem, & itidem postea Dauidem. Hebræi tradunt vidisse procul Abraham in eo loco, ingentem quandam columnam igneam: quam cum serui eius non viderent, sed solus ipse ac filius Isaac, eo indicio cognouit illum esse locum immolationi Isaac à DEO designatum & præstitutum. 34

1.Reg.9.

Infra 16. Hebræorum Traditio.

***

SEXTA

SEXTA DISPVTATIO.

An mentitus fuerit Abraham, cum dixit seruis suis: VERSV 5.
Expectate cum asino: ego autem & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.

35 IBAT Abraham, DEI iussu, immolatum filium suum Isaac;quomodo igitur verum esse illud potuit, quod seruis dixit:*Reuertemur ad vos*? Quæritur itaque, an hæc dicens,mentitus sit Abraham?Multiplicem huius quæstionis explicandæ rationem apud auctores reperio. Prima ratio est illa quidem peruulgata, & probata multis: certo credidisse Abraham resuscitatum iri Isaac, vbi esset immolatus, vt de eo tradit Apostolus:quamobrem verissime dixit:*Reuertemur ad vos*.Hanc secutus rationem B.Augustinus,ita scribit,hæc ipsa verba Abrahæ pertractans: Quid est quod dicis Beate Abraham? ad immolandum filium vadis, & dicis te cum filio reuersurum? Si enim in holocaustum obtuleris eum, vtique tecum redire non poterit. Potuit respondere Beatus Abraham: verum dico,& offeram filium, & cum filio reuertar ad vos. tanta est fides mea, vt credam, quod ille, qui mihi eum de sterili matris vtero dignatus est dare, possit etiam eum mortuum suscitare;& ideo verum dico,quod *Cum adorauerimus, reuertemur ad vos*. Sic Augustinus. Verum aduersus rationem hanc tria possent obiici.Primo enim dicet aliquis,ꝟ. Paulum non dicere,Abraham credidisse, suscitarum iri Isaac, sed quod potens esset DEVS à mortuis eum suscitare. Verùm esto, crediderit eum suscitatum iri;sed vnde quæso cognouerat,statim vt fuisset immolatus, & priusquam ipse domum reuerteretur, esse resuscitandum? Et verò, sententia hæc multum eleuare ac minuere videtur gloriam huius facti Abrahæ; non enim tanta fidei & obedientiæ Abrahæ laus fuisset, quantam & Patres,& diuinæ literæ prædicant, quod filium prompte & alacriter immolare voluisset,si eum statim post immolationem,sciebat ad vitam esse reuocandum.

Ad Hebr. 11. Aug. ser. 1. De immolat. Isaac, qui est 72. de Tẽpore.

36 ALTERAM enodandæ huius quæstionis rationem tradit Ambrosius,qui ait,inscienter quidem Abraham verbis illis prophetasse, & verum dixisse;scienter autem contra sensum animi sui captiose sic esse locutum:vt serui,illiusmodi verbis capti & decepti, opus immolationis, quod parabat ipse facere, nequaquam impedire conarentur. Ambrosij verba sic habent:*Postquam adorauerimus, ad vos reuertemur*. Prophetauit quod ignorabat:ipse solus disponebat redire immolato filio: Sed Dominus per os eius locutus est,quod parabat. Captiose autem loquebatur cum seruulis,ne cognito negotio,aut impediret aliquis, aut gemitu

Ambros. li. 1. De Abraham cap. 8.

obstreperet, aut fletu. Hæc Ambrosius. Abraham porrò mendacium verbis illis, quamuis leuissimum dixisse, arbitratus est Melchior Canus, quod contra mentem dissimulandi causa, sic locutus fuerit: prophetasse tamen, quia dixit verum, quod tunc scilicet ipse ignorabat. Nec vero temerarium & nefas esse putat ille, id sentire de tanto Patriarcha: cum ne ipsos quidem CHRISTI Apostolos, sanctiores nempe ac diuinæ gratiæ pleniores quàm Patriarchas, ab omni culpa, etiam veniali vendicare necesse sit.

Canus lib. 2. De locis Theolog. cap. 4.

37 CAIETANVS nouam quandam & acutam, & subtilitatis metaphysicæ plenam iniuit soluendæ huius difficultatis rationem; quamquam non ab ipso, vt mox dicemus, primum cogitatam & inuentam. Ait, verba illa vere dixisse Abraham secundum ordinarium cursum naturalium & humanarum causarum; tametsi secus futurum esset secundum extraordinariam DEI præscriptionem, insolitamque ordinationem. Immolatio quippe Isaac non erat futura secundum naturales causas & humanam voluntatem, aut ordinariam DEI dispositionem; sed erat quiddam supernaturale, extraordinarium atque insolitum. Abraham itaque non hoc posterius, sed prius illud spectans, verè dixit: *Ad vos reuertemur.* Ponam hic Caietani verba: Non simulando, inquit Caietanus, promisit Abraham se reuersurum, cum crederet Isaac non reuersurum vt pote immolandum; sed sperans filium resuscitandum, iuxta id quod scribitur ad Hebræos vndecimo, quandoquidem DEVS ei promiserat: *In Isaac vocabitur tibi semen.* Vel potius sic locutus est Abraham, secundum ordinem causarum secundarum. Immolatio namque Isaac, non erat futura secundum ordinem causarum secundarum, sed secundum miraculosum ordinem supremæ causæ. Verum itaque locutus est, dicens quod futurum erat secundum ordinem communem causarum, tacito ordine supernaturali. Et hæc sermonis ratio magis quadrat magnitudini tum obedientiæ, tum facti Abrahæ; minus enim multo fuisset, immolare filium quem statim resurrecturum sciret. Sic Caietanus.

Caietanus in cap. 22. Geneseos.

Genes. 21.

38 HOC ipsum, aut certe simillimum quid, plus ducentos annos ante Caietanum, tradidit Thomas Anglus, ad hunc modum scribēs: Dictum illud Abrahæ intelligi debet, nisi ex speciali iussu DEI aliud euenerit. Sicut enim supernaturalia miracula sunt excepta à communi lege loquendi: ita supernaturalia, & occulta, & inusitata DEI consilia & mandata. Nec oportet, vt sciens illa, semper secundum illa loquatur, maxime quando nouit hoc non expedire, nec decere, nec DEVM id velle: sed sufficit vt loquatur hominibus secundum cōmunem cursum, & secundum communem notitiā: quemadmodū & sacerdotes dicunt aliquando de sacramentaliter sibi confessis, & notis, ea se nescire, nectamen in eo mentiuntur, nec mendaces habentur. Sic ille: qui duas præterea alias eius profligandæ quæstionis vias aperit. Potest, inquit, & illud Abrahæ dictum verum esse, ex conditione communiter subintelligenda, vel subintellecta, scilicet, si vita comes fuerit, aut si DEVS voluerit. Potest item dici Abraham non proprie, sed figurate ita esse locutum, vtendo scilicet plurali

Thomas Anglus in cap. 22. Geneseos.

plurali numero pro singulari, quod frequens est & in sacra, & in profana loquendi consuetudine. Dixit itaque, Reuertemur, pro, Reuertar, vt ea verba serui proprie accipiendo, nihil de eo, quod facere parabat, suspicari possent. Et hac ratione interpretatur quod dixit Ambrosius, Abraham captiose verba illa dixisse: captiose, inquit, non mendaciter. Sic enim locutus est, vt ex verbis eius aliud intelligerent serui, quam ipse intelligebat & sentiebat. Habet Lector varias, & sanè omnes satis probabiles, dissoluendæ huius quæstionis rationes hic breuiter expositas. Quanquam ego Cani opinionem minime probo: libenter enim à mendacio, cum id commode fieri possit, tantum Patriarcham vendicauerim. Quam verò cæterarum præcipue approbare debeat Lector & præ cæteris sequi, eius nos iudicio & arbitrio permittimus.

SEPTIMA DISPVTATIO.

De admirando virtutis robore, & magnitudine atque constantia animi Abrahæ: & de mansuetudine atque obedientia Isaac:

Super illis verbis:

Tulit ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: ipse verò portabat in manibus ignem & gladium. Cumque duo pergerent simul, dixit Isaac patri suo: Pater mi, ecce ignis & ligna, vbi est victima holocausti? dixitque Abraham: DEVS *prouidebit sibi victimam holocausti fili mi. Venerunt ergo ad locum quem ostenderat ei* DEVS, *in quo ædificauit altare, & desuper ligna composuit: cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altari super struem lignorum. Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum.*

VERSV 6. vsque ad decimum.

39 MAGNVS plane vir Abraham, & præstantissimarum virtutum clarus insignibus, quem scilicet ne votis quidem suis Philosophia æquare possit. Etenim minus est quod illa finxit, quàm quod iste gessit: maiorque ambitioso eloquentiæ mendacio, simpex veritatis fides in eo fuit. Describens Euripides tragicum illud & funestum sacrificium Iphigeniæ, filiæ Regis Agamemnonis, facit omnes Græcorum duces qui tali ade-

Euripid. in Ephigenia.

rant spectaculo,partim mœstos,partim etiam lugentes & lamentantes. De Agamemnone vero patre,vbi vidit is filiam immolari,ita scribit:

» *Gemitum profundo ducit altum pectore,*
» *Retroque flexo vultu:amaras lacrymas*
» *Profudit oculis,ora velis obtegens.*

Artificiosè poëta, quod tantam patris mœstitiam, digne verbis exprimere non posset,finxit velo caput eius obuolutum,summi acerbitatem mœroris cogitationibus hominum existimandam relinquens. At quanto fortior noster Abraham? nullus eius gemitus, nullæ lacrymæ, non auersio vultus, non caput velatum:sed ore,vultuque sereno,interpido corpore,inuicto animo,ipse filium ducit ad immolandum:ipse gladium & ignem,necis instrumenta, manibus suis gestat; ipse altare construit, ipse ligna ad cremandum filium componit & aptat; denique filium ligat,imponit aris, ipse gladium manu tollit ad iugulandum: & feciſſet, nisi diuinitus esset prohibitus.

Ambros. li. 1. De Abraham.cap. 8.

PATER *mi? At ille respondit: Quid vis fili? Ecce,inquit,ignis & ligna,* 40 *vbi est victima holocausti?* Pulsatur pietatis vocabulis, inquit Ambrosius, patris affectus,& fluctibus quibusdam hinc atque hinc tunditur: filius vocat patrem,pater nominat filium,vt ipso verborum sono se recognoscat pater. Quàm impossibile est,vt ferire possit, cuius se vulneri subiicere optaret? Nomina vitæ solent operari gratiam, non ministerium necis: hæc vocabula incitare ad pietatem, non ad mortem solent. Sed vide incredibilem animi magnitudinem & constantiam: DEVS *prouidebit sibi*, respondit Abraham, *victimam holocausti, fili mi.* Inflexibilis à studio deuotionis,vocare filium frequenter non timet:adeo erat intentionis soliditate fundatus:& hoc se meliorem patrem putabat, sibique in perenne mansurum iudicabat filium, si eum immolaret DEO. Non solum autem hoc prophetauit,quod statim accidit, quia DEVS prouidit sibi pro Isaac hostiam, & reddidit patri filium: verum illud magis, quod non hæc hostia diuinæ esset dispositionis, sed alia esset hostia, quam DEVS sibi pararet,vt mundaret orbem terrarum:atque illa esset omnibus acceptior,per quam multi patres offerrent filios suos,& separari in hoc seculo à filiis non timerent. Quotidie offerunt patres filios suos vt moriantur in CHRISTO, & consepeliantur in Domino. Quot patres occisis martyrio filiis, lætiores ab eorum tumulis reuerterunt? Sic Ambrosius.

Caietanus hoc loco.

CVMQVE *alligasset Isaac filium suum;posuit in altari super struem lignorum.* Cerne,ait Caietanus,stupendam obedientiam,mansuetudinem & fidem Isaac nihil resistentis patri sibi mortem paranti,cum tamen facile potuisset euadere;simulque credentis diuino præcepto,per patrem sibi tunc patefacto. Ratio autem ligandi Isaac, non fuit timor ne ille fugeret, aut ne resiliret ab altari, sicut facit aries aut vitulus cum mactatur, nisi sit ligatus: sed ne inuoluntarij(vt potè naturales)motus membrorum in actu iugulationis surgentes, ordinatum compositumque situm victimæ disturbarent,in nonnullam indecentiam diuini sacrificij. Fuisse autem

autem ligatum Isaac non inuitum, sed patri assentientem, volentemque,certam fidem facit ætas,qua tunc præditus erat Isaac,agens nempe trigesimumseptimum,aut certe vigesimumquintum annum, vt supra dictum est:qua ætate multo robustior & valētior erat quàm Abraham, centum annis maior ipso. Illud quoque clarum roboris eius indicium est,quod humeris ipse suis,& per arduum excelsi montis ascensum,ad vsum holocausti ligna portauit, quibus antea pater asinū onerauerat:multum enim lignorum opus erat ad corpus hominis penitus cremandum, & in cineres redigendum. Fingit Euripides Iphigeniam ad mortem pro totius exercitus salute subeundam, non solum inturbato vultu,atque intrepido animo, sed alacrem etiam lætamque euntem,huiusce modi verba locutam esse: Iphigenia apud Euripidem.

» *Et hocce corpus pro salute patriæ,*
» *Proque vniuersa Græcia trado volens,*
» *Vt immolatum hinc ad dicatas numinis*
» *Ducatis aras;quando Diuūm oracula*
» *Ita canunt.*

Sed hoc, fabulosum poëtæ fuit commentum. At enim ne ipsum quidem fabulæ figmentum adæquare potuit simplicem virtutis Isaac veritatem. Hic enim tam horrendæ mortis metu non contremuit, sed ligari se, ac mactandæ pecudis more, aris imponi facile passus est: quin etiam collum lubens volensque paterno subdit gladio, glorioſum reputans;obtemperantem diuinis iussis,mortem oppetere.

42 *Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum.* Chrys.hom. in Genesim 48.

O religiosam animam,inquit Chrysostomus, ô fortem mentem, ô ingens robur animi,ô rationem,omnem humanæ naturæ affectum vincentem. Vtrum admirer & obstupescam iustius,fortemne spiritum Patriarchæ, an tam constantem pueri obedientiam:quòd neque reluctatus est,nec factum ægrè tulit, sed cessit & obtemperauit iis, quæ à patre fiebant;& sicut agnus,cum silentio super altare decubuit,expectās patris dexteram? Non sunt tacita hoc loco prætereunda Zenonis Episcopi Veronensis super hac narratione Mosis verba: Mira, inquit,Patriarchæ tentatio, quæ eum aut sacrilegum faceret, si contemneret DEVM;aut crudelem,si occideret filium:nisi quadam singulari ac verè diuina patientia,inter religionem pietatemque negocium temperasset, in spe non denegans DEO,quod contra spem acceperat à DEO:Ideo Isaac sibi dulcissimum filium, DEO victimam dulciorem, contemnit vt seruet:destinat iugulare,ne iugulet: securus,illo se non posse displiceere facinore,quod DEO gerebatur auctore. O nouum spectaculum, ac vere DEO dignum:in quo definire difficile est,vtrum sit patientior Sacerdos, an victima. Non percussoris, non percutiendi variat color: non membra tremore vibrantur,non demissi,non torui sunt oculi. Nemo rogat,nemo trepidat,nemo se excusat, nemo turbatur. Ille erexit gladium,iste ceruicem obtulit: vno voto,vna deuotione, ne quid profanum sit; diligenter ac patienter geritur, quod ab altero celebratur. Zeno Episcop. Veronensis vt refert Lippomanus in Catena in Genesim.

Ille lignum,quo exuratur,sibi portat:isto aram constituit.sub tanto non dicam humanitatis,sed ipsius naturæ metu læti sunt.Soli cedit affectus pietati,pietas religioni fauet, vtrique religio. Medius stupet gladius, nullo impedimento suspensus, mactationi terribili gloriam se præstitisse,non crimẽ.Quid hoc est?Ecce immanitas in fidem,& scelus trãsit in Sacramentum : parricida redit incruentus, & qui immolatus est viuit.Ambo igitur gloriæ caritatis exemplũ:ambo DEI cultus admirabile sæculi testimonium : felix orbis foret,si omnes sic fierent parricidæ.Hactenus ex Zenone.

43 An vero Abraham cum ligauit Isaac,immolare eum volens, aliqua verba dixerit,quibus eius quod facere parabat,rationem exponeret,& persuaderet filio Isaac, vt ipse quoque diuinis iussis libenter pareret, non est proditum in sacris literis:admodum tamen credibile fit,extremum illum actum non sine mutua sermocinatione, cohortatione, & consolatione esse peractum. Iosephus quidem certe nouissima verba, quæ Abraham dixit filio suo Isaac(satis probabilem sequens coniecturam)huiuscemodi fuisse refert:Postquam cõstructa ara,ligna imposuerat,omnib.iam apparatis,sic affatur filiũ:Fili,mille votis te expetitum, postquã in hanc vitã venisti,summa cura ac sollicitudine educaui:nihil beatius existimãs,quam si te virũ videre daretur,& denique hæredem meæ ditionis relinquere.Sed quoniam DEO visum est,vt te eius mihi benignitate donatũ,ei nunc redderẽ,fer generose hoc sacrificium;cedo enim DEO, qui à nobis hunc honorem reposcit pro perpetuo fauore, quo nos belli ac pacis tẽpore est prosecutus. Et tu quidem qui ea lege naturę natus eras,vt moriturus esses,non vulgatę habebis vitæ exitum, sed à proprio patre patri vniuersorum DEO sacrificali ritu oblatus:ipso, vt credere par est,indignũ te,qui aut morbo,aut alia quapiam calamitate de vita decederes,iudicante. Itaque inter preces & sacra, animam tuã exceptam apud se collocabit:vbi memor cur te potissimum educauerim,senectutem meã sustentabis;non quidẽ per te ipsum,sed DEVM mihi curans tuo loco adiutorem & protectorem. Sic Abraham. Tum Isaac nequaquam degenerans à paterna virtute,æquissimo ac lubentissimo animo eius verba accepit ; negans se dignum qui vnquam natus esset,si tam DEI,quam patris decreto reluctãs,non se alacriter vtriusque placitis obedientem præberet : quando etiamsi pater solus id voluisset,eius non obsequi voluntati,fuisset nefas.Hæc Iosephus.

Oratio Abrahæ ad Isaac eũ eũ immolare vellet, ex Iosepho 1. lib. Antiquitatum.

Lyranus cõtra Iosephũ.

Verum Lyranus in superiorib. Iosephi verbis illud perperam ab eo dictũ putat,quod facit Abrahamũ credentem,ita moriturũ fuisse Isaac, vt eius anima perpetuo apud DEVM maneret,nec rursus ad vitã reditura esset ; id enim fuisset contra fidem diuinarum promissionũ de futura Isaac progenie,quam firmissimã atque incõcussam habebat Abraham;certissime credens DEVM rursus Isaac ex mortuis reuocaturum ad vitam:quod sane de eo apertis verbis testificatus est Paulus.

Ad Hebr. 11.

OCTA

OCTAVA DISPVTATIO,

De diuina prohibitione immolationis Isaac:& cur DEVS *iusserit immolari Isaac, cuius tamen immolationem nolebat,atque adeo mox vetiturus erat:*

Super illis verbis:

Et ecce Angelus Domini de cælo clamauit dicens, Abraham Abraham: Qui respondit, Adsum. Dixitque ei, Ne extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam. VERS. 10. & 11.

44 HÆc est vltima diuinarum visionum, & apparitionum, quas factas Abrahæ narrat Scriptura. Eas autem visiones & apparitiones fuisse decem, ex iis quæ Moses hactenus narrauit,facile est colligere.Nam primæ duæ visiones supra cõmemoratæ sunt capite 12.Tertia in cap.13.Quarta & quinta in cap.15.Sexta in cap.17.Septima in cap.18. Octaua in cap. 21. Nona & decima in hoc capite 22. Nam in priore visione iussus est Abraham immolare filium,in posteriori autem visione, ab eius immolatione est prohibitus. Verum dicet Lector, hæc minime congruere cum iis quæ nos ipsi supra diximus in Expositione capitis duodecimi numero tertio,vbi positum à nobis est, octo fuisse DEI apparitiones, quas Moses in hoc libro factas Abrahæ tradit. Sed nihil negocij fuerit diluere istam obiectionem : nam & decem & octo numerari possunt, prout diuersa ratione distinguuntur. Siquidem duæ illæ quæ memorantur capite 15.duæ quidem sunt,quia diuerso tempore factę sunt;vna tamen est,quia vnum eundemque spectat scopum, idemque vtriusque visionis finis & effectus est.Si loqui vellemus more scholastico,breuiter diceremus,duas esse partiales,vnam autem totalem.Idem plane dicendum etiam est de duabus visionibus,quæ in hoc capite 22.commemorantur.Palam igitur est huiusmodi visiones,& octo,& item decem, sine vlla veritatis dissonantia numerari posse.

Quoties DEVS Abrahæ visus & locutus sit.

45 *Non extendas manum tuam super puerum.* extendere manum in aliquem vel super aliquem,irati est:gestumque percutere volentis ostendit:vt Isaiæ 5.*Ideo iratus est furor Domini in populum suum, & extendit manum suam super eum,& percussit eum*:& paulo Infra, *In his omnibus non est auersus furor eius,sed adhuc manus eius extenta est*,quasi dicat, nec dum finem percutiendi & puniendi fecit, sed amplius etiam in posterum percutere

Quid sit extendere manum in, vel super aliquem.

percutere vult. Et Iob primo: *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet.*

An Isaac fuerit tunc puerili ætate, vt putauit Burgensis.

Super puerũ: Quia hoc loco Isaac nominatur puer, propterea Paulus Burgensis super hunc locum argumentatur, Isaac tunc non fuisse maiorem decimoquinto anno, sicut placuit quibusdam Hebræorum. Nec verum esse putat quod à quibusdam proditum est, fuisse id temporis Isaac vigintiquinque annorum, aut etiam triginta. Non enim, inquit, reperitur in Scriptura, quemquam hominem iam triginta annorum, appellari puerum. Sed deceptus est Burgensis: supra enim ostensum est, Isaac eo tempore fuisse iuuenili ætate. Vocari autem sæpe pueros in Scriptura homines vigesimum iam annum supergressos, ex multis Scripturæ locis manifestum est. Etenim secundo Regum primo, fortissimi Dauidis milites appellãtur pueri; Exodi trigesimotertio, Iosue nominatur puer, qui tamen antea fuerat belli dux aduersus Amalechitas. Assuerus rex magnificentissimum legitur fecisse conuiuium pueris fortissimis Persarum. Dominus noster post resurrectionem apparens discipulis, vocauit eos pueros, inter quos erãt Andreas, & Petrus iam grandæui. Apostoli dixerunt, principes conuenisse aduersus puerum Iesum, post eius scilicet mortem, trigesimotertio ætatis anno pro salute nostra susceptam.

Hester.1. Ioan 21. Act.4.

Præceptum datum Abrahæ de filio immolãdo, quam fuerit sapientię & vtilitatis plenum.

Fuit porro præceptum DEI de immolando Isaac, sapienter & vtiliter datum Abrahæ, tametsi ab eo implendum non erat: primo quidem respectu ipsius DEI, tum respectu Abraham & Isaac, deinde respectu nostri, ac demum respectu Filij DEI, qui facto illo Abrahæ mirifice præfiguratus est. Primo igitur respectu DEI conueniens fuit dari præceptum illud, vt pernoteseeret omnibus, nil æque DEVM à sui cultoribus & seruis requirere atque exigere, quam perfectum numinis sui timorem, & absolutam voluntatis suæ suorumque præceptorum, qualiacumque & quantacumque illa fuerint, obedientiam, etiam in iis quæ nimis ardua, vel etiam impossibilia, aut humanæ prudentiæ contraria videntur. In eo autem perfecta DEI obedientia posita est, vt captiuantes intellectum in obsequium DEI, mente, voluntate, atque ipso opere effectuque, iussa eius amplectamur & exequamur. Hoc autem spectasse DEVM & requisiuisse, cum præcepit Abrahæ de immolatione filij, & per se manifestum est, & patet scilicet ex illis DEI verbis: *Nunc cognoui quod timeas Dominum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.* Deinde rectum id fuit præcipi Abrahæ, respectu ipsius, & filij eius. Constat enim, dum illi præceptum illud DEI sedulo exequi studuerunt, maiorem in modum euectam esse eorum virtutem meritumque; ipsosque ea re valde illustres & celebres apud omnem posteritatem esse factos. Quin etiam creuit illis ex eo facto fides & fiducia quam in DEO habebant. Præterea grauitas illius præcepti, & exemplum Abrahæ tam alacriter id exequi satagentis, vtilissimum nobis documentum præbuit, quemadmodum DEVM amare, eique omnibus in rebus obsequi oporteat: simulque innotuit, posse DEVM multa præcipere, quæ

46

quæ transcendant humanam rationem & leges communes: & vbi certo compertum sit esse aliquid à DEO præceptum, curiose disquirendum non esse, æquum ne sit an iniquum, possibile an impossibile, simpliciter & præcise exequendum sit nec ne.

47 Postremo, vt nulla fuisset alia huius præcepti ratio & vtilitas, illa profecto fuisset maxima, quod ea re mirabiliter præfiguratũ est mysterium passionis & mortis Filij DEI. Etenim decebat Christũ pro nobis in fine seculorũ immolandum, multifariam iam inde ab exordio mũdi præfigurari: inter figuras autem nulla, quã hæc, illustrior, & expressior fuit. Etenim hic expresse præfiguratum est quanta DEVS caritate vnigenitum suum pro salute nostra morti obtulerit: & quanta item obedientia Christi fuerit, qui factus est DEO Patri obediẽs vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Conueniens autem fuit id præfigurari potius in persona Abrahæ, quam in alio quopiam illorum patrum: tum quia ei primo aperte facta est promissio de Christo ex semine eius nasciturο: tum quia ipse pater erat futurus populi DEI, omniumque credentium: & quia is pro cultu summi DEI propugnando, cõtra eos qui idololatriam introduxerãt, fortiter stetit, primusque legem Circumcisionis accepit, per quam deinceps DEI populus à cęteris gentibus secerneretur. Consentaneum quoque fuit præcellentem Abrahæ caritatem eo præcepto declarari, ne propter multitudinem vxorum quas duxerat, aut propter bella cædesque hominum quas fecerat, aut propter diuitias bonaque temporalia quibus abundabat, forte quispiam hominum, eum carnalem atque imperfectum fuisse existimaret.

Ad Phili.2.

Genes.17. Rom.4.

Verum dicet quispiam, cur DEVS præcepit quod fieri noluit, cum præceptum videatur esse signum voluntatis præcipientis? Respondeo, DEVM id præcepisse non ad effectum rei, sed ad probationem virtutis Abrahæ: ac licet non voluit præceptum perfici, voluit tamen ad id perficiendum, promptum & paratum esse Abraham; & vt id faceret, nisi ab ipso DEO aliud sibi mandaretur. In præceptis enim DEI semper voluntas eius excepta est, semperque subintelligi debet, nisi contrarium ipse mandauerit.

NONA DISPVTATIO.

An DEO noua aliqua cognitio experimentalis cuiuspiam rei possit accidere; sicut significari videtur illis verbis,

Nunc cognoui quod timeas Dominum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me. VERSVS.

48 DE re ipsa, nulla esse potest dubitatio. Extra omnem nempe controuersiam est, nullam cognitionem nouam vllius rei, vllo modo posse DEO contingere: tum propter infinitam eius rerum omnium scientiã; tum propter perfectissimam

eius simplicitatem atque æternitatem. Omnis ergo quæstio in recta & propria eorum verborum intelligentia & interpretatione vertitur. Declarandum enim est, si Deo nulla potest noua cognitio accidere, quemadmodum ipse dixerit vere: *Nunc cognoui quod timeas Dominum*, quasi antea id non cognouisset.

Prima interpretatio.

Variæ sunt ea verba interpretandi rationes traditæ. Prima est communis, illud: *Nunc cognoui*, dictum esse pro, Nunc cognoscere feci, vt positum sit efficiens pro effectu: sicut dicitur frigus pigrum, & dies læta, quod faciat homines pigros, aut lætos. Ad hunc modum ea verba interpretatus est Sanctus Augustinus, cuius hæc sunt verba: Hoc est: *Nunc cognoui quoniam timeas Deum*, quod nũc te vel alios feci cognoscere, quod timeas Deum. Quo genere locutionis euidenter paulo post vsa est Scriptura dicens: *Et vocauit Abraham nomen loci illius Dominus vidit: vt dicatur hodie, In monte Dominus apparuit.* Vidit igitur dixit pro eo quod est, Apparuit, hoc est, videri se fecit; significans per efficiẽtem, id quod efficitur: sicut frigus pigrum dicitur, quia pigros facit. Sic ibi Augustinus.

Augustin. in Quæstionibus in Gen. quæst. 58.

Sed hoc ipsum ipse confirmat alio exemplo in sermone secundo de Isaac, qui est septuagesimus secundus inter sermones eius de Tempore. sic inquit, dictum est, Deum tunc cognouisse, quod Abraham timeret Deum, vt dici solet Deum locutũ esse & dixisse id quod Isaias vel alius quilibet propheta dixit: nimirum quia Deus fecit prophetam illud dicere. Audi Augustinũ: *Nunc cognoui quod timeas Deum.* Hoc ita dictum est, quod Deus fecerit vt tunc sibi Abrahã plane innotesceret. Quemadmodum quando Prophera loquitur aliquid, solemus dicere, Deus dixit, Deus locutus est: & vtrumque verum est, quia vtrumque inuenitur in Scriptura; quia quod homo dicit ex Dei dono, Deus dicit, secundum illud: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Ergo istam regulam fratres transferte ad illud: *Nunc cognoui quia timeas* Deum: & quod tortuosum videbatur, rectum esse videbitur. Sic eo loci Augustinus: qui similem locutionem huius, *Nunc cognoui*, profert ex libro Deuteronomij, in cuius decimotertio capite ita scriptum est: *Tentat vos Deus vester, vt sciat si diligitis eum:* Illud, *Vt sciat*, dictum est pro vt scire vos faciat: nimirum vires dilectionis suæ hominem latent, nisi diuino experimento etiam eidem innotescant.

Matth. 10.

Ad hanc B. Augustini expositionem adhærescens Sanctus Gregorius, tractans late hæc ipsa verba: *Nunc cognoui quod timeas Deum*, hoc modo scribit: scire Dei dicitur, scire nos facere, vsitato scilicet nostro locutionis modo, qui lætum diem dicimus, ex quo contingit vt lætemur. Neque enim creator temporum quicquam cognoscit ex tempore: sed cognoscere eius est, ex cuiuslibet causæ emergentis articulo, nobis cognitionem præbere. Nec ab hoc genere interpretationis discrepare videtur interpretatio Chrysostomi, qui illud: *Nunc cognoui*, sic exponit, hoc facto, per te declaraui & innotescere feci aliis, quẽadmodum timeres

Greg. lib. 21. Moral.

49

Chrys. homil. 47. in Genes.

timeres Deum. Attendat Lector verba Chrysostomi: Vide, inquit, quemadmodum Deus humiliter se nostræ infirmitati hisce verbis attemperat, quid enim? ignorabat ne Deus ante hoc factũ Abrahæ, eius virtutem, & nunc primum eam cognouit? Minime vero: Quid igitur dicere voluit? hoc nempe, Nunc omnibus declarasti, quomodo syncere Deum colas: nam ego iam noueram famulum meum; quæ autem nunc à te facta sunt, in doctrinam sunt tam præsentibus quam futuris. Ex hoc enim innotuisti omnibus quod timeas Deum, & mandata eius opere implere cures. Ita Chrysostomus.

50 Sedenim Paulus Burgensis communem hanc, & tantorum patrum auctoritate probatam expositionem minime approbat. Si enim, inquit, illud, *Nunc cognoui*, dictum esset pro cognoscere feci, potius id attribuendum esset Abrahæ, quam Deo: siquidem actus immolationis, fuit Abrahæ tanquam actoris, quare ex eo actu Abraham fecit alios cognoscere quod ipse timeret Deum, & consequenter Scriptura magis proprie ac rationabiliter sic dixisset: *Nunc cognouisti*, id est, *Fecisti alios cognoscere quod tu timeres Deum*, Verum leuissimo argumento communem expositionem euertere conatus est Burgensis. Nam quia Deus præcipiens Abrahæ de immolando filio, materiam ei præbuit exercendæ & declarandæ virtutis suæ: immo vero ad hunc finem præceptum illud ei imposuit, iccirco rectissime, aptissimeque dicitur eum ex eo facto fecisse cognoscere alios quantopere timeret ille Deum: huc enim spectabat tentatio Dei, de qua dictum est in exordio huius capitis, *Tentauit Deus Abraham.*

Burgens. in Addit. 2. super hoc cap. 22. Genesis.

51 Alteram horum verborum interpretationem à B. Hilario accepimus: Is enim primum Psalmum explanans, dupliciter cognitionem Dei distinguit, alteram faciens simplicem & absolutam, & ignorantiæ contrariam: qua cognitione Deus omnia nouit bona pariter atque mala, non solum priusquam sint, sed ex omni etiam æternitate. Alteram cognitionem appellat dilectionis, approbationis, dignationis; qua singulariter ea tantum nosse dicitur, quæ sibi grata & accepta sunt. Ad priorem cognitionem pertinet illud: *Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius.* Ad posteriorem vero cognitionem spectant illa: *Nouit Dominus viam iustorũ:* Id est, amat & protegit; vnde subditur; *Iter autem impiorum peribit:* & illud, *Vias quæ à dextris sunt, nouit Dominus: peruersæ vero sunt, quæ à sinistris sunt,* &, *Amen, amen dico vobis, nescio vos:* &, *Non repulit Dominus plebem suam quam præsciuit:* &, *Si quis ignorat, ignorabitur.* Ergo illud, *Nunc cognoui quod timeas Dominum*, de posteriori hoc diuinæ cognitionis genere interpretandum est; vt sit sensus, Nunc te, id est, propter hoc factum tuum, maxime mihi probatum, & gratum, meaque familiaritate & amicitia dignum feci.

2. Interpretatio. Duplex diuina cognitio secundũ Hilarium.

Ad Hebr. 4. Psal. 1. Prou. 4.

Matth. 25. Ad Rom. 11. 1. ad. Cor. 14.

Sed præstat Hilarium ipsum audire, hæc ipsa pluribus & luculentioribus verbis tractantem. Cognoscit Deus, ait Hilarius, non ignoratione scientiæ, sed dignatione noscendi. Neque enim hæc in Deo

passionum humanarum demutatio est, vt aliquid aut cognoscat aut nesciat. Beatus Paulus qua ratione à DEO cognosceretur, exposuit dicens: *Si quis est in vobis propheta aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt: si quis autẽ non cognoscit, non cognoscetur.* 1.Cor.14. eos ergo cognosci à DEO ostendit, qui quæ DEI sunt cognouerint, tum cognoscẽdi, cum cognouerint, dignationem scilicet cognitionis, per meritum religionis cognitæ consequẽtes; vt quod cognoscitur, non ignorantis profectus intelligatur esse, sed cogniti. Absolute autem Dominus ostendit in Adam atque Abraham, peccatores se ignorare, cognoscere autem fideles. Namque Adę post peccatum dictum est: *Vbi es Adam?* Genes.3. Non quod DEVS eum in Paradiso esse nesciret; sed quod, dum vbi sit interrogatur, indignus cognitione DEI per id quod peccauit, ostenditur. Abraham vero ante diu ignoratus, scilicet ad quem iam septuagenariũ DEI sermo factus est, cum se per oblationem Isaac, fidelem Domino probasset, tali in diuinam familiaritatem dignatione suscipitur, *Nunc cognoui,* inquit, *quod timeas Dominum Deum tuum:* Genes.15. Non ignorabat vtique Abrahę fidem, quam ei de generando Isaac credenti, ad iustitiam deputauerat: sed qui magnum timoris sui dederat, filium offerendo, documentum, nunc cognoscitur, nunc probatur, nunc dignus est, qui non ignoretur. Scit itaque DEVS & nescit: cum & Adam peccator nescitur, & Abraham fidelis cognoscitur, dignus scilicet qui à DEO nihil vtique ignorante, noscatur. Sic Hilarius.

Tertia Interpretatio Burgẽsis in Addit. 3. super caput 22. Genesis.

52 Tertiam viam exponendi ea verba ostendit Burgensis, affirmans illud: *Nunc cognoui*, non proprie dictum esse, sed metaphorice de DEO; quod habuerit se ad modum hominis tentantis aliquem & experientis & ita quod scire volebat cognoscentis. Ponam eius interpretationem, propriis verbis ipsius expressam. Videtur, inquit, verbum hoc, *Nunc cognoui*, debere exponi metaphorice de DEO: sicut alia quæ de DEO dicuntur secundum similitudinem, sicut dicitur DEVS irasci & furere, & pœnitere, quia DEVS habet se ad modum hominis irati, & furentis & pœnitentis, non sane quantum ad affectum, sed quantum ad effectum. Simliter cum in hoc capite dictum est: *Tentauit* DEVS *Abraham*, sic intelligendum est, quod DEVS se habuit erga Abraham, modo hominis tentantis, & volentis accipere experimentum de aliquo ignoto: non autem quod DEO qui omnia nouit, id esset ignotum. Eodem igitur modo cum dicitur, *Nunc cognoui*, metaphorice potest exponi, vt per hoc intelligatur, quod DEVS se habuit in illo actu, sicut qui de nouo cognoscit aliquid. Et id quidem patet ex eo, quod DEVS post illud factum Abrahæ, multo maiora ei promisit, quam prius promiserat, eaque iureiurando confirmauit, quod ante non fecerat. Sic Burgensis.

Caiet.in ca. 22. Genesis.

Eandem expositionem maxime probauit Caietanus, haud dubie mutuatus eam à Burgensi, sic enim scribit, Quemadmodũ metaphorice tentauit DEVS Abraham, ita metaphorice dixit, *Nunc cognoui*; hoc est, Ad similitudinem me habui nunc cognoscentis, per experientiam facti

facti tui, quod times DEVM. Est enim sermo de notitia experimentali, quæ non nisi metaphorice conuenit DEO. Experimentalis enim cognitio directe respondet tentationi: tentatio quippe suapte natura ordinatur ad cognoscendum per experientiam. Sic Caietanus.

Quarta interpretatio. Thomas Anglus in cap.22. Genes.

53 THOMAS Anglus tres modos declarandi ea verba tradit, primum quidem à B. Augustino proditum, & à nobis supra expositum: Alterum minime diuersum; aut certe persimilem eius, quem proxime declarauimus ex Caietani & Burgensis sententia: tertium verò proprium ipsius & nouum. Verba eius hæc sunt: Nonne DEVS ante, intus & penitus cognoscebat Abraham? aut nonne Abraham ante hoc factum, DEVM timebat, idque DEO notũ erat? Respondeo, secundum Augustinum, illorum DEI verborum: *Nunc cognoui quod timeas* DEVM, hunc esse sensum, Nunc feci & à te & ab aliis cognosci, quod timeas DEVM, vt est modus loquendi, quo causa denominatur à suo effectu. Id verò legendum est per Antonomasiam, hoc intellectu: Nunc euidentius feci cognosci, quod tu excellẽter & singulariter times DEVM. Secundo dici potest, DEVM hoc loco de se humano more locutum esse: vt sit sensus, ita est nunc ex isto facto tuo euidens te timere DEVM, vt etiamsi prius id me latuisset: modo esset mihi notissimum.

Tertio responderi etiam potest, eiusmodi locutione significatum esse ordinem quendam diuinæ scientiæ respectu sui temporalis obiecti: licet enim ab æterno præcedat illud, non tamen cognoscit tale obiectum, nisi pro tempore suo. Itaque ex æterno sciuit DEVS, facturum Abraham actum illum timoris erga DEVM: sed sciuit tamen tunc facturum, cum fecit, nec ante, nec post. Sic ille. Sed hæc tertia responsio, vera quidem illa est secundum doctrinam Scholasticam: sed parum tamen huic loco videtur congruens, aptaque: Ea quippe, illorum DEI verborum valde frigidam reddit sententiam; hanc nempe, Ab æterno cognoui quod tu nũc istum erga me timoris actum facturus esses: quod cum de qualibet re temporali, & actione humana, siue perfecta, siue imperfecta, siue bona siue mala ititem dici queat, quid obsecro magnum, quid eximium & singulare diceretur hoc loco de Abraham?

Auctor sequitur primam interpretationẽ.

54 EGO primam sententiam, cuius auctor videtur fuisse Augustinus, pleniori assensu complector ac sequor: nec alias tamen interpretationes repudio, vt quæ satis per se probabiles sunt, nec bene huic loco non aptari queunt. Itaque illud: *Nunc cognoui*, interpretor, Nunc, & per illud factum tuum feci manifestum & euidenter cognobile. Ad eundem nempe modum quo exponitur id quod Christus Dominus dixit, se nescire diem Iudicij, id est, se non facere eum scire alios: multa enim DEVS animæ Christi reuelauit, quæ noluit ab eo reuelari aliis vel in terris, vel saltem ad aliquod tempus: inter quæ fuit, certum futuri iudicij tempus. Nam quod Dominus discipulis suis dixit: *Omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Id oportet intelligi de omnibus quæ audierat manifestanda hominibus, videlicet quæ vel

Locus Matthęi cap.24.

Locus Ioan.cap. 15.

ad propriam Apostolorum eruditionem, vel ad communem aliorum quibus illi Euangelium prædicaturi erant, institutionem pertinebant. Quapropter Dominus, interrogantibus discipulis, num eo tempore restituturus esset regnum Israel: respondit: *Non est vestrum scire tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.* Act. 1.

DECIMA DISPVTATIO,

Super illis verbis:

VERSV 13. *Quod timeas Dominum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.*

Cur dixerit, timeas, & non potius ames: & an ille actus ex genere suo fuerit perfectissimus caritatis actus.

55 CVM actus immolandi filium pro DEO, videatur esse actus potius amoris quàm timoris, cur DEVS dixit, *Quod timeas*, & non potius, *Quod ames*: Breuiter responderi posset, per timorem, designatum esse amorem, eo modo quo causa designatur per suum immediatum & inseparabilem effectum. Verum præterea (quo subtilius aliquanto & dictinctius super hac re disseramus) istiusmodi loquendi modo significauit DEVS singularem quandam amoris sui proprietatem, præsertim autem respectu illius facti Abrahæ. Amor enim rationalis creaturę erga DEVM, non debet esse secundum quandam amicitiæ æqualitatem, sed profundissima cum submissione, reuerentia, tremoreque coniunctus; quin etiam respectu eorum, quæ DEI iussu agenda sunt homini, adiunctam habere debet promptissimam & absolutissimam obedientiam; & in homine, qui dum in terris est, peccare potest, annexũ habeat summum offendendi DEI timorem necesse est. *Seruite Domino in timore*, (ait Dauid) *& exultate ei cum tremore.* Psal. 2. Et vt Iob ait: *Corã illo curuantur qui portant orbem, & columnæ cæli contremiscũt, & pauent ad nutum eius.* Iob. 26. Isaias quoque vidit Seraphim quasi non ausa DEI maiestatem contueri, velata facie diuinum illud canere Trisagion. Isa. 6.

Nec illud nesciat Lector, vocabulum timoris sæpissime in diuinis literis ita vsurpari, vt non nudum & simplicem timoris actum significet, sed coniunctum cum pietate ac religione, sinceroque DEI cultu & obsequio, aliarumque complurium virtutum officiis: & ideo non immeritò talis timor tot, tantisque laudibus in diuina scriptura celebratur. Opus etiam illud occidendi proprium filium, procedebat illud quidem ex amore, verum ex amore timente potius & obediente, quàm delectante. Adiice quod illo DEI præcepto, eiusque effectione, vehementissime captiuabatur in obsequium DEI, naturalis ratio & iudicium, & item naturalis affectus, sensusque Abrahæ, & ideo potius attribuitur timori

mori coercenti & comprimenti, quàm amori dilatanti & delectanti.

56 CÆTERVM illud hoc loco etiam in disceptationem venire potest: cur actus ille immolandi filium, ita commendetur à DEO, quasi genere suo esset perfectissimus. At maius quiddam videbatur, si seipsum Abraham iubente DEO immolasset DEVS, aut si ad similitudinem Christianorum Martyrum, sese morti pro DEI gloria obtulisset. Nec videtur tanti illud eius factum fuisse: quippe cum haberet ipse alterum filium, atque adeo complures generare adhuc posset, quemadmodum generasse eum post id temporis ex Cetura multos filios, infra proditum est, Genesis vigesimoquinto. An factum illud Abrahę fuerit perfectissimæ caritatis actus.

Sed proculdubio factum illud Abrahæ, clarissimum & certissimum fuit præstantissimæ eius virtutis signum & argumentum. Etenim viris probis & piis multo durius est, quę atrocia; & sæua, atque humanis sensibus horrenda sunt, facere ipsos in alios, quàm ab aliis pati: itaque tam secundum instinctum naturæ, quàm gratiæ, multo fuisset optabilius, & leuius Abrahæ, mortem ipsum pati ab aliis, quàm suis eam manibus dilectissimo filio afferre. Naturale enim est, patres optare sibi superstites fore filios, eorumque vitam præferre suæ: per filium quippe quodammodo patris vita propagatur, & posteritas familiæ perpetuatur: quo fit vt morte filij non modo se, sed etiam suæ posteritatis spem emori & extingui sentiat.

Multæ quoque sunt prægraues circumstantiæ eius facti, quibus ingens eius difficultas ostenditur, & in ea difficultate superanda, magnitudo animi & virtutis Abrahæ declaratur. Primo, erat Isaac filius eius vnigenitus, futurus omnium bonorum hęres; tum, innocentissimus erat atque sanctissimus, patrisque amantissimus & obedientissimus; deinde, à DEO ipsi promissus, & diutina generationis eius expectatione optatissimus: præterea, ingenti miraculo ei donatus, & in senectute genitus: ac demum in eo vno spes suæ posteritatis, & diuinarum promissionum nitebatur. Hæc autem omnia, quo ardentiorem in pectore patris amorem eius incendebant, eo vehementius ab occidendo eo, præsertim suis ipsius manibus, retrahebant. Eodem accedit, quòd per eum filium sperabat Abraham accepturum se promissionem CHRISTI è suo semine nascituri: & omnium insuper electorum, siue corporaliter, siue spiritualiter ex ipso propagandorum. Et cum vitam æternam sciret adipisci se non posse nisi per CHRISTVM, eo ipso, per eum filium quodammodo sperabat se vitam æternam consecuturum. Quapropter filium suum offerendo, simul etiam quodammodo totam fidem suam & spem omnium bonorum, quæ sibi à DEO promissa erant, offerebat: id verò altissimi animi & perfectissimæ virtutis opus fuit.

57 FVIT præterea factum illud Abrahę perfectissimum, quia ex promptissima, & acerrima obediendi DEO voluntate profectum est. quod sane liquido cernitur, si Lector attendat, quod de eo facto Scriptura narrat, tam respectu principij eius, quàm respectu medij & termini. Respectu principij, vocatus enim à DEO, respondit, *Adsum*, quo declarauit

Universidad de Deusto
Biblioteca

rauit se fuisse paratissimum semper & promptissimum ad quæcumque DEI iussa capessenda & explenda: & accepto mandato de immolando filio, ne punctum quidem temporis moratus, ea ipsa nocte se ad implendum DEI mandatum accinxit. Respectu medij, quod tres dies in cogitatione illius acerbissimi casus perseuerans, nihil de proposito suo & constantia animi mutatus est. Immo verò actus præuios illi funesto operi, atque eius atrocitatem animo ipsius singulatim repræsentantes, intrepidus & inturbatus exercuit: nam & humeris filij imposuit ligna, quibus cremandus ille erat: & ignem ipse & gladium quo ille iugularetur, manibus suis gestauit: & filio quærenti vbi esset victima, constanti animo respondit, *Dominus prouidebit*. Respectu termini, quod ipsemet extruxit altare, & ligna desuper composuit, & in eo posuit filium manibus pedibusque colligatum, magnoque animo dexteram tollens, gladium vibrabat ad eum iugulandum. Et cum tunc à DEO vocaretur, nihil perturbatus respondit, *Adsum*, satis declarans, quàm omni tempore esset præsenti attentoque animo, ad obsequendum & obtemperandum diuinæ voluntati.

S. Thomas 1. 2. quæst. 112. art. 3.

58 B. THOMAS ex hisce DEI verbis, *Nunc cognoui quod timeas Dominum*, colligit tunc fuisse Abrahæ manifestum & certum, se in gratia DEI esse. Nam cum disputaret de certitudine diuinæ gratiæ, quam quis habere in hac vita potest; & concluisset, nulli mortalium, nisi speciali DEI reuelatione, certum in hac vita esse posse, se esse in gratia DEI, ea certitudine cui falsum subesse non possit; obiicit ipsemet sibi hunc locum Geneseos, quo DEVS Abrahæ dixit: *Nunc cognoui quod timeas Dominum* id est, cognoscere te feci. Loquitur autem ibi de timore casto, qui non est sine DEI gratia; potest igitur homo in hac vita cognoscere, se gratiam DEI habere. Hanc obiectionem sic Angelicus Doctor diluit: Illa verba DEI, dicta Abrahæ, referri posse ad notitiam quandam experimentalem, quæ est per exhibitionem operis: in eo namque opere quod fecerat Abraham, cognoscere potuit experimentaliter se DEI timorem habere. Quo etiam modo intelligi potest quod legitur in Apocalypsi: *Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit,* quia scilicet qui accipit gratiam, per quandam experientiam dulcedinis eam nouit, quam non experitur ille qui non accipit. Vel Abraham illud cognouit per specialem DEI reuelationem, istiusmodi verbis ei factam. Sic ex B. Thoma. Equidem facile adducor vt credam, talem DEI reuelationem factam esse in Veteri Testamento magnis illis Patriarchis, Abrahæ, Isaac, Iacob, Mosi, & quibusdam aliis, qui fuere tanquam fundatores, ac doctores populi DEI, & cultus ac religionis diuinæ; sicut etiam in Nouo Testamento sanctis CHRISTI Apostolis. In istos enim verissime competit, quod B. Thomas illo ipso loco docuit, quosdam DEVM è speciali priuilegio certos facere gratiæ suæ habitantis in eis, vt securitatis gaudium etiam in hac vita in eis incipiat; quò vtique confidentius magnifica opera persequantur, & mala præsentis vitæ fortius sustineant; sicut Paulo dictum est: *sufficit tibi gratia mea.*

Apoc. 3.

2. ad Corinth. 12.

VNDECI

VNDECIMA DISPVTATIO.

De præstantia illius facti Abrahæ, comparando ipsum cum alijs quibusdam similibus factis, quæ ab Ethnicis mire celebrantur.

59 NON videtur illud Abrahæ factum, adeo fuisse, vt fertur, eximium & singulare: multa quippe legimus eius similia, & à Græcis, & à Romanis, etiam à Barbaris patrata. Audi Ciceronem: Claræ mortes pro patria oppetitæ, non solum gloriosæ Rhetoribus, sed etiam beatæ videri solent. Repetunt ab Erechthæo, cuius filiæ cupidè mortem expetiuerunt pro vita ciuium. Codrum prædicant, qui se in medios immisit hostes famulari veste, ne posset agnosci, si esset ornatu regio; quod oraculum erat datum, si Rex interfectus esset, victrices Athenas fore. Menechus verò non prætermittitur, qui oraculo edito largitus est patriæ suum sanguinem. Iphigenia Aulide duci se immolandam iubet, vt hostium sanguis eliciatur suo. Veniunt inde ad propria. Hermodius in ore est, & Aristogiton; Lacedæmonius Leonidas, Thebanus Epaminondas vigent. Nostros non norunt: quos enumerare magnum est: ita sunt multi, quibus optabiles fuere mortes cum gloria. Quoties non modo ductores nostri, sed vniuersi etiam exercitus ad non dubiam mortem concurrerunt? quæ quidem si timeretur, non L. Brutus arcens eum reditu tyrannum, quem ipse expulerat, in prælio concidisset: non cum Latinis decertans pater Decius, cum Etruscis filius, etiam cum Pyrrho nepos, se hostium telis obiecissent. Hæc ex Cicerone.

Cicero 1. Tusculana.

60 SED Codri factum, quo nullum in patriam pietatis, caritatisque memorabilius exemplum proferri ex omnibus Ethnicorum monumentis potest, Cicero cursim attigit, pluribus autem verbis idipsum enarrans, ad hunc modum scribit Iustinus: Erant inter Athenienses & Dorienses simultatum veteres offensæ: quas vindicaturi bello Dorienses, de euentu belli oracula consuluerunt. Responsum, superiores fore, ni Regem Athenienſium occidissent. Cum ventum esset in prælium, militibus ante omnia, custodia regis præcipitur. Athenienſibus eo tempore rex Codrus erat, qui & responso DEI, & præceptis hostium cognitis, permutato regis habitu, pannosus, & sarmẽta collo gerẽs, castra hostium ingreditur. Ibi in turba obsistentium, à milite, quem falsè astu vulnerauerat, interficitur. Cognito regis corpore, Doriẽses sine prælio discedunt. Atque ita Atheniẽses, virtute ducis pro salute patrię morti se offerentis, bello liberãtur. Post Codrum nemo Athenis regnauit, quod memoriæ nominis eius tributum est. Sic Iustinus. Idomeneus præterea Deucalionis filius & rex Cretensium, Troiano bello cõfecto, in quo strenue in Troianos pugnauit, cũ renauigaret in patriã, periculosissima

Mirum Codri factum.

Iustinus. libro 2.

Idomeneus.

oborta tempestate,vouit Neptuno,si incolumen reduceret in patriam, sacrificaturum se illi quodcumque sibi primum occurrisset. Contigit autem vt primus ei obuiam filius procederet;quare ex voto eum sacrificauit; vel vt placet aliis,cum vellet eum immolare, à suis pulsus est.

Marius rex. Cyrill. Alexand. Lib. 4. Reg. cap.3.

Cyrillus libro sexto aduersus Iulianum, quendam nominat Marium regem, qui proprium filium immolauit. Horrendum dictu est,quanto magis visu fuisse putandum est, quod de rege Moab narrat Scriptura. Is enim in arctissima vrbis,in quam se incluserat,obsidione,in extremũ discrimen adductus,arreptum primogenitum filium,in conspectu suorum atque hostium,super ipsis mœnibus obtulit holocaustum:quo scilicet propitiato DEO suo, impendens sibi exitium arceret. Scripturæ verba hæc sunt: *Cum vidisset rex Moab prævaluisse hostes, tulit secum septingentos viros educentes gladios,vt irrumperent ad regem Edom,& non potuerunt. Arripiensque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, tulit holocaustum super murum.*

VERVM enimuero ista omnia atque id genus alia,quæ ad gloriam illius facti Abrahæ eleuandam & infuscandam, ex historiis suis Ethnici, aut etiam ex fabulis opponere nobis possunt, facili breuique responsione repellũtur.Etenim factum Abrahę,omnibus illiusmodi exẽplis & factis, tribus rebus longe antestat:primum difficultate rei ab eo gestæ;tum altitudine animi,& virtutis excellentia, qua rem eam gessit; ac demum honestate ac præstantia causæ, propter quam ea res ab eo gesta est.Verum quia super hisce rebus copiosa & diserta oratione disseruit Philo,ponam hic eius verba,quæ scilicet non vulgaris eruditionis cognitione, Lectorem docere simul & delectare possint:Sed malitiosis calumniatoribus,inquit Philo,nostra damnare potius quàm laudare solitis,hoc Abrahæ factum non videbitur tam magnum & mirificum,quàm à nobis prædicatur.Aiunt enim alios multos suis affectibus deuinctos, & peramantes liberorum, immolandos exhibuisse filios, vel pro incolumitate patriæ, vel vt auerterent bella,siccitates,inundationes,pestilentias: alios verò domesticæ,quantumuis falsæ,religionis gratia.Græcorum certe clarissimos,non solum priuatos ciues,sed reges non magna liberorum ratione habita,his mactatis, maximas deleuisse hostium copias primo impetu:ciuium verò aut sociorum seruasse magnos exercitus.Barbaras quoque gentes,diuersis in terrarum regionibus, per omnes ferme ætates,mactare filios suos consueuisse,etiam in libris Mosaicis proditum est. Indorum præterea Gymnosophistæ olim hodieque,sub initium senectutis, morbi nempe longi & incurabilis, prius quam inualescat, accenso rogo se ipsos exurunt,quamuis perdiu adhuc possent vitam prorogare.Immo & vxores eorum,defunctis maritis,in rogos eorum ingenti cum gaudio se iniiciunt; atque ita viuas cremari cum adamatis cadaueribus glorioſum ducitur.Harũ,inquiunt, merito mireris audaciam, quæ mortem adeo contemnunt, vt ad eam quasi ad immortalitatem cursu contendant. Istum verò Abraham laudare quorsum attinet, quasi nouum aliquod facinus aggressum? quod sane

61

Philo in libro de Abraham.

Obiectiones Ethnicorum Abrahę factum obscurare volentium.

sane non semel fando auditum est, de priuatis hominibus, de regibus, de integris gentibus. Hæc isti.

Responsio ad obiectionem Ethnicorum.

62 SED ad hanc istorum inuidorum hominum insectationem, sic respondeo: Qui liberos mactant,partim ex more id faciunt, vt fertur de nonnullis barbaris; partim quia magna quæpiam mala,& aduersus humanam opem contumacia,non aliter se à ciuitatibus suis arcere posse existimant. Ex his quidam inuiti suos exhibent,& coacti à potentioribus;alij compulsi metu hominum; alij cupidine gloriæ famæque;gloriæ quidem in præsens, famæ vero apud posteros. Ergo qui ex more mactant,nihil magnum facere videntur: inueterata quippe consuetudo plerumque tantum potest,quantum natura; ita vt grauissima quæque reddat toleratu facilia, omni semoto terrore.Qui vero cedunt timori,nullam laudem merentur: laudantur enim facta voluntaria; inuoluntaria autem referuntur ad necessitatem rerum, aut casuum, aut temporum.Si quis porrò amore gloriæ filium prodit vel filiam, is profecto vituperatione magis quàm laude dignus est;morte carissimorum captans sibi honorem, quem etiam si ante habuisset, eum tamen pro incolumitate filiorum,abiicere debuerat.

63 PROINDE considerandum est, num Abraham aliquo modo dicta necessitate coactus sit mactare filium,id est;an cõsuetudine ductus, an honoris studio,an timoris coactu.Mos certe immolandi liberos nec Babylone,nec in Mesopotamia,nec à Chaldæis receptus est;apud quos ille educatus, magnam vitæ partem cum eis exegit: ne quis putet ob consuetudinem suæ gentis, leuiorem ei mali eius imaginationem esse visam.Sed neque metus ab hominibus imminebat vllus:neque oraculi iussum,præter ipsum, quispiam alius nouerat.Nulla publica premebat calamitas, cui morte filij vellet occurrere. Sed laudis,dicet aliquis, apud vulgum parandæ cupidine,ad id facinus incitatus est.At quæ obsecro laus vulgi quæreretur in solitudine,vbi nemo erat spectaturus & applausurus, longe à tergo relictis etiam famulis,ne se coram testibus ostentare videretur? Quapropter obturato infræni ore,moderentur accusatores suam inuidiã,nec lacerẽt honesta vita defunctos,quos potius admirari & prædicare deberent; siquidẽ apud omnes qui rectè sapiunt nihil honestius & præstabilius ducitur,quàm DEO parere:quod vir hic in primis & vbique,semperque facere studuit:ita vt nullum DEI mandatum non prompte & alacriter obiret, quantumuis molestiis & ignominiis, atque laboribus, doloribusque refertum esset. Enimuero de multis filiis, vnum quempiam offerre DEO, tanquam liberorum primitias, minime fuerit mirandum; cum multi superstites, vnius orbitatem satis solari possint; at vero vnigenitum offerre, res est nullo sermone explicabilis. Et alij quidem, qui liberos mactandos exhibuere, aut domi mansere; aut procul abstitere ab altaribus; aut si sacris interfuere, auersis oculis tale sacrificium spectare non sustinuerunt; hic verò tanquam sacerdos, ipse pater vnigenam filium mactare aggreditur,fortasse etiam sacrificali ritu membratim concisu-

rus, vt pote adolendum altaris ignibus. Quid horum cum cęteris commune est? quid non eximium & singulare, ac tale, vt nulla possit æquari facundia?

Hactenus quæ commemorata sunt, Philonis fuere verba. Æmula- 64
tione huius diuini præcepti, quod Abrahæ datum est de immolando filio, equidem facile crediderim, pessimum diuinitatis affectatorem dæmonẽ, similiter à suis cultoribus humanas victimas, etiam propriorum filiorũ expetiisse, atque exegisse. Cuius rei aliquot exempla supra exposuimus, vt Iphigeniæ, Idomenei, Marij, & regis Moab, & alia sanè quamplurima quæ in veterum monumentis extant. Quin etiam non defuere, qui collectis ex antiquitate exemplis, demonstrauerint, nullum fuisse apud Ethnicos maiorum gentium DEVM, cui non alicubi & ab aliqua gente, humanis victimis etiam propriorum liberorum sacrificatum sit.

Vide inter alios Natalem Comitẽ lib. 1. Mythologiæ, capit. 16.

VERSV 13. & 14.

Leuauit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens, obtulit holocaustum pro filio.

PRO eo quod nos legimus, *Vidit post tergum arietem inter* 65
vepres hærentem cornibus, S. Ambrosius ita legit: *Et ecce aries vnus hærens*, siue *suspensus cornibus in virgulto*. Quæ verba sic exponit: Arietem vidit, quasi præstantem vtique cætero gregi; & erat ille suspensus cornibus, vt aduertere liceret, hostiam illam non esse terrrenam: & quod carnem suam virtute superiore à terris leuaret, iuxta quod scriptum est: *Cuius principatus super humerum eius.* Quis enim ea re alius præfiguratus est, nisi is de quo scriptum est, *Exaltauit cornu populi sui?* Cornu nostrum Christus est, qui præstitit omnibus, sicut legimus: *Speciosus forma præ filijs hominum*: solus & exaltatus à terris, quemadmodum ipse nos docet dicens: *Ego non sum de hoc mundo, ego de supernis sum.* Hunc vidit Abraham in illo sacrificio; huius passionem prospexit. Et ideo ipse Dominus de eo dixit: *Abraham vidit diem meum: vidit & gauisus est*, quam etiam ob causam vocauit Abraham nomẽ loci illius, *Dominus videt, vt dicatur hodie: Dominus in monte apparuit.* Hoc autem est, quod apparuerit DEVS Abrahæ, reuelans futuram sui passionem corporis, qua mundum redemit: demonstrans etiam genus passionis, cum suspensum ostendit arietem, & per virgultum illud, Crucis patibulum. Et in hoc ligno præstantissimus ductor gregis exaltatus, omnia traxit ad se, vt ab omnibus cognosceretur. Vnde & ipse ait: *Cum exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Hæc B. Ambrosius.

Ambros. lib. 1. de Abrahã cap. 8.

Isa. 9.

Psal. 148.

Psal. 44.

Ioan. 8.

Ibidem.

In illo sacrificio arietis, reuelata est Abrahæ futura Christi Immolatio & passio.

Ioan 12.

Supra 8.

Septua

Septuaginta Interpretes, vt refert Sanctus Hieronymus, sic verterũt 66
hunc locum: *Et ecce aries post tergum eius tenebatur in virgulto Sabech cornibus.* Super quibus verbis pauca quædam annotauit Hieronymus, minime silentio hic prætereunda. Primo memorat eorum verborum interpretationem ab Eusebio Emiseno traditam, quam vt futilem ridet ipse: Ridiculam rem, inquit, in hoc loco Eusebius Emisenus locutus est, Sabech inquiens dicitur hircus, qui rectis cornibus, & ad carpendas arboris frondes sublimis attollitur. Deinde ait Hieronymus, vocem Sabech, secũdum interpretationem Aquilæ, significare vepretum siue spinetum, aut si enucleatius interpretari libeat, significare condensa, & inter se implexa virgulta. Vnde & Symmachus in eandem ductus opinionem, ita hunc locum transtulit: *Et apparuit aries post hæc, retentus in rete cornibus suis*, rete vocans densitatem & perplexitatem, quæ est in virgulto. Tertio loco monet, quibusdam visos esse hunc locum melius expressisse Septuaginta Interpretes & Theodotionem, dicentes, *Tenebatur in virgulto Sabech cornibus suis.* Etenim vox Sabech cum rete significat, dicunt illi per, sin, literam scribi, hic vero scriptum esse per Samech, ex quo manifestum esse, Sabech non significare stirpes condensas, nec in modum retis inter se virgulta contexta, sed proprium nomen tenere virgulti, quod ita hebraice dicitur. Ego vero diligenter inquirens, eam vocem reperi per Samech literam crebro scribi. Sic Hieronymus.

Hieron. in Tradit. Hebra. in Genesim super capit. 22. De significatione vocis Sabech. Eusebius. Emisen.

IN Scholiis græcis super eadem voce Sabech, huiusmodi quædam 67
traduntur: eam vocem quosdam interpretatos esse, dimissionem & liberationem; quosdam autem erectum; ac si diceretur hircus erectus in virgultum inscenderat, & cornibus erectus detinebatur: vt ea re manifestus Crucis Domini typus præmonstratus sit. Ergo ob huiusmodi interpretationum varietatem, quam parit multiplex hebraicæ vocis significatio, prudenter LXX. Interpretes, hebræam vocem noluisse conuertere in græcam linguam, sed posuisse eam sine interpretatione in sua translatione. Interrogantibus itaque significationem vocis Sabech respondere conuenit, ea voce significari erectum & elatum. Sic est illic. In Catena Lippomani Theodoreto attribuitur, Sabech nomen esse proprium alicuius arboris; à qua opinione nec Gennadius abhorret; etsi dicit quosdam interpretari dimissionem, & alios erectum. Hebræa hoc sonant ad verbum: *Et vidit, & ecce aries postquam appensus est in perplexu*, seu *implicatione cornibus suis*. quo spectat Chaldaica interpretatio; *Postquam appensus est in arbore cornibus suis.* Enimuero hebraicum verbum Sabach significat irretire, perplexum esse, & complecti. Vnde dictum nomen Sabech significat vepres, ramos densos seu irretitos, constipata arbusta, seu virgulta, quia hæc omnia inuicem perplexa siue implexa sunt, vt qui istiusmodi apprehensus sit, non facile se inde possit explicare. Atque hanc fuisse causam putandum est, cur aries ille cornibus teneretur implicatus vepribus, vt cum eum capere ac tenere Abraham vellet, manus eius nequaquam effugeret.

Scholia græca.

Theodor.

Gennad.

Sed nos excutiamus latinam lectionem. *Vidit arietem inter vepres hærentem cornibus.* Vepres, Spinæ genus quoddam est, nocentibus & implexis aculeis, qui si cui forte adhæserint, tenaciter eum apprehensum habent. Ex quo fortasse nomen positum est, quasi à prætereuntium vestes vi quadam præhẽdendo. Rideat Lector hoc loco fabulam Hebræorum, aientium, illum arietem fuisse creatum à DEO in mundi exordio, vna cum cæteris animalibus, quæ natali die sexto mundi condita sunt, & per tria circiter annorum millia seruatum esse, ad hunc scilicet finem & vsum Sacrificij Abrahæ. *Quem obtulit holocaustum pro filio.* Illud *pro filio*, triplicem sensum reddit. Primo hunc, Immolauit eum, quemadmodum ipse filium suum immolare voluerat, scilicet quantum ad affectum & effectum. Deinde *pro filio*, id est in locum filij, quem DEVS pro ipso immolari iusserat, eumque immolasset ipse, nisi postea id fieri DEVS vetuisset. Ad hæc, *pro filio*, id est, pro liberatione filij: agens nempe gratias DEO quod filium à morte liberasset, eius vice arietem illum substituendo: simulque orabat DEVM, vt eius arietis immolationem perinde acciperet, quasi ei filium suum immolasset. Tradunt Hebræi (quod nos supra indicauimus) eam immolationem factam esse initio septimi mensis Iudaici, hoc est in mense nostro Septembri: quamobrem constitutam esse solemnitatem tubarum, primo die eius mensis, ab Hebræis agi solitam, in qua clangebant tubis corneis in commemorationem eius quod accidit Abrahæ immolaturo filium, simulque in gratiarum actionem pro liberatione Isaac.

Genes. 1.

Appellauitque nomen loci illius, Dominus videt: vnde vsque hodie dicitur, In monte Dominus videbit.

S. Chrys. homil. in Genes. 48.

VIDE religiosam Abrahę mentẽ, ait Chrysostomus: quemadmodum vndequaque ex iis quæ acciderant ipsi, locis appellationes imponat, perpetua DEI erga se benignitatis, suæque erga ipsum obseruantiæ, atque obedientiæ, futura posteris monumenta. Visitationem enim diuinam eo loco sibi factam volens quasi in columna ærea insculpere, immortalemque apud posteros memoriam eius facere, ei loco tale nomen indidit, *Dominus vidit.* Monet Lectorem S. Hieronymus pro illo *videt*, in hebræo scriptum esse *videbit.* Hoc autẽ, inquit, apud Hebræos exiuit in prouerbium, vt si quando in angustia constituti sunt, & Domini optant auxilio subleuari, dicant, In monte Dominus videbit: hoc est, sicut Abrahæ misertus est Dominus, ita miserebitur & nostri. Vnde & in figura dati arietis, solent etiam nunc Hebræi cornu clangere. Sic Hieronymus. *Appellauitque nomen loci illius Dominus videt.* Non igitur antea mons ille id nominis habuit: sed appellabatur Mons Moriach,

69

Hierony. in Tradit. heb. in Genesim.

riah, vel alio quopiam nomine. Vocatus est autem *Dominus videt*, ab effectu, quia Dominus illic vidit afflictionem Abrahæ & Isaac, & vtriusque pietatem atque obedientiam. Nec temere latinus interpres vertit, *Videt*, cum hebraice sit *Videbit*, nam etsi apud Hebræos frequens est abusus temporum, præsentis, præteriti, & futuri, alia pro aliis vsurpando; hic tamen illud, *Videt*, in præsenti tempore positum, magnam habet emphasim: denotat enim, semper DEVM videre afflictionem iustorum hominum, eisque opitulari. *Oculi Domini*, ait Dauid, *super iustos, & aures eius ad preces eorum.* Similiter Moses altare quod extruxerat in solitudine propter victoriam Amalecitarum, appellauit, *Dominus exultatio mea*, quod DEVS Hebræis victoriã de Amalecitis concedens, incredibiliter eos gaudere & exultare fecerat. Ad eum quoque modum describens Ezechiel templum cælestis Hierusalem, sub typo templi materialis, quod fuerat in terrena Hierusalem, dixit: *Et nomen ciuitatis illius, Dominus ibidem*, quod in templo cælesti, præcipua, excellentique & singulari quadam ratione potius DEVS est, quam in aliis locis.

Psal. 33. Exod. 17.

70 VNDE *vsque hodie dicitur.* Hęc sunt verba Mosis scribentis hanc historiã, quare illud *Vsque hodie* denotat ætatẽ, qua erat Moses. Vt sit sensus, Non solum tẽpore Abrahę tali nomine appellatus est mõs ille, verũ perdurauit ea appellatio vsque ad ætatẽ meam, & vsque ad hodiernũ diem, per annos scilicet prope quadringẽtos: tot enim ferme anni à tẽpore illius immolationis, ad id vsque tẽporis, quo historiam hãc scripsit Moses, præterierant. *In mõte Dominus videbit*, id est, In mõte cui nomen est, Dominus videbit: & illud, *Dominus videbit*, postea prouerbij loco ab Hebræis vsurpatum est, significantibus, licet magna essent in angustia & calamitate, sibi tamen diuinam opem non defuturam, sperantibus vtique DEVM ipsorum afflictionem misericorditer respecturum, sicut in eo monte respexerat afflictionem Abrahæ. Nec desunt ex Iudæis qui putent illud: *In monte Dominus videbit*, prophetice dictum esse de templo Hierosolymitano, quod in eo monte ædificatum est à Salomone, in quo DEVS præcipue preces supplicantium sibi exauditurus erat. Quam gratiam vt DEVS ei loco pro sua bonitate vellet indulgere, ab ipso Salomon, vbi templum ædificauit, vehementer deprecatus est. Grauissima eius regis, & pietatis plenissima super ea re oratio, extat in libro tertio Regum capite octauo.

Hebræorum opinio.

71 HEBRAICE locus hic ita expressus est, *Appellauit nomen loci illius Dominus videbit: & vsque hodie dicitur, In monte Dominus videbitur.* Itaque priori loco pro nostro *videt*, est hebraice *Videbit*: posteriori autem loco, pro nostro *Dominus videbit*, est *Dominus videbitur*: & illud prius, *Dominus videbit*, significat locum illum esse sic appellatum à responso quod dederat Abraham filio suo interrogãti, vbi esset victima, respondit enim: *Dominus sibi prouidebit victimam holocausti, fili mi.* Quod ita plane euenit; prouidit enim DEVS arietem pro Isaac immolandum. Abrahã igitur aduertẽs quod ipse insciens prius dixerat, id prophetiam

eius

eius fuisse quod postea euenit, ex eo appellauit montem, *Dominus videbit*, id est, prouidebit: quæ tamen appellatio longius transferri potest ad firmandum eorum omnium qui in calamitatibus sunt, DEI fiduciam: vt in quacũque re ardua & calamitosa fuerint, minime deficiant animo, sed humana destituti ope, ad diuinam confugiant. DEVS enim adiutor est in tribulatione; &, *Omnes qui sperant in eum non confunduntur.* Eccl. 1.

ILLVD porro quod posteriore loco ponitur, & apud Hebræos vicem habebat prouerbij, *Dominus videbitur*, mutata eiusdem verbi voce actiua in passiuam, vel eandem habet sententiam, vel significat, quemadmodum DEVS Abrahæ in illa afflictione visus est, opem videlicet ei afferens: ita fore, vt quicumque nomen eius ex animo inuocauerint & ad misericordiam eius impetrandam toto pectore contenderint, ab his videatur DEVS, id est, vt salutarem, optatumque petitionis suæ & diuinæ protectionis sentiant effectum. Sunt qui putent illud, *In monte Dominus videbitur*, prophetiam esse, quod eo loci Filius DEI factus homo, & doctor, & legislator, per mortem suam illic obitam, mundi redemptor videndus esset. Cæterum septuaginta Interpretes paulo secus interpretati sunt hunc locum, sic nempe, *Appellauit nomen loci illius Dominus vidit: vt dicant hodie, In monte Dominus visus est, siue apparuit*: per passiuum vertentes, non autem per actiuum, in quo differunt à latina versione, & congruunt cum Hebræa versione: Verum ab vtraque differunt, quod ex futuro faciunt præteritum, fortasse quia moris est linguæ hebrææ futurum ponere pro præterito. Sed Chaldaica huius loci expositio longe diuersa est; sic enim habet: *Et orauit, atque immolauit Abraham in loco illo. Et dixit coram Domino: Hic erunt seruientes generationes: propterea dicebatur in die hac, In monte isto Abraham coram Domino immolauit.* Quibus verbis significatur, illud Abrahæ dictum, fuisse vaticinium de templo in eo monte ædificando: vbi Deus colendus erat, & reddendis responsis, suam consulentibus manifestaturus præsentiam. 71

DVODECIMA DISPVTATIO,

Super illis verbis:

VERSVS 15. & 16.

Vocauit Angelus Domini Abraham secundo, dicens, Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.

Quæstio an ille fuerit vere Angelus, an Deus nomine Angeli appellatus. *Hebr. 6.*

DVAS hæc verba secum complicatas habent quæstiones. Primũ enim quæritur super illis verbis: *Vocauit Angelus Domini &c.* Si ille erat Angelus, quomodo loquitur de se tanquam de DEO, dicens, *Per memetipsum iuraui?* Id enim proprium DEI est, vt ait Paulus; non enim per se ipsos iurant Angeli, sed 73

sed per DEVM viuentem, vt videre est apud Danielem & in Apocalypsi. Subdit etiam Angelus, *Et non pepercisti filio tuo vnigenito propter me*, atqui non propter Angelum, sed propter DEVM filium suum immolare voluit Abraham. Hanc quæstionem dupliciter soluit Augustinus, vel nomine Angeli, inquit, significatus est Filius DEI; qui sine dubio Deus est, idemque manifeste à Propheta dictus est Magni consilij Angelus, vel quia DEVS erat in Angelo, & quia in persona DEI Angelus loquebatur, iccirco tanquam DEVS loquitur. Et hoc posterius magis videtur placere Augustino; non enim in Scriptura inuenitur, CHRISTVM dici Angelum Domini, nec vspiam legitur appellasse DEVM Dominum suum: licet Ioan 20. appellet DEVM suum dicens: *Vado ad Patrem meum & Patrem vestrum*, DEVM *meum*, & DEVM *vestrum*. Sic Augustinus. sine dubio hæc posterior Augustini solutio præferenda est. Quanquam si quis attente consideratque legat Mosis verba, nullum esse locum quæstioni comperiet. Si enim Angelus simpliciter & precise dixisset, *Per memetipsum iuraui quia non pepercisti vnigenito filio tuo propter me*, locus sane daretur propositæ quæstioni. Verum cum adiunxerit illud, *dicit Dominus*, manifeste demonstrauit se verbis DEI loqui, nec de se, sed de DEO agere: sic enim crebro loqui solent Prophetæ: *Dixit Dominus*; & *Verbum Domini* &c. *Ad Hebr. 6. Daniel. 12. Apocalyp. 10. Augusti. in Quæstioni in Genes. quæst. 59. Isa. 9*

74 CVM igitur plana & aperta sit huius loci sententia, nihilominus tamen Origenes hunc locum tractans, sensisse visus est (id certe significant eius verba) illum qui loquebatur, Abrahæ & fuisse Angelum, & fuisse Filium DEI, qui prius quidem factus sit Angelus, sicut posterius factus est homo. Origenis verba ex homilia in Genesim octaua hęc sunt: Considerandum est, quod eum qui locutus est Abrahæ, Scriptura hoc loco vocet Angelum, qui tamen in consequentibus ostenditur esse Dominus & DEVS. Vnde puto quod sicut inter homines habitu repertus est homo, ita inter Angelos habitu repertus est vt Angelus. Sic Origenes. Sed quia hic error nimis crassus & absurdus est, nec reperitur inter errores Origenis, quos B. Hieronymus, Epiphanius, aliique diligenter exposuerunt: iccirco nonnullis fit verisimile, Origenem per habitum Angeli, non angelicam naturam, sed Angeli munus & officiũ, quod est denuntiare & declarare DEI consilium & voluntatem, significare voluisse: vt hic sit verborum Origenis sensus, Filium DEI priusquam habitum hominum indueret, id est, naturam humanam assumeret, habitu Angeli, id est, munere & officio Angeli esse functum; multiformes prisci illis patribus sui apparitiones exhibendo, & arcana, mysteriaque cælestia multifariam enuntiando. Ad hanc enim sententiam & intelligentiam, non modo secure credi posse, Filium DEI apparuisse Patriarchis & Prophetis; verum etiam nomine Angeli appellari in sacris literis, censet B. Augustinus in Tractatu illorum verborum: *Ego sum qui sum.* Non igitur dictum Origenis quod Filius DEI fuerit in habitu Angeli, sic accipiendum est, vt accipitur id, quod B. Paulus de eodem Filio Dei scripsit dicẽs: *Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, in si-* Origenis sententia ad verũ & catholicũ intellectũ exponitur. Aug. in Tomo 6. *Exod.* 4. Locus Pauli ad Philip. cap. 10.

militudinem hominum factus,& habitu inuentus vt homo. Namque isto loco vocabulum habitus (Græce est σχῆμα) significat naturalem speciem, formam & figuram hominis.

PER MEMETIPSVM *iuraui,quia fecisti hanc rem,& non pepercisti* 75
filio tuo vnigenito propter me:benedicam tibi &c. Exponemus primo vim & proprietatem horum verborum:tunc alteram quæstionem hisce verbis innexam & supra à nobis propositam tractabimus. *Per memetipsum:* Nam quia DEVS prima veritas est, supremaque natura, omnium rerum efficiens,intelligens,regensque, non habet quicquam præstantius & honoratius, per quod iurare possit. Angeli vero & homines per ipsum DEVM iurant, tanquam supremum omnium & dominum, & Iudicem,vindicemque.*Iuraui*,Id est, Iuro : in præsens enim firmat promissiones suas futurorum bonorum Abrahæ & semini eius:sed familiare Hebræis est,præterito vti pro præsenti.Dices,vbi est hic formula iurisiurandi diuini ? Latinus interpres eam non expressit, sed subintelligendam reliquit.Hebraicè vero est vocula significãs latine, idem quod certe,profecto,vel omnino,ante illud,*Benedicam tibi*:hoc modo,*Per memetipsum iuraui,quia non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, certe, vel omnino,benedicam tibi*.Sedenim idem Latinus interpres apud Paulum ad Hebræos 6.vbi hæc ipsa DEI verba citantur,expressit particulam,quæ vim habet iurandi,ad hunc modum: *Quoniam neminem habuit* DEVS *per quem iuraret maiorem,iurauit per semetipsum dicens, Nisi benedicens benedicam tibi &c.* Apud Hebræos enim duæ istæ particulæ.Nisi,&,si,vim habent non solum affirmandi,sed etiam iurandi:& adhibentur,suspensa atque inexpleta sententia,vt Psalmo nonagesimoquarto: *Quibus iuraui in ira mea si introibunt in requiem meam.* Et hic quidem exprimitur verbum iurandi,alibi vero minime,vt:*Nisi domus multæ desertæ fuerint grandes & pulchræ:*& apud eundem, *Si dimittetur iniquitas hæc vobis,donec moriamini:*Nimirum istiusmodi locis est Aposiopesis, reticetur enim hoc, non sim is qui sum,vel,non viuam,vel,non sim DEVS,aut aliud quippiam simile.

Locus Pauli ad Hebræos cap.6. Nisi, & si, quam vim habeant in Scriptura.

Isaiæ 5. & 22.

CVR autem DEVS dictis & promissis suis adiiciat iusiurandum, 76
indicat Paulus eo quem dixi loco,dicens,Apud homines,omnium controuersiarum finem fieri confirmatione iurisiurandi:quia erga homines hunc morem habebant, vt controuersias iureiurando penitus finirent, ad eum morem se DEVS demittere & accomodare voluit, suas quoque promissiones iureiurando confirmans,vt nihil desideraretur,quod apud homines certitudinem ac firmitatem dictis promissisque addere soleat.Nam cum duæ res sint,quæ dictis fidem & robur afferant, quarum vna est promissio, quæ promittentem obnoxium facit explendæ suæ promissioni:altera est iusiurandum,quod maiorem etiam necessitatem imponit efficiendi id quod iuratur, DEVS ad firmandam fidem & spem in animo Abrahæ & seminis eius, vtraque re vti voluit, promittendo scilicet,& iurando:quo impossibile esse intelligatur,DEVM mentiri,id est,fallere aut frustrari posse:quod tunc accidit, quando euentus non

non respondet promissioni & expectationi : quare fieri non potest, vt DEVS non præstet quod promisit,aut non seruet quod iurauit.

77 QVIA *fecisti hanc rem*, Id est, quia prompto & alacri animo paratus fuisti immolare filium,quod ego te facere iusseram. Cum autem illud, quia,sit causale, & denotet causam meritoriam ex parte Abrahæ, non obscure significatur,Abraham egregio illo facto meruisse,vt sibi tales à DEO promissiones darentur, quales mox subduntur. Nam vt inquit Caietanus, etsi disposuerat DEVS ab æterno se facturum ea, quæ hic subduntur, attamen quia disposuerat se facturum ea, intercedente hoc merito Abrahæ,tanquam causa secunda, iccirco dixit, *Quia fecisti hanc rem,benedicam tibi &c.* Quoniam autem inter promissa quæ hic ponuntur,summum & præstantissimum est quod ei datur de Messia ex semine ipsius generando, cum dicitur:*In semine tuo benedicentur omnes gentes* : de quo scilicet promisso iusiurandum illud DEI solum interpretatus est Zacharias, cum dixit : *Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum,daturum se nobis*:idcirco negari non potest,quin aliquo modo pertinuerit ad meritum Abrahæ, quod Filius DEI humanam carnem sumpturus, eam potius è stirpe Abrahæ, quam ex alia quapiam sumeret. *Et non pepercisti filio tuo vnigenito propter me*, Hebræa hanc reddunt sententiam: *Et non subtraxisti,vel prohibuisti filium tuum.* Sensus latinę lectionis hic est:Postposuisti vitam filij tui,imperij & mandati mei executioni:& studium ardorque satisfaciendi voluntati meæ,meaque implendi mandata, vicit in te & penitus obruit naturalem affectum, paternumque amorem,quamuis flagrantissimum, vnigeniti filij tui.Quantæ autem virtutis, quantique meriti fuisse illud Abrahæ facinus existimari debeat, supra disputatum est.

Caiet.in ca. 22. Genesis.

Luca 1.

78 EXPOSITIS iam superioribus illis DEI verbis, sequitur altera quæstio, quam eiusmodi verbis inuolutam esse diximus : ea vero talis est.Videtur, DEVM iure iurando confirmare dicta ac promissa sua,& superuacaneum esse,& DEO inconueniens atque indecens:superuacaneum, quia simplex DEI affirmatio & negatio, tantam habet firmitatem,quantam eadem habere potest, etiamsi mille iuramenta ei addantur : nihil enim iuramentum DEI addit ad simplex eius verbum. Incongruum verò & indecens diuinæ auctoritati ac maiestati propterea videtur, quia iuramentum non adhibetur, nisi cum fine eo non crederetur homini dicenti vel promittenti aliquid:at eo ipso quod DEVS aliquid dicit,verissimum & certissimum est, atque ideo omnino credibile,& credendum.DEVM igitur iurare,nescio quid videtur imminuere de eius auctoritate ac maiestate. Ad hoc breuiter,& scholastica oratione,ita respondet Thomas Anglus:Exterior iuratio DEI multum valet, respectu nostri, ad ampliorem confirmationem nostræ fidei, & spei: quia secundum Apostolum,per hoc DEVS abundantius ostendit propositi,& promissionis suæ immobilitatem.Quare licet iurare, nihil secundum rem addat ad simplex DEI verbum; multum tamen addit secundum rationem,& secundum existimationem hominum. Quemad-

Quæstio an conueniens ac decens sit DEVM promissa sua dicta que iureiurando firmare.

Thomas Anglus in cap.22. Genesis.

Ad Heb. 6.

modum, etsi DEI voluntas secundum se æqualis semper sit & vniformis; respectu tamen obiectorum suorum, quodammodo se habet secundum magis & minus. Vnde dicitur DEVS plus diligere seipsum, quàm creaturas; & plus matrem suam, quàm alium quempiam sanctorum; & plus vult se diligi à nobis, quàm proximum; similiter igitur de iuratione DEI potest dici: nam quia maius malum est periurium, quàm simplex mendacium; ideo secundum hanc rationem, dicitur impossibilius esse DEVM peierare, quam mentiri; quamuis secundum se & absolute, vtrumque sit ei æque impossibile. Non est igitur indecens, DEVM iurare per semetipsum, tum quia non iurat, quò firmius & credibilius fiat dictum suum ex parte ipsius, sed respectu nostri, quo scilicet debilitas fidei nostrę roboretur firmeturque vehementius: tum quia non iurat per aliquem maiorem se, aut per alium à se. Sic ille.

CAIETANVS existimat, quemadmodum DEVM tentare, & de 79
nouo aliquid cognoscere, dicitur de eo non proprie, sed metaphorice, sic etiam DEVM iurare: ad similitudinem nempe hominum, qui vt indubitatam fidem faciant, verum esse quod dicũt, aut se præstaturos esse quod promittunt, iureiurando dicta aut promissa sua firmare solent.
Caietan. in cap. 22. Geneſis. Dicitur, ait Caietanus, DEVS iurasse, metaphorico vtique sermone; hoc est, quod ad similitudinem iurantis immobiliter aliquid deliberauit. per quod declaratur, non solum quæ hic promittuntur, decreuisse DEVM, sed omnimoda immobilitate definiuisse. Quod sane nondum fuerat Abrahæ reuelatum: hoc enim iuramentum de nouo denunciatum est Abrahæ, ex merito tanti facti eius. Ita Caietanus.

SED facere non possum, vt in præteritis relinquam valde copiosam 80
& luculentam super hac ipsa re Philonis disputationem. is enim quam nos in præsentia tractamus quæstionem, eam ipse diserte tractauit in eo libro, quem inscripsit de sacrificio Abel & Cain. Cum Scriptura, inquit
Philonis pulchra disputatio, an DEO cõueniens sit iurare. Philo, DEVM iurasse narrat, dispiciendum est, an id vere DEO conueniens & condecens esse putandum sit: quoniam id videtur plurimis esse DEO alienum atque indecorum. iusiurandum enim intelligitur testimonium de re ambigua; de DEO autem nihil est incertũ aut dubium, qui etiam alios in cognitionem veritatis videtur adducere. Ipsi certe nullo teste opus est, nec est alius DEVS ei honore par. Testis præterea, vt dicit testimonium, maior est eo, cui testimonium perhibet; alter enim opis indiget, alter opem fert: sed quod opem fert, fide dignius est eo, quod illa indiget: DEO autem nihil præstantius, nihil fide dignius. Et homines quidem, vt fides eis habeatur, ad iusiurandum confugiunt: DEO vel simpliciter loquenti fidem non habere, impium est. Quælibet enim DEI verba, quantum ad certitudinem, nihil à iuramento differunt. Itaque fit, vt sententiæ nostræ ex iureiurando fides accedat; ipsi autem iuramento, ex ipso DEO fides astruitur. Non enim propter iuramentum creditur DEO; sed iuramento creditur, quia DEI auctoritate firmatur. Cur igitur Scriptura iurantem inducit DEVM? nimirum vt infirmitatem naturæ nostræ coargueret, &

conui

conuictam consolaretur. Non enim potest anima nostra semper in promptu habere præcipuam illam de Deo sententiam; Non esse eum hominis similem; vt transcendamus quicquid prædicatur de homine: sed quia maxima ex parte affines sumus rerum mortalium, nec sine harum admixtione cogitare quicquam possumus: sed induti rebus mortalib. tanquã cochleæ, eisque in morem earũ inuoluti, easdẽ de illa beata immortaliq; natura, quas de nobis, notiones habemus; verbis quidẽ negãtes, Deum humana forma & affectu esse; re autẽ ipsa humanos affectus & mores ei tribuentes. Nam & manus ei affingimus, & pedes, & surgere, & stare, & ambulare, & odiũ, & irã, & furorẽ, & pœnitentiã: affectus profecto nihil ad auctorẽ illum summum pertinentes: in quibus & iusiurandum est, quo nostra subleuatur infirmitas. Hæc Philo.

81 Idem alio loco super eadẽ replenius disserens, cũ tractaret hæc ipsa Philo lib. 2. De Allegoriis legis.
Dei verba de quib. in præsentiarum disputamus: *Per memetipsum iuraui*, ad hunc modum scribit: Recte iureiurando cõfirmauit promissa; & tali quidem iureiurando, quale Deum maxime decebat. Vides enim quod non per alium Deum iurat, nihil enim illo præstantius; sed per seipsum, qui est omnium optimus. Non defuere tamen, qui negarunt conuenire Deo iusiurandum. Id enim ad confirmandam fidem assumitur: at solus Deus fidelis est, & si quis amicus Dei fuerit, sicut Moses dicitur fidelis *Num. 12.*
in tota domo Dei fuisse. quid quod ipsa Dei verba, iuramenta sunt, legesque diuinæ, & iura sacratissima? quæ vim habere maximam, argumento est, quod effectu non caret quicquid ille dixerit: quod sane iurisiurandi proprium est. vnde consequitur omnes Dei sermones esse iuramenta per effectus suos confirmata. Aiunt præterea iusiurandum esse testimonium Dei de re ambigua. Si autem Deus iurat, sibi ipse fert testimonium, quæ absurda res videtur: alium enim oportet esse, qui testis est, & alium cui testimonium perhibetur.

Quid igitur dicendũ? primo, non pugnare cum æquitate quod Deus sibi ipsi testis sit. Quis enim præter ipsum potest de eo, vt par est, testificari, cum solus ipse sibi notus sit? Deinde, ipse sibi est, quicquid in pretio est; ipse sibi cognatus, familiaris, amicus; ipse sibi virtus, fœlicitas, sapientia; ipse principium, finis, totum; ipse iudex, sententia, consilium, lex, actio, principatus. Et alioqui si verba illa, *Per memetipsum iuraui*, ita vt oportet accipiantur, nullum erit à negatione sophistica periculum. Videtur enim verbis illis tale quid dicere: nulla, quãuis sublimis creatura potest certo constãterque affirmare de Deo, quid sit; quemadmodum se habeat; quomodo sit vbique sine loco, atque omnia permeet sine motu; qua ratione omnium rerum præteritarum, præsentium, futurarum, qualescumque fuerint, perfectam teneat scientiam; & curam gerat: solus Deus de seipso asseuerare potest, quia solus ipse suam nouit naturã; solus igitur sui, suarumque rerum idoneus testis est. Itaque merito iurauit per seipsum, fidem ipse sibi astruens, quod nullus alius facere poterat. Quare cẽsendi sunt impij, qui se aiũt per Deũ iurare: nemo enim per eum iurat, vt oportet; quia nemo potest naturam eius cogno-

Universidad de Deusto Biblioteca

scere:immo verò satis bene nobiscum agitur,si vel nomẽ Dei, hoc est, verbũ Dei eius noscamus,quo interpretante, ipse nobis innotuit. Hoc enim nobis imperfectis Deus est: sapientib. autẽ perfectisque ille primus. Certe Moses admiratus illius ingeniti summã excellentiã,dicit: *Et per nomen eius iurabis*, Non dixit,Per illum ipsum:satis enim est per Genitum fidem astrui,& testimonium haberi à Verbo Dei.Hæc Philo.

Deut.6.

Animaduersio in Philonẽ male de Filio Dei sẽtientem.

In cuius extremis verbis duo sunt non sine animaduersione & castigatione prætereunda.Primum enim,& hic,& alibi non semel , Filium Dei,& verbũ Dei,facit diuinã quidem naturã,sed minorẽ atq; inferiorem Deo Patre,quẽ facit primũ & supremũ Deum:quod ille ex Platonicorum fontib.hausit:vnde profluxit etiã Arrianismus.Platonici enim tres distinguebant diuinas naturas,perfectione substãtiæ, & potestatis excellẽtia dispares:primã summãque appellabãt ipsum Ens & Bonum: secundã,Mentẽ & verbum Dei:tertiam,animã mundi.Deinde,ait Philo,Scripturam non dicere iurandum esse per Deum,sed per nomen aut verbũ Dei;in quo sanè homo Hebræus,Hebraicę locutionis,frequentissimæ in sacris literis,obliuione aut incogitantia,lapsus est.namq; nomen Dei sæpissime pro ipso Deo ponitur:vt innocare nomen Dei:sperare in nomine Dei;credere in nomẽ Dei, & Deus ipse interdum iurat in nomine suo:in his verò omnib.sententiis,idem significat nomẽ Dei atque Deus.In Scriptura porrò legimus Deum variis modis iurasse.Iurauit per semetipsum,hoc loco,dicens:*Per memetipsum iurauí.* iurauit in semetipso,Hieremiæ 22.dicens. *In memetipsõ iurauí,dicit Dominus.*iurauit in nomine suo magno,Hieremiæ 44.dicens; *Ecce ego iurauí in nomine meo magno.*Iurauit per animam suam,Hieremiæ 51. *Iurauit Dominus exercituum per animam suam:*iurauit in sancto suo,id est,in seipso,qui est, sanctus, Amos 4. *Iurauit Dominus Deus in sancto suo*; nam Hebraice est, *in sanctitate sua.*Verum omnia hæc eandem habent sententiam;nomen enim,& anima,& sanctitas Dei,idem sunt quod ipse Deus.

Vatij modi, quib.iurasse Deum legimus.

82

DECIMATERTIA DISPVTATIO.

De amplissimis promissis ob egregium illud Abrahæ factum , datis ei à Deo;

Super illis verbis:

VERS. 17. & 18. *Benedicam tibi & multiplicabo semen tuum,sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris : possidebit semen tuum portas inimicorum suorum,& benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ,quia obedisti voci meæ.*

VÆRITVR, super his verbis , an hæc Dei promissa sint noua,& nunc primum Abrahæ data,an verò sint antiqua, & iam antea ei data,nunc verò renouata,& iterum confirmata. Nam si sunt 83

si sunt antiqua promissa, superiorib. capitibus à Mose sæpius commemorata , quomodo verum erit, Deum ista promisisse Abrahæ propter nouum illud factum eius non parcẽtis filio suo propter Deum?Verum ante omnia videamus,quot & qualia sunt quę hic promittuntur Abrahæ.Sunt autem quatuor Dei promissa. Primũ est, *Benedicam tibi,*vel vt est Hebraice,Benedicens,seu Benedicẽdo, benedicã tibi;quæ geminatio eiusdem verbi,apud Hebræos, certissimam & amplissimam significat bonorum copiam à Deo dandam.Sed hoc promissum plus quadraginta annos ante hoc tempus,datũ fuerat Abrahæ,cum esset in Chaldæa,& inde Dominus euocaret eum;vt habes supra Geneseos 12.in illis verbis:*Faciam te in gentem magnam , & benedicam tibi, & eris benedictus.* Alterum promissum huius loci est,*Multiplicabo semen tuum , sicut stellas cœli,& velut arenã quæ est in littore maris.*Atqui hoc ipsum legimus Geneseos 13.promissum Abrahæ:sic enim ibi est:*Faciã semen tuũ sicut puluerem terræ:si quis potest hominũ numerare puluerẽ terræ , semen quoque tuũ numerare poterit.*Et in cap.15. dixerat Deus Abrahæ : *Suspice cœlum,& numera stellas si potes;sic erit semen tuum.*Et in cap.17.*Crescere te faciam vehementissime,& ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur.* Idemque repetitur cap.18.Tertium huius loci promissum est illud:*Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.* Erat autem hæc apud Hebræos prouerbialis quædam locutio,qua etiam vsi sunt parentes Rebeccæ,cum eam dimitterent:*Soror,*inquiunt,*nostra es,crescas in mille millia,& possideat semen tuum portas inimicorum suorum.* Quod non est aliud nisi in oppugnando inimicos,præualere, eosque suo imperio subiicere , vrbium & ditionis eorum potiri , expugnatis præsidiis, captisque propugnaculis: namque vrbiũ portæ,quàm aliæ partes,tum propugnaculis,tum præsidiis solent esse munitiores.Sed hoc ipsum fuerat quondam à Deo promissum Abrahæ:id enim significat illud Genes. 12. *Benedicã benedicentibus tibi,& maledicam maledicentibus tibi.*Et illud cap.13.*Leua oculos tuos in directum,& vide à loco in quo nunc es,ad Aquilonem & Meridiem,ad Orientem & Occidentem,omnem terram quam conspicis,tibi dabo,& semini tuo vsque in sempiternum.*Idemque promittitur expressius in capite 15.*In illo die,*inquit Moses,*pepigit Dominus fœdus cum Abraham, dicens,semini tuo dabo terram hanc,a flumine Ægypti, vsque ad flumen magnum Euphratem, Cenæos,& Cenezæos,Cedmonæos,& Hethæos,& Pherezæos, Raphaim quoque, & Amorrhæos &c.*Hoc autem tertium Dei promissum,tunc præstitum est Abrahæ posteris, cum Iosue terram Promissionis , expugnatis eius vrbibus,cæsisque antiquis earum habitatoribus,possidendam habitandamque Hebræis tribuit.

Quatuor Dei promissa Abrahæ data.

Genes.24.

84 Quartũ Dei promissum,idque superioribus multo prestantius,continetur illis verbis : *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Hoc nonnullis videtur esse nouum promissum,numquam antea datũ Abrahæ:& id præcipue ac proprie pertinuisse ad nouũ illud eximiumq; meritum Abrahæ,parati filiũ immolare,vt Dei iussis obediret.Ambrosius quidem certe videtur ita sensisse. Is enim declarans hoc Dei promissum,

Ambrosius libro 1. De

Abrahã c.8. Genes.14. sum,ita scribit: Ob hoc quoque Abraham promeruit Deum: hæc est enim tertia eius benedictio: tres enim plenarias à Deo benedictiones accepit:vnam post victoriam,qua liberauit nepotẽ, quando occurrit ei Melchisedech;quãdo dixit ei Dominus; *Respice in cœlũ,& numera stellas si potes;sic erit semẽ tuum.Et credidit Abraham Deo,& reputatũ est illi ad iustitiam.* Alterã benedictionem accepit,quando mutato nomine vocatus est Abraham,& signaculum accepit circumcisionis.Tertiã benedictionem habuit,quando dilectissimum filium suũ, holocaustum Deo non dubitauit offerre.Hæc autem benedictio præstitit superioribus. In illis enim propagationem seminis Abrahæ promisit futuram,in hac autem ait:*Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quoniam audiuisti vocem meam.* Et nos ergo audiamus vocẽ Dei nostri, & obediamus præceptis eius,si volumus apud eum gratiam inuenire.Sic Ambrosius.

Infra 15.

Infra 17.

Erudita super hoc loco Auctoris disceptatio cum Paulo Burgensi.

Hoc ipsum pugnacissime tueri & probare contẽdit Paulus Burgensis in Additione quinta super hoc caput 22.Genesis, quatuor huiuscemodi argumentis.Primo,nusquã,inquit, ante hunc locũ legitur simile promissum Dei datum Abrahæ: nisi forte in cap.12. vbi dictum est ei: *in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.*sedenim illud promissum longe diuersum ab hoc esse noscitur;quod illic dicitur,*in te*,hic autẽ, *In semine tuo.*clarum item est,benedictionem huius promissionis,quę est de Christo,præcipue significare benedictionem spiritualem quę continet diuinam gratiam sanctificantem homines:constat autẽ huiusmodi gratiæ auctorem,& causam efficientẽ,non Abraham fuisse,sed Christum. Verum ratio hæc Burgẽsis tripliciter refellitur. Primo,non solum Genes.12.tale promissum datum est Abrahæ, sed etiam cap. 18. vbi legimus,Deum Abrahæ dixisse:*Num celare potero Abrahã,quæ gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam & robustissimam,ac benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ?*Deinde putat,ipse aliud esse,*In te benedicẽtur*,atque; *In semine tuo benedicentur*, cum tamen idem prorsus sit.quemadmodum cum ei dixit Deus: *Tibi dabo terram hanc*,necesse est illud tibi,interpretari de semine eius. Nam personæ Abrahæ ne passum quidẽ illius terræ in possessionem dedit.Sed illud cogit,*In te benedicentur*,interpretari, *In semine tuo*, hoc est,in Christo,quia si nõ de semine,sed de ipso Abraham intelligeretur,falsam contineret sententiam:falsum enim est omnes gentes, omnesque nationes benedicendas esse propter personam Abrahæ,siue spiritualiter siue temporaliter. 85

Secunda ratio Burgensis hæc est:B.Paulus ad Galatas 3. probat per Christum benedicendas esse omnes gentes, ex hac Dei promissione: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Quod semen Paulus interpretatur Christum. Cum igitur Paulus citet promissionem huius loci, non autem illam capitis 12.liquet diuersam esse illam ab hac. Verum deceptus est Burgensis. Paulus enim intelligens illam non fuisse diuersam ab hac,citauit illam, non autem hanc;sed ita tamen vt illam interpretatus fuerit per hanc;nam illud;*In te benedicentur*, citauit vt expressum hic fuerat, *In semine tuo benedicentur.* Quod autem Paulus citet illam promis- 86

Act.7.

promissionem cap. 12. quæ tunc data est Abrahæ,cum annos natus esset septuaginta quinque,vt ibi proditum est;manifestum facit indicium computatio annorum, quam eo loco Paulus commemorat, affirmans ab illa promissione data Abrahæ,vsque ad promulgationem legis Mosaicæ in monte Sina, fluxisse annos quadringentos triginta;qui numerus annorum bene constat, si initium eius sumatur ab illa promissione capitis 12. data Abrahæ septuagesimumquintum annum agenti: At si ea computatio incipiat à promissione data Abrahæ, quæ commemoratur hoc loco,postquam scilicet voluit immolare Isaac, quo tempore erat Abraham,ex sententia Iosephi, centum vigintiquinque annorum; deerunt computationi Pauli quinquaginta anni: siquidem ab eo tempore vsque ad egressum Hebræorum ab Ægypto, siue legem in Sina latam,nõ reperiet Lector amplius trecẽtos octoginta annos.Sed quia super ea re disseruimus copiose,cũ caput illud 12.exponeremus,& tractaremus disputationem secundam, nihil præterea hic addere attinet.

87 Tertia ratio Burgensis.In illo capite 12. cũ dicitur, *In te benedicentur*, est diuersum quoddam verbum Hebræum, diuersæque significationis ab eo verbo, quod ponitur hic, cum dicitur, *In semine tuo benedicentur.* Nam licet vtroque in loco idem sit Latinum verbum, benedicentur; Hebraice tamen,illic est verbum non aliud significans,nisi fore vt alij precantes sibi vel aliis benedictionem,dicerent, Deus benedicat mihi, vel tibi,sicut benedixit Abrahæ: quemadmodum de Ephraim & Manasse dixit Iacob:*In te*,inquit,*benedicetur Israel, atque dicetur*; *Faciat tibi Deus sicut Ephraim,& sicut Manasse.* In hoc autem loco pro Latino verbo,*Benedicentur*,est Hebraicum verbum significans eum,in quo dicitur benedicendas esse omnes gentes,fore principalem causam efficientem illius benedictionis:quod sane perspicuum est in alium neminem, nisi Christum Dominum conuenire posse. At enim deberet id Burgensis quod dicit probare.Sed nimirum probari non potest.Clarum enim est vtroque in loco esse idem verbum Hebræũ,barach, eiusdemque significationis: id quippe verbum significat vbique benedictionẽ, siue corporalem siue spiritualem,siue eam imprecando,siue cõfitendo,& prædicando, siue largiendo. Hoc tantum differt, quod in cap.12.verbum Hebræum est secundæ coniugationis,habẽs passiuam significationem: hic autem est octauæ coniugationis, habens reciprocam significationem,& reddens huiusmodi sententiam,*In semine tuo*,id est,per,vel,propter semen tuũ,*Benedicentur omnes gentes*,id est,benedicent se, æstimantes & prædicantes se benedictas & beatas esse propter Christum,quod erit semen tuum secundum carnem. Genes.48.

88 Quarta demum Burgensis ratio hæc est. Hoc solum Dei promissum, ab eo est iureiurando confirmatum: alia verò sine iureiurando, Abrahæ data sunt.Recte enim dixit Zacharias: *Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum,daturum se nobis.* Ergo longe diuersum est hoc promissum ab aliis omnibus antehac memoratis. Sed mirum, non aduertisse Burgensem,huic suæ rationi narrationẽ Mosis, & ordi- Luc.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem ac dispositionem diuinorum verborum quæ hic memorantur, prorsus aduersari. Iusiurandum enim Dei antecedit illa quatuor promissa, de quibus supra diximus, eaque omnia sine vllius exceptione comprehendit. Quare non solum illud vltimum promissum de benedictione omnium gentium in semine Abrahæ, sed pariter etiã alia priora, diuino iureiurando firmata sunt. Nempe diuina verba sic se habent, *Per memetipsum iurauí, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum: & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Quis non videt hæc omnia comprehendi, & firmari illo Dei iureiurando, *Per memetipsum iurauí*? Idem quoque contra Burgensem argumentari licet ex aliis Scripturæ locis, in quib. apertissime traditum est, Deum Sanctis illis Patriarchis, & eorum posteris, iurando promisisse, daturum se possessionem terræ Chanaan. Audi Mosen: *Cum introduxerit te Dominus in terrã Chananæi, Hethæi, & Amorrhæi, & Heuæi, & Iebusæi, quam iurauit patribus tuis vt daret tibi,* Et paulo infra: *Cum introduxerit te Dominus in terram Chanaan, sicut iurauit tibi, & patribus tuis, & dederit tibi eam.* Et alio loco: *Vt possitis possidere terram, ad quam ingredimini, multoque in ea viuatis tempore, quam sub iuramento pollicitus est Dominus patribus vestris & semini eorum, lacte & melle manantem.* Ecce tibi, non modo promissum diuinum de benedicto illo Abrahæ semine, qui est Christus: verum etiam promissum Dei de possessione terræ Chanaan, diuino iureiurando sancitum & confirmatum est. Nos igitur cum Caietano dicamus, etiam hoc quartum promissum fuisse antea datum Gen. 12. ipsi Abrahæ: Verum hic nouo modo datum est. Primo, quia quod dictum illic fuerat, *In te benedicentur omnes &c.* hic explicate dicitur, *In semine tuo benedicentur.* Deinde, illic fuit simplex promissio; hic autem firmatur diuino iureiurando. Ac demum hic declaratur, Deum id promisisse, ob meritum fidei & obedientiæ Abrahæ, parati filium suum immolare propter Deum: hoc autem antea non fuerat explicatum.

Exod. 13.

Caietanus in capit. 22. Genesis.

DECIMAQVARTA DISPVTATIO.

In qua tractatur argumentatio illa, quã B. Paulus in capite tertio eius Epistolæ, quam scripsit ad Galatas, ex hac Dei promissione argumentatur, gratiam iustificantem & sanctificantem homines, non esse sperandam & petendam ex lege Mosis, sed ex fide & iustitia Christi:

Super

Super illis verbis:

Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit, Et seminibus, quasi in multis: sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus.

QVONIAM B. Paulus vehementer vrget verba huius promissionis: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, hæc enim promisio sola pertinet ad Christum; aliæ verò posteriores ad omnem posteritatem Abrahæ: vt nos multis verbis ostendimus supra in disputatione secunda, super 12. caput Geneseos; quoniam, inquã, Paulus valide vrgens hãc promissionem, ex ea probat gratiã iustificationis, non ex obseruatione legis Mosaicæ, sed ex fide Christi pendere, ea vero probatio non paruam habet difficultatem; ad æstimandum robur Paulinæ argumentationis, visum mihi est consentaneum fore huic loco, ac iucundum Lectori, si eius rationis Pauli, discussa omni difficultate, pondus & vim plane ostenderem.

Locus B. Pauli epistolæad Galatas fusissime tractatus.

89 Sed primo videamus, quid in ea ratione Pauli, quantumue difficultatis insit. Duæ res difficultatem afferunt. Primum enim Paulus vrget, quod Scriptura singulariter dixerit, *Semini*, & non pluraliter *seminibus*, & inde argumentatur eam promisionem Dei, non ad multos aut ad omnes Abrahæ posteros, sed ad vnicum, qui est Christus, pertinere. At id leue admodum ac friuolum videri posset. Etenim vox hebræa *Zerant* latine semen, si proprie accipiatur pro semine arboris, vel herbæ, habet plurale, vt videre est in primo libro Regum capite octauo; nam pro eo quod ibi Latine legitur: *Et segetes vestras addecimabit*, hebraice est, *Et semina vestra addecimabit*. Verum ea significatio nec facit ad sententiam Scripturæ, vbi tradit illam promissionem Dei, nec ad propositum B. Pauli: sin autem ea vox ponatur metaphorice, ad significandam prolem & posteritatem, quemadmodum frequentissime ponitur in Scriptura, nunquam inuenitur in numero plurali, caret enim eo numero secundum proprietatem & vsum hebraicæ linguæ. Numero tamen singulari significat multitudinẽ, sicut populus, & gẽs, & alia collectiua nomina. Quod euidenter ostenditur ex cap. 12. & 13. Geneseos, vbi Deus promittit Abrahæ se daturum terram Chanaan semini eius: & ex cap. 15. & 22. vbi promittitur fore, vt semen Abrahæ multiplicetur sicut arena, & obtineat portas inimicorum suorum: & ex cap. 17. in quo narratur Deum circumcisionis præceptũ imposuisse semini Abrahæ. Nimirum in istis locis, vocabulum seminis, etsi numero singulari ponitur, significare tamen multitudinem posterorũ Abrahæ, clarissimum est. Quare quia Scriptura dixit, promisionẽ illam esse datã semini Abrahæ, & non seminibus, non bene videtur inde concludi, eum loqui de vna aliqua certa persona, & non de multis; cum & vox seminis numero singulari significet multos, eademque cum significat

Difficultas siue obiectio contra B. Pauli argumentationem.

posteritatem,careat numero plurali;certe nusquam in Scriptura sic reperiatur.Et hæc quidem est prior difficultas,quæ vim argumentationis Pauli eleuare videtur.

Solutio obiectionis.

Verum eam difficultatem, quæ magna esse in ratione Pauli existimari posset,haud sane magna difficultate expedire licet,si modo aduertamus B.Paulum non spectasse illius vocis *Semen*, & *Seminibus*, numerum pluralem & singularem grammatice sumptos:sed considerasse res ipsas illis vocibus significatas,iuxta sententiam verborum Dei,quibus ea promissio expressa & data est Abrahæ.Sciebat Paulus,vir,etiam humano studio,hebrææ linguæ,sacrarumque literarum doctissimus, vocem semen,numero singulari significare multitudinẽ posterorum; nec ignorabat eam vocem in tali significatione,nusquam in plurali numero reperiri.Sed idem tamen probe sciebat,in eo loco, vbi ponitur Dei promissio de benedictione omnium gentium in semine Abrahæ, vocem seminis non plurali significatione pro multis,sed singulari significatione pro vnico semine,qui est Christus,accipi oportere.Itaque germana verborum Pauli & rationis eius sententia,eiusmodi est, *Non dixit seminibus quasi in multis*,id est,vocabulo seminis non voluit pluraliter significare multos posteros Abrahæ,&(vt ita loquar)multa semina:*Sed dixit semini, quasi in vno*, Id est, vocabulo seminis significare voluit eo loco vnum quoddam certum semen Abrahæ, vel vnam certam personam de posteris Abrahæ. 90

Dices, qua ratione internosci potest, quando in Scriptura vocabulum seminis significat multos,aut vnum tantum?Respondeo,id non ex numero singulari aut plurali eius vocis, sed ex circumstantiis earum rerum quæ narrantur,dispici & iudicari debere.Exempli causa,cum dicitur:*Semini tuo dabo terram Chanaam*:aut, *Multiplicabo semen tuum sicut arenam maris*:aut,*Semen tuum possidebit portas inimicorum suorum*,dubitari non potest,quin nomen,semen,in eiusmodi sententiis denotet multitudinem posterorum Abrahæ. At cum dixit Eua:*Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel quem occidit Cain*, vocabulo seminis haud dubie significatur vnus quidam, Seth dico, quem post occisum Abel genuit Eua:significat enim datum sibi fuisse filium Seth,quasi in locum & vicem Abelis demortui.Similiter cum dixit Deus Abrahæ : *Etiam filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est*, quis non videt ibi vocabulo seminis significari vnum,nempe Ismaelem:nec aliud significare,*Quia semen tuum est*,nisi quia filius tuus est ? Quoniam igitur,cum Deus promisit,in semine Abrahæ benedicendas esse omnes gentes, ea promissio non potest extendi ad omnes,aut multos Abrahæ posteros, necesse est vocabulo seminis,non multos, sed vnum solum de posteris Abrahæ significari. 91

Genes.4.

Genes.21.

Vnde constet,illud semen Abrahæ, in quo benedicẽdæ

Venio ad alteram difficultatem.In eadem porro Pauli argumẽtatione est aliud quippiam,quod etiã iniicit difficultatẽ. Esto, dicet aliquis, illud, *Et semini tuo*, denotet vnam aliquam certam personam, non autem multos, aut omnes posteros Abrahæ : Vnde tamen compertum 92

Aposto

Apostolus habuit, aut cur non probauit, illud vnicum semen ad quod pertinet illa promissio,non esse aliud nisi CHRISTVM? Quid si illud fuit rex Dauid, aut Salomon? Præsertim vero cum in Psalmo 71. qui prænotatur in Salomonem,inter alia, quæ de eius magnificentia ac felicitate prædicantur,ponatur & illud, *Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ*, quod est profecto simillimum eius quod hic dicitur : *Et in semine tuo benedicentur omnes gentes*.

erãt omnes gentes, non aliud posse intelligi nisi Christum.

93 Caietanus quasi tacite occurrens huic obiectioni,ait B.Paulum eodem Spiritu diuino,quo sacra Scriptura condita est,illuminatum & doctum,intellexisse illud singulare semen,esse CHRISTVM.Paulus,inquit Caietanus,eodem Spiritu quo condita est Scriptura, cum dicitur, *Et semini tuo*,ex numero singulari interpretatur,significari CHRISTVM. Verum istud Caietani dictum, etsi verum est, non est tamen conueniens proposito Pauli.Non enim eo loco Paulus docet & instruit fideles, sibi absque ratione & probatione quodlibet dicenti credentes : sed pugnat acriter in Iudæos, siue Christianos quosdam Iudaizantes : & profitentes, sine obseruatione legis Mosaicæ, nihil prodesse fidem CHRISTI: ob idque vehementer aduersantes Paulo, contrariæ sententiæ acerrimo doctori & propugnatori. Ad eos igitur peruincendos, sola Pauli auctoritas inefficax fuisset;sed manifesta Scripturæ sententia, firmaque ratione, illi erant redarguendi atque conuincendi.

Caiet. in ca. 3. epist. ad Galatas.

94 Nos igitur dicamus,B.Paulum ad pedes Gamalielis,in ea ætate præstantissimi omnium doctoris, egregie sacris literis eruditum, sciuisse eam fuisse id temporis doctorum Synagogæ interpretationem atque sententiam,omnibus in id consentientibus,promissionem illam ; *Et in semine tuo benedicentur omnes gentes*, ad solum pertinere Messiam, & de eo solo exponi oportere. Quocirca B. Paulus rem ab omnibus tunc perceptam probatamque argumentari minime curauit. Quid quod, verba ipsa eius promissionis id sentire omnes & fateri cogunt ? neque enim vllus posterorum Abrahę,præter Messiam,causa fuit benedictionis omnium gentium;nec propter alium quemquam gentes se à DEO benedictas & beatas fore crediderunt.De eo quippe antiquissima & illustrissima extabant, Phophetarũ vaticinia;vti est illud Iacobi Patriarchæ:*Ipse erit expectatio gentium*:& illud Dauidis:*Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ,& adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium:quoniam Domini est regnum,& ipse dominabitur gentium*: & Isaias : *Ipsum gentes deprecabuntur*:Illud itẽ Aggæi:*Adhuc vnum modicum,& ego commouebo cælum & terram & veniet Desideratus cũctis gentibus*.

Genes. 49. *Psal.* 21. *Isa.* 11. *Aggæi* 21.

95 AD id vero quod ex Psalmo 71. de Salomone prolatum est, *Et in ipso benedicentur omnes tribus terræ*, Respondeo, eum Psalmum pleraque agere de Salomone figurate, proprie vero de CHRISTO, cui scilicet tantum conueniunt multa quæ ibi dicuntur, nec in Salomonis regnum cadere possunt.Ea vero sunt hęc:Primo,*Et permanebit cum Sole & ante Lunam in generatione & generationem*:Secundo, *Orietur in diebus eius iustitia,& abundantia pacis,donec auferatur Luna*: Tertio, *Adorabunt eum*

omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei: Quarto, *Et nomen eius benedictum in secula, ante Solem permanet nomen eius:* Quinto, *Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.* Quod autem æterna hæc benedictio, & regni perpetua magnificentia atque felicitas quadrare non possit in Salomonem, perspicue docet nos auctor libri Ecclesiastici: qui cum de eius sapientia, gloria, & magnificentia dixisset, proxime subdit: *Dedisti maculam in gloria tua, & profanasti semen tuum, inducere iracundiam ad liberos tuos & in cæteris stultitiam tuam & imperium bipartitum,* & post hæc: *Dereliquit post se de semine suo gentis stultitiam, & imminutum à prudentia Robõ, qui auertit gentẽ consilio suo.* Hæc volui commemorare, vt liquido cerneret Lector, quæ in eo Psalmo dicta sunt sub nomine Salomonis, ea maiorem partẽ ad ipsum nullo modo, ad CHRISTVM vero, cuius ille figuram gesit, optime accommodari.

Ecclesiastici 47.

DECIMAQVINTA DISPVTATIO.

Vtrius meritum & virtus in eo facto insignior & præstantior fuerit, Abrahæ, an filij eius Isaac.

EXISTIMARI posset plus in eo facto enituisse atque excelluisse virtutem Isaac: maioris enim videtur fortitudinis alacriter subire atrocissimam mortem propter DEI amorem & obedientiam, quam eam inferre aliis, etiam propter eandem causam, & quantumuis repugnante natura. Abraham quippe occisurus filium, grauissime quidem ille dolebat; verum is dolor animum eius solum attingebat, non item corpus: at Isaac paratus talem mortem subire, paratus itidem fuit grauissimos animo & corpore dolores proferre. Deinde præuisa mala minus feriunt & cruciant, dies enim ipsa & diuturna cogitatio, multum de malo deterit: contra vero improuisa & repentina calamitas vehementius animum percellit, & de statu suo deturbat. Quare maioris ducitur esse fortitudinis, aduersus fortuita & subita mala, quam contra præuisa firmum & constantem esse; recte enim Aristoteles: Magis, inquit, fortis viri esse videtur subitis in terroribus esse interitum atque imperturbatum, quàm in præuisis. 96

Arist. lib. 3. Ethico. cap. 8.

Verum contra sese res habet; factum enim Abrahæ circa immolationem illam filij, maioris fuisse virtutis, & meriti, ac laudis, quatuor ex rebus perspici potest. Primo, Abraham plus diligebat vitam filij sui Isaac, quam suam, & quam ipse Isaac propriam vitam diligeret: tantæ vero dilectionis causa quintuplex fuit, quod esset vnigenitus ex dilectissima vxore; quod esset sui amantissimus atque obsequentissimus; quod in senectute ingenti miraculo esset genitus; quod innocentissimus esset ac sanctissimus; quod in eius vnius vita omnes DEI promissiones 97

siones sibi datæ niterentur. Deinde, Abraham melius ponderauit acerbitatem illius casus, quàm Isaac; totum enim triduum cogitatione atrocissimi casus discruciatus est. itaque non solum præsentia mali, sed triduana eius expectatio vehementer eum conflictauit: & fit plerumque, vt non minus doloris ex ingentis mali expectatione, quam ex eius præsentia capiatur. Ad hæc, habuisse creditur Abraham maximas circa Fidem tentationes, quod viderentur DEI promissa sibi data, morte Isaac penitus aboleri. Quin etiam Hebræi tradunt, tunc ei apparuisse Dæmonem specie angelica, eumque grauissimis verbis ab immolando filio deteruisse, tanquam à re impia & inauditæ crudelitatis, ac DEI voluntati contraria. Et ad id aptant quidam illa Pauli verba: *Fide, Abraham obtulit primogenitum suum Isaac cum tentaretur.* Illud *Cum tentaretur,* significare putant grauissimam hanc Dæmonis tentationem. Præterea, horrendum magis Abrahæ fuit, & à quo vehementius paternus affectus sensusque refugeret, filium necare propriis manibus, quam Isaaco futurum erat occidi. Is enim vno ictu iugulatus, quasi puncto temporis mortem hausisset: Abraham vero triplicato dolore, lenteque discruciatus esset: primum iugulando filium, tum, sacrificali ritu membratim eum concidendo, ac demum igne cremando, nullis tam dilecti filij reliquiis, præter exiguum cixerem relictis.

Ad Hebr. 11.

98 PATREM vero suis ipsum manibus filium immolare, quam sit non factu modo, verum etiam spectatu horrendũ atque intolerandum, intelligere licet ex iis, quæ sacra Scriptura narrat libro quarto Regum capite tertio, *Cum vidisset,* inquiens, *rex Moab præualuisse hostes, tulit secum septingentos viros educentes gladios, vt irruperent ad regem Edom, & non potuerunt. Arripiensque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum: & facta est indignatio magna in Israel. statimque recesserũt ab eo & reuersi sũt in terram suam.* Hunc locum supra posuimus, sed eum ipsum nunc retractare lubet, vt qui propter mirabilitatem eius facti, dignissimus est, vt vera & propria eius sententia bene perspecta Lectori sit. Et quia non parum obscurus est ad intelligendum, nonnihil ei lucis velut in transcursu, afferemus. Duæ autem res in eo loco sunt, quæ lumen expositionis desiderant. Vna est, cur rex ille Moab filium suum offerre in holocaustum super muros ciuitatis voluerit: Altera res est, cur propter illud factum eius regis, tanta indignatio in exercitu Hebræorum commota sit, vt continuo dimiserint obsidium vrbis, & ab oppugnatione illius regis destiterint. Ac de vtraque quidem re variant auctores. Circa primam quæstionem est vetus opinio, quam Lyranus communem appellat, propterea id fecisse regem Moab, quia vidit se via humana non posse oppugnationi hostium obsistere: quocirca confugientem ad diuinum auxilium, voluisse tali sacrificio propitiare sibi Deum, atque eius ope imminens sibi ab hostibus exitium propulsare. Sed hanc expositionem Lyranus eo refellit argumento: Tale sacrificium valere non potuisse ad DEI placationem, sed potius ad grauissimam eius offensionem: non solum quod Sacrificium illud

Locus lib. 4. Regũ cap. 3.

Lyranus in cap. 3. lib. 4. Regum. Communis opinio.

illud factum est falsis Diis,quos Moabitæ colebant, sed quia occidere innocentem est contra diuinum præceptum;nisi specialiter id,expresseque à DEO præciperetur,cui omnis homo quantumuis innocens,mortis est debitor;atque hac ratione Abraham immolare voluit filium suum.

Opinio Rabbi Salomonis & Lyrani.

SECVNDA opinio est Rabbini Salomonis, cui assensus est Lyranus. 99 Ait ille regem Moab requisiuisse de Sapientibus suis, quænam esset causa quodue meritum, cur Hebræos DEVS tantopere diligeret,tueretur,ac prosperaret: illos autem respondisse, eius rei causam & meritum, fuisse insignem pietatem & religionem Abrahæ Patris Hebræorum, qui vnigenitum filium DEO suo immolare non dubitauit. Hoc responso,rex Moab ad eiusdem facti æmulationem incitatus,etiam ipse primogenitum suum in holocaustum offerre Deo suo voluit. Verum Lyrani opinionem tam Burgensis quam Thostatus confutant: nec ea sane verisimilis est. Non enim eo tempore res Hebræorum prosperæ erant; siquidem discisso eorum imperio in regnum Israel & Iuda, potentia eorum valde debilitata, magnisque calamitatibus attrita fuerat. Regnum porro Israel quod erat decem tribuum, iam pridem à veri DEI cultu recesserat, impiis vicinarum gentium superstitionibus, & idololatriæ deseruiens;idque affines eorum gentes, Ammonitas dico & Moabitas,minime latebat. Quare non propter meritum Abrahæ, illi à DEO prosperandi erant, sed ob propriam impietatem grauissime puniendi. Fuisse autem apud Moabitas & Ammonitas eam de Hebræis opinionem,vt si DEVM suum pie colerent, & legem eius custodirent, prorsus insuperabiles essent: sin autem à DEI sui obedientia cultuque recederēt, facile ab hostibus expugnari & capi possent;testis est Achior dux Ammonitarum,qui Holoferni de Iudæorum gente scisciranti,inter alia & hoc respondit:*Vbicumque ingressi sunt sine arcu & sagitta, & absque scuto & gladio,* DEVS *eorum pugnauit pro eis,& vicit,& non fuit qui insultaret populo isti,nisi quando recessit à cultu Domini* DEI *sui. Quotiescunque autem præter ipsum Dominum* DEVM *suum,alterum coluerūt,dati sunt in prædam,& in gladium,& in opprobrium. Quotiescunque autem pœnituerunt se recessisse à cultura* DEI *sui, dedit illis* DEVS *cœli virtutem resistendi.* Nec sane illud exemplum Abrahæ consentit cum facto istius regis Moab:namque ille non sponte,sed à DEO iussus, immolare voluit filium: nec immolauit eum,à DEO id facere prohibitus. Iste autem rex,nullo DEI præcepto, sed sua voluntate,vel (vt loquar verius) opinionis errore,& impietate ductus est ad immolandum filium. Et quia ab eo sacrificio perficiendo non est,sicut Abraham,à DEO reuocatus,ex eo poterat existimare tale sacrificium suum non esse DEO acceptum.

Iudith. 5.

Burgensis. Thostatus.

Paulus. Burgen. in Additione ad Postillā Lyrani super cap. 3. lib. 4. Reg.

TERTIA est opinio & interpretatio Burgensis.Existimat ille, regi 100 Moab percuntanti de Sacerdotibus suis, quonam merito Israelitarum, DEVS eos,aduersus hostes ipsorum fortes & inuictos faceret, respondisse eos,populum Israel colere Deum Moloch tanta religione ac deuotione,vt etiam filios suos ei offerrent in holocaustum:quo responso regem ad idem faciendum esse incitatum; præsertim vero quod iam desperatis

sperati rebus suis nullum sibi humanum subsidium ostenderetur.Nec mentiti sunt Sacerdotes illi,quantum attinet ad talem Israelitarum impietatem:extant enim in sacris literis, Israelitarum, ob huiusmodi crimen,DEI ac Prophetarum grauissimæ reprehensiones, & comminationes atrocissimæ.Et vt multa taceam,manifeste arguit eos huius sceleris, Psalmus cēteſimusquintus:*Immolauerunt*,inquit,*filios suos dæmonibus: effuderunt sanguinem filiorum & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.* Credibilius certe fit,Sacerdotes Moabitarum commendasse Israelitas de cultu Deorum,quàm de vero DEI cultu;nam & ipsi erant idololatræ,& similiter Israelitæ, abiecto DEI cultu, prolapsi fuerant in idololatriam.

Thostat. in cap.3.lib.4. Regū q. 29. Vatablus ibidem. Caiet. in supradictum Scripturę locum.

101 QVARTA opinio est Thostati & Vatabli. Affirmant isti regem Moab tali sacrificio voluisse, hostium aduersus se furorem ac rabiem mitigare ac placare: vt extremam cernentes ipsius miseriam, ira odioque(vt fit nonnunquam)in commiserationem tantæ calamitatis verso, ab ipsius oppugnatione desisterent;scilicet inhumanum & ferinum iudicantes,afflictissimo regi maiorem insuper addere afflictionem.Quinta est sententia Caietani, cuius super illum Scripturæ locum hæc sunt verba: In maxima angustia & necessitate constitutus rex Moab,maximum Deo suo obtulit holocaustum. Super murum autem offerre voluit,tum vt murus ipse seruaretur, tum vt hostes id videntes, ab oppugnando ipso, virtute tanti holocausti absterrerentur. Hæc Caietanus. Nos supra docuimus,morem fuisse quondam apud Ethnicos, cruentas victimas non solum animalium, sed etiam hominum Diis suis sacrificare:nec hostium suorum modo,quos ceperāt, sed carissimorum etiam filiorum:dæmone tales hostias concupiscente, & à suis cultoribus exigente;atque illis persuadente, se, cum ab hominibus maxime offensus est,eiusmodi tantum hostiis placari posse:& ad arcendas ab illis calamitates, optataque eis bona largiendum adduci. Mihi Thostati opinio non displicet,sed hæc Caietani perplacet: est quippe simplex & plana; & quia ex celebri priscorum idololatrarum ritu & instituto ducta,perquam verisimilis & probabilis.Verum satis de priori quæstione dictum sit, ad alteram quæstionem transeamus.

Auctor accedit sententiæ Caietani.

102 QVÆRITVR, cur Israelitæ viso filij regis sacrificio, adeo fuerint indignati,vt continuo Vrbis obsidionem,regisque oppugnationem dimiserint: sic enim eo loco ait Scriptura: *Et facta est indignatio magna in Israel,statimque recesserunt ab eo,& reuersi sunt in terram suam.* Lyranus hāc reddit causam:Angelus,inquit,qui præerat genti Moabitarum, vt eam ab exitio seruaret, repræsentauit apud DEVM peccata Hebræorum, ostendens ea multo maiora esse,dignioraque supplicio,quam Moabitarum; quanto nimirum maioribus illi, quam hi beneficiis DEI affecti fuerant:præcipue vero exaggerans crimen immolandi filios vigens tunc apud Hebræos. Hanc ob causam prouocata DEI ira & indignatione contra Hebræos, peste eorum exercitus ira percussus est,vt desistere ab impugnatione, & quamprimū reuerti ad regiones suas coacti fuerint.

Lyran. loco supracitato.

Itaque Lyranus illud: *Facta est indignatio in Israel*, sic exponit, vt indignationem illam, DEI fuisse dicat: & illud, *In Israel*, idem valere, quod super vel contra Israel. Sic ille. quem merito Burgensis & Thostatus refutant. Principio, merum videtur figmentum, quod memorat Lyranus, tam de interrogatis Sacerdotibus à rege Moab super merito & prosperitate Hebræorum, quam de eorum Sacerdotum responso: nam vnde quæso id pernotuit Lyrano, cuius nullum vel in sacra vel in profana historia, vestigium reperitur? Similiter commentitium est, quod refert de Angelo commemorante peccata Hebræorum coram DEO. Nec rationi consentaneum erat, vt grauiora forent Hebræorum peccata, eo quod minora in eodem genere essent peccata Moabitarum. Quod autem addit de plaga pestis Israelitis inflicta, simile superioribus figmentum est. Enimuero, rem tam insignem, memoratuque dignam, Scriptor eius historiæ prorsus intactam minime præteriisset. Immo verò id videtur contrarium veritati eius historiæ; illic enim traditur, expeditionem Israelitarum in Moabitas, miraculo datæ illis in solitudine aquæ, fuisse à DEO comprobatam: atque insuper Heliseum prophetico afflatum Spiritu, verbis DEI promisisse felicem belli exitum, amplissimamque de Moabitis victoriam.

Burgensis. Thostatus.

Burgensis. Burgensis illam indignationem, etiã cum Lyrano, referens ad DEVM aduersus Israelitas, causam eius fuisse putat, quod rex Moab exemplo Israelitarum, qui filios suos immolabant, inductus sit à Sacerdotibus suis ad immolandum filiũ suum; quapropter DEVM grauiter puniuisse Hebræos, propter scandalum quod ipsi præbuerant externis gentibus. Verum contra Burgensem iisdem argumentis vti licet, quibus in Lyranum vsi sumus. Nam & interrogatio Sacerdotum, & responsio, & plaga Hebræis inflicta, cum nec auctoritate nec ratione aliqua probabili constent, pro figmentis repudiari debent. Illud præcipuum & proprium aduersus Burgensem est argumentum, Moabitas ritum sacrificandi filios non accepisse ab Hebræis, sed à vicinis Chananæis, antiquissimis eius impietatis atque crudelitatis auctoribus; à quibus nempe didicerant etiam Hebræi, vt multifariam in Scriptura proditum testatumque legimus. 103

Thostatus loco supra citato. Thostatus indignationem illam non refert ad DEVM, sed ad ipsos Israelitas, ad quos scilicet vere referenda est. Ita vt sensus sit, propter illud sacrificium regis Moab, vehementer Israelitas esse commotos, iratos, indignatos, videlicet ob tantam patris crudelitatem aduersus proprium filium: simul tamen eosdem tantam regis calamitatem miseratos, odio in misericordiam mutato, quasi plus de se res supplicij sumpsisset, quam de eo ipsi sumere voluissent, afflictissimum hominem noluisse amplius vexare, & ad maiorem desperationem, suique necem adigere. Hanc expositionem, vt antiquiorem Thostato, & communem expositorum ita refellit Lyranus: Cum Israelitæ omni bellica contentione subiugare sibi regem Moab, omnemque regionem eius conarentur; quanto maioribus arctari eum angustiis, humanisque 104

Lyran. loco supra citato.

omnibus

omnibus præsidiis destitui vidissent, tanto sane acrius obsidioni vrbis & expugnationi institissent. Quare illud regis spectaculum filium suum immolantis, cum extremam desperationem eius declararet, tantum abest vt Israelitas à persequenda obsidione, & oppugnatione deducere, vt eo ipso ad eam vehementius vrgendam premendamque, animare eos, atque incitare deberet.

Caieta. in 3. cap. libr. 4. Regũ. quam Auctor sequitur. 105 CAIETANVS, ad cuius ego sententiam sum propensior, tantæ indignationis Hebræorum satis verisimilem causam hisce verbis exposuit, Pro illo: *Et facta est indignatio magna in Israel*, iuxta Hebræum habetur: *Et fuit ira magna in Israel*, ex eo quod non aliter narratur aduersus quos fuerit illa ira, sed dicitur duntaxat fuisse in Israel, significatur iram illam fuisse inter ipsos Israelitas. Et quia causa iræ narratur holocaustum primogeniti regis, & effectus illius, narratur recessus ab oppugnatione regis Moab; intelligere licet Israelitas idololatras, viso illo holocausto, cooperãte diabolo, magnipendisse illud, & desperasse de victoria aduersus regem, munitum præsidio tanti holocausti. Quocirca cõmoti sunt ad iram cõtra Israelitas volentes persistere in bello: denique magnitudo iræ vicit, & fecit recessum à bello. intelligo tamen recessum hunc esse factum, renouato fœdere cum rege Moab de tributo dando regi Israel; ita vt finem susceptibelli recessus non abstulerit. Sic Caietanus.

Verum vt eo disputationem referam, vnde huc eam paulisper deflexi, satis apparet ex iis quæ diximus, insigniorem fuisse in illo facto Abrahæ ac præstantiorem virtutem Abrahę, quàm Isaac. cuius rei etiam illud fidem facit, quòd Scriptura & hic & alibi, solum Abraham, tacito Isaac, de eo facto laudare solet. Nam quod Auen Esra dixit, cuius adstipulator est Burgẽsis, propterea perparum eo facto meruisse Isaac, quod puerili admodum esset ętate, annos circiter duodecim natum; & falsum est, & à nobis supra confutatum; vbi ostendimus, fuisse tunc Isaac vel proximum anno trigesimo, vel etiam maiorem.

Auen Esra. Burgen. in Addit. 2. ad Postill. Lyrani super ca. 22. Gen.

His itaque gestis, nunciatum est Abrahæ, quod Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo, &c. VERSV 20.

vsque ad finem capitis.

106 PROPTEREA quæ hic narrantur de progenie Nachor fratris Abrahæ, historiæ rerum Abrahæ inserta sunt à Mose, quòd Rebecca vxor Isaac, & Rachel ac Lia vxores Iacob, de quibus infra Genes. 24 & 29. dicendum est, ex isto Nachor progenitæ sint. Itaque vt paternum genus Hebræorum ex Abraham ductum est, sic maternum ex Nachor. Quapropter Iosue in conuentu totius populi Hebræi concionem habens, Abraham & Nachor, patres Hebræorũ appellauit. Sciat autem Lector tres fuisse filios Thare, Abraham, Nachor, & Aran: ex his Aran, vnum

Iosu. 24. *Genes.* 11.

reliquisse filium,cui nomen fuit Loth;& duas filias Melcham atque Iescham , quæ, vt communis fert sententia,alio nomine appellata est Sarai. Et Nachor quidem vxorem duxit Melcham , Abraham verò Saraï: vterque scilicet filiam Aran fratris sui. Abrahæ igitur solicito de vxore danda filio Isaac , & coniugia Chananæarum mulierum prorsus auersanti, tempestiue nunciatum est,de progenie fratris sui Nachor;vt inde coniugem filio peteret ;quod illi gratissimum erat.

*Hus primogenitus.*Ex hoc genus duxisse beatum Iob,tradunt Hebrei, 107
S.Hieron.in Tradit.Hebrai.in Genes. super ca.22. Gen. quos sequi videtur S. Hieronymus,non autem ex Esau , vt plerique arbitrantur.De Hus,inquit Hieronymus,stirpe,descendit Iob , sicut scriptum est in exordio voluminis eius:*Vir fuit in terra Hus nomine Iob.*Male igitur quidam existimant Iob de genere esse Esau.Siquidem illud,quod in fine libri ipsius habetur , fuisse ipsum quartum ab Esau , & reliqua quæ ibi continentur,in Hebræis voluminibus non habetur. Sic Hieronymus. Verum reclamant omnes ferme tam Græci , quàm Latini scriptores,ab ipso Esau genus sancti Iob arcessentes:idque argumentantes, tum auctoritate septuaginta interpretum , qui in fine libri Iob apertis verbis id tradunt; tum ex trigesimosexto capite Geneseos , vbi Iob non solum inter posteros Esau numeratur , sed inter primos reges qui regnauerunt in terra Edom, secundus recensetur;auctoritate item Hieremiæ,qui terram Hus facit partem Idumeæ. Verum super ea quæstione, cum ad 36.caput Geneseos ventum erit, nos copiose ac diligenter disputaturi sumus; eum scilicet locum tractandæ huic controuersiæ aptiorem atque opportuniorem rati.Certe B.Hieronymus terram Hus,quæ fuit patria Iob,non ab isto Hus,qui fuit filius Nachor,sed ab alio longe vetustiori, qui nepos fuit Sem, & filius Aram , appellatam esse tradidit supra in suis Notationibus super caput decimum Geneseos.Hus,inquit, Trachonitidis & Damasci conditor,inter Palestinã & Cœlem Syriã tenuit principatũ:à quo LXX.interpretes in libro Iob,vbi in Hebræo scribitur , *terra Hus* , regionem Ausitidem quasi Husitidem transtulerunt.

Hieren. Thren. 4.

S. Hieronymus.

*Et Buz fratrem eius.*LXX.interpretes Buz transferre maluerunt:& ex 108
Num. 22. huius genere fuit Balaam ille diuinus , vt Hebræi tradunt , qui in libro
Iob. 32. Iob dicitur Heliu,primum vir sanctus & propheta DEI,postea per inobedientiam & desiderium munerum,dum Israel maledicere cupit,diuini siue arioli vocabulo nũcupatur.Et de eo dicitur in eodem libro Iob: *Et iratus Heliu filius Barachiel Buzites*,de huius videlicet Buzi radice descendens. verum ista parum firma esse., facile animaduerret Lector ex cap.32.Iob secundum translationem LXX.interpretum,vbi Eliu dicitur esse ex regione Ausitidis,id est,Idumæus. At Balaam fuisse ex Mesopotamia Syriæ proditum est in libro Deuteronomij cap. 23. *Et Chamuel patrem Syrorum.*Sic etiam verterunt Septuaginta,quos secutus est Latinus interpres:nam Hebraice est , *patrem Aram*. Verum Hebræi censent vocabulo Aram,in Scriptura significari Syriam.Illud certum est,pro varietate eorum quę adiuncta sunt vocabulo Aram,varia eo vocabulo loca denotari.Legitur Aram Naharaim,id est,Aram fluuiorum , quam Græci appel

appellant Mesopotamiam , inter Euphraten & Tigrim interiacentem, ideo latine dictam à nonnullis Interamnam. In capite 23. Deuteronomij dicitur Balaam fuisse adductum de Aram Naharaim, quod Latinus interpres vertit de Mesopotamia Syriæ. Et in libro Iudicum rex Aram Naharaim,Latine dicitur rex Mesopotamiæ & Syriæ;legitur etiam Padan Aram Genes.28.& 33. quem in locum dicitur missus Iacob à patre suo Isaac,& inde reuersus.quo loco Latinus interpres ea vocabula vertit Mesopotamiam Syriæ. Ad hæc in secundo Regum capite octauo, appellatur Aram Damasci,& Aram Soba. *Iudic.*3.

Cuius Syriæ cõditor fuerit Chamuel, & Thostat. in cap.22. Geneseos. Caiet. in eũdem locum. 109 Quæritur igitur , cuius Arã,siue Syriæ,iste Chamuel dicatur esse pater, id est, conditor , num Syriæ Mesopotamiæ , an Soba, an Damasci. Thostatus interpretatur de Mesopotamia Syriæ; quòd inibi & Nachor & posteritas eius habitauerint ; colligitur ex vigesimo quarto & vigesimo octauo capite Geneseos. Illinc enim ducta est Rebecca ad Isaac, & ab eo missus est eodem Iacob , vt ex eadem familia & posteritate Nachor vxorem acciperet.Contra verò Caietanus putat intelligendũ esse de Aram Soba,non autem de Mesopotamia. Non certum , inquit ille, an hoc loco sit sermo de Aram Syriæ ciuitate , quæ vocatur Aram Soba,an de Aran inter Euphratem & Tigrim posita. Primus tamen intellectus apparet verus : eo quod inferius,Aran Mesopotamiæ nuncupatur ciuitas Nachor : ac per hoc Chamuel qui filius fuit Nachor, non potuit eius ciuitatis esse conditor. Verum cum supra in caput 10. Geneseos annotauerit Hieronymus,Iosephum nempe secutus, Aram filium Sem conditorem fuisse Syriæ,cuius caput Damascus est:satis apparet quod hoc loco dixit ipse Hieronymus, Chamuelem fuisse conditorem Syriæ Damasci , aut non esse verum,aut illud ab eo supradictum esse falsum : aut neutrum dixisse Hieronymum ex sua sententia serio & iudicato,sed ex Hebræorum sensu & traditionibus. quemadmodum quod hoc ipso loco, dicit,alium filium Nachor , hic nominatum Cased,parentem fuisse Chaldæorum,minime concordat cum eo, quod ipse tradiderat super caput 10 , & à Iosepho quoque proditum est,Arphaxad filium Sem auctorem fuisse gentis Chaldæorum. Et verò,cum Hebræorum & Christianorum omnium consensu , Abraham constet genere fuisse Chaldæum , & apud eam gentem natum atque educatum,fieri profecto non potest,vt primus gentis Chaldæorum sator fuerit iste Cased filius fratris Abrahæ. *Concubina vero eius nomine Roma.*Legendum est Reuma,sic enim est Hebraice,& apud Septuaginta: quamuis in Aldinis codicibus Græcis legatur Ῥώμα. Nemo igitur propter similitudinem vocis Latinæ , quæ est hoc loco,suspicetur,aut comminisci audeat , originem primam vrbis Romæ ac gentis Romanorum,ad istam mulierem referri oportere ; quasi ad Romani generis amplificandam vetustatem,multum id valeat.

An Cased filius Nachor parẽs fuerit gentis Chaldæorum.

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA SVPER CAPVT *Vigesimumtertium Genesis.*

Moritur Sara, & sepelitur in spelunca duplici, iuxta vrbem Hebron, loco in eum vsum, ab ipso Abraham, pecunia comparato.

VERSVS.

2 VIXIT *autem Sara centum viginti septem annis. Et mortua est in ciuitate Arbee, quæ est Hebron, in terra Chanaan: venitque Abraham vt plangeret & fleret eam.* 3 *Cumque surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens:* 4 *Aduena sum & peregrinus apud vos: date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam* 5 *mortuum meum. Responderunt filij Heth, dicentes, Audi* 6 *nos domine, princeps Dei es apud nos: in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum, nullusque te prohibere poterit, quin in monumento eius sepelias mortuum tuum. Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ, filios videlicet Heth:* 8 *dixitque ad eos: Si placet animæ vestræ vt sepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite pro me apud*

me apud Ephron filium Seor: 9 *vt det mihi speluncam duplicem quam habet in extrema parte agri sui: pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulchri.* 10 *Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth. Respondítque Ephron ad Abraham cunctis audientibus qui ingrediebantur portam ciuitatis illius, dicens:* 11 *Nequaquam ita fiet, domine mi, sed tu magis ausculta quod loquor: Agrum trado tibi, & speluncam quæ in eo est, præsentibus filiis populi mei, sepeli mortuum tuum.* 12 *Adorauitque Abraham coram populo terræ.* 13 *Et locutus est ad Ephron circumstante plebe eius, Quæso vt audias me: Dabo pecuniam pro agro, suscipe eam, & sic sepeliam mortuum meum in agro.* 14 *Respondítque Ephron, Domine mi, audi me: Terra quam postulas, quadringentos siclos argenti valet: istud est pretium inter me & te: sed* 15 *quantum est hoc? sepeli mortuum tuum.* 16 *Quod cum audisset Abraham appẽdit pecuniam, quam Ephron postulauerat: audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ.* 17 *Confirmatusque est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex respiciens Mambre: tam ipse quàm spelunca & omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circuitum,* 18 *Abrahæ in possessionem, videntibus filiis Heth, & cunctis qui intrabant portam ciuitatis illius.* 19 *Atque ita sepeliuit Abraham Saram vxorem suam in spelunca agri duplici, quæ respiciebat Mambre, hæc est Hebron, in terra Chanaan.* 20 *Et confirmatus est ager & antrum, quod erat in eo Abrahæ in possessionem monumenti à filiis Heth.*

VIXIT

Satę, omniũ mulierũ primę, in sacris literis, ætas, mors & sepultura narratur.

VIXIT *autem Sara centum vigintiseptem annis.* Hæc est prima mulier, cuius in diuinis literis ætas, mors & sepultura narratur: videlicet propter singularem eius mulieris dignitatem, excellentemque virtutem. Namque vt Abraham pater populi Hebræi, sic illa tanquam eiusdem populi mater, colitur & honoratur. Dicitur autem mortua, centesimum vigesimumseptimum annum agens: ex quo liquet, fuisse id temporis Abraham, centum triginta septem annorum; eum quippe decennio grãdiorem fuisse Sara, proditum est Genes. 17. Hinc etiam patet, fuisse Isaac eo tempore trigintaseptem annorum: siquidem eum genuit Sara, cum esset nonagenaria, Genes. 18. ergo mortua est Sara triennio ante coniugium Isaac & Rebeccæ; quadragenarius enim Isaac vxorem duxit Rebeccam Gen. 25. & iccirco de eo dictum est in extremo capite Genes. 24. *In tantum dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.* 1

Quanto tẽpore post immolationem Isaac mortua sit Sara. Iosephus 1. libro Antiquitatum. Hebræi in Maiori Chronologia.

Sed quandiu accidit mors Saræ post casum illum immolationis Isaac? Iosephus tradit, paulo post eum casum accidisse: Verum aut secum ipse Iosephus, aut cum Mose dissentit. Etenim ipse paulo ante dixerat, fuisse Isaac vigintiquinque annorum cum ductus est ad immolandum: Moses autem hoc loco scribit, Saram excessisse, annos natam centum vigintiseptem: quare inter immolationem Isaac & mortem Saræ, duodecim annos interfluxisse necesse est: non igitur paulo post, vt vult Iosephus, contigit mors Saræ. Hebræi, qui fuisse tunc Isaac putant trigintaseptem annorum: aiunt eodem illo anno, & proxime post illum casum immolationis, incidisse mortem Saræ. Sed istis refragari videtur narratio Mosis: peracto enim sacrificio arietis, oblati ad immolandum vice Isaac, narrat Moses reuertisse Abraham Bersabe, atque ibidem habitasse: at Sara mortua & sepulta est iuxta vrbem Hebron. Abraham igitur aliquandiu commoratus Bersabee, remigrauerat in vrbem Hebron. 2

Thare pater Abrahæ mortuus est biẽnio ante obitũ Saræ.

Illud præterea intelligere licet, biennio ante mortem Saræ, defunctum vita fuisse patrẽ Abrahæ, cui nomen Thare, in Aran ciuitate Mesopotamiæ. Hoc autem ex eo constat: quòd Thare septuaginta annorum erat cum genuit Abraham, Genes. 11. vixit autem ducentis quinque annis, vt ibidem dicitur: quare nato Abrahę, superuixit centum trigintaquinque annis. Excessit igitur biennio ante mortem Saræ, quo tempore Abraham erat, vt diximus, centum trigintaseptem annorum. Vtrum verò Abraham ægrotantem eum visitarum fuerit, & morti atque funeri interfuerit, nullum in Scriptura sit verbum. 3

Hebręorum commentũ.

Et mortua est in ciuitate Arbec, quæ est Hebrõ, in terra Chanaã. Audiat Lector ridiculam fabulam Hebræorum. Aiunt Dęmonem humana figura Saræ apparuisse, & nunciasse quemadmodum Abraham pararet immolare filium suum Isaac. Quo nuncio adeo cõsternata est animo Sara, vt mox præ doloris magnitudine deficiens, occiderit. Mirũ sanè, adeò istis placere figmẽta. Sed nimirũ, inter multas & graues perfidiæ Iudęorum pœnas, 4

pœnas, hæc in minimis minime censenda est, quod vt sanæ mentis homines veritate gaudent, sic isti futilibus commentis, absurdisque mendaciis delectantur. Enimuero aliquanto post casum immolationis Isaac, euenisse mortem Saræ, illud manifesto est indicio, certoque argumento, quod Abraham inde reuersus est in vrbem Bersabe, atque inibi habitauit, vt sub finem proxime antecedentis capitis narrauit Moses. At Sara non Bersabe, sed in vrbe Hebron mortua est, vt ostendit huius capitis historia; non igitur parum temporis inter actum immolationis Isaac, & obitũ Saræ intercessit. Quare naturali morte, plenam dierum virtutumque ac bonorum operum, excessisse Saram putandum est.

Hierony. in Traditionibus heb. in Genes. super cap. 23.

IN *ciuitate Hebron.* Huius loci historiam ex translatione septuaginta interpretum, huiusmodi memorat S. Hieronymus, *In ciuitate Arboc quæ est in valle.* quam lectionem esse corruptam, hisce verbis ostendit: Hoc quod positum est hic, *quæ est in valle*, in authenticis codicibus non habetur. Nomen quoque ciuitatis Arboc paulatim à scribentibus legentibusque corruptum est. Neque enim putandum est LXX. Interpretes nomen ciuitatis Hebrææ barbare atque corrupte, & aliter quam suo idiomate dicitur, transtulisse. Ea namque ciuitas Hebraice dicitur Arbee, hoc est; Quatuor, quia ibi Abraham, & Isaac, & Iacob conditus est, & ipse princeps humani generis Adam, vt in libro Iosue apertius demonstrabitur. Sic Hieronymus. Quo licet intelligere, sanctum Hieronymum existimasse, nomen Arbee, esse appellatiuum, significans Quatuor, propter quatuor Patriarcharum sepulturam, quam eo loco fuisse tradiderunt Hebræi. Hoc si admittimus, necesse est fateri hic appellatam esse ciuitatem Arbee, per Anticipationem: non enim tempore Abrahæ illic erant sepulti quatuor Patriarchæ, sed solus Adam: non igitur id nominis habere potuit tempore Abrahæ, sed Mosis tempore, qui hanc scripsit historiam. Quanquam dictum B. Hieronymi, & Traditio illa Hebræorum, multa indiget consideratione: credibilius enim est, nomen illud fuisse proprium cuiusdam hominis, qui fuit inter Enacinos gigantes famosissimus, à quo scilicet tanquam eius vrbis instauratore, vel amplificatore, vel florentissimo regnatore, tale nomen vrbi sit positum: lege librum Iosue cap. 14. & 15. Verum esto, sit nomen illud appellatiuum significans Quatuor: at non à sepultura illorum quatuor Patriarcharũ sic dictam esse vrbem necesse est. Potuit enim sic dici, vel quod quadruplici muro circũdata, esset munitissima; vel quod in quatuor principales diuisa esset partes, quarum vna quælibet instar esset vrbis; vt sicut dicitur Tripolis, ita diceretur Tetrapolis; talem enim fuisse vrbem Syracusarũ Siciliæ, tradit Cicero. Quid, quod Adamũ sepultũ esse in vrbe Hebrõ, ex 14. cap. libri Iosue nõ potest colligi, vt existimauit B. Hieronymus? quemadmodũ nos probauimus supra, cũ exponeremus cap. 13. Genes. in vltima Disputat. & nu. 72. Contradicũt etiã Hieronymo plurimi & grauissimi patres: qui antiquissimã Maiorũ traditionẽ, quod Adã sepultus sit in mõte Caluariæ, vbi Dominus noster crucifixus & mortuus est, nõ sine assẽsu & approbatione cõmemorant. Cicer. 6. Verrina.

Hebronis vrbis vnde nomen, & qualis situs.

QVÆ *est Hebron, in terra Chanaan.* S. Hieronymus in libro De locis Hebraicis (eum vero complures secuti sunt) tradit vrbem Hebron appellatam esse à filio quodã Caleb; quod primo Paralipomenon cap. 2. dicatur filius quidem Caleb, pater fuisse Hebronis: verum hoc non admodum firmam sententiæ Hieronymi fidem adiungere, demonstrauimus super caput 13. Geneſis numero 73. Quod si iuuat assentiri Beato Hieronymo, necessum est dicere, verba hæc, *quæ est Hebron*, non esse verba Mosis, qui huius libri Scriptor creditur, sed adiecta esse Scripturæ ex auctoritate Synagogæ, quæ tunc Spiritu Dei regebatur, ab alio quopiam, qui multis post obitum Mosis annis fuerit, qui id diuino afflante Spiritu, & approbãte Synagoga fecerit. Sicut etiam supra docuimus super cap. 13. Num. 73. & in præfatione primi Tomi nostrorum Commentariorũ in Geneſim copiose super ea re disseruimus. Siquidẽ filius ille Caleb, qui nomen Hebronis ei dedisse vrbi creditur, multo post excessum Mosis tenuit eo loco principatum: post excessum enim non solum Mosis, sed etiam Iosue, eam vrbem cepit Caleb, expugnatis, victisque Chananæis, vt proditum est libro Iudicum capite primo. Situm huius vrbis ad hũc modum describit Borcardus: Ab Ilice Mambre, per dimidiam leucam, ad dexteram iuxta viam est Hebron illa antiqua vrbs in monte sita sublimi ac tuto: sed nunc solum extant ruinæ: verum tantæ, vt satis ostendant, quanta ea vrbs olim fuerit. Ab hac Hebron antiqua, iactu trium arcuum, versus Austrum, paululum tamen vergendo ad Orientem, existit noua Hebron, ibi constructa, vbi duplex erat spelunca, quam ab Ephron emit Abraham in sepulturam Sarę. Saraceni contra spelũcam duplicem, quæ intra Ecclesiam Christianorum Cathedralem continebatur, ædificarunt munitionem. Sic Borcardus.

Borcard. in 1. parte descriptionis Terræ Sanctę cap. 7. numer. 61.

Hebron patria S. Iohannis Baptistę. *Lucæ* 1. *Iosu.* 21.

PRODITVM à quibusdam est, nec temere, Hebron fuisse patriam Sancti Iohannis Baptistæ: constat enim ex B. Luca, locum eius natalem fuisse in montanis, & in ciuitate Iuda: & quia Zacharias pater eius Sacerdos erat, fuisse hanc vrbem Sacerdotalem, id est, de numero illarum quadraginta octo, quas assignari iussit DEVS Leuitis ac Sacerdotibus ad habitandum. Hæc autem tria in vrbem Hebron conueniunt: Erat enim vrbs Sacerdotalis, in tribu Iuda, & in mõte sita, duobus & viginti passuum millibus distans Hierosolymis. 7

RESTAT illud, *quæ erat in terra Chanaan.* Sæpe terra Chanaan ponitur pro vniuersa terra promissionis, sic dicta, à posteris Chanaan eius terræ habitatoribus & possessoribus, vt est proditum Geneſis 10. capite. Nonnumquam etiam restricte sumitur pro ea parte terræ promissionis, quam colebant Chananęi, vna ex septem gentibus, quæ vt principales eius regionis habitatores, sæpe commemorantur in sacris literis. Hoc igitur loco, cum dicitur, Hebron fuisse in terra Chanaan, sumitur ample nomen Chanaan, non autẽ restricte. Siquidem gens Chananæorum ab aliis sex distincta, partim habitabat versus Orientalem partem terræ Promissionis, & propter flumen Iordanis; partim ad Occidentalem plagam eiusdẽ, iuxta Mediterraneum mare, vt ex libro Numerorum 8

merorum & Iosue licet intelligere. Hebron autem erat in terra Iuda ad partem Australem. Hanc vrbem tempore Abrahæ tenebant Hethæi, vna ex septem illis gentibus, vt historia huius capitis ostendit; & iccirco in libro Numerorum cap. 13. dicuntur Hethæi montana eius terræ inhabitasse, quorũ enormis proceritas corporis, per exploratores nunciata Hebræis, tanto eis pauori & terrori fuit, vt prorsus desperataeius terræ possessione, in Ægyptum regredi voluerint. Sedenim in libro Iudicum cap. 1. scriptum est, Caleb cepisse eam vrbem, expugnatis Chananæis, qui eã tenebant. Quare vel postea Hethæos eiectos esse à Chananæis, vel hos cum illis mixtos vna inibi habitasse, existimari posset.

Venit Abraham, vt plangeret & fleret eam: cumque surrexisset ab officio funeris, &c. VERSV 7.

VIDISTI Lector paulo ante, & vehementer admiratus es adamãtinum pectus Abrahæ. Etenim immolaturus filium, sua sibi vita cariorem, nullas fudit lacrymas, nullum gemitũ edidit, nec vlla ex corde, tã graui vulnere saucio, traxit suspiria, sed vultu sereno, atque inturbato animo, vt rite DEI mandatũ expleret, filij immolationi totus fuit intentus. At nunc ob vxoris mortẽ, ita tenero & molli fuit animo, vt in lacrymas resolutus, & in planctũ effusus multũ ab illo mutatus, multumque dissimilis sui videri possit. Vnde quæso tanta eiusdem hominis, tam diuerse affecto animo, diuersitas? Nimirũ, illic respectus & contẽplatio diuinæ Maiestatis & voluntatis, summumque studium obtemperandi cælestibus præceptis, omnes exclusit lacrymas, coercuit gemitus, cohibuit suspiria, omnemque paterni vel animi vel doloris sensum oppressit. At vero hic, coniugalis caritatis respectus, & amissio vxoris, cum qua diutissime & concordissime vixerat, & quam sui amantissimam ac reuerentissimam semper expertus fuerat, iustum sane mœrorem, doloremque in animo eius excitauit. Nempe homo erat, nec quod humanum est, à se alienum putauit. Tristitia namque, & dolor, luctusque ob coniunctissimarũ & carissimarũ personarũ interitum, humani sunt & naturales affectus: quos si ratio eis moderetur, nemo iure culpare possit. Cum Marcus Antoninus Imperator cognomento Philosophus, educatorem suum vita defunctum impensius lugeret, idque reprehenderetur à quibusdam, tanquam Imperatoris grauitati, Philosophique iuxta indecens, dixisse ferunt Antoninum Pium: Sinite vt homo sit: neque enim Imperium aut Philosophia hominem ex homine tollit, neque humanis sensibus & affectibus hominem exuit. Quin etiam diuina Scriptura ad mortuos modice lugendos hortatur, tanquam ad rem honestam & laudabilem, *Fili in mortuum produc lacrymas & quasi dira passus incipe plorare, & secundum* 9

Honestũ & laudabilem fuisse luctũ Abrahæ, ob Saræ obitũ.

Antonini Imperatoris egregiũ dictum.

Eccles. 38.

iudicium contege corpus illius,& non despicias sepulturam illius.

Sed expendamus verba huius sententiæ Mosis:*Venit Abraham vt fleret & plangeret eam.* Vnde venit ? an ibi præsens non erat ? minime: neque enim peregre venit, aut ex monte Moria, vt nugantur Hebræi: sed funebri vestitu, & comitatu multorum, qui ad eum consolandum venerant, adit locum, vbi depositum fuerat cadauer,quoad sepulturæ mandaretur ; vt eo loco oratione lugubri , planctuque dolorem suum declararet,simulque mortuam,virtutes ac laudes eius commemorando,dilaudaret.Inter flere,& plangere hoc interest; flere,est fusis lacrymis dolorem animo conceptum prodere : plangere est lugubri voce & oratione deplorare mortuũ,enarrãdo virtutes,egregia facta,meritaque vel in eum,qui talem luctum facit, vel in alios. Sic Dauid planxit cædem Saulis & Ionathæ : *Planxit*, inquit Scriptura, *Dauid planctum huiusce modi , super Saul & super Ionatham ; & præcepit vt docerent Iuda, planctum hunc. Et ait : Considera Israel pro his qui mortui sunt,super excelsa tua vulnerati : Inclyti Israel, &c.* Talis quoque fuit planctus Hieremiæ ob mortem regis Iosiæ; *Vniuersus Iuda & Hierusalem luxerunt eum,Hieremias maxime,cuius omnes cantores & cantatrices, vsque in præsentem diem, lamentationes super Iosiam replicant.* Eodem spectat planctus Hieremiæ, super captiuitate Iudæorum & vrbis Hierusalem ac templi excidio quæ appellantur Lamentationes Hieremiæ.

Discrimen inter luctũ & planctũ.

Locus 2. Regum cap. 1.

2. Paralipo. cap. 35.

Lvctv̄ mortuis quodãmodo deberi à viuis.

VIDETVR porro officium lugendi & plangendi mortuos , quodammodo eis deberi ab iis,qui superstites sunt, propinquis & amicis; vt officio suo turpiter defuisse videantur, qui propinqui & amici mortem,non luctu , planctuque prosequantur. Apud Homerum Achilles hortatur Myrmidones,vt Patroclum amicum suum defleant,tanquam fletus mortuis debeatur. 11

Homerus Iliad.

» *Astantes* (inquit) *Patrocli lacrymas in funus amici*
» *Fundite : defunctis tales debentur honores.*

Putant quidam, morem lugendi mortuos , inde fortasse natum , quod rectum videatur,sicut hominis vita incipit à fletu,ita finem & occasum eius lacrymis non carere.Sed profecto naturalis eius rei causa est,amor simul & dolor, ob personæ scilicet & rei amatæ amissionem. Scite igitur dixit Euripides ; A natura hoc omnibus hominibus innatum esse, etiam si ob culpam quis moriatur,cupere tamen vt propinqui & amici , funus sibi lacrymis , planctuque faciant. Cicero Ennij orationem, meliorem esse dixit,quam Solonis.Ille enim de sua morte loquens:

Euripides.

Cicer. 1. Tusculana.

» *Nemo me* (inquit) *lacrymis decoret, nec funera fletu*
» *Faxit. Cur ? volito viuus per ora virũm.*

Solon vero contra:

» *Mors mea* (ait) *ne careat lacrymis : linquamus amicis*
» *Mœrorem, vt celebrent funera cũm gemitu.*

Ego sententiam Ennij magis ambitiosam & superbam iudico;Solonis, magis naturalem & humanam. Neque his valde assentior , qui vehementer laudant,quod à quibusdã Gentibus factitatũ legitur,& à nonnullis

nullis sapientibus viris vere prudenterque præceptum putatur;Ortum minis cum tristitia & lacrymis excipi;Occasum vero & interitum,cum lætitia & gaudio celebrari oportere:id enim à naturali hominis instinctu,sensuque prorsus abhorret ; vt communis & inueteratus omnium gentium mos,vsusque declarant.

12 CVMQVE *surrexisset ab officio funeris.* Officium funeris appellat, quod exhibetur cadaueri,priusquam sepeliatur;vti est leuare ipsum,& vngere,& aromatibus condire,& decenter vestire ; tum etiam coram eo plangere , & visitationes atque consolationes amicorum accipere. Addunt præterea nonnulli , Sanctos illos Patriarchas in gratiam mortuorum , satisfactoriis operibus esse vsos,vt ieiunio,oratione,eleemosynis,nec non etiam certis quibusdam sacrificiis. Verum hic locus hebraice secus legitur : Sic enim est : *Surrexit à facie,*siue,*à conspectu mortui sui,* Id est , cum Abraham satis superque planxisset Saram , relicto corpore profectus est ad filios Heth,petitum ab illis locum sepulturæ. Caietanus sic exponit ; Iuxta hebræum,inquit,ita est:*Et surrexit Abraham desuper facie mortui sui* ; quo insinuatur , Abraham exercuisse officium luctus,iacendo,seu sedẽdo in loco superiori,respectiue ad faciem cadaueris, tanquam continue spectantem faciem vxoris; & peracto luctu, ex eo loco surrexisse.

Caietanus in 23. capit. Genesis.

Verum cuius nam rei figura,mors Saræ fuerit,hunc in modum nos edocet Rupertus,Porro,inquit,mors Sarę,finem legis & Prophetarum significat, de quibus Dominus , *Lex,* inquit, *& Prophetæ vsque ad Ioannem:*& Paulus,*Finis legis Christus:*quia scilicet dato nobis Christo, prophetiæ, siue promissiones , quas per Saram superius intelligi diximus, conticuerunt. Vnde notandum,quod DEVS vltra tempus mortis Saræ, non legitur apparuisse Abrahæ.Nec vero damnosus est iste finis legis & Prophetarum,sicut nec mala mors Saræ fuit:mors quippe iustorum pretiosa & optabilis requies est.Sed ille finis,perfectio fuit & consummatio:quem finem significãs ipse,qui finis est,cum accepisset acetum in Cruce,dixit,*Consummatum est.*

Rupertus lib. 6. Commentariorũ in Genesim cap. 35.

Matth. 11.

Ad Rom. 10.

Cuius rei figura fuerit mors Saræ.

Ioan. 19.

PRIMA DISPVTATIO.

An licitum fuerit Ephroni, vendere ius sepulturæ; & an licuerit Abrahæ,non modo sepulturæ ius emere, verũ quodammodo etiam cõpellere Ephronem ad id vendendum:

Super illis verbis:

Date mihi ius sepulturæ vobiscum, vt sepeliam mortuum meum.

13 ECCLESIASTICAS Christianorum sepulturas, quæ sacris Ecclesiæ cæremoniis , pie , sancteque sunt institutæ, nec vendi, nec emi posse, extra controuersiam est.Extat super ea

Ecclesiasticam sepulturam nõ esse venalem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

re,vt alia taceam,præclara Sancti Gregorij sententia, qui ad Ianuarium Sardiniæ Episcopum ea de re ita scripsit:Quæsta nobis est Nereida clarissima fœmina,quod ab ea centum solidos prò filiæ suæ sepultura fraternitas vestra non erubescat exigere; atque ei super doloris gemitum, maiorem dispendij studeat inferre molestiam. Quod si ita est,quia graue nimis est,& procul nimis à sacerdotis officio, pretium de terra putredini concessa quærere, & de alieno velle facere luctu compendium; ab hac se patratione fraternitas vestra contineat, & molesta ei de cætero non existat. Hoc autem vitium & nos, postquam DEO auctore,ad Episcopatus honorem accessimus, de Ecclesia nostra omnino vetuimus: memores,quia dum Abraham à filiis Hemor,hoc est Ephron,filio Seor,sepulchri terram pretio ad humãdum corpus coniugis postularet, pretium accipere renuit, ne commodum videretur de cadauere consecutus.Si ergo tantæ considerationis Paganus vir fuit, quanto magis nos qui Sacerdotes dicimur,hoc facere non debemus?Vnde ne hoc auaritiæ vitium, ne vel in alienis denuo tentari præsumatur, admoneo. Sed si quando aliquem in Ecclesia vestra sepeliri conceditis, siquidem parentes ipsius, proximi, vel hæredes,pro luminaribus sponte quid offerre voluerint,accipere nõ vetamus.Peti vero aut aliquid exigi omnino prohibemus; ne quod valde irreligiosum est, aut venalis fortasse, quod absit, dicatur Ecclesia; aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaueribus studeatis quærere quolibet modo compendium. Hactenus ex Gregorio; qui significauit superioribus verbis, Ephronem illum religione quadam impeditum, recusasse primo,agrum in quo erat sepultura,pretio vendere,& gratis potius voluisse eum Abrahæ donare.

Gregor. lib. 7.Epist.55.

14 EODEM ferme spectant, quæ hoc loco annotauit B.Hieronymus. Nam expendens verba illa huius capitis,quæ sunt paulo infra, *Et audiuit Abraham Ephron, & appendit Abraham Ephran argentum, quod locutus est in auribus filiorum Heth*,In hæbreo, inquit,sic est vt hic posuimus: Nam primum nomen eius hominis scribitur Ephron,secundum autem Ephran.Postquam enim pretio victus est,vt sepulcrum venderet argento, licet cogente Abraham,Vau,litera quæ apud Hebræos pro,O,legitur ablata de eius nomine est,pro Ephron appellatus est Ephran:significante Scriptura,non eum fuisse perfectæ virtutis,qui potuerit memorias vendere mortuorum. Sciant igitur qui sepulcra venditant, & non coguntur vt accipiant pretium, sed à nolentibus quoque extorquent, immutari nomen suum,& perire quid de merito eorum:cum etiam ille reprehẽdatur occulte,qui inuitus acceperit.Sic B.Hieronymus.Indicat his verbis Hieronymus in agro quem vendidit Ephron fuisse sepulturas & memorias mortuorum, atque ob eam causam venditionem eius loci vitiosam & culpabilem fuisse.Auctor Historiæ Scholasticæ in enarratione historiæ Genesis, capite quinquagesimo nono, de venditione eius loci ab Ephrone facta, vtrum licita fuerit nec ne,dubitanter loquitur, ita scribens: Nec peccauit Abraham locum illum emendo, nec

S. Hierony. in Traditionib. hebraicis in Genesim sup. cap. 23.

Auctor Historiæ Scholast.

nec Ephron vendendo, sicut nec hodie peccaret, qui emeret agrum, vt in eo faceret cœmiterium: nisi forte propterea venditio, illius agri illicita putetur, quia in eo sepulti fuerant Protoplasti. Hieronymus tamen dicit. Ephron fuisse ea de re reprehendendum; & ideo nomen eius mutatum esse vt pro Ephron posteà diceretur Ephran.

15 BEATVS Thomas quodam loco, cum docuisset quemadmodum quod annexum est rei spirituali,non possit licite vendi; obiecit sibi ipse ex hoc loco Geneseos, emptionem duplicis speluncæ in qua erat ius sepulturę,quod habetur sacrum. Spiritualibus,inquit,annexa dicuntur ius sepulturæ,& ius Patronatus &c.Sed Abraham emit ab Ephron speluncam duplicem in sepulturam, vt habetur Genesis 23. ergo quod rei spirituali annexum est,id licite potest emi.Sed hanc obiectionem sic ille diluit: Spelunca duplex,quam Abraham emit in sepulturam, non constat quod fuerit terra consecrata ad sepeliendum;& ideo licebat Abrahæ terram illam emere ad vsum sepulturæ, vt vbi conderet sepulcrum: quemadmodum etiam nunc, liceret emere agrum aliquem communem ad constituendum in eo cœmiterium, vel fabricandam Ecclesiam. Attamen quia apud Gentiles loca sepulturis assignata, sacra, ac religiosa putabantur; si Ephron pro loco sepulturæ intendit pretium accipere, peccauit vendens: Abraham tamen non peccauit emens, quia non intendebat emere nisi terram communem. Licet enim etiam nunc terram, vbi quondam fuit Ecclesia, vendere aut emere in casu necessitatis:sicut & de materia sacrorum vasorum dictum est. Vel dici potest, excusari Abraham de ea emptione, quod per eam redimere voluerit suam vexationem.Quamuis enim Ephron gratis ei sepulturam offerret,perpendit tamen Abraham quod gratis recipere sine eius offensa non posset.Hæc B. Thomas.Ergo duas propositę difficultatis solutiones tradit S. Thomas: vna est, quod ille ager Ephronis non erat terra consecrata, sed locus communis & profanus: altera est, quod concesso,fuisse eum locum, propter sepulturam, sacrum ac religiosum;Ephronem quidem peccasse,talem locum vendendo: Abraham autem in emendo excusari à peccato, tum quia non intendit emere, quod ibi sacrum erat,nempe sepulturam, & ius sepeliendi,sed agrum, qui erat locus communis & profanus: tum quia eo facto voluit redimere vexationem suam, ratus nempe, nisi dato pretio, se non habiturum fuisse pacificam potestatem sepeliendi mortuum, & tutam eius loci in futurum possessionem.

S. Thomas 2.2. q.100. artic.4. ad 3. Quomodo S. Thomas excusset factum Abrahæ é mentis locum sepulturæ.

16 LYRANVS ait non voluisse Abraham emere ius sepulturæ, sed vt hoc sibi gratis daretur, rogasse, & humiliter petiisse: obtulisse vero pecuniam pro agro,in quo erat locus sepulturæ, & eius tantum agri emptionem atque venditionem fuisse inter Ephronem & Abraham legitime trãsactam.Quod autem Abraham ius sepulturæ non voluerit emere,sed gratis sibi dari,putat Lyranus euidenter ostendi verbis istis;*Date mihi ius sepulturæ vobiscum,vt sepeliam mortuum meũ*:Non dixit vendi-

Lyranus in cap.23.Genesis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vẽdite mihi ius sepulcri;sed dixit,Date mihi:quia ius sepulcri est sactũ, nec sine vitio potest vendi. Verba Lyrani hæc sunt:*Date mihi ius sepulcri.*Hinc patet,quod non intẽdebat illud emere quod est illicitum vendi, scilicet ius seu locum sepulturæ;semper enim locus sepulturæ fuit inter sacra reputatus.Sed melius potest dici, quod locus sepulcri non est res spiritualis,sed ius ipsum sepeliendi:& ideo Abraham ius sepulcri petiit sibi dono dari,dicens : *Date mihi ius sepulcri*, ipsum autem locum sepulcri voluit sibi vendi, dando pro eo iustum pretium. Sic Lyranus.

Thostatus in capit. 23. Genesis. Vnde locus sepulturę fiat Sacer & religiosus.

THOSTATVS concedit in eo agro fuisse locum sepulturæ,quam 17
parauerat Ephron,sed nondum in ea fuisse tunc quemquam hominum sepultum:quamobrem locum illum non fuisse sacrum,& honeste vendi atque emi potuisse:nõ enim locus sepulcri sacer & religiosus est ob ipsam sepulcri effossionem aut structuram, sed ob collocationem in eo mortuorum hominum.Si dicas fuisse inibi sepultum Adamum,parentem generis humani, vt scriptura significat Iosue 14.& iccirco sacrum fuisse eum locum : respondet Thostatus,Scripturam dicere Adamum fuisse sepultum in Hebron, id est, vel in ipsa vrbe, vel in eius territorio, aut circumiacente agro : quod autem sepultus fuerit in agro illo Ephronis, nec Scriptura dicit, nec probari potest, nec ipse verum putat. Nam quod traditum est, Hebronem olim fuisse dictam Arbam à sepultura quatuor Patriarcharum quorum princeps erat Adam, id sic est interpretandum,eos omnes sepultos esse in Hebronico agro,non tamen in eadem parte eiusdem agri. Adam itaque non erat sepultus in spelunca duplici,vbi postea Abraham Isaac & Iacob conditi sunt, sed in loco aliquo ei speluncæ vicino.Hæc Thostatus.

Thomas Anglus in cap. 23.Genesis.

Thomas Anglus exposita prius B. Hieronymi sententia existimantis,Ephron peccasse vendendo locum illum sepulturæ, & iccirco mutatum esse nomen eius in Ephran:apponit quæstionem hanc,Si Epron vendendo peccauit,similiter igitur Abraham peccauit emendo. Nam si vendere fuit Simoniacum, consequens est, vt etiam emere Simoniacum fuerit:præsertim vero, quia Abrahã quodãmodo compulit ipsum Ephron ad vendendum. Respondendũ est, inquit, vendere locum sepulturæ, non fuisse tunc Simoniacũ, quod sepultura Gentilium nihil in se Sacrũ habet. At inter Christianos Simoniacum esset,propter Ecclesiasticam consecrationem,sepulcris fidelium adiunctam.At simpliciter vendere ipsam Sanctificationem, & consecrationem, aut propter eam pluris vendere rem sacratam,absolute Simoniacum est. Sed præter hoc,etiam rationabili Ecclesiæ decreto vetitum est, vendere per se, & directe locum sacratum. Nec video cur Ephron imperfecte egerit vendendo, cum Abraham gratis sibi oblatum ab eo locum sepulturæ, noluerit accipere, sed instanter petierit sibi vendi Quapropter rationem illam B. Hieronymi de nomine eius viri commutato ex Ephron in Ephran puto esse mysticam potius, quam literalem. Hæc Thomas. 18

Huic

19 Huic simillima sentit ac tradit Caietanus.Nam exponens illa verba Abrahæ, quæ sunt paulo infra hunc locum : *Intercedite pro me apud Ephron, vt det mihi speluncam duplicem, & pecunia digna tradat mihi in possessionem sepulcri*,Sic ait,Clare sonant hæc verba, speluncã ipsam in possessionem sepulcri vendendam sibi, proponi ab Abraham tam iusto viro. Dico autem hoc, vt perpendatur nullum peccatum, nullamque speciem mali esse,emere aut vendere sepulcrum, semotis legibus positiuis:Nam homo mortuus,non est magis sacer,quam homo viuus : ac per hoc iustus homo mortuus, non reddit sepulcrum sacrum magis, quam iustus viuus reddat domum sacram, quam habitat : nec actus sepeliendi est sacratior ipsa habitatione.Quo fit,vt cum tunc non fuerint huiusmodi leges sepulcrales positiuæ, nullum peccatum fuerit vendere, aut emere sepulcrum. Sic Caietanus. In eandem sententiam iuit Lippomanus.

Caietan. in cap.23. Genesis censet religionem sepulturæ tãtum prouenire ex legibus positiuis.

Lippoman. in catena in Genesim super cap. 23. Auctoris sẽtentia.

Ego quoque Lectori breuibus indicabo, quid super hac ipsa quæstione sentiam.Equidem puto verba illa Abrahæ:*Date mihi ius sepulcri*, ex quibus auctores quæstionem de honestate & æquitate venditionis illius sepulcri excitarunt,nullum dare ei quæstioni tractandæ locum & occasionem debuisse.Lyranus quidem ponderans verbum illud : *Date mihi ius sepulcri*,signate,ait,sic locutum esse Abraham ; non enim dixit, vendite,sed date.Cum enim ius sepulcri sit quiddam sacrum, precario peti,& gratuito donari oportet,emi aut vendi fas non est.Sed ista ponderatio Lyrani prorsus est leuis,ac futilis.Namque illud verbum,*Date*, idem hoc loco significat,atque,iusto accepto pretio tradite mihi;id autem est,vendite. Nempe hanc esse eius verbi in hoc loco significationem,satis apparet ex iis verbis, quæ paulo infra Moses narrat locutum esse Abraham ad filios Heth, hunc in modum : *Intercedite pro me apud Ephron, vt det mihi speluncam duplicem:pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulcri.* Aduertit, opinor, Lector idem significasse Abraham dicendo, *Det mihi speluncam duplicem*, atque *pecunia digna tradat eam mihi*, Ergo dare hoc loco, idem sonat, atque vendere. Quo fit vt & ponderatio Lyrani nulla sit,& opinio eius,quæ tali ponderatione nitebatur maxime, nullius quoque sit momenti. Iam verò pro illo quod Latina versio habet, *Ius sepulcri*, Græca & Hebræa habent,*possessionem sepulcri* : & est hic sensus;concedite mihi, vt ego inter vos locum aliquem possidere possim,ad sepeliendos meos.Et ad hunc sane intellectum accommodanda est Latina lectio,vt hanc reddat sententiam : Date mihi potestatem possidendi locum aliquem inter vos, in quo tanquam in re mea, possim meo iure condere sepulcrum, & meos sepelire.

21 At enim,dicunt multi, illam duplicem speluncam, fuisse locum sepulcralem,& ideo sacrum, nec honeste vendibilem. Sed hoc isti non probant.Primum enim,Ephron habuisse in illa spelunca sepulcrum,ex sacra Scriptura ostendi non potest,cum nullam eius rei mentionem faciat,nullamque det significationem. Sed esto,habuerit ibi sepulcrum:

at nego ibi fuisse tunc adhuc quemquam gentilium Ephronis tunc sepultum: non enim credibile est, aut Ephron sepulcra suorum vendere alienis voluisse; aut placuisse Abrahæ, vxorem suam in sepulcris infidelium condi: præsertim verò cum offerentibus Hethæis Abrahæ electissima quæque sepulcra sua ad sepeliendam vxorem ipsius, Moses paulo post narret, id facere eum noluisse. Sepultura verò, vt inquit Thostatus, nihil sacri habebat propter effossionem & structuram sepulcri, sed post collocationem in ea hominis mortui. Thostatus.

Dices, Licet nullus adhuc mortuus in ea sepultura conditus esset, tamen quia locus ille sacris quibusdam cæremoniis, secundum eius gentis religionem dicatus fuerat in vsum sepeliendi mortuos, ex eo iam aliquid sacri & religionis habebat, ob idque vendi non poterat. Verum vnde compertum est, moris fuisse apud eam gentem, sepulcra condere religiosis quibusdam ritibus & cæremonijs? Nam etsi apud Græcos & Romanos istiusmodi erat mos; id tamen à multis gentibus minime obseruatum & factitatum reperimus. Ac licet sepulcrum Ephronis, cæremoniis suæ religionis fuisset designatum atque insignitum, cum tamen eius gentis religio vana esset, atque etiam impia superstitio, nihil vere sacrum & religiosum habebat; quare merito contemni & pro nihilo duci poterat. Et sicut templum Idolorum, quia Idolum nihil est, vt ait Paulus, posset Christianus homo iuste vendere, aut emere, & in quoscumque profanos vsus conuertere: ita potuisset Abraham spreta illius gentis religione, sepulturam illam emere. Nec inficior tamen, si Ephrō putabat locum illum esse sacrum, & religiosum, peccaturum fuisse eum vendendo ipsum locum; non propter loci sanctitatem vllam, sed propter conscientiam, quippe qui sciēs volensque faciebat, quod facere nō esse fas credebat: nec sine peccato potuisset tunc Abraham, ad eum locum vendendum inducere Ephronem, & quodammodo compellere. Si quis porrò contra insistat, contendens eum locum fuisse sacrū propter sepulturam Adami, quem esse sepultum eo loco, à multis traditum est: Respondebo, istam opinionem non esse admodum probabilem; tum quia ex Patribus multo plures tradiderunt, Adamum esse sepultum in monte Caluariæ; tum quia locus ille Iosue capite 14. vnde ista opinio ducta est, nihil profecto habet, quod eam adiuuet; vt non semel aliis in locis à nobis ostensum est. Summa igitur hæc est sententiæ nostræ: Agrum illum Ephronis, nullo modo fuisse sacrum; & ideo sine vitio emi ac vendi potuisse. Nam fuisse in eo sepulchra aliqua, aut ea fuisse religioso ritu atque cæremoniis sacrata, cum nulla ratione probari queat, libere negandum est. 1. ad Cor. 14. 22

Respon

Responderunt filij Heth dicētes, Audi nos Domine, princeps DEI *es apud nos: in electis sepulcris nostris sepeli mortuum tuum, nullusque te prohibere poterit, quin in monumento eius sepelias mortuum tuum.* VERSV 6.

23 ABRAHAM de se non solum modeste, verum etiam demisse admodum locutus fuerat, dicens: *Aduena ego sum & peregrinus apud vos.* At contra Hethæi mirabiliter eum honorant & magnificant, appellantes dominum & principem DEI, & liberaliter ei offerentes electissima sua sepulcra. Quo licet intelligere, quibus artibus, vel potius virtutibus, Abraham tantopere sibi eorum, quibuscum versabatur, animos demeruerit atque deuinxerit. Sed quid est illud: *Princeps* DEI *es apud nos*? Græce est; *Rex à* DEO *tu es in nobis.* Verum Hebræa vox, Nasi, vt inquit Hieronymus, non regem, sed ducem significat. Huius loci in Chaldaica paraphrasi hæc est sententia, *Acquiesce nobis domine noster, quia magnus coram* DEO *tu es inter nos reputatus.* Lyranus illud; *Princeps* DEI *es apud nos*, sic interpretatur: in dubiis rebus illi ad Abraham recurrebant, eumque consulebant quasi Deum, & ipse dirigebat eos. Itaque talis erat de Abraham apud eas gentes existimatio, qualem fuisse legimus de Achitophel apud Iudæos: de quo ita proditum est lib. 2. Regum cap. 16. *Consilium Achitophel quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret* DEVM, *sic erat omne consilium Achitophel.* Fulgebat in Abraham, inquit Caietanus, tanta iustitia diuina, vt vices summi iudicis DEI gerere videretur in ea gente. Hierony. in Traditioni. hebraicis in Genesim. Lyranus in Genesim cap. 23. Caieta. in cap. 23. Genesis.

Vocatur princeps DEI, ait Thostatus, princeps quidem, quia iudices in populo, principes sunt populi, vtpote magna potestate præditi decidendi causas. dicitur autem princeps DEI, quia erat carus & familiaris DEO, & habens sæpe diuinas visiones & oracula; quapropter in rebus valde dubiis & grauibus ad eum adibant, vt per diuinum oraculum, quid in eiusmodi rebus facto esset opus, eos doceret. Talem verò opinionem & fidem & auctoritatem comparauerat sibi Abraham, virtutum suarum admiratione, & excellentis prudentiæ ac sapientiæ, singularisque apud DEVM gratiæ existimatione; nec non rerum ab eo glorioſe gestarum fama; simulque quòd vir peregrinus, mirandum in modum non solū industria & prudentia, sed multo maxime DEI benignitate, omni temporalium bonorū genere locupletatus fuerat. Verum locutio illa: *Princeps* DEI *es apud nos*, hebraismus est, cuiusmodi sunt illa, Homo DEI, Mōs DEI, Exercitus DEI. In istis enim omnibus nomē DEI denotat eximiam magnitudinem & præstantiam rei significatæ per Thostatus ibidem. Quid significet illud: Princeps DEI es apud nos.

vocem cui additur. Ergo Princeps Dei significat maximum, eximium, singularique reuerentia & veneratione dignissimum Principem.

In electis sepulcris nostris. Id est, in vno aliquo ex nostris sepulcris electis: sic enim loqui solet scriptura, ponens plurale pro vno aliquo ex multis singularibus. Exempli gratia, Ioan. 6. *Sicut scriptum est in Prophetis: Erunt omnes docibiles Dei,* id est, in vno ex Prophetis; id nempe proditum erat ab Isaia capite 54. simile est illud Actuum 13. *Videte ne superueniat vobis quod dictum est in Prophetis.* Citat autem illic Paulus vnius prophetæ Habacuc ex capite primo sententiam. *In electis sepulcris,* id est, in quolibet nostrorum sepulcrorum, quod tu præ cæteris elegeris. Vel more Hebraico, electa dicuntur quæ sunt præcipua, & aliis meliora, atque optabiliora, & quorum electionem quisque sine dubio cæteris præferat. Sed cur Hethæi tam libenter ac liberaliter sua offerebant Abrahæ sepulcra? An quod illi fortasse notitiam aliquam aut spem haberent futuræ resurrectionis mortuorum, quæ in multarum gentium animis olim viguit? Meritò igitur consortes resurrectionis suæ habere cupiebant amicos Dei: vt quemadmodum eorum corporib. sociabantur in sepultura, ita in gloria resurrectionis eis consociarentur. Coniectura hæc atque opinatio Lippomani est, nec de nihilo sanè, nec pro nihilo ducenda. *Nullusque te prohibere poterit quin in monumento eius sepelias mortuum tuum.* Illud, *poterit,* idem valet, atque, non repugnabit tibi, vel, non audebit prohibere te, vel cogetur à Magistratu aut Communitate, obsequi voluntati tuæ. 24

Lippoman.

VERSV 7. *Surrexit Abraham & adorauit populum terræ, filios videlicet Heth.*

Aug. quæst. 61. in Genesim. *Deut. 6.*

QVÆRIT S. Augustinus, quomodo scriptum sit: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies,* cum Abraham sic honorauerit populum illum Hethæum, vt etiam adoraret. Sed animaduertendum est, inquit Augustinus, in eodem præcepto non esse dictum, solum Dominum Deum adorabis, sed dictũ est, illi soli seruies. Quod est Græce λατρέυειν, significans seruitutem nulli, præter Deum, debitam, aut exhibendam. Vnde damnantur Idololatræ, id est, eiusmodi seruitutem exhibentes Idolis, quæ debetur Deo. Nec moueat quempiam, quod in Apocalypsi cap. 19. & c. vltimo prohibet Angelus adorari se à Ioanne Apostolo, & admonet eum, vt Deum potius adoret; talis enim apparuerat Angelus, vt pro Deo posset adorari, & ideo fuerat corrigendus adorator. Sic ferme Augustinus. Verum quod spectat ad verbum Adorandi, scire conuenit, verbum hebræum, Sahah, quod Latine redditur adoro, indifferenter, & in vniuersum significare reuerẽtiam & honorem, qui per exte 25

exteriorem corporis motum, hoc est, inclinationem capitis & pectoris, vel retectionem capitis, vel procubitum in genua aut in terram, exhibetur cuicumque personæ excellentis dignitatis, aut potestatis, vel humanæ, vel angelicæ, vel diuinæ. Quocirca frequens in Scriptura reperitur adorationis vsus, etiam erga homines.

QVOD vero attinet ad eum Angelum, qui se adorari vetuit à B. Ioanne, equidem assentiri Augustino non audeo. Putat enim Augustinus, B. Ioannem, opinionis errore, Angelum illum existimasse esse DEVM, & ideo diuinum honorem & cultum ei adhibere voluisse. Sed animus meus refugit credere, B. Ioannem tantæ sanctitatis & sapientiæ virum, & vsqueadeo illuminatum à DEO, in eo fuisse errore, vt Angelum pro DEO colere vellet: præsertim vero cum ipsemet appellasset eum Angelum, & vt talem à DEO missum ad se agnouisset. Sciebat igitur Ioannes illum esse Angelum; sciebat item nulli, præter DEVM, adorationem latriæ conuenire; quare nullo modo cogitari potest, aliter voluisse eum adorare Angelum, nisi quemadmodum angelicæ naturæ ac dignitati conuenire nouerat. Dices, cur igitur Angelus talem adorationem sibi conuenientem reiecit? Nempe id fecit, vt ostenderet, quanti facerent Angeli, quantumque honorarent naturã humanam, postquam eam Filius DEI assumpserat, & super omnem cælestium spirituum altitudinem extulerat. simulque demonstrare voluit, viros Apostolicos, qui erant ministri DEI in prædicando Euangelio, & hominibus ad DEVM conuertendis, esse, ratione huiusmodi muneris ac ministerij, æquales Angelis, qui simili quoque munere & ministerio funguntur. *Omnes enim,* (vt ait Paulus,) *administratorij sunt spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Atque hanc ipsam causam significauit Angelus, cur se adorari vetaret, subiungens: *Vide ne feceris: conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorũ testimonium habentium* IESV. Facit ad illustrandum hunc locum, quod in hanc sententiam scripsit B. Gregorius: Quia cæli Rex, inquit, terram nostræ carnis assumpsit, infirmitatem nostram Angelica celsitudo non despicit. Hinc est, quod Loth & Iosue Angelos, ipsis non prohibentibus, adorarunt: Ioannes verò in Apocalypsi adorare Angelum volens, ab ipso prohibetur. Quid est, quod ante Redemptoris aduentũ, ab hominibus adorantur Angeli, & tacent: postmodum vero adorari refugiunt; nisi quod naturam nostram, quam prius despexerant, postquam hanc super se assumptam conspiciunt, sibi prostratam videre pertimescunt? nec iam sub se velut infirmam, contemnere ausi sunt; quam super se, videlicet in cæli Rege, venerantur. Hæc Gregorius. 26

Locus Apocalypsis ca. 19.

Ad Hebr. 1.

B. Gregor. homilia 8. in Euãgelia.

Genes. 19. *Iosue. 5.*

Vt det mihi spelunCam, quam habet in extrema parte agri sui.

VERSV 9.

Cur sit dicta spelũca duplex, sex opiniones.

CVR appellata fuerit spelunca duplex, siue vt est Hebraice, spelunca duplicitatis, variæ admodum sunt opiniones, variæque afferuntur rationes, quas ego numerando potius, quàm explicando percensebo. Prima opinio, dictam esse spelunCam duplicem, quòd duæ essent spelunCæ, vna superior, altera inferior: & in superiori, corpora virorum condi solita, in inferiori autem, fœminarum. Hoc tradit Auctor historiæ Scholasticæ. Secunda opinio, cum priori conueniens de numero & structura spelunCarum; verum eo differens, quod non distinguat loca fœminarum & virorum, sed ita locat cadauera, vt in superiori spelunca poneretur cadauer vsque ad fœmora, simile sedenti; cæteræ autem partes eius inferiores dependerent in spelunCam inferiorem. Hanc opinionem Thostatus assignat Ioanni Beleth: & vtramque istam opinionem, tam ipse, quàm Lyranus, non sine assensu commemorant. Tertia opinio, alteram spelunCam fuisse exteriorem, & alteram interiorem; & vnicum fuisse ad vtramque aditum & introitum. Sic tradit Auen Esra, quem sequitur Caietanus. Quarta opinio; vnam spelunCam fuisse in medio alterius; itaque vna spelunca erat maior, intra se alteram minorem concludens. Sic putat Gulielmus Hamerus, & vtramque proxime superiorem interpretationem tradit Procopius super caput 23. Genes. Quinta opinio; in vna spelunca sepultum fuisse Adam, in altera verò Euam: cui sententiæ adhæsit Thomas Anglus. Sexta opinio Rabbini Salomonis; vnam spelunCam habuisse supra se constructum ædificium instar conclauis seu cœnaculi: vel talem fuisse eam spelunCam, vt in ea duo cadauera simul discluſis locis condi possent, & solerent. 27

Auctor Historię Scholasticæ cap. 50. in Gen.

Ioannes Beleth de Diuinis officiis ca. 159.

Auẽ Esra & Caietanus super hoc loco.

Gulielmus Hamerus ibidem.

Thomas Anglus ibidem.

Rabbi Salomõ ibidem.

PER istam duplicem spelunCam, in qua sepulta est Sara, B. Gregorius, secundum tropologicam intelligentiam, significari ait duplicem vitam, alteram Contemplatiuam, & alteram Actiuam, quam vtramque perfectus diuini verbi prædicator, & rector populi Christiani, studiose colere, ac sedulo exercere debet. Tractans enim illa verba Iob capitis quinti, *Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo*: hoc modo scribit; Quid sepulcri nomine, nisi contemplatiua vita signatur: quæ nos quasi ab hoc mundo mortuos sepelit, dum nos à terrenis desideriis suscepTos, in intimis abscondit? Ab exteriori quippe vita mortui, etiam sepulti per contemplationem fuerant, quibus Paulus dicebat: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum* CHRISTO *in* DEO. Actiua quoque vita sepulcrum est, quia à prauis nos operibus mortuos tegit: sed contemplatiua perfectius sepelit, quia à cunctis mundi actionibus funditus diuidit. Nec sane perfectus diuini verbi prædicator est, qui vel propter prædicationis studium, operanda negligit; 28

De duplici vita, cõtemplatiua & actiua.

S. Gregorius lib. 6. Moralium.

Ad Coloss. 3.

negligit; vel propter operationis instantiam contemplanda postponit. Hinc est enim, quod Abraham coniugem mortuam in sepulcro duplici sepeliuit; quia nimirum perfectus quisque prædicator extinctam à præsentis vitæ desideriis animam suam, sub bonæ operationis & contemplationis tegmine abscondit: vt à carnali concupiscentia, sub actiua contemplatiuaque vita quasi insensibilis lateat, quæ prius mundi desideria sentiens, mortaliter viuebat. Sic Gregorius.

Appendit Abraham pecuniam, quam postulauerat Ephron, quadringentos siclos argenti, probatæ monetæ publicæ, audientibus filiis Heth.

VERSV 16.

29 NOVIT Abraham locum illum gratis sibi donatum habere, sed iusto emptum pretio, quasi rem suam, iure suo possidere voluit: videlicet quo firmiorem ac securiorem eius loci possessionem, tam ipse, quam ipsius posteri obtinerent. *Appendit pecuniam:* Non dixit, soluit, vel numerauit, sed appendit; & sic aliàs sæpe loqui solet Scriptura. Nimirum antiquitus apud eas gentes, non solum numerando, sed etiam ponderando, in agitandis commerciis, & vendendo, atque emendo, pecunia dabatur: quo scilicet exploratius, iustum eius pecuniæ pretium esset cognitum. Et quia tam hic, quam aliis compluribus locis, solum fit mentio pecuniæ argenteæ, non leuis fit coniectura, pecuniam auream, id temporis, pro rerum pretiis non fuisse in vsu. Siclus pendebat quatuor drachmas atticas, vt supra ex Iosepho, & B. Hieronymo, cum exponeremus caput vigesimum, disputauimus. Drachma verò Attica, eiusdem ferme ponderis ac pretij est, atque Iulius Romanus, vel reale Hispanicum. Quare pretium illud quadringentorum siclorum, quo agrum illum emit Abraham, continebat nostratis monetæ, centum sexaginta, vt vocant, scuta monetæ. Excidit B. Hieronymo, non sane per insciti am, sed per obliuionem, quod hoc loco annotauit, scribens, siclum pendere vnciam vnam, id est, octo drachmas. Nam & falsum id est, vt alio loco docuimus; & contrarium iis, quæ scripsit ipsemet super caput quartum & super quadragesimumquintum Ezechielis; idem, atque nos, de siclo tradens. Septuaginta interpretes hoc loco, pro quadringentis siclis, verterunt quadringenta didrachma. Cur autem illic siclum fecerint didrachmum, cum re vera sit tetradrachmus, diximus supra super caput 20. Geneſis.

S. Hieron. in Traditionib. hebrai. in Genes. super cap. 24.

Probatæ monetæ publicæ. Publica dicitur moneta, quæ signata est ea figura, qua insignitur moneta communitatis, aut Principis. Probata vocatur, quam iustum habere pondus & pretium, exploratum, & probatum vulgo est, in tractandis rerum commerciis. Græce est, *Argenti probati mercatoribus*: quod haud dubiè sumptum ex Hebræo est. Quanquam

quam Hebræa varie redduntur Latine; sed omnis ea varietas ad eandem plane recidit sententiam. Quidam vertunt: *Argenti transeuntis per mercatores*: Et sic exponunt, argenti quod inter mercatores sine vlla controuersia recipiebatur: cuius simile est quod vertit Chaldæus paraphrastes, *Argẽti quod recipiebatur pro mercimonijs inter mercatores, in vnaquaque prouincia.* Oleaster ex Hebræo sic expressit, Argentum transiens ad mercatores, quod ipse ad hunc modum exponit: verbum Sacha, videtur primo significare, circuire, & ex consequenti, negociari: quod mercatores huc illuc discursare soleãt, ad negotia sua peragẽda. Quoniã autem mercatores solent curiose ac diligenter examinare numismata; propterea dictum est argentum transiens per mercatores; id est, tam probatum, vt sine alio examine, etiam inter mercatores ipsos transire posset. Nos vulgo dicimus Monetam currentem. Aut etiam sic dictum est, quòd iam per mercatorum libram transisset, & iusti esse ponderis ac pretij compertum esset.

Oleaster.

AVDIENTIBVS *filiis Heth.* Hethæi habitatores Hebronis atque 31
eius territorij, adfuerunt in illo contractu venditionis, & emptionis agri, inter Ephron & Abraham facto; adfuerunt, inquam, non solum vt spectatores & auditores, verum etiam vt testes eorum, quæ inter Abraham & Ephron vltro citroque dicebantur & agebantur: quo scilicet publico illo testimonio, contractus ille firmior & validior non solum in præsens, sed in posterum etiam foret: quam etiam ob causam in ipsa porta ciuitatis, quo scilicet conueniebant, qui iudicia & negotia ciuilia tractabant, peractus est. Quali porrò ritu, quibusue cæremoniis contractus emptionum & venditionum celebrari olim apud Iudæos mos fuerit, satis apparet ex iis, quæ scripta sunt apud Hieremiam capite 32. Is enim, cum iussu DEI, agrum emisset ab Hanameel patruele suo, legitimam huiusmodi fuisse emptionem demonstrat, eo quod concurrerint in eam omnia, quibus legitima & rata fieri tunc soleret emptio; ita scribens: *Emi agrum ab Hanameel filio patrui mei: & appendi ei argentum, septem stateres, & decem argenteos. Et scripsi in libro, & signaui, & adhibui testes, & appendi argentum in statera. Et accepi librum possessionis signatum, & stipulationes, & rata, & signa forinsecus. Et dedi librum possessionis Baruch filio Neri, in oculis Hanameel patruelis mei, & in oculis testium, qui scripti erant in libro emptionis, & in oculis omnium Iudæorum, qui sedebant in atrio carceris.*

Antiquus mos Iudæorum in celebrandis cõtractibus.

Locus Hieremiæ ca. 32.

VERSV 19. *Sepeliuit Abraham vxorem suam in spelunca duplici, quæ respicit Mambre: hæc est Hebron in terra Chanaan.*

MVLTI putant, Mambre hoc loco significare Conuallem 32
Mambre, cuius scilicet mentio supra est facta cap. 13. 14. 18. in qua perdiu habitauit Abraham. dicta vero fuerat Conuallis

uallis Mambre, à quodam insigni viro Amorrhæo, cui nomen erat Mambre, vt colligitur ex illis verbis capitis 14. Geneseos, *Et ecce vnus qui euaserat, nuntiauit Abraham Hebræo, qui habitabat in Conualle Mambre Amorrhæi, fratris Eschol & fratris Aner: hi enim pepigerant fœdus cum Abraham.* Verum istos non sine causa refellit Thostatus; tum quia hic præcise dicitur Mambre; illa vero semper appellatur vallis vel conuallis Mambre: tum maxime propter id quod hic adiungitur: *Hæc est Hebron.* Mambre igitur idem erat locus, atque Hebron; nam secundum regulas & præcepta dialecticorum, cum prædicatur vnum nomen substantiuum de altero in recto, ea prædicatio, quantum ad rem, identica est, vt Petrus est homo & homo est animal. Quare si vera est prædicatio, Mambre est Hebron, necesse est, Mambre & Hebron eundem esse locum. At conuallis Mambre erat extra vrbem Hebron; sed in territorio eius tamen, nec peocul: quapropter sub finem capitis 13. dictum est, Conuallem Mambre fuisse in Hebron. Caietanus, cum dicitur, *Hæc est Hebron,* pronomen illud (*hæc*) non refert ad Mambre, sed ad speluncam duplicem, ad quam vsque extendebatur nomen Hebronis, quamuis fortasse nomen antiquius eius vrbis, non eo vsque extenderetur. Verum & dura nimis est interpretatio hæc, neque commode potest applicari sacris verbis; & hoc amplius, falsa est: duplex enim spelunca, erat in agro Ephronis, posito extra vrbem. Hebron quippe sita erat in monte, ager vero in planitie. Quare quod prius ex Thostato diximus, similius vero est.

Thostatus super hunc locum.

Caietanus hoc loco.

SECVNDA DISPVTATIO.

De notabili quadam dissonantia, quæ esse videtur inter historiam huius capitis, & inter verba Sancti Stephani, quæ refert Beatus Lucas Actorum 7.

NON est nobis, qui diligenter historiam huius capitis tra- 33
ctare volumus, dissimulanter prætereunda, prægrauis quædam & perardua, & quorundam iudicio, inextricabilis quæstio. Etenim Moses apertis verbis narrat hoc capite, Abraham emisse ab Ephron filio Seor, agrum iuxta vrbem Hebron, in sepulturam Saræ. At B. Stephanus in illa perillustri concione, quam admirabili constantia & libertate ad Iudæos habuit, dixit, Abraham emisse sepulcrum à filiis Hemor, filij Sichem, atque id sepulcrum fuisse in Sychem. Verba B. Stephani hæc sunt: *Descendit Iacob in Ægyptum & defunctus est ipse, & patres nostri, & translati sunt in Sychem, & positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti à filijs Hemor filij Sychem.* Quibus verbis dupliciter Stephanus contradicere Mosi videtur: tũ quod Moses sepulcrũ illud collocat iuxta vrbẽ Hebron,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Stephanus autem iuxta Sychem, loca nempe non parum inter se distantia: tum quod venditorem illius loci Moses facit Ephron filium Seor; Stephanus autem, emisse locum illum, ait, Abraham à filiis Hemor filij Sychem. Nos igitur, quo nonnihil huic loco obscurissimo lucis afferamus, enarrantes primo diligenter, quæ à memoratu dignis auctoribus super hac quæstione disputata & scriptis prodita sunt, nostram denique sententiam Lectori etiam indicabimus.

S. Hieronymus. SANCTVS Hieronymus in epistola centesima prima, quam de optimo genere interpretandi scripsit ad Pammachium, hanc ipsam memorat quæstionem: sed eius solutionem aliud in tempus differt; significans tamen, discrepantiam Mosis & Stephani non esse rerum & sententiarum, sed verborum tantum, & modi loquendi. Optandum profecto erat, vt qualis esset eiusmodi discrepantia verborum & modi loquendi, aut illic aut alibi declarasset Sanctus Hieronymus. Verba eius ex ea epistola huc transcripta, sic habent: Lucas vir Apostolicus & Euangelista, scribit Stephanum primum Christi martyrem in Iudaica concione narrantem, duodecim Patriarchas translatos esse in Sychem, & positos esse in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti, à filiis Hemor patris Sychem. Hic locus in Genesi multo aliter inuenitur, quod scilicet Abraham emerit ab Ephron Hethæo filio Seor, iuxta Hebron, quadringentis drachmis argenteis speluncam duplicem, & agrum circa eam, sepelieritque in ea Saram vxorem suam. Atque in eodem legimus libro, postea reuertentem de Mesopotamia Iacob, posuisse tabernaculum ante Salem, vrbem Sychimorum, & emisse partem agri in quo habebat tentoria, ab Hemor patre Sychem centum agnis. Abraham igitur non emit speluncam ab Hemor patre Sychem, sed ab Ephron filio Seor: nec sepultus est in Sychem, sed in Hebron, quæ corrupte dicitur Arboch. Duodecim autem Patriarchę non sunt sepulti in Arboch, sed in Sychē qui ager non est emptus ab Abraham, sed à Iacob. Differo solutionē istius quæstiunculæ, vt obtrectatores mei quærant, & intelligant, non verba in Scriptura consideranda, sed sensus. Hactenus ex B. Hieronymo.

S. Gregorius 34 Beatus autem Gregorius libro 7. Epistolarum, Epist. 55. ita citat locum illum ex Actis Apostolorū, vt tanquam ambiguum & perplexum explicare voluisse videatur. Abraham, inquit, sepulcrum emit à filiis Hemor filij Sychē, hoc est, ab Ephrō filio Seor. Significat vtique Gregorius illa breui adiecta interpretatione, illud, à filiis Hemor, significare ipsum Ephron qui vel auū, vel alium quēpiam Maiorū suorū habuerit dictū Hemor, cuius pater fuerit nominatus Sychē: vt hæc emptio ad solum Abrahā pertineat, nec quicquā, prēter nominū similitudinē, cum illa emptione Iacob, quæ narratur Gen. 33. cōmune habeat.

Auctor Historię Scholasticæ. 35 AVCTOR Histor. Scholast. cap. 39. in Acta Apost. conatur breuiter hanc quæstionem enodare; verum minime feliciter. Ponam hic eius verba: Quid est, inquit, quod à B. Stephano dictum est: *In sepulcro quod emit Abraham à filiis Hemor filij Sychem?* Cum constet Abraham emisse sepulcrum

sepulcrum ab Ephron Hethæo: & constet ex cap. 33. Geneſis, Hemor fuisse patrem Sychem, non autem eius filium? Ideo quidam sic literam istam construunt, Translati sunt in Sychem: Sychem dico emptam à filiis Hemor filij Sichem, & potuit esse, vt fuerint duo Sychem, vnus quidem pater ipsius Hemor, alter vero eius filius. Vel ita potius ordinanda est constructio verborum Stephani, vt iungas principium sermonis & finem, hoc modo, *Filiis Sychem filij Hemor*; Et ita locus hic cōgruit libro Mosis. Vt ergo excludatur omnis dubitatio, ita cōstruatur litera: *Translati sunt in Sychem, Sychem dico emptam à Iacob, scilicet à filiis Sychem filij Hemor*; Ac si diceretur, in illam Sychem, quam emit Iacob, non autem Abrahā, & inde posteą positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham ab Ephrō Hethæo. sic ille. Verum istam expositionem merito reiicit Lyranus, tanquā nimis intricatā. Cum enim structuram verborū Stephani omnino dissoluat, & in aliam mutet prorsus diuersam, quid est aliud hoc, quàm simul etiam Stephani sententiā mutare? Lyranus.

36 Beda, quem secutus est Rabanus, super caput septimum Actorum Apostolicorum, duas eius quæstionis innuit solutiones: Vel, quod Stephanus illud dixerit, non secundum veritatem historiæ, sed secundum opinionem vulgi, ita loquentis & existimantis: vel quod Stephanus toto animo causæ, quam agebat apud Iudæos, intentus, lapsus memoria fuerit, immiscens inuicem & confundens duas emptiones, vnam Abrahæ, quæ narratur Genes. 23. alteram Iacob, quæ memoratur Genes. 33. Verba ipsa Bedę huiusmodi sunt: Cum enim posuisset quęstionem hanc iisdem prorsus verbis, quibus posuerat S. Hieronymus loco supradicto, subdit hæc: Verum B. Stephanus vulgo loquens, vulgi magis in dicendo sequitur opinionem: duas enim pariter narrationes coniungens, non tam ordinem circumstantis historiæ, quam causam, de qua agebatur, intendit. Qui enim insimulabatur aduersus locum Sanctum & legem docuisse, pergit ostendere quomodo Iesus Christus ex lege monstretur esse promissus, & quod Iudæi nec tunc Mosi, nec Domino nunc seruire voluerunt. Hæc, vt potui, dixi, non præiudicans sententiæ meliori, si adsit. Porro quod dicitur, *à Filiis Hemor filij Sychē*, in Græco exemplari scriptum est *à filiis Hemor qui fuit in Sychem*, quod Geneſis historiæ magis concordare videtur; tametsi fieri potuerit, vt ipse Hemor & patrem & filium habuerit nominatum Sychē. Sic Beda. Beda. Rabanus.

37 HANC Bedæ sententiam cum Melchior Canus sub finem libri secundi de locis Theologicis cōmemorasset, eam præ cęteris approbans, sic ait, His verbis Beda, verecunde quidem ac modeste significauit, Stephano, id quod vulgo solet, accidisse; vt in longa ac subita narratione, confuderit nonnulla, in quibusdam etiam memoria lapsus fuerit, sed in iis duntaxat, quæ ad rem parum aut nihil attinerent: nam causæ, de qua potissimum agebatur, erat intentus. Lucas vero historiæ veritatem retinere volens, ne iota quidem immutauit, sed rem, vt à Stephano narrata fuerat, exposuit. Nos autem non Stephanum ab omni lapsu, sed Euangelistam vindicare debemus: solis quippe Apostolis, Melchior Canus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Prophetis & Euangeliſtis hunc honorem deferre, Catholica fide docente, didicimus, vt neminem eorum vel memoria lapſum eſſe, vel in re aliqua, ſiue magna ſiue parua, erraſſe credamus. At Stephanus plenus erat Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus loquebatur in eo. Fateor; ſed aliter in Chriſto Spiritus loquitur: aliter in Prophetis, & Apoſtolis, & aliter in Stephano & Ambroſio. Loquitur etiam DEVS Eccleſiæ per paſtores eius, & prædicatores, per Cõcilia & Doctores: & hi omnes tamen in paruis labi poſſunt; memoria præſertim, vbi lapſus facilis eſt. Scriptorum ergo ſacrorum hoc priuilegium eſt, vt eorum nullus in ſcribendo erret. Apoſtolorum quoque priuilegium eſt, vt eorum nullus erret in dicendo. B. Stephano priuilegium hoc, nec ratio concedit, nec auctoritas. Nec vero à ſacris auctoribus alienum eſt, errantium quoque hominum verba referre. Ait enim Iephte, trecentos annos poſſeſſionis prætendi, cum reuera trecenti non fuiſſent. Sacer tamen eius hiſtoriæ ſcriptor trecentos, vt ille dixerat, retulit. Sic etiam Matthæus, ſi Hieronymo credimus, prophetiam Michææ, non vt ab ipſo propheta ſcripta fuerat, ſed vt commemorata fuerat à ſcribis, expoſuit. Hactenus ex Cano.

Iudic.11.

S. Hierony. in capit. 2. Matthæi.

Lyranus in cap.7.Actorum.

Lyranus putat, Ephronis patrem alio nomine dictum eſſe Hemor, 38
& huius patrem fuiſſe nominatum Sychem. Idem igitur dicere ait Moſem, atque Stephanum, ſed diuerſis nominibus eaſdem perſonas ab vtroque appellari. Erant enim illæ binomines. Quare, qui à Stephano vocatur Hemor, & Sychem, diuerſi homines ſunt ab iis, qui ſub iiſdem nominibus in cap.33 Geneſis appellantur. Audiat Lector verba Lyrani: Cum Lyranus memoraſſet expoſitionem quam tradit Auctor Hiſtoriæ Scholaſticæ, ſubiungit hæc: ſed quia iſta expoſitio videtur multum intricata, & quia litera videtur intẽdere quod Abraham emit pretio argenti ſepulcrũ à filiis Hemor; poſſet dici (ſine præiudicio tamen) quod ille Hemor, de quo hic Lucas loquitur, fuerit idem cum Seor patre Ephronis, vt dicitur Geneſ.23. fuit enim ille binominis ſicut in Scriptura multi leguntur binomines. Ergo Abraham emit à filiis Hemor, quia emit ab Ephrone, qui vnus erat de filiis Hemor, ſiue Seor: hic autem Hemor ſiue Seor, habuit patrem nominatum Sychem. Ille porro Hemor, de quo fit mentio Geneſ. 33. habuit filium nomine Sychem. Nec eſt conueniens, ſi ponantur eadem nomina diuerſorum hominum hic & illic; quia frequenter homines diuerſorum locorum & temporum, conueniunt in nominibus. Et ſecundum hanc expoſitionem litera planior videtur. Sic Lyranus.

Caietanus.

CAIETANVS ſuper eodem loco Act. Apoſt. ſupradictam Lyrani ſententiam tradit, & præter eam duas alias, ad hunc modum ſcribens: Circa venditores illius ſepulcri, quæſtio inſolubilis apparet; nã hic dicitur Abrahã emiſſe illud à filiis Hemor, cum in Geneſi dicatur emiſſe ab Ephrõ filio Seor. Nec video ſolutionem aliam quadrantẽm, niſi quod ille Ephron aut pater eius Seor, nominatus etiam fuerit Hemor, & quod alio nomine in Geneſi, alio hic appelletur. Inculcatur 39

& alia expoſitio valde diſtrahens textum: referendo ſcilicet illud, *à filijs Hemor*, ad illam particulam, *Et tranſlati ſunt in Sychem*: ſed tam extorta videtur, vt non putẽ proſequendam. Poſſet tamẽ aliter cõſtrui vniuerſa hæc litera, tali ordine: *Et tranſlati ſunt in Sychem patres noſtri filij Iacob, & poſiti ſunt à filiis Sychem filij Hemor in ſepulcro, quod emit Abrahã pretio argenti.* vt intelligamus, quod Sychimitæ memores cladis, quam exercuerant in eos filij Iacob, non paſſi ſunt corpora eorum honorabiliter manere in Sychem, & propterea poſuerunt ea in Hebron. Si conſtaret de re geſta, nullas anguſtias litera hæc inferret. Alludit autem hoc, ad id quod dicit Ioſephus, Patriarchas filios Iacob ſepultos eſſe in Hebron. Hæc Caietanus.

Geneſ 33.

Ioſephus.

Ioannes Gagneius.

40 Ioannes Gagneius ſuper eodem illo loco Actuum Apoſtol. tractat hanc quæſtionem, ſed parum accurate, & admodum confuſe; nec alienas ſententias probe referens, nec certam aliquam ſuam pronuntians, aut bona ratione confirmans. Id autem verum eſſe, appoſitis hic verbis eius, liquido conſpiciet Lector. ſic ille ſcribit; Videtur hic eſſe contradictio: nam Stephanus ait Abraham emiſſe à filiis Hemor filij Sychem; cum Geneſis 23. ſcriptum ſit emiſſe ab Ephron Hethæo, & in cap.33. Geneſis traditur Iacob emiſſe à filiis Hemor patris Sychem. Hunc nodum tractat Hieronymus De optimo genere interpretandi, & in Definitionibus hebraicis. Certe cum Geneſis 33. dicatur emiſſe Iacob à filiis Hemor, vbi fixa erat tabernacula, neque legatur emiſſe in ius ſepulcri, vero ſimile eſt, ipſum, cum filiis in ſpelunca duplici Ephron eſſe ſepultum. Certe Dionyſius Carthuſianus, & vt opinor, ex Hieronymo, aſſerit, duodecim Patriarchas primo ſepultos fuiſſe in Sychem, poſtea tranſlatos in Hebron. Aut dici poterit cum Iacobo Ziglero, ſpeluncam duplicem quam emit Abraham, fuiſſe prope Sychem. Sed quomodo Stephanus dicit Abrahamũ emiſſe locũ illũ à filiis Hemor, cum ab illis emerit Iacob? niſi quia primo ab illis emit Abrahã, ſed decurſu temporis abalienatũ; rurſus Iacob poſt annos centũ decẽ & ſeptẽ, ex Meſopotamia rediẽs, emit. Nec deſunt qui exiſtimẽt Stephanũ de ſola emptione Iacob eſſe locutũ, & nõ dixiſſe Abrahã, ſed Iacob; verũ poſtea mutata lectione, pro Iacob, eſſe poſitũ Abrahã, idque etiã tẽpore B. Hieronymi. Reſtat vnus ſcrupulus, quomodo Stephanus dixerit, Hemor fuiſſe filiũ Sychẽ, cũ Geneſ. 33. appelletur pater eius? Sed reſpõdemus, græce, nec eſſe nomẽ patris, nec filij, ſed tantũ Εμὼρ τ Συχὲμ, quod indifferenter ſignificare poteſt, vel patrẽ, vel fratrẽ, vel filiũ, ſicut in Euãgelio nominatur Iudas Iacobi, id eſt frater Iacobi; & Iacobus Alphæi, id eſt, filius Alphæi. Beda citat Græcos codices in quibus erat, nõ τ συχὲμ, ſed, ἐν συχὲμ, id eſt, in Sychem. Secundũ quã lectionẽ ſenſus eſſet, Patriarchas eſſe poſitos in ſepulcro quod emit Abrahã in Sychẽ à filiis Hemor. Quidã hãc euadere difficultatẽ volentes, dicunt Hemor habuiſſe patrẽ & filiũ eodẽ nomine Sychẽ appellatos. Sic Gagneius.

41 Eugubinus & Lippomanus in Catena in Geneſim ſuper caput 33. Geneſis, arbitrantur locũ illũ, qui eſt in cap.7. Actuum Apoſt. con-

Eugubinus Lippom.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tinens ſupradicta verba Stephani, eſſe dupliciter vitiatũ: tum quod pro nomine Iacob poſitũ ſit nomen Abrahã: tum quod pro nomine patris, ſubſtitutum eſt nomen filij. Hanc igitur ſinceram eſſe lectionem eius, & veram ſententiam à Stephano dictam, & ſcriptam à Luca: *Quod emit Iacob à filiis Hemor patris Sychem.* Certe apud B. Hieronymum in illa Epiſtola, De optimo interpretandi genere, vbi citantur hæc verba Stephani, memoratur Hemor pater, non autem filius Sychem. Sic illi. Placuit etiam opinio hæc Andreæ Maſio, viro diſerto, erudito, pio. Cum enim explanans caput vltimum Ioſue, in huius quæſtionis tractatum deueniſſet, quid ſuper ea quæſtione ſentiret, ad hunc modum expoſuit: Empti agri à Iacobo narratio, cum narratione emptæ duplicis ſpeluncæ, confundi videtur à B. Stephano: niſi vitiata olim eſſe omnia exemplaria exiſtimare potius velimus, quam virum diuino Spiritu non afflatum modo, ſed plenum, non rem ipſam dixiſſe: præſertim cum Syrici codices mendoſum eum eſſe locum aperte oſtendant: ſic enim in his ſcriptum eſt, vt verbis verba reddam: *Et deſcendit Iacob in Ægyptũ, defunctuſque eſt illic ipſe & patres noſtri: & tranſlatus eſt in Sychem & poſitus in ſepulcro, quod emerat Abraham argento à filiis Hemor.* In hac igitur narratione, ſi pro Sychem ſcribas Hebron, nihil erit abſurdi. Quanquam ne retenta quidem voce, Sychem, quicquam fuerit abſurdi, ſi putemus non eſſe incredibile, ad tanti viri exequias cohoneſtandas, ductum eſſe funus Iacob ad Sychem vſque primum; vt pote locum, in quo ille habitaſſet, & vbi etiam prædium ſuum haberet: ac deinde Hebronem ad patrium monumẽtum fuiſſe delatum. Nam ad Hemorem quod attinet, fieri poteſt, vt is Ephronis, qui ſpeluncã duplicem Abrahamo vendidit, vel parens, vel auus fuerit. Sed ego nunc Syricorum codicum probitatem non cõſtitui defendere. Satis mihi illud eſt, Græcos codices mendoſos videri, cum Syrici ab ipſis diſſentiant.

Andreas Maſius.

Quod ſi mihi, ait Maſius, coniectura vti liceat in re tanta, dixerim Stephanum illic de Ioſephi ſepultura locutũ eſſe: atque ad hunc modum emẽdari debere codices Græcos, vt pro Abrahã, ſcribatur Iacob, illudque, ἐν συχέμ, expungatur, tãquam ſuperuacaneum, & audacter atque inſcienter olim à quopiam additum Sacris verbis: neque enim temere omiſſum à Syro eſſe opinor, interprete lõge vetuſtiſſimo. Quod ſi vocem Sychem retinere lubet, interpretandum omnino eſt non filij, ſed patris Sychem; vti legitur Geneſ. 33. Quod autem plurium numero memorat Stephanus, patres in Sychem eſſe tranſlatos ſepultoſque, cum ſint illic vnius duntaxat Ioſephi condita oſſa; eſt id ex Hebræorum loquendi quadam conſuetudine dictum, quam exemplis alibi explicauimus. Quanquam duodecim Patriarcharum oſſa in Sychem ſepulta eſſe, ſcriptum diſerte ab Hieronymo eſt. Non ſum equidem neſcius, quibus alij hunc locum rationibus à mendo vindicare conentur: ſed ego nefas eſſe non puto, iis mendis admouere manus, quæ ſacris literis aperte teſtata, & velut digito indicata ſunt. Hæc Maſius.

Auctoris ſententia.

EGO in hac tam impedita & perplexa quæſtione, nec ſatis ſcio quo 42 me

me vertam, nec liquido videre poſſum, qua potiſſimum via inſiſtere debeam. Sic enim vndique quæſtio circumſepta difficultatibus eſt, vt nulla ex parte expeditus aliquis & commodus eius quæſtionis exitus oſtendatur. Verum, ne nihil dicamus, & vt rei obſcuriſſimæ nonnihil afferre lucis tentemus, conſtitui ſupra expoſitas auctorum quæſtionis huius ſolutiones ſubtiliter excutere, & quantum in quaque ſit probabilitatis, attente penſitare: vt iis, quæ improbabiles videbuntur, abdicatis reiectiſque, eam quam magis à contradictione remotam eſſe oſtẽdemus, minoribuſque vrgeri ac premi incommodis, eligamus.

Examinatur opinio Bedæ, Rabani, & Cani: & vt improbabile reiicitur B. Stephanũ memoria eſſe lapſum in illa narratione.

Primam rationẽ explicandæ huius quæſtionis indicauit Beda, quẽ ſecutus eſt Rabanus, his vero ſuffragatus eſt Melchior Canus. Aiunt iſti Stephanum in ea narratione memoria eſſe lapſum, miſcendo ſcilicet atque confundẽdo emptionem ſepulcri Abrahæ, quæ traditur Geneſ. 23. cum emptione agri Iacob, quæ narratur Geneſ. 33. Aſt ego, vt iſtis aſſentiar, ægerrime adduci poſſum. Cum enim reputo mecum, atque animo meo Stephanum repræſento, virum nempe Spiritu Sancto non afflatum modo, ſed plenum, eodemque Spiritu incitante, verbaque ei ſuggerente ac præmoderante, eum diuinam illam ad Iudæos concionem ſic habuiſſe, vt & antea ex eius ore vultuque quaſi angelicus quidam decor & ſplendor emicaret; & poſtea viderit cælos apertos, & gloriam DEI; cum talem, inquam, tantumque virum conſidero, refugit animus, horretque cogitare, nedum credere, turpi eum memoriæ lapſu, & reprehenſioni atque irriſioni Iudæorum obnoxio, à vero aberraſſe. Nec ſane cauſa erat vlla, quare Lucas erratum eius ſcriptis prodere veller, perpetuam faciens erroris tanti viri apud poſteros memoriam. Cur ipſe non potius id correxit, quod ſciebat illi per obliuionem aut incogitantiam excidiſſe; quodque ſi aduertiſſet ille, procul dubio emendaſſet, aut niſi à corrigendo inſtans mors eum excluſiſſet? Deinde, ſi hanc feneſtram in Scriptura aperimus, & ſanctiſſimos viros in iis, quæ dixiſſe memorantur in ſacris literis, labi potuiſſe atque etiã lapſos eſſe admittimus; multa quæ in ſacris libris habentur vt certa & indubitata, in ſuſpicionem falſitatis vocare licebit, atque impiorum calumniis obiicere: Nimirum dicetur, falſum dixiſſe illos, non malitioſe, neque per inſcitiam, ſed memoriæ lapſu: Sacrum autem ſcriptorem extra errorem eſſe, qui vere eorum errata narrauerit. Solet interdum Scriptura falſas quorundam ſententias referre; ſcio: ſed fere impiorum & improborum hominum: aut certe eorum qui tales non erant, qualis Stephanus fuit: quos videlicet falſos eſſe, vel per inſcitiam, vel per obliuionem, ſentire nefas non ſit.

Diſcutitur ſentẽtia Eugubini, Lippomani, Andreæ Maſij: & diſputatur locum Act. non eſſe vitiatũ & mendoſum.

43 Alteram expediendæ huius difficultatis viam tenuere Eugubinus, Lippomanus & Andreas Maſius. Viſum iſtis eſt locum illum, vti eſt in græca & latina lectione mendoſum eſſe, & iampridem fuiſſe vitiatum: non enim Stephanum locutum eſſe de emptione Abrahæ, vt habet vulgata lectio, ſed de emptione agri facta à Iacob: quare duplex mendum ex ea lectione tollend ũeſſe; nã & Abrahæ nomẽ expungendum eſt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

est,atque in eius locum substituendum nomen Iacob : Et cum dicitur Hemor filius Sychem , pro nomine filij,reponendum est nomen patris.Sic isti. Equidem video planam & facilem esse viam hanc soluendi propositam difficultatem ; eamque libens ipse insisterem , nisi me multa inde reuocarent,immo vero quasi prehensum manu vehementer retraherent.Principio , ad probandum, aliquem Scripturæ locum esse corruptum & mendosum,proferre oportet complures libros , vel excusos typis,vel manu scriptos, aut certe vnum & alterum reuerendæ vetustatis,spectatęque fidei,atque exploratę sinceritatis,qui diuersam vel etiam contrariam lectionem haberent. Hoc isti auctores nec faciunt, nec vero facere possunt. Nullus enim est in hac ætate nostra, nec in vlla superiori ætate fuit,aut Grecus,aut Latinus codex,secus habens eo loco,quam habet vulgata lectio Latina.Deinde,permirum est tam insignis mendi & deprauationis Scripturæ , non venisse in mentem B.Hieronymo,Bedæ,Rabano,aliisque rimandi codicum errata,lectionumque varietatem indagandi curiosissimis atque solertissimis. Nec sane inter nomen Iacob , & nomen Abraham , vlla est literarum similitudo, propter quam vtique facilis est & procliuis, vnius vocis in aliam commutatio. Nec Iacob emit sepulcrum pretio argenti , vt eo loco dixit Stephanus ; sed centum agnis emit partem agri , in vsum prædij , non autem sepulturæ. Religioni præterea mihi est , adhærere isti sententiæ;propter vulgatæ translationis auctoritatem , quam sane, vbi manifestum Scripturæ mendum non apparet , sartam tectam , vt dici solet,custodire ac tueri debemus. Esse autem in eo loco mendum, vnde quæso isti probare possunt, cum contra,eius integritatem ostendat omnium codicum cuiusque seculi constans & perpetua consensio & mira Latinorum cum Græcis concordia,magnumque veterum scriptorum,nihil de huiusmodi suspicantium mendo, silentium?

Refellitur opinio Auctoris Historiæ Scholasticæ & Caietani.

TERTIVS exsoluendi huius nodi modus placuit Auctori Historiæ Scholasticæ & Caietano. Mutant isti structuram & ordinem verborum B. Stephani, aliter ea disponentes & collocantes , quàm est in omnibus libris ; vt quam intendunt ipsi sententiam,& quam putant à Stephano pronuntiatam,& scriptam à Luca,elicere possint.Et Auctor quidem Scholasticæ Historiæ ita componit ac disponit verba Stephani : *Translati sunt in Sychem ; Sychem dico, emptam à Iacob ex filiis Sychem filij Hemor. Deinde positi sunt in sepulcro,quod emit Abraham pretio argenti.* Præter mutationem structuræ verborum Stephani, Auctor iste duo addit de suo ; vnum est illud : *Sychem dico,emptam à Iacob :* alterum est illud : *Deinde positi sunt*:horum quippe neutrum habet Scriptura. Corrigit præterea illud: *A filiis Hemor filij Sychem*, quod tamen in omnibus libris ita legitur ; & pro eo statuit ipse, *A filiis Sychem filij Hemor*. Iam verò quis ferat istam lectionem, quæ sententiam facit scripturæ, quòd duodecim Patriarchæ sepulti fuerint in Hebronico sepulcro Abrahæ; cum id non modo certum non sit, verum etiam à grauissimis viris , vt. Hieronymo & Beda,falsum iudicetur? 44

CAIETANVS

CAIETANVS autem eadem verba Stephani,paululum ab Historia Scholastica differens,ad hunc modum ordinat,& collocat:*Translati sunt in Sychem,& positi sunt à filij Hemor , in sepulcro, quod emit filijs Sychem Abrahã pretio argenti.*Sed ipsemet Caietanus,vt erat ingenio perspicaci, vidit per huiusmodi constructionẽ verborum , poni vt certũ,quod erat incompertum;videlicet Sychimitas ossa duodecim Patriarcharum, qui sepulti fuerant in Sychem,inde transposuisse Hebronem ad sepulcrum Abrahæ. Hoc sane nec verum est,nec verisimile. Quin credibilius fit, exhumatutos fuisse Sychimitas eorum ossa , & proiecturos ac dissipaturos ; memores scilicet quantam ab illis stragem & cladem Maiores ipsorum accepissent.

Structura & ordinatio verborũ scripturæ ad eius sententiã facit , vt ista mutata, hanc mutari necesse sit.

45 PRÆTEREA, sic mutare structuram verborum Scripturæ , quid aliud est,nisi eius mutare sententiam?Etenim sententia Scripturæ, non in solis verbis separatim acceptis , aut quolibet modo iunctis ordinatisque consistit; sed in certa quadam textura & dispositione verborum: iisdem namque verbis manentibus , si eorum structura & positura mutetur,variari quoque sententiam necesse est;vt hoc loco factum esse ab istis , facile animaduertere est. Nam B. Stephani verba , vt in omnibus libris leguntur,hanc reddunt sententiam,Duodecim Patriarchas positos esse in sepulcro , quod emit Abraham à filiis Hemor filij Sychem. Isti contra,mutata eorum verborum structura , huiusmodi finxere sententiam; Patriarchas positos esse in Sychem , quam emit Iacob à filiis Sychem filij Hemor. Quemadmodum porrò nefas est mutare verba & sententias diuinæ Scripturæ:ita fas non est verborum eius mutare compositionem & ordinem;vnde scilicet necessariò sententiæ etiam mutatio existit.Quod si talem permittamus licentiam,breui aliam , nouamque Scripturam habebimus, nouis in eam inductis , ex mutata verborum dispositione, sententiis.

Auctoris sententia.

46 QVARTAM rationem tollendi propositam difficultatem significauit B.Hieronymus,eandemque S.Gregorius strictim attigit;Lyranus verò vnice eam approbauit ; quin etiam Caietanus solam omnium , ad sententiam verborum Stephani(nisi ea vel corrigere, vel aliter cõstruere & ordinare velimus) quadrare iudicauit. Ego quidem certe sine dubitatione dixerim , eam rationem, si cum superioribus comparetur , & plus habere probabilitatis,minusque difficultatis & absurditatis. Continet autem ea ratio quatuor res , enucleate declarandas ; faciles illas quidem ad intelligendum , & ad credendum satis procliues. Primo sumit hæc ratio,B. Stephanum eo loco esse locutum de emptione sepulcri facta non à Iacob , sed ab ipso Abraham , quem scilicet emisse ab Ephron Hethæo speluncam duplicem,in sepulturam vxoris suæ,narrat Moses Genes. 23. loqui autem Stephanum de huiusmodi emptione, tribus ex rebus perspicuum est. Etenim narratio Stephani in omnibus libris,tam Græcis,quàm Latinis,habet nomen Abrahæ;in nullo autem codice legitur nomen Iacob.Stephanus quoque loquitur de emptione sepulcri:at solus Abraham legitur emisse locum,in vsum sepulcri;Iacob

verò dicitur emisse partem agri à Sychimitis, non in sepulcrum, sed in vsum prædij; vnde vocatur in Euangelio Ioannis cap. 4. prædium Iacob. Adhæc, Stephanus ait sepulcrum emptum esse pretio argenti: id autem vere congruit in Abraham, qui duplicem spelunçam emit quadringentis siclis argenti Genes. 23. in Iacob verò minime conuenit; quippe qui partem agri emit centum agnis, vt traditur Genes. 33. & Iosue capite vltimo. liquet igitur Stephanum commemorasse emptionem Abrahę, non autem Iacob.

SECVNDO loco assumit hæc ratio, Ephronis, ex quo sepulcrum 47
emit Abraham, patrem fuisse binominem: vocatum enim esse Seor, quo nomine appellauit eum Moses; & item dictum esse Hemor, quo nomine Stephanus eum vocauit. Itaque reapse Mosis & Stephani eadem est sententia, diuersusque solum est loquendi modus. Moses ait, emptum esse sepulcrum ex Ephrone filio Seor; Stephanus dicit emptum esse à filiis Hemor: eadem verò persona erat Hemor, & Seor. Hæc porrò interpretatio nihil habet, non satis pronum ad fidem. Multos nempe legimus in sacris literis fuisse binomines: & in vno quidem Scripturæ loco, appellari vno nomine, in aliis vero locis altero nomine vocari. Exępli gratia; vnus de filiis Iosiæ regis Iuda, in libro quarto Regum cap. 24. nominatur Ioachaz; idem libro primo Paralipomenon cap. 3. & Hieremiæ 22. dicitur Selum. Alter filius eiusdem Iosiæ, in quarto Regum supradicto loco, vocatur Heliachim, & Ioacim; idem autem in genealo-
Matth. 1. gia CHRISTI, nominatur à Matthæo Iechonias; vt nos ostendimus libro primo Commentariorum in Danielem, super illis verbis capitis primi: *Anno tertio Ioacim regis Iuda.* Huius item Ioacim filius in libro quarto Regum 25. appellatur Ioachim, qui apud Hieremiam cap. 22. nominatur Iechonias. Ad eundem igitur modum, quem Moses vocauit Seor, eundem Stephanus appellauit Hemor.

TERTIO loco sciendum est, vsitatum esse in diuinis literis, vt in 48
rerum narrationibus sæpe vnus scriptor circumstantiam aliquam, vel personæ, vel loci, vel temporis omittat, quam alius posterior earundem rerum scriptor suppleat & exponat. Huius rei multa, libros Regum cum libris Paralipomenon, itemque libros historicos cum propheticis, atque ipsam veterem Scripturam cum Euangelica & Apostolica con-
Exodi 7. ferenti, obuia erunt exempla. Ego vnum hic apponam. In libro Exodi scriptum est, Magos vehementer obstitisse Mosi coram Pharaone: sed quinam fuerint illi Magi, quodue illis nomen, tacuit illic Moses. At B. Paulus eorum nomina expressit; dicens fuisse Iannem & Mambrem in cap. 3. posterioris Epistolæ quam scripsit ad Timotheum. Non igitur mirum Lectori videri debet, si Moses Seoris patrem vel auum tacuerit, eum vero commemorauerit B. Stephanus, dicens, Hemor (idem autem hic, dictus est à Mose Seor) fuisse filium Sychem.

QVARTO loco declarandum est (nam hic etiamnum in verbis 49
Stephani restat scrupulus) quemadmodum secundum hanc rationem nostram verum esse possit, quod dixit Stephanus, Iacob & filios eius transla

translatos esse in Sychem & positos in sepulcro Abrahæ. Si quidem sepulcrum Abrahæ non erat in Sychem, sed iuxta Hebron; nec Iacob ex Ægypto translatus est in Sychem, sed Hebronem; vt manifestum est legenti Caput quinquagesimum Geneseos. Nam quod dixit Masius, vt nos supra retulimus, non esse incredibile, primo funus Iacob ductum esse in Sychem, atque inibi tanquam in proprio eius loco & prædio exequias esse celebratas; postea vero deductum esse Hebronem, ad patrium sepulcrum, vti ipse mandauerat: Hoc, inquam, Masij dictum, facere videtur improbabile narratio funeris, exequiarum, & sepulturæ Iacob, quæ disertis verbis à Mose descripta est Genes. 50. vbi narratur, primo funus Iacob ductum esse ad Aream Arad, quæ sita est trans Iordanem, ibique per septem dies magno planctu exequias esse celebratas: postea vero ductum esse in terram Chanaan, & sepultum in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro, in possessionem sepulcri, ab Ephrone Hethæo contra faciem Mambre.

NOS igitur scrupulum istum aliter, nec magno negotio, euellere possumus. Dixerat Stephanus, Iacob & filios eius defunctos esse in Ægypto, & mox illud adiunxit: *Translati sunt in Sychem*: Hoc nos dicimus, non ad Iacob & filios eius coniuncte, sed solum ad filios Iacob referri debere; præsertim verò ad Ioseph, quem esse in Sychem sepultum, manifestis verbis tradit Scriptura, Iosue vltimo. Quod porrò deinde subditur; *Et positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham*, ad solum Iacob pertinet. Nec noua Lectori, aut dura huiusmodi expositio videri debet. Solet enim Scriptura plurali numero aliquid de multis dicere, quod non illis omnibus, sed aliquibus tantum, aut etiam vni duntaxat conueniat: exempli gratia, Matthæus capite 26. narrat discipulos CHRISTI murmurasse, atque indignatos esse propter vnguentum à Magdalena in vngendo Domino effusum; cum ex narratione Ioannis, quæ est in cap. 12. vnum modo discipulum, Iudam dico proditorem, ea de re murmurasse constet. Et in Prophetis animaduertere est, de eodem populo Iudaico, sæpe in commune dici quædam in bonum & laudem eorum, & rursus alia in malum & reprehensionem; quod in eo populo pauci quidam essent probi ac pij viri, multi autē improbi ac scelerati. Consimili ratione, cum Stephanus de Iacob & filiis eius locutus esset, quæ postea subiungit de translatione eorum in Sychem, & de collocatione in sepulcro Abrahæ, partim ad filios Iacob, partim autem ad ipsum Iacob pertinent. Si responsum hoc Lectori animum non explet, sequatur licet opinionem illam multorum, affirmantium duodecim Patriarchas in Ægypto defunctos, primo inde translatos esse in Sychem, postea verò transposita esse eorum ossa in Hebronicum sepulcrum Abrahæ. Huius sententiæ auctorem habemus Iosephum in libro secundo Antiquita- Iosephus.
tum, quod attinet ad sepulturam eorum in Hebron: quantum verò ad hoc, & ad primam eorum translationem in Sychem, assensores probatoresque eius opinionis sunt, auctor Historiæ Scholasticæ, Carthusianus, Gagneius, & alij.

Notabilis consuetudo Scripturæ.

At enim,dicet aliquis,B. Hieronymus in ea, quam scripsit ad Pammachium Epistola de Optimo genere interpretandi, negat duodecim Patriarchas sepultos esse in Hebronico sepulcro Abrahę. Addit prętercea, eorum sepulcra sua etiam ætate,extitisse in Sychem,& à peregrinis visitari solita. Equidem non inficior,auctoritatem S. Hieronymi facere eam opinionem satis probabilem: sed contraria tamen, nihilominus probabilis videtur,propter Iosephi auctoritatem,hominis vtique Iudęi, & antiquitatum, rerumque Iudaicarum peritissimi, & qui de sepulcro Patriarcharum, veterem ac peruulgatam suæ gentis opinionem & traditionem haud dubiè secutus est. Nec magnam vim habet quod opponit S. Hieronymus de Patriarcharum sepulcris, quæ suo etiam tempore in Sychem visebantur: nam cum illic primo sepulti fuerint, quid mirum, etiam post eorum translationem in Hebron, vsque ad ætatem Hieronymi mansisse eorum sepulcra, & in honore apud Iudæos Christianosque iuxta fuisse? Hanc quartam rationem explicandi propositam quæstionem,indicauit, vt supradixi, B. Hieronymus in illa Epistola de Optimo genere interpretandi, significans discrepantiam, quæ inter Mosen & Stephanum esse videtur, non in sensu esse, sed in verbis & modo loquendi: talem verò esse dissonantiam aperte ostendit hęc ratio, docens de iisdem rebus ac personis loqui Mosen ac Stephanum, sub diuersis tamen nominibus. Beatus quoque Gregorius non obscure hanc ipsam rationem indicauit. Nam citans illa verba Stephani: *Quod emit ex filiis Hemor filij Sychem*: adiunxit mox hanc interpretationem: Id est,ex Ephron filio Seor: intelligens per filios Hemor, ipsum Ephron; & per Hemor,patrem eius, dictum alio nomine Seor. Sed video me in huius quæstionis tractatu longius prouectum esse, quam ab initio putaueram: quare hic finem ponam huic Disputationi.

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA SVPER CAPVT *Vigesimumquartum Geneseos.*

Mittit Abraham seruum in Mesopotamiam, vt ex posteris Nachor fratris sui, virginem assumat, futuram Isaac filij sui uxorem: Ducitur Rebecca neptis Nachor, & Bathuelis filia,sororque Laban;eaque Isaaco, ingenti eius gaudio & lætitia,iungitur matrimonio.

ERAT *autem Abraham senex,dierumque multorum: & Dominus in cunctis benedixerat ei.* VERSVS 1
Dixitque ad seruum seniorē domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat: Pone manum tuam subter fœmur meum, 2 3
vt aduurē te per Dominū DEVM *cæli & terræ: vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito,sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo Isaac. Respondit senior, Si noluerit mulier venire mecū in terrā hanc, nunquid reducere debeo filiū tuum ad locum de quo egressus es?* 4 5

6 *Dixitque Abrahã, caue ne quãdo reducas filium meũ illuc.*
7 *Dominus* DEVS *cæli qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, qui locutus est mihi, & iurauit mihi dicens, Semini tuo dabo terram hanc: ipse mittet Angelum suum corã te, & accipies inde uxorẽ filio meo. Sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis iuramento: filium*
9 *meum tãtum ne reducas illuc. Posuit ergo seruus manũ sub fœmore Abraham domini sui, & iurauit illi super sermone*
10 *hoc. Tulitque decẽ camelos de grege domini sui, & abiit, ex omnibus bonis eius portans secum: profectusque, perrexit in*
11 *Mesopotamiam ad urbẽ Nachor. Cũque Camelos fecisset accumbere extra oppidum iuxta puteum aquæ uespere, eo tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam,*
12 *dixit, Domine* DEVS *domini mei Abraham, occurre obsecro, mihi hodie, & fac misericordiã cum domino meo Abra-*
13 *ham. Ecce ego sto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum*
14 *huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella cui ego dixero, Inclina hydriam tuam ut bibam: & illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipsa est quã præparasti seruo tuo Isaac, & per hoc intelligã quod*
15 *feceris misericordiam cum domino meo. Necdum intra se uerba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel, filij Melchæ uxoris Nachor fratris Abrahã, habens*
16 *hydriam in scapula sua. Puella decora nimis, uirgoque pulcherrima, & incognita uiro. Descenderat autem ad fon-*
17 *tem, & impleuerat hydriam ac reuertebatur. Occurritque ei seruus, & ait, Pauxillum aquæ mihi ad bibendum*
18 *præbe de hydria tua. Quæ respondit, Bibe domine mi. Celeriterque deposuit hydriam super ulnam suam, & de-*
19 *dit ei potum. cumque ille bibisset, adiecit, Quin & came-*
20 *lis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. Effundensque hydriam in canalibus, recurrit ad puteum ut hau-*

riret

riret aquam, & hausiam omnibus camelis dedit. 21
Ipse autem contemplabatur eam tacitus, scire uolens utrum prosperum iter suum fecisset DEVS, *an non. Postquam autem* 22
biberunt cameli, protulit uir inaures aureos appẽdentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclorum decem. 23
Dixitque ad eam, cuius es filia? indica mihi. Est in domo patris 24
tui locus ad manendum? Quæ respondit, Filia sum Bathuelis filij Nachor, quem peperit ei Melcha. Et addit, dicens, 25
Palearum quoque & fœni plurimum est apud nos, & locus spatiosus est ad manendum. Inclinauit se homo, & ado- 26
rauit Dominum, dicẽs, Benedictus Dominus DEVS *domini* 27
mei Abraham, qui non abstulit misericordiam & ueritatem suam à domino meo, & recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei. Cucurrit itaque puella & nun- 28
ciauit in domum matris suæ omnia quæ audierat. Habebat 29
autem Rebecca fratrem nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem ubi erat fons. Cumque uidisset 30
inaures & armillas in manibus sororis suæ, & audisset cuncta uerba referentis: Hæc locutus est mihi homo: uenit ad uirum qui stabat iuxta camelos, & prope fontem aquæ. Dixitque ad eum, Ingredere benedicte Domi- 31
ni: cur foris stas? præparaui domum & locum camelis. & introduxit eum in hospitium, ac destrauit camelos, de- 32
ditque paleas & fœnum, & aquam ad lauandos pedes camelorum, & uirorum qui uenerant cum eo. Et ap- 33
positus est in conspectu eius panis. Qui ait, Non comedam donec loquar sermones meos. Respondit ei, loquere. 34
At ille: seruus, inquit, Abrahæ sum. Et Dominus bene- 35
dixit domino meo ualde, magnificatusque est, & dedit ei oues & boues, argentum & aurum, seruos & ancillas, camelos & asinos. Et peperit Sara uxor domini mei fi- 36
lium domino meo in senectute sua, deditque illi omnia

quæ

37 quæ habuerat. Et adiurauit me dominus meus dicẽs: Non accipies uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in
38 quorum terra habito: sed ad domum patris mei perges, &
39 de cognatione mea accipies uxorem filio meo. Ego uerò respondi domino meo, Quid si noluerit uenire mecum mu-
40 lier? Dominus, ait, in cuius conspectu ambulo, mittet Angelum suum tecum, & diriget uiam tuam: accipiesque uxo-
41 rem filio meo de cognatione mea, & de domo patris mei. Innocens eris à maledictione mea, cum veneris ad proximos
42 meos, & non dederint tibi. Veni ego hodie ad fontem aquæ, & dixi, Domine DEVS domini mei Abraham, si direxisti
43 uiam meam in qua nunc ambulo, ecce sto iuxta fontem aquæ, & uirgo quæ egredietur ad hauriendam aquam, audierit à me: Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum de hy-
44 dria tua: & dixerit mihi; Et tu bibe, & camelis tuis hauriam: ipsa est mulier, quã præparauit Dominus filio domini
45 mei. Dumque hæc tacitus mecum uoluerem, apparuit Rebecca ueniens cum hydria, quam portabat in scapula: descenditque ad fontem, & hausit aquam. Et aio ad eam, Da
46 mihi paululum bibere. Quæ festinans deposuit hydriam de humero, & dixit mihi, & tu bibe, & camelis tuis tribuam
47 potum. Bibi, & adaquauit camelos. Interrogauique eam, & dixi, cuius es filia? Quæ respondit, Filia Bathuelis sum filij Nachor, quem peperit ei Melcha. Suspendi itaque inaures ad ornandam faciem eius, & armillas posui in ma-
48 nibus eius: Pronusque adoraui Dominum benedicens Domino DEO domini mei Abrahã, qui perduxit me recto itine-
49 re, ut sumerẽ filiam fratris domini mei filio eius. Quamobrem si facitis misericordiam & ueritatem cum domino meo, indicate mihi: sin autem aliud placet, & hoc dicite
50 mihi, ut uadam ad dexteram, siue ad sinistram. Responderuntque Laban & Bathuel, à Domino egressus est sermo:

non

non possumus extra placitum eius quicquã aliud loqui tecum. En Rebecca corã te est, tolle eam & proficiscere, & sit 51
uxor filij domini tui, sicut locutus est Dominus. Quod cum 52
audisset puer Abraham, procidẽs adorauit coram Domino.
Prolatisque uasis argenteis & aureis, ac uestibus, dedit ea 53
Rebeccæ pro munere, fratrib. quoque eius, & matri dona obtulit. Inito cõuiuio uescentes pariter & bibentes manserũt
ibi. Surgens autem mane, locutus est puer: Dimitte me ut 54
uadã ad dominum meum. Respõderuntque fratres eius & 55
mater: Maneat puella saltẽ decem dies apud nos, & postea
proficiscetur. Nolite, ait, me retinere, quia Dominus direxit 56
uiam meam: dimitte me ut pergam ad dominũ meum. Et 57
dixerunt: uocemus puellã, & quæramus ipsius uolũtatem.
Cumque uocata uenisset, sciscitati sunt: uis ire cum ho- 58
mine isto? Quæ ait, uadam. Dimiserunt ergo eam, & nutri- 59
cem illius, seruumque Abraham & comites eius: imprecantes prosperа sorori suæ, atque dicẽtes, Soror nostra es, crescas 60
in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum
suorum. Igitur Rebecca & puellæ illius ascensis camelis, se- 61
cutæ sunt uirũ, qui festinus reuertebatur ad dominũ suum.
Eo autẽ tempore deambulabat Isaac per uiã, quæ ducit ad 62
Puteum, cuius nomen est uiuentis & uidentis: habitabat
enim in terra australi. Et egressus fuerat ad meditandum in 63
agro, inclinata iam die. Cũque eleuasset oculos uidit came- 64
los uenientes procul. Rebecca quoque conspecto Isaac, descendit de camelo. Et ait ad puerum, Quis est ille homo, qui ue- 65
nit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei, Ipse est dominus meus. At illa tollens cito pallium suum, operuit se. Ser- 66
uus autem cuncta quæ gesserat, narrauit domino suo Isaac.
Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, & 67
accepit eam uxorem: & in tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.

VERSVS.

Erat autem Abraham senex, dierumque multorum, & Dominus in cunctis benedixerat ei.

EVISSE tunc Abraham ætatis suæ annorum centum quadraginta, bene putata, subductaque ratio eorum temporum aperte demonstrat. Siquidem centenarius genuerat Isaac, Genesis vigesimoprimo; hic autem quadragenarius Rebeccam duxit vxorem, Genesis vigesimoquinto; atque eodem ipso anno & Abraham misisse seruum in Mesopotamiam, & inde adductam Rebeccam nupsisse Isaaco, historia huius capitis perspicue ostendit. Quare procul vero est, quod reliquit scriptum Lippomanus: ait enim fuisse tunc Abraham centum triginta septem annorum, atque ei coniugio superuixisse triginta octo annos; cum solum triginta quinque superuixerit. Causam errādi fuisse reor Lippomano, quod is putauit eodem anno, quo mortua est Sara, coniugium hoc inter Rebeccam & Isaac esse contractum: propterea quod sub finem huius capitis scriptū est, Isaac accepta in vxorem Rebecca, valde leuatum esse dolore, quem ceperat ex morte matris; ex quo fortassis Lippomanus existimauit, non multo ante coniugium illud, decessisse Saram: sed reuera triennio ante decesserat. Nec sane B. Augustinus ad hunc impegit scopulum: sed veram eius temporis rationem & vidit, & breuiter his verbis exposuit: Rebeccam neptem Nachor patrui sui, cum annorum quadraginta esset Isaac, duxit vxorem, centesimo scilicet & quadragesimo anno vitæ patris sui, triennio autem post mortem matris suæ. 1

Lippoman. in Catena in Genesim super cap. 24.

Augustinus lib 16. de Ciuita DEI ca. 33.

Sed cur primus Maiorum suorum Abraham vocatur senex, multorumque dierum, qui centum duntaxat & septuagintaquinque annos vixit: cum de Maioribus suis multi ante Diluuium vltra nongentesimum annum, post Diluuium vero vltra quadringentesimum, vitam produxerint? Verum scire conuenit non esse appellatum Abraham, senem, & dierum multorum simpliciter, id est, respectu superiorum omnium temporum, omniumque Maiorum suorum; sed respectu sui temporis, & hominum qui ei fuerunt synchroni: neminem enim eius ætatis aut etiam posteriorum temporum, longæuiorem fuisse, quã Abraham, legimus, præter Isaac, qui patris sui ætatem quinquennio supergressus est. Rupertus aliam huius rei reddit rationem, sed mysticã magis, quam literalem: Non vulgari more, inquit, propter ætatis prolixitatem, dictum est de Abraham hoc loco: *Erat senex dierumque multorum*, Quippe cum de illis, qui ante eum fuerunt, alij triplos, alij quadruplos, immo septuplos ætatis eius dies habentes, nihil tale dictum sit. Ergo senex, dierumque multorum, cum dicitur perfectione eum fidei, multorumque operum bonorū fuisse intelligere oportet. Sic ille. Verum, quod dixit, quosdam eorum, qui ante Abraham fuerunt, septuplos ætatis eius 2

Cur Abrahã primus Maiorũ suorum senex vocatus sit. *Genes.* 5. & 11.

Rupertus. lib. 6. Commentariorũ in Genesim cap. 38.

tis eius dies habuisse; si per ea verba significare voluit eos septuplo diutius vixisse quam Abraham, haud dubie falsus est. Omnium quippe hominum longissime vixit Mathusalem, ad annum scilicet vsque nongentesimum & sexagesimum nonum: quæ ætas ne sextuplo quidem excessit ætatem Abrahæ. *Genes.* 5.

3 *Et Dominus in cunctis benedixerat ei.* Inter alias Dei benedictiones, longa ætas Abrahæ numeratur, & pro magno bono, Deique beneficio hic commemoratur. Enimuero, primis illis patribus bona temporalia, quasi quædam ad colendam pietatem & iustitiam inuitamenta, atque incitamenta promittebantur & dabantur à Deo. Bonorum vero illorum temporalium, quatuor præcipua hæc erant genera: longitudo vitę, numerosa & diuturna posteritas, diuitiarum abundantia & opulentia, ac demum victoria inimicorum suorum. Hæc omnia largissime Deus & cumulatissime tribuerat Abrahæ: nam de primo dicitur hic, & infra Genes. 25. de secundo, superioribus capitibus: de tertio scriptum est supra Genes. 13. de quarto legimus supra capite 14. idemque promissum fuit posteris eius capite 22. Vere igitur Moses hoc loco dixit, Deum ei in cunctis benedixisse. Quanquam omnium maxima & nobilissima Dei erga illum fuit benedictio, promissio illa ei data, fore vt in eius semine, id est, in Christo benedicerentur omnes gentes. Quid est, inquit Rupertus: *Dominus in cunctis benedixerat ei*? Id est, Bona cuncta, quæ Deus omnibus gentibus per semen eius, id est, Christum facturus erat, ei prædixerat, atque iuramento firmauerat.

Quatuor genera bonorum temporaliũ, quę probis viris in veteri Testamẽto promittebantur.

Rupertus loco citato

Dixitque ad seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat. VERSV 2.

4 PRO illo, *Ad seruum seniorem*, LXX. interpretes verterunt; *puerum seniorem*, quam lectionem exponens Ambrosius, sic ait, Disce hinc, quod etiam senioris ætatis serui, pueri dicuntur à dominis, vel à quibuscumque potioribus. Vnde & quidam poëta hoc sequendum putauit, siue in eorum vsum, qui sibi docti & sapientes videntur ipse hoc reperit: siue de nostris ipse transtulit, siue translatum inuenit:

Ambros. lib. 1. de Abrahã cap. 9.

,, *Pascite, vt ante, boues pueri, submittite tauros.* Virg. Eclo. 1

Vnde & pueros dicimus, quando seruos significamus, non ætatem exprimentes, sed conditionem. Verum in Abrahæ persona expressam vide virtutem boni Patris familias; & considera, quod munus & cui mandet, vt & tu ita instituas seruos, vt liberis tuis paternũ affectũ deferant, & officia exequantur. Sic Ambrosius. Hic seruus creditur fuisse ille Damascus Heliezer, filius procuratoris, vel vt alia habet lectio, procurator & dispensator domus Abrahæ, cuius supra Genes. 15. mentio facta est.

Caietanus, quia iste seruus appellatur hic senior domus Abrahæ, vel (vt legit ipse) inueteratus in domo Abrahę, ex eo colligit, seruum istum fuisse vna cum Abraham in Mesopotamia, & notam habuisse omnem Abrahæ cognationē atque eius habitationem. Quæ non est vana coniectura. Homines enim illius temporis, non ante octogesimū annum, seniores, seu valde senes dicebantur: verisimile igitur est, istum seruum maiorem fuisse octogesimo anno. Ex quo autem tempore Abraham ex Mesopotamia discessit iussu DEI, & venit ad terram Chanaan, vsque ad id temporis, quo missus est hic seruus in Mesopotamiam, anni præterierant quinque & sexaginta. Abraham namque natus annos septuagintaquinque venit Chananitidem, vt scriptum est Genes. 12. cum autem misit istum seruum in Mesopotamiam, annum agebat cētesimum quadragesimum, vt dudum ostendimus. Cæterum vide, cui potissimum Abraham, grauissimum de coniugio filij sui negotium mandat: seniori nempe seruo: cuius videlicet fides, prudentia, industria, & diligentia, longissimi temporis vsu spectata & explorata fuerat. Nimirum qualis dominus est ingenio & moribus, tales sibi facit ipse seruos, probus, probos; prudens, prudentes; & qui propter humanitatem heri & iustitiam, sincere eum ament & colant, fideliterque ac strenue mandata eius perficiant.

Allegoria missionis serui in Mesopotamiā.

Fuit missio senioris illius serui in Mesopotamiam ad vxorem inde 5 adducendam Isaac, figura missionis Apostolorum, qui in domo Christi tanquam seniores sunt, ad populum Gentilem habitantem in Mesopotamia, id est, in Mundo duobus fluminibus, errorum altero, & altero vitiorum, vndique circumdato, ac penitus immerso: vt inde scilicet Gentes adducerent ad Christum, qui eas sibi per fidem, iustitiā, & misericordiam desponderet. Et fortasse ille seruus senior, præpositus domui Abrahæ, præcipue ac proprie præfigurauit B. Petrū; qui inter Apostolos tum ætate, tum vocatione, de senioribus fuit: & à Christo Domino præpositus est vniuersæ domui suæ, quæ est Ecclesia; cum ei dixit, *Pasce oues meas*, & rursum, *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*. Nec illud sane vacat mysterio quod de illo seruo adiunxit Moses: *Qui præerat*, inquit, *omnibus, quæ habebat Abraham*: Valet vtique hoc ad præsignandam amplitudinem & plenitudinem potestatis, quam in Ecclesia sua Deus Petro & successoribus eius tribuit. Certe primus omnium Apostolorum Petrus, per visionem sibi diuinitus oblatam, vt scribitur Actorum 10. aperte cognouit, Gentes accersendas & adducendas esse ad Christi nuptias, vt ei spirituali iungerentur matrimonio: primaque Gentium ad fidem Christi conuersio, quæ fuit Cornelij centurionis & familiæ eius, per ipsum Petrum facta est. Quod de se ipse Petrus verissime dixit in primo illo Apostolico concilio: *Conuenerunt*, inquit Lucas, *Apostoli & seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna disquisitio fieret, surgens Petrus, dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere, &c.* Eius porro quod paulo ante

Seruus ille Abrahæ figura fuit Petri Apostoli. *Ioan.* 21. *Lucæ* 22.

Act. 10.

Locus *Act.* 15.

ante secundum allegoricum sensum diximus de Mesopotamia, diuersam Ambrosius interpretationem tradit ad hunc modum scribens: Spectare hic licet Ecclesiæ mysteria. Vbi inuenitur Ecclesia, nisi in Mesopotamia? Inde quæritur, inde accersitur; ibi duobus stipatur fluminibus, lauacro gratiæ, & fletu pœnitentiæ. Etenim nisi peccata propria defleueris, nisi gratiam baptismatis acceperis, non tibi acquiritur Ecclesiæ fides, & quædam coniugalis copula. Muniunt eam Tygris, hoc est, Prudentia, & Euphrates Iustitia, & illuminatio fructuosa, à barbaris separans gentibus. Sic Ambrosius.

Ambros. lib. 1. De Abraham cap. 9.

Pone manum tuam subter fœmur meum, vt adiurem te per Dominum DEVM *cæli & terræ.* VERSVS.

6 INGVA Græca, inquit Chrysostomus, habet hoc loco, *Subter fœmur meum*, hebraica vero lectio habet, *Subter lumbum meum*; Verum nescio in quo libro vel auctore eam lectionem hebraicam repererit Chrysostomus. certe codices hebræi habent vocem Iarah, quæ secundum Hebræos significat fœmur, latus, & hastile. Verum natiua & propria significatione, hastile significare putat Oleaster; tralatitia, vero fœmur, quod similitudinem habeat hastilis, sustentando corpus ei superpositum. Sciat Lector, tres humani corporis partes sæpe in Scriptura vsurpari, ad denotandum principium generationis; eiusque propagationem: hæ sunt venter siue vterus, lumbi, & fœmur: quod huiusmodi partes præcipua quadam & singulari ratione ad actum generationis concurrant. De ventre siue vtero, exemplum habes supra Genes. 15. *Qui egredietur de vtero tuo*, dixit DEVS Abrahæ, *ipsum habebis hæredem*, & Psalmo 109. *Ex vtero ante luciferum genui te*: & 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*: De lumbis habes exemplum Genes. 35. cum dixit DEVS Iacob, *Reges de lumbis tuis egredientur*: De fœmore multa sunt exempla, vt illud Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de fœmore eius*, & Genes. 46. atque Exodi 1. filij & nepotes Iacob, qui vna cum eo ingressi sunt Ægyptum, & numerantur septuaginta, dicuntur fuisse egressi ex fœmore Iacob. Ergo egredi ex ventre, vel lumbis, vel fœmore alicuius, in Scriptura significat, naturali generatione ex eo procreari. Recte itaque tam Ambrosius quam Gregorius docent, sæpe vocabulo fœmoris in Scriptura significari propagationem generationis.

S. Chrysost. homil. 48. in Genes.

Oleaster.

Fœmur, lūbi & venter siue vterus in Scriptura, generationem denotant.

Ambros. lib. 1. de Abrahā cap. 6. Gregorius hom. 13. in Ezechielē.

7 SIGNIFICATVR præterea eo nomine potentia & fortitudo bellica. Iuxta quam significationem est illud Psalmi 44. *Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentissime*. Quare quod traditur in Apocalypsi cap. 19. Filium DEI esse visum Ioanni, habentem in vestimento suo aspersō sanguine, & in fœmore suo scriptum, *Rex regum, & Dominus dominantium*, vtroque modo exponi potest; nimirū de potentia quam su-

Locus Apocalypsis ca. 19.

per omnes reges omnesque creaturas, merito possionis suæ, adeptus
Matth. vlt. est; quemadmodum ipse dixit post resurrectionem suam: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Potest quoque intelligi de propagatione generationis eius spiritualis, respectu videlicet electorum, quos ipse Filius DEI sibi genuit per Spiritum sanctum, & baptismale regenerationis lauacrum; cuius efficacitas ex merito ac virtute passionis CHRISTI profluit, per illam vestem eius sanguine aspersam, significata: quod
Isaiæ ca. 53. etiam Isaias prænuntiauerat; *Si posuerit* (inquit) *pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* Apposite vero signateque, Electi vocantur, Reges & Dominantes, nempe de quibus proditum est in libro Sapientiæ cap. 3. *Iudicabunt nationes & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum.* Huc spectat illud in Apocalypsi capite 2. magnificentissimum DEI promissum: *Qui vicerit*, ait, *Dominus, & custodierit vsque in finem opera mea: dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, sicut ego accepi a Patre meo.* Cæterum quid significet illa cæremonia, ponendi manum sub fœmore, & vnde traxerit originem, deinceps inquirendum est.

PRIMA DISPVTATIO.

Quænam sit germana significatio, quæve ratio & origo eius cæremoniæ, qua vsus est Abraham in adiurado seruum suum, iubens eum ponere manus sub fœmore suo.

Sex opiniones.

8 SEx auctorum super ea re sententias reperio. Prima sententia est quorundam existimantium, tempore illo Abrahæ fuisse eum morem adiurandi apud illas gentes, quibus cum versabatur Abraham: & iccirco ab eo vsurpatum; vt qui prudenter moribus & institutis minime improbis, eorum apud quos viuebat, sese accommodarer. Originem autem & rationem eius moris fuisse eam putant, quod prisci mortales generationem hominis, atque eius perpetuam propagationem, maximum quoddam & prope diuinum esse bonum iudicabant. Quamobrem membra etiam corporis, quæ seruiunt generationi, vt sacra colebant: vnde obscœna colendi Priapi superstitio exorta est. & quia virilitatem nudare ac tangere, nimis pudendum & turpe videbatur, iurantes, fœmori supponebant manum, vt parti scilicet propinquæ, simulque ad generationem etiam conducenti. Iuxta opinionem hanc videtur esse, quod scribit super hoc loco B. Chrysostomus: Cur, inquit, manum fœmori supponi iussit? quia mos ille veterum erat. Et vt discas, quod hoc facere consueuerint, vide quod Abraham imperauit seruo, vt manum fœmori supponeret, videlicet tanquam quid notum & vsitatum. Iosephus quoque id

1. Opinio.

Chrisost. hom. 48. in Gen.

Iosephus.

que id ipsum significare videtur ita scribens, Subditis alter alteri manibus sub fœmora, DEVM ita testem inuocabant eorum quæ destinauerant.

9 VERVM ista opinio dupliciter refellitur; tum quod isti non probant quod dicunt; vt enim istud probare ac persuadere possent, oportebat proferre eos auctoritatem & testimonium probatæ cuiuspiam scripturæ, vel auctoris: sine ratione enim, vllaue probatione dicere aliquid, diuinare est, aut etiam fingere. Nec sane verisimile est fuisse id temporis istiusmodi consuetudinem. Primus enim ista cæremonia vsus legitur Abraham; nec post eum alius, nisi semel Iacob, vt traditur Genes. 47. Abimelech vero rex Philistinorum, amicitiam & fœdus cum Abraham iureiurando firmans, Genes. 20. & itidem multis annis post, cum filio eius Isaac, Genes. 26. Laban quoque pactum faciens cum Iacob & iureiurando confirmans, Genes. 31. tali cæremonia minime vsi sunt. Nec Abraham adiurans, non externos homines, sed domesticum seruum, & intra domum suam, superstitiosam illorum cæremoniam adhibuisset.

Auen Esra. Secunda opinio.

10 SECVNDA opinio. Quoniam Auen Esra nobilis apud Hebræos doctor, tradit eiusmodi consuetudinem fuisse apud Indos; & inde permanasse ad Syros, recte existimari posset, propterea quidam opinantur, originem eius consuetudinis ex Dionysio quem alio nomine, Liberum Patrem appellant, esse ductam. Namque ille primus in Indiam penetrans, gentes illas debellauit atque subiugauit, eoque clarissimam sui memoriam inibi reliquit. In eius postea honorem creditur, Indos, quoniam ille natus ex fœmore Iouis dicebatur, instituisse, vt in iurando, manus fœmori supponeretur. Mons quoque Indiæ, vbi dicitur fuisse ille à Nymphis educatus, & in quo postea vrbem Nysam condidit, græce appellatus est, Μηρὸς, id est, Fœmur. Tradit Diodorus Siculus, Dionysiũ in India belligerantem, graui pestilentia, vna cum vniuerso exercitu esse afflictatum; verum statim vt montem illum conscendit, ob singularem vtique cæli salubritatem, à pestilentia esse liberatum.

Diodorus Siculus.

Multo vetustior fuit Abraham, quam Liber Pater, siue Dionysius. Plinius.

11 SED opinio ista duobus argumentis confutatur. Non enim fas est credere, pium & sapientem virum Abraham, fabulosam & impiam illarum gentium consuetudinem in iurando imitari, & assumere voluisse; præsertim vero agentem, non cum externis hominibus atque ethnicis, sed cum seniore domus suæ seruo, secundum religionem suam & domesticam disciplinam educato atque institutio. Sed illud aduersus istam opinionem validissimum est argumentum, quod ratio temporum probe subducta, falsam esse eam aperte conuincit. Abraham enim illam Dionysij expeditionem Indicam multis seculis antecessit. Narrat quidem Plinius libro sexto, fuisse in monimentis Indorum, à Libero Patre, qui primus in Indiam arma intulit, ad Alexandrum vsque Magnum, fuisse reges Indorum centum quinquaginta tres, per annos sex mille quadringentos duosque, additis præterea mensibus tribus. At enim esse id fabulosum, merumque mendacium, in aperto & confesso est apud omnes

omnes veteris Chronologiæ doctos & diligentes Scriptores ; à quibus recte animaduersum & proditum est, eo tempore Dionysium in India gessisse bella, quo tempore Iosue imperabat Hebræis, & Chananæos debellabat; annis nẽpe post excessum Abrahæ, plus trecentis septuaginta.

Opinio Hebræorũ. Hierony. in Tradition. hebra. in Genesim.

12 TERTIA opinio est Hebræorum, maxime vero antiquiorum, vt refert B. Hieronymus. Placet istis, cæremoniam illam ponẽdi manum sub fœmore, adhiberi solitam in iurando, vel adiurando, ob significationem & reuerentiam Sacramenti Circumcisionis, quod erat apud Iudæos valde honoratum, sacrum & religiosum, vtpote signum populi ab Infidelibus segregati à DEO, electique ad veri DEI cultum: monimentum item diuini fœderis inter DEVM & Abraham, eiusque posteros, & quasi firmamentum quoddam diuinarum promissionum, quæ propter Abraham datæ sunt posteris eius. Verum Oleastér obiicit illud aduersus istam opinionem: si cæremonia illa adhibita esset propter Circumcisionem, conuenientius erat ponere manum super partem ipsam genitalẽ, vbi fiebat Circũcisio, quã sub fœmur. Sed facile ista obiectio repellitur: nam quia nimis pudẽdum, & subobscœnum erat, nudare eam partem, atque aliis spectandam & tangendam præbere, honestius id fiebat in fœmore, parte scilicet viciniore, & quę generationi etiam ipsa deseruit.

Tertia opinio.

Oleaster in ca. 24. Gen.

13 Sedenim contra eandem opinionem opponit Thomas Anglicus, Circumcisionem nihil ex se Sacrum & Sanctum habuisse, sed tantum ex fide CHRISTI, & Sacramentali quadam eius significatione: non igitur conueniens fuit per ipsam Circumcisionem, siue in ipsa iurare, siue adiurare. Verumenimuero, neque Abraham adiurauit seruum per fœmur suum, sed iubens eum ponere manum sub fœmore, adiurauit per Dominum cæli, & terræ: Et ipsa Circumcisio licet sua vi, & (vt loquuntur) effectiue, nihil haberet Sacrum & Sanctum, at significatiue magnum erat & venerabile id temporis Sacramentum, maximoque in honore & veneratione apud Iudęos: siquidẽ præter ea, quæ paulo supra diximus, erat signũ & testimonium & (vt vocat Paulus) signaculum iustitiæ fidei: nempe significans fidem Messiæ, ex Abrahæ semine aliquãdo nasciturí. Illud fortasse validius isti Hebræorum opinioni obstare videretur, quod quispiam obiicere posset; Si ritus ille, & cæremoniæ iurandi vel adiurandi spectasset ad Iudaicam Circumcisionem; cum omnium Iudæorum communis esset Circumcisio, & ab vniuersa illa gente religiosissime coleretur, etiam talis iurandi ritus & mos peruulgatus apud eos vsitatusque fuisset: atqui præter vnum & alterum (Abraham dico, & Iacob) alium Iudæorum neminem vsurpasse illum morem, in Sacris literis reperimus.

Thomas Anglicus in eundem locum Genes.

Ad Rom. 4.

Quarta opinio.

Auen Esra.

QVARTA opinio: istiusmodi cæremonia significatam & quasi repræsentatam fuisse auctoritatem, ius, potestatemque dominantis atque imperantis, itemque humilem seruientis subiectionem, promptumque animum ad exequenda domini mandata. Huius sententiæ Auen Esra laudatur auctor; cuius super ea re verba latine reddita, huiusmodi sunt: Arbitror ipse eius temporis morem fuisse, vt eo pacto iurarent, posita videlicet

videlicet manu sub fœmore eius, qui dominus ac superior esset: perinde ac si ita diceret dominus: si tu sub potestate mea es, paratusque ad mea iussa capessenda, pone manum tuam sub fœmur, aut sub coxam meam: quo dicto dominus ipse sedere solebat, posita coxa super iurantis manu. At qui sic iurabat, vicissim dicebat: Ecce manus mea sub coxa tua; fateor debere me tibi obedire ac seruire; & promptus sum vt tuis obsequar mandatis. Ac tali more etiam nunc quædam vtuntur regiones, scilicet in India. Sic ille. Verum cõtra istam opinionem non temere quispiam diceret: si ad significandum dominantis auctoritatem, & seruientis subiectionem atque obedientiam, id factum esset; multo sanè significantius & expressius id denotari ac declarari potuisset, si dominus sedens, seruum suum in genua procumbentem, & capiti aut ceruici eius manum suam superponens, adiurasset.

Oleaster in cap. 24. Genesis.

14 QVINTA opinio Oleastri: quia fœmora sunt firmissima humani corporis pars, tali cæremonia significatam esse firmitatem stabilitatemque in promissis, pactis, fœderibus, & iuramentis conseruandam. Audiat Lector Oleastrum: Mihi, inquit, (saluo perspicaciori iudicio) videtur, suppositione manus sub fœmore, pacta firmari tunc solita; quòd fœmur sit pars in homine firmior, in qua scilicet, tanquam domus in columnis (quarum figurã præseferunt fœmora) totum corpus sustentatur. Est ergo sensus: *Pone nunc manum tuam sub fœmore meo*; id est, ostende signum firmitatis iuramenti, ponendo scilicet manũ tuam in parte mei corporis firmiore. Atque ob hanc causam crediderim, non propter eam, quam tradit Auen Esra, esse nunc eum iurandi modum apud Indos. Sed quispiam contradicens Oleastro, diceret: si ad illud significandum id fiebat, cur manus ponebatur sub fœmore potius quàm supra fœmur? aut cur nõ ponebatur manus potius super crura, quæ nihilo minus, aut etiam magis, firma videntur quàm fœmora, cum totum corpus hominis, simulque ipsa fœmora sustineant?

Quinta opinio.

Sexta opinio.

15 SEXTA opinio: tali cæremonia adumbratum esse, ac significatum mysterium generationis Messiæ, ex fœmore, id est, ex stirpe & genere Abrahæ propagandi, ipsumque Abraham eo signo profiteri & contestari voluisse fidem suam, quam habebat de Messia generando ex semine suo, iuxta illam sibi à DEO datam promissionem, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*; intellexit enim, tale semen, in quo benedicendę & beatificandæ essent omnes gentes, non solum fore hominem, sed simul etiam Deum; quod vt significaret, iussit seruum supponere manum fœmori suo, designans carnẽ, quam ex ipso sumpturus erat Messias; simulque ipse adiurauit eum per Dominum cæli & terræ; indicans ita eum fore hominem, vt simul etiam futurus esset DEVS.

Genes. 12. & 22.

Hierony. in Traditionibus Hebrai. super Genes. in cap. 24.

Atque hæc est sententia sanctorum Patrum, omnium ferme, qui locum hunc vel hic exponendo, vel alibi commemorando, tractarunt. Audi Sanctum Hieronymum: Tradunt Hebræi, inquit Hieronymus, quod seruus Abrahæ, ponens manum suam sub fœmore eius, in sanctificatione eius, hoc est, in Circumcisione iurauerit. Nos autem dicimus,

iurasse eum in semine Abrahæ, quod est Christus, quia ex illo nasciturus erat, iuxta Euangelistam Matthæum loquentem, *Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham.* Similia scribit Ambrosius: Per fœmur, inquit, generationem intelligimus: generatio autem Abrahæ Christus est. Vnde Apostolus ait: *Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius: non dixit, In seminibus, quasi in multis, sed sicut in vno; & semini tuo, quod est Christus*: Ostendens per ipsum nobis sanctum fore Sacramentum, per ipsum, tutum fore auxilium. Augustinus libro Quæstionum in Genesim, quæstione 62. ad eandam scribens sententiã, sic ait: Quod Abraham iubet puero suo, vt manum ponat sub eius fœmore, & sic eũ adiurat per Dominum cæli, & Dominum terræ, solet imperitos mouere, non attendentes magnam istud de Christo fuisse prophetiam: quod ipse Dominus cæli & terræ, in ea carne venturus esset, quæ de illo fœmore propaganda erat. Idem libro 16. de Ciuitate DEI cap. 31. Quid aliud, inquit, demonstratum est, cum seruo suo dixit Abraham: *Pone manum tuam sub fœmore meo, & adiurabo te per Dominum cæli & terræ*, nisi dominum DEVM cæli & terræ in carne, quæ ex illo fœmore traheretur, fuisse venturum? Nunquid hæc parua sunt prænunciatæ indicia veritatis, quæ compleri videmus in Christo? Idem quoque in sermone 71. de Tempore, distincte magis & diserte super eadem re differens, atque hunc ipsum locum Geneseos memorans & pertractans, hoc modo scribit; Hæc omnia, fratres, quæ in Testamento veteri recitantur, si tantum secundum literam voluerimus accipere, aut paruum aut nullum lucrum omnino consequemur. Quid enim nobis prodest, qui ad Ecclesiam conuenimus ad audiendum DEI verbum, si nobis dicatur, Abraham misisse virum in regionem longinquam, vt inde vxorem adduceret filio suo, cum in nostris etiam his regionibus hæc frequenter videamus fieri? Nos igitur, fratres, sequentes beatum Apostolum, credamus omnia quæ scripta sunt, Iudæis in figura contigisse; nobis autem in veritate impleta. Quid est igitur, quod dixit Abraham puero suo: *Mitte manum tuam sub fœmur meum, & iura per* DEVM *cæli & terræ*: videlicet quasi diceret, Mitte manum tuam ad altare, vel, Mitte manum tuã ad arcam testamenti, vel extende manum ad templum DEI, & iura mihi. Fœmur tangebat, & per DEVM, cæli iurabat. Non vtique beatus Abraham errabat, cum hoc fieri iubebat: sed quia prophetiæ spiritu repletus, nouerat de semine suo Christum cæli & terræ dominum nasciturum: ideo quando seruus fœmur eius tangebat, ipse non per carnale illud membrum, sed per DEVM viuum & verum, iuramenta præstabat. Etenim Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob Iacob genuit Iudam de cuius semine Christus Dominus natus est. Sic Augustinus.

Matth 1.
Ambros. lib. 1. De Abraham. cap 9.
Ad Gal. 3.
S. Augustin.
1. *Cor.* 10.

S. Gregorius

His similia concinens B. Gregorius: Manum, inquit, sub fœmore iubet ponere, quia per membrum illud descensura fuerat caro eius, qui filius Abrahæ esset ex Humanitate, & dominus eius ex Diuinitate. Quasi dicat, Tange filium meum, & iura per DEVM meum: vnde non super

super fœmur, sed sub fœmore manũ ponere iussit; quia inde erat ille descensurus, qui homo quidẽ, sed super omnes homines veniret: nulla siquidem caro, super illam carnem est, quam in redemptionem nostrã sibi vnigenitus DEI Patris Filius vniuit. Theodoretus, si quis verba eius attente considerateque perpendat, eundem in scopum dirigit sententiam atque interpretationem suam. Nam etsi illius cæremoniæ causam refert in sacramentũ Circumcisionis, simul tamen etiam comprehendit promissionem illam benedicti, ac diuini seminis. Sic autem scribit; Quid hoc est: *Pone manum tuam subter fœmur meum?* Connubij contrahendi causa mittebat seruum præcipuum; sciens progeniem Chanaam maledictam esse, suam verò cognationem adeptam esse benedictionem. Cum ergo in semine tum benedictionem, tum promissionem bonorum suscepisset, illic seruum apponere manum iussit, vbi fidei signum recepit. Credens enim promissionibus diuinis, percepit signaculum Circumcisionis. Illic autem potissimum adhiberi manum iussit, vt & promissionis diuinæ, & Circumcisionis memor, matrimonio cum alienigena contracto, nobilitatem dominicam non inficeret. Aduertendum est autem, quod manus ad fœmora posita est: at iusiurandum per DEVM omnium conditorem præstitum est: *Adiuro te*, inquit, *per* DEVM *cæli & terræ*. Hæc Theodoretus. Abraham igitur diuini illius seminis, ex se prodituri, certissimam habens fidem spemque, fœmur suum, propter eius qui erat inde generandus, excellentiam, sacri altaris, sacræque aræ gerens vicem, contingi à seruo iuraturo imperauit.

Theodoret. quæstion. in Genesim 73.

16 CÆTERVM dicet aliquis, licet Abraham cognouerit Filium DEI ex sua stirpe carnem sumpturum, id tamen seruum eius latebat. Erat mysterium illud generationis Messiæ, arcanum maxime, omnibusque, id temporis, præter admodum paucos DEI vates, Deoque carissimos & familiarissimos viros opertum: quomodo igitur Abraham id facere seruum iubebat, cuius ille significationem, mysteriumque minime intelligebat? Sed nihil sanè id habebat absurdum, vel etiam ineptum, aut incõgruum. Satis enim erat, seruum nosse, & credere, & colere id, per quod adiurabatur, DEVM dico cæli & terræ dominum: de intellectu autem interiori & abdito illius cæremoniæ ponendi manum sub fœmore, nequaquam curiose ac solicite requirendum ab eo erat: persuasum nempe certumque habenti, nihil à domino suo non sapienter ac religiose fieri. Nam multa præcipi à DEO, religiose obseruanda iis, qui earum rerum mysticas significationes ignorant, clarissimum nobis argumentum, certamque fidem facit lex Mosis: secundum quam multa Hebræis præscripta sunt colenda & obseruanda quæ Christi Domini & Ecclesiæ eius vmbram & figuram gerebant, & ad ea præfigurandum principaliter instituta erant: quorum tamen mysteriorum cognitio, & paucissimis illius populi, nec nisi per singularem quandam DEI reuelationem, contigit.

SECVNDA DISPVTATIO.

An recte fecerit Abraham, adiurando seruum per DEVM, *cæli, & terræ dominum: & de varijs adiurandi modis, quorum in Scriptura vt frequens, ita considerate obseruandus est vsus:*

Super illis verbis:

VERSV 3. *Vt adiurem te per Dominum* DEVM *cæli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo, de filiabus Chananæorum, inter quos habito.*

Caietanus in cap. 24. Genesis.

PRO illo, *Vt adiurem te*, tam Græce, quàm Hebraice est, *Et adiurabo te*. Pro illo: *Per Dominum* DEVM *cæli & terræ*, iuxta Hebræum, inquit Caietanus, habetur, *In Iehouah Eloim cælorum & Elohim terræ*. Et quamuis modus iurandi esset ponere manum sub fœmore Abrahæ, cui iurabatur; non tamen iuramentum fiebat in Creatura, sed in Creatore. Nominatur porro DEVS inuocatus in testem, non solum Iehouah, id est, primum essendi principium, sed etiam Elohim, id est, iudex, vt qui dat esse omnibus, ipse vindex sit, si contra officium propagandi ipsum esse, fiat. Et dicitur DEVS iudex cælorum, eo quod vere iudex est omnium spiritualium substantiarum, tam quæ in cælis superioribus sunt, quam quæ inferioribus, id est, in aëre versantur. Sic Caietanus. Quod autem seruum illum tam sancte adiurauit per DEVM cæli & terræ dominum, manifestum facit indicium, etiam illum seruum, veri DEI pium fuisse cultorem ac religiose timentem: alioqui talis adiuratio inefficax apud eum atque inanis fuisset. Apparet igitur quàm vere DEVS de Abraham dixerit, quod supra legitur Genes. 18. *Scio quod præcepturus sit filijs suis & domui suæ, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam.* Hunc itaque seruum suum Abraham, veri DEI fidem, sanctumque timorem docuerat. Nam cum suos omnes domesticos, tam vernaculos quàm emptitios seruos circũcidit, vt supra Genes. 17. scriptum est, etiam omnes cæremonias id temporis ad DEI cultum pertinentes, & ab ipso suisque maioribus obseruari solitas, exposuit, & custodire eos fecit. Siquidem quicumque circumcidebatur, ad religionem, quæ tunc vigebat in familia Abrahæ, & DEI mandata, quæ apud illos DEI cultores in vsu & obseruantia tunc erant, obstringebatur: quemadmodnm postea, vbi lata est lex Mosis, quicumque circumcidebatur, vniuersæ legis Mosaicæ, vt Paulus ait, obseruandæ debitor efficiebatur. 17

Ad Gal. 5.

VERVM

18 VERVM quæri hoc loco potest; an recte fecerit Abraham adiurando seruum per Dominum cæli & terræ. Nam si verum est quod Origenes quodam loco scripsit, Euangelicæ disciplinæ amatoribus & sectatoribus, id est, perfectis viris, iurare ipsos, multoque magis etiam adiurare alios, alienum & indecens esse: non videretur Abraham, qui perfectissimus vir erat, recte feciisse adiurando seruum. Sed expeditior erit huius quæstionis explicatio, & facilius notescet factũ illud Abrahæ, non solum inculpabile fuisse, verum etiam laudabile, si ante expositum fuerit, quam vim & significationem verbum Adiurandi habeat, & quàm varie vsurpetur in sacris literis.

Origenes homil. vlt. in Matth.

Apud externos quidem scriptores Latinos, idem plane significat Adiurare atque simpelex ipsum verbum iurare: at secundum Scripturæ vsum & consuetudinem sermonis Ecclesiastici, alia prorsus est adiurandi quàm iurandi significatio: nimirum duas habet verbum Adiurandi celebres in diuinis libris significationes. Ac sæpenumero quidem vsurpatur pro eo quod est, per obtestationem ac reuerentiam diuini numinis, vel rei cuiuspiam sacræ, inducere velle alium, ad faciendum dicendumue quippiam; aut contra; à faciendo dicendoue deducere. Ad hanc sententiam rex Israel adiurauit Michæam prophetam, dicens, *Iterum atque iterum te adiuro, vt mihi non loquaris, nisi quod verum est in nomine Domini.* Et Caiphas Iudæorum pontifex adiurauit Dominum Iesum, *Adiuro te*, inquit, *per* DEVM *viuum, vt dicas, si tu es Christus Filius* DEI. Raguel quoque socer Tobiæ iunioris, adiurauit eum vt duas hebdomadas moraretur apud se: cuius adiurationem Angelo Raphaeli commemorans Tobias: *Vides*, inquit, *quomodo adiurauerit me Raguel; cuius adiuramentum spernere non possum.* Et in Actis Apostolorum proditum est, Iudæos quosdam exorcistas adiurasse Dæmones per Iesum, quem prædicabat Paulus. ad hanc ipsam spectat significationem, adiuratio sponsi, qua in Canticis adiurat filias Hieruſalem.

Verbũ adiuro duas habet in scripturis significationes. 2. *Paralipome non* 18. *Matt.* 26. *Tob.* 8. & 9.

Cant. 2 & 5.

19 CÆTERVM genus hoc adiurationis dupliciter fieri solet. Vno modo fit in eos, qui sub imperio nostro non sunt, aut nobis etiam auctoritate & potestate superiores sunt; vti sunt parentes, Magistratus, Principes: istiusmodi autem homines adiuramus rogando & deprecando, vt id facere velint, quod petimus & optamus. Quod genus adiurationis, etiam DEVM ipsum quodammodo attingit: habet enim speciem quandam & vim adiurationis, cum sancti viri DEVM enixe obsecrant & obtestantur per infinitam eius bonitatem & misericordiam, per vnigeniti Filij eius, Domini nostri, passionem & mortem, per ipsius promissa & pacta, per merita denique eorum, qui ei maxime placuerunt, vt nobis, aliisve magnum aliquod scelus ignoscat; aut bonum indulgeat, aut impendens malum auertat.

Adiuratio fit duobus modis.

Ad hunc modum egisse Mosem cum DEO legimus, flectere eum ad misericordiam & veniam præstandam Hebræo populo obnixe laborantem: *Cur*, inquit, *Domine, iracscitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti in fortitudine magna, & in manu robusta?*

Locus Exodi 32.

Ne quæso dicant Ægyptij, callide eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra: quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac & Israel, seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum, sicut stellas cæli: & vniuersam terram hãc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, & possidebitis eam semper. & iterum, intercedens indignationi & vindictæ diuinæ propter grauissimum eiusdem populi crimen ab eo prouocatæ, ita precatur DEVM: *Dimitte obsecro peccatum populi tui huius, secundum magnitudinem misericordiæ tuæ; sicut propitius fecisti egredientibus de Ægypto vsque ad locum istum.* Talis quoque oratio fuit Azariæ; qui mediis stans in flammis Babylonicæ fornacis, sic DEVM orabat: *Ne quæsumus tradas nos in perpetuum, propter nomen tuum: neque dissipes testamentum tuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum &c.* Daniel itidem obsecrabat DEVM dicens: *Exaudi Domine; placare Domine, propter temetipsum* DEVS *meus: & quia nomen tuum inuocatum est super ciuitatem, & super populum tuum.* Similes quoque DEI quasi adiurationes & obsecrationes, multiferiã in Dauidicis psalmis sparsę sunt. Et quãquam in his, quę memoraui, Scripturæ locis, nominatim expresseque verbum adiurandi non ponatur, vim tamen quandam eius opertam velatamque, vt adnotauit S. Thomas, inibi latere deprehenditur. Ad hunc item modum spectat Dæmonum adiuratio in Christum, ab eo deprecantium, ne ipsos torqueret, ex humanis corporibus expellendo: *Quid mihi, & tibi Iesu fili* DEI *altissimi?* aiebat quidam à Dæmonibus possessus vexatusque: *adiuro te per* DEVM *ne me torqueas, Dicebat enim illi: exi spiritus immunde ab homine isto.*

Num.14.

Daniel 3. & 9.

Mar.5.

20 Sedenim, etsi genere hoc adiurationis tam erga homines, quàm erga DEVM vti possumus: hoc tamen interest, quod adiurando homines, immutare sententiam & voluntatem eorum, & ad optata ac postulata nostra deflectere atque inclinare contendimus: DEI autem voluntas omnino immutabilis est. quare illud tantum intendimus, vt DEVS votis nostris satisfaciat, non spectans merita nostra, sed bonitatem suam, aut Christi merita, sanctorumue. Dæmones porrò adiurare hoc modo, ipsos videlicet orando & deprecando, nefas est; id enim pertinet ad diuinum quẽdam illorum cultum, & arguit nostram in eos beneuolentiã, & declarat nos cum illis societatem pacto aliquo firmatã coiuisse. Animalia verò, & quęcumque ratione carent, stultũ esset sic adiurare; nec enim nostra intelligũt vota & postulata; nec liberũ est illis, agere & nõ agere, aut aliter agere quã agunt: nisi forte dirigẽdo preces nostras ad Deum, qui eas res ministerio Angelorũ mouet & regit; vt sæpe fecisse sanctos legimus, circa eiusmodi res miracula operãtes,

An fas sit adiurare Dęmones, vel res expertes rationis.

21 ALTERO modo fit adiuratio, nõ deprecando, sed iubendo & imperando dici aliquid aut fieri: quo adiurationis genere in eos tantum vtimur, qui nostro imperio subiecti sunt, vt domini in seruos, Principes in sibi subditos, parẽtes in filios, dum in eorũ sunt potestate. Nec huiusmodi adiurationis, nisi in re graui, atque vrgente necessitate quapiã, & debita cum decentique sacræ rei, quam obtestamur, reuerẽtia, vsus esse debet. Sic adiurabat Caiphas Dominum nostrum, falso existimans se, quòd summus esset Iudæorum pontifex, adiurandi eum ius & potestatem habere. Ad hunc modũ adiurationis pertinet illa Saulis regis adiuratio, qua vniuersum adiurauit exercitũ suũ, ne quid eo die comederent priusquã vlti essent hostes suos. Sic enim ait Scriptura, *Adiurauit, Saul populum, dicens: Maledictus vir qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis. Et non manducauit vniuersus populus panem. Ingressus est itaque populus saltum, & apparuit fluens mel; nullusque applicuit manum ad os suum: timebat enim populus iuramentum. Porro Ionathas non audierat, cum adiuraret pater eius populum. Respondensque vnus de populo, ait: Iureiurando constrinxit pater tuus populum dicens. Maledictus vir, qui comederit panem hodie.* Hac autem ratione adiurare Dæmones, partim licet, partim minime. Licet enim in eum finem, vt eos illi (quibus ea potestas data est) ex corporibus humanis vel hominum domiciliis, vel iis rebus, quæ ad vsum hominis spectant, repellant; & lædere homines, aut etiam infestare prohibeant: quod quidem factum esse diuina potestate à Sanctis viris, & diuinis & ecclesiasticis proditum historiis est, & fit in Ecclesia per sacros Exorcismos. Adiurare vero Dæmones, iubendo vt nos aliquid occultum doceant, aut quippiam faciant, vel ipsi, vel per nos, nullo modo licet, cum id sine manifesta vel tacita cum Dæmone societate, fœdere, & commercio fieri non possit.

Matth.26.

Locus 1.Regum.14.

An possint dęmones adiurari imperiosa adiuratione, & quo modo id faciant malefici.

22 MAGI & Necromantici nonnumquam adiurare solent Dæmones. Adiurant quidem illi frequenter, obsecrando, deprecando, & inuocãdo; interdum tamen etiam cum imperio adiurant iubendo, quin etiam comminando, nisi venerint, fecerintue, aut dixerint quod volunt ipsi, eosque certo alicui loco aut vasi, aut annulo, aut alij rei alligando. Non quod vllus mortaliũ ius habebat potestatemque imperandi Dæmonibus: Dæmon enim secundum naturæ gradum, cum sit penitus incorporea & spiritualis substantia, tum dignitate, tum potentia, superior est homine: sed totum id fallacissimum est diabolicæ simulationis inuentum: quo scilicet Dæmon superstitiosis artibus earumque administris, fidem & auctoritatem astruẽs, facile male credulos vesanosque earum artium amatores & admiratores decipiat, deceptosque pernicioſis illiget erroribus. Cæterum hic modus adiurationis in animalia resque alias rationis expertes, vt quæ humani imperij nec intelligendi, nec exequendi potentes sint, minime cadit. aliquos autem Sanctos viros cum legimus in probatis historiis tali adiuratione in eiusmodi res vsos esse, scilicet imperando eis; existimare conuenit, tale imperium fuisse metaphoricum, quantum nempe ad effectum, qui perinde adiurationem eorum secutus est, ac si res illud humanum imperium intellexissent, & obediendo perfeciſſent. proprie vero talis modus adiurandi, est deprecatio diuinæ virtutis, quę Sanctorũ votis & postulatis haud dubie respondet; quasi DEVS hominis voci obedisse videatur.

De adiuratione Magorum & Necromãticorum.

23 HVIVS rei perillustre in sacris literis extat exemplum, Iosue imperantis

Locus lib.Iosue cap.10.

perantis Soli & Lunæ vt cursum sisterēt suum, im motaque manerent. Sic enim ait Scriptura: *Tunc locutus est Iosue Domino, in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra Vallem Aialon. Steteruntque Sol & Luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis: obediente* DEO *voci hominis, & pugnante pro Israel.* illud, *Tunc locutus est Iosue Domino*, significat deprecationem Iosue, qua petiit ab eo fieri, quod mox ipse fieri imperauit. Nec dubitandum est instinctu diuino motum esse Iosue, vt sic imperaret Soli & Lunæ; volente nimirum DEO, auctoritatem eius tali ratione tum Hebræis venerabiliorem, tum hostibus formidabiliorem effici. Quem locum strictim exponens Caietanus: Iunge (inquit) prudens lector, duo hic scripta: videlicet, quod tunc locutus est Iosue Domino; & quod in modū imperantis dixerit sermonē suum ad Solem & Lunam: vt perpēdas, quod primū eleuauit mentē in DEVM supplicādo pro integra victoria; & quod DEVS inspirauit illi, vt indiceret atque imperaret Soli ac Lunæ morā.

Caietanus in cap. 10. Iosue.

Diximus de priori significatione, quam in sacris literis habet verbum adiurandi; pro eo vtique quod est, per diuini nominis aut rei cuiuspiam sacræ reuerentiam, velle alios, ad faciendum dicendumue quippiam, adducere. Sequitur, vt de alia eiusdem verbi significatione & vsu in Scriptura, breuissime dicamus. Sumitur igitur nonnunquam verbum adiurandi, pro eo quod est, alios inducere ad iurandum, vel etiam adigere & compellere; videlicet, si tales sint, in quos id facere, ius nobis potestasque sit. Sedenim id fieri non debet, nisi in grauissimo negocio; nempe vbi certitudo firmitasque dictorum, promissorum, pactorumque maximi est momenti. Hoc modo legimus Esdram adiurasse Iudæos, qui post reditum in patriam ex Babylonyca captiuitate, contra legem DEI vxores alienigenas duxerant, filiosque ex iis procreauerant: illos, inquam, Iudæos, & ob eam causam, adiurauit Esdras, id est, fecit vt iureiurando promitterent, se quamprimū vxores alienigenas, & filios ex illis genitos, à se abiecturos. Cum enim ob tale populi crimē Esdras vberrime atque amarissime fleret, dixit ei Sechenias:

24

Altera significatio verbi adiuro.

Locus 1. Esdræ cap. 10.

Nos præuaricati sumus in DEVM *nostrum, & duximus vxores alienigenas: & nunc si est pœnitentia in Israel super hoc, percutiamus fœdus cum Domino* DEO *nostro, vt proijciamus vniuersas vxores, & eos qui ex ijs nati sunt à longe: tuum est discernere, nosque erimus tecum. Confortare, & fac. Surrexit ergo Esdras & adiurauit Principes Sacerdotum & Leuitarum & omnem Israel, vt facerent secundum verbum hoc: & iurauerunt.* Similis fuit, & in re simili, adiuratio Nehemiæ: *In diebus illis*, inquit, *vidi Iudæos ducentes vxores (alienigenas) & obiurgaui eos, & maledixi: & cecidi ex eis viros, & decaluaui eos, & adiurauí in* DEO, *vt non darent filias suas filijs eorum, & non acciperent de filiabus eorum filijs suis & sibimet ipsis.* Ad hoc genus adiurationis pertinet, quod de Ioiada summo Iudæorum Pontifice scriptum est, adiurasse ipsum milites, id est, iureiurando, & quasi Sacramento militari obstrinxisse eos, vt Ioam tunc septennē, cædi regiæ sobolis, quam impia & crudelis Athalia fecerat ereptum seruatumque,

Nehemię vltimo.

Regem

Regem acciperent, custodirentque. *Anno septimo*, inquit Scriptura, *misit Ioiada, & assumens centuriones & milites, introduxit ad se in templum Domini, pepigitque cum eis fœdus, & adiurauit eos in domo Domini: & ostendit eis filium Regis, & præcepit illis dicens, &c.*

Lib. 4. Regum ca. 10.

Huius item generis censenda videtur adiuratio illa Sacerdotū in veteri lege, sub certa quadam verborū formula, mulieres adulterij nomine suspectas, & ad ipsos adductas adiurantium, mirabili sane adiurationem eorum consequenti effectu. Sic autem super ea re scriptum est Numerorum 5. *Cum steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet (Sacerdos) caput eius, & ponet super manus illius sacrificium recordationis, & oblationem Zelotypiæ: ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta coniiciet, adiurabitque eam & dicet, &c.* Cumque denūciaret Sacerdos, fore, vt nihil ei nocerent aquæ illæ, si quidem munda esset ab adulterios, sin autē adulterata esset, fore eā maledictis illis & execrationibus obnoxiam, ita vt putrescens fœmur eius & tumens vterus disrūperetur, subiūgit Scriptura: *Et respondebit mulier, Amen, Amen:* quæ respōsio vim habebat quasi iureiurando confirmantis Sacerdotis adiurationem. Apparet igitur ex iis, quæ disputauimus de duplici significatione vsuque in sacris literis huius verbi Adiuro, quod B. Thomas quodam loco docet, Adiurare, non esse inducere aliquem ad iurandum; sed per quandam similitudinē iuramenti à se inducti, prouocare eum ad agēdum aliquid: hoc, inquam, S. Thomæ documentum dictumque non ex toto verum esse. In priori quippe eius verbi significatione, quam ille solam eo loco tractare videtur, haud dubie verum est: at in posteriore significatione, nec verum est, nec locum habere vllo modo potest; cum id multis Scripturæ sententiis supra expositis plane contrarium sit.

Locus num. cap. 5.

S. Thom. 2. 2. quæst. 90. art. 1. ad 1.

25 ABRAHAM igitur (nam eius rei gratia, in declarando variam multiplicemque verbi Adiuro, significationem, varioque adiurandi modos, paulo fortasse longiores fuimus) recte riteque adiurauit Eliezer, adiuratione imperatiua, dominus nempe seruum: eumque quod ab ipso adiurabatur, perfecturum se, iureiurando promittere iussit. Videlicet, grauissimum erat negocium, quod ei mandabat, idoneam nempe filio suo vxorem assumere, non ex gente Chananæa, cum qua versabatur, sed ex cognatione sua, quæ in longinqua Mesopotamiæ regione habitabat: nec filium suum vllo tempore in Chaldæam vel Mesopotamiam deducere. Quod autem adiuratio Abrahæ, pertineat ad posteriorem eius vocabuli significationem, quæ est, per obtestationem rei sacræ inducere quempiam ad faciendum dicendumue aliquid, sub iuramento, liquido cernitur ex hac ipsa Mosis narratione. Nam cum dixisset, iussisse Abraham seruum ponere manum subter fœmur suum, & adiurasse eum vt non acciperet vxorem filio suo de filiabus Chananæorum; adiecit hæc verba: *Posuit ergo seruus manum sub fœmore Abrahæ domini sui, & iurauit illi super sermone hoc.*

Qualis fuerit adiuratio illa Abrahę.

***

TERTIA DISPVTATIO.

Cur Abraham tantopere à coniugiis mulierum Chananæarum abhorruit:

Super illis verbis:

VERSV 3. *Vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito.*

BEATVS Ambrosius duas eius rei causas exposuit. Atque vnam quidem causam hanc fuisse existimat, quod Chananææ gentis sator parensque Chanaan, quia pater eius Cham nimis irreuerenter atque impie tractasset patrem suum Noe, iccirco maledictus ipse ab eo fuerit, & tam ipse, quam posteritas eius, filiorum Sem & Iaphet seruituti addicta & mancipata fuerit. In coniugio autem nobilem Maiorum conditionem, generosamque virtutem requiri decet. Audiat lector Ambrosium: Constrinxit Abraham seruum suum, vt non de semine Chananæorum vxorem accerseret filio suo; quorum scilicet generis auctor, patrem non honorauerat, & ideo maledictionis hereditatem transmisit in suos: vt cognoscamus, fidem, & quandam virtutis hæreditatem de auctoris prosapia in iis requirendam, quos nobis volumus adiungere. *Cum sancto sanctus eris* (inquit Scriptura) *& cum peruerso peruerteris*, Si hoc in aliis, quanto magis in coniugio, vbi vna caro, & vnus spiritus est? 26

Genes. 9.

S. Amb. li. 1. de Abrahã cap. 9.

Psal. 17.

ALTERA eiusdem rei, quæ traditur ab Ambrosio causa, eiusmodi est: Gens Chananæorum per quam impia erat, atque idololatriæ maiorem in modum dedita, fœdissimisque inquinata flagitiis. In deligenda vero vxore, ante omnia fides, & religio, probitasque morum spectanda est, omnibusque tum corporis tum fortunæ bonis anteferenda. Namque inter coniuges fide dispares, & studio virtutum dissimiles, nec pax domi, tranquillaque gubernatio familiæ, nec sensuum atque voluntatum concordia, vel coalescere, vel diuturna esse potest: & si alteruter coniugum infidelis est, alteri qui fidelis est, religionis naufragium pertimescendum est. Quis enim se tuto ibi nauigaturum confidat, vbi Salomon, vir cæteroqui sapientissimus & DEO carissimus, miserrimo periit naufragio? De quo quæ in sacris literis scripta sunt, ea sine ingenti admiratione, summoque animi tremore legi non possunt: *Rex Salomon* (ait Scriptura) *adamauit mulieres alienigenas multas, super quibus dixit Dominus filiis Israel, Non ingrediemini ad eas; certissime enim auertent corda vestra vt sequamini Deos earum. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore, & auerterunt mulieres cor eius. Cumque iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos, &c.* Quare merito Nehemias de huiusmodi coniugiis Iudæos sui temporis vehementer accusauit 27

Locus 3. Regum cap. 11. Deut. 17.

Nehemiæ vltimo.

dicens: *Numquid non in huiusmodi re peccauit Salomon rex Israel? Et certe in gentibus multis non erat rex similis ei, & dilectus* DEO *suo erat, & posuit eum* DEVS *regem super omnem Israel: & ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ, &c.* Enimuero vxor plurimum facit ad animos moresque tam viri, quam liberorum afficiendos, mutandosque propter arctissimam viri & vxoris consuetudinem, & viri flagrantiam amoris in vxorem. Verum multo magis ad fingendos formandosque mores filiorum facit mater; nempe matris probitas maiorem partem, quàm vir, confert ad probitatem filiorum. Siquidem filij in tota ferme pueritia, domi manent, & à matris potissimum regimine, educatione, atque institutione pendent: puerilis vero ætas, boni iuxta malique maxime capax & tenax est.

28 HANC porro rationem & causam vitandi coniugia Chananæorum, propter eorum impietatem & improbitatem, imitandam esse Christianis in matrimoniis contrahendis, grauiter, docte, atque eleganter, hisce verbis disputat Ambrosius: Caue, ô Christiane, Gentili aut Iudæo filiam tuam tradere; caue, inquam, Gentilem, aut Iudæam, atque alienigenam, hoc est hæreticam, omnemque alienam à fide tua, vxorem accersere tibi. Prima coniugij fides, castitatis gratia est. Si colat Idola, quorum prædicantur adulteria, si CHRISTVM neget, qui præceptor & remunerator est pudicitiæ, quomodo potest diligere pudicitiam? Nec satis est Christianam esse, nisi ambo initiati sitis Sacramento Baptismatis: Simul ad orationem nocte vobis surgendum est, & coniunctis precibus obsecrandus DEVS. Accedit aliud insigne castimoniæ, si credas, à tuo DEO tibi, quod sortitus es coniugem, esse datum. Vnde & Salomon ait: A DEO *præparatur viro vxor.* Non possunt hoc dispares fide credere, vt ab eo, quem colunt, putent sibi connubij impertitam gratiam. Ratio docet, sed amplius exempla commouent. Species, illecebra mulieris, decepit etiam fortiores maritos, & à religione fecit discedere. Et ideo tu vel amori consule, vel errorem caue. Primum ergo in coniugio religio quæratur. ideo Abraham proximam quę̃siuit dare filio suo. Disce item quid potissimum in vxore quærere debeas: non aurum, non argentum, non possessiones requisiuit Abraham, sed gratiam bonæ indolis. Sic Ambrosius.

Ambros. li. 1. De Abraham cap. 9.

Prouer. 14.

29 CONSIMILIA docet Chrysostomus. Vidisti, inquit, mandatum Patriarchæ de quærenda filio vxore datum famulo suo? Cogita mentem & propositum iusti, & quid ille spectauerit. Et attende, quemadmodum Veteres illi in coniugiis non quæsierint amplam substantiam, multas diuitias, numerosa seruitia; non externæ venustatis formam; sed animæ pulchritudinem, & morum nobilitatem. Nam quia videbat malitiam Chananæorum, sciens quantum bonum sit sortiri vxorẽ iisdem moribus viuentẽ; iureiurando constrinxit seruum, ne ex ea gente, sed ex sua cognatione vxorem filio adduceret: & sciens rei necessitatem, non longinquitate locorum, nec itineris difficultatibus, à proposito suo deterritus est. At nunc, quotus quisque obsecro tale quiddam in coniugio

S. Chrysost. homi. 48. in Genes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ineundo cogitat? Quin, etsi malis innumerabilibus plena sit mulier; nihil tamen pensi habent: hoc solum requirentes, quantum illa pecuniis abundet, cętera omnia postremo habentes loco; nescientes, si mens peruersa sit, licet innumerabiles affluant diuitiæ, facilius tamen in extremam veniri egestatem: nihilque prodesse opes, si proba & prudens desit mens, eas bene dispensans, atque in bonum conferens vsum. Hæc Chrysostomus.

Quæstio. An Rebecca & parentes eius veri DEI cultores fuerint.

VERVM circa rationem hanc deuitati à Patriarcha Chananæorum 30
coniugij, propter eorum infidelitatem, à Chrysostomo, Ambrosio, aliisque Doctoribus traditam, haud leuis existit dubitatio, an Rebecca & parentes eius, fideles fuerint, id est, veri DEI cultores, quod auctores isti pro manifesto ac certo assumunt. Chrysostomum certe, non modo Nachor fratrem Abrahæ, sed ipsum etiam Thare, vtriusque parentem, putasse infidelem fuisse, alio loco commemoratis eius verbis ostendimus. Nec obscurum eius rei dedit indicium Moses, cum supra Genesis 11. narrans discessum è Chaldæa ipsius Thare, vna cum filio eius Abraham, nuruque Sara, & nepote Loth, fugientibus videlicet illis idololatriam, quæ tunc maxime apud Chaldæos flagrabat, vt traditur libro Iudith capite quinto, nullum fecit verbum de discessu Nachor: satis eo silentio significans, eum ab idololatria eius gentis minime abhorrentem, inibi manere, quam patrem fratremque discedentes sequi, maluisse.

S. Augustl. li. 16. de Ciuitate DEI ca. 23.

Adstipulatorem huius sententiæ habemus Sanctum Augustinum: Cur, inquit, putamus, Scripturam de discessu Thare cum suis ex Chaldæa loquentem, non itidem commemorasse discessum Nachor; nisi forte quod à paterna & fraterna pietate defeciuerat, & superstitioni adhæserat Chaldæorum? Postea vero inde, siue pœnitendo, siue persecutionem passus, quod suspectus haberetur, ipse cum suis emigrauit. Idem sentit & docet Rupertus, iisdem vtens Augustini verbis. Idolorum porro cultum, etiam deinde hæsisse in posteritate Nachor, indicio est, quod legitur Genes. 31. cum Iacob ex Mesopotamia discederet, vxorem eius Rachel furatam esse & secum tulisse Idola Laban patris sui. Illud quoque magnam eius rei fidem facit, quod Iacob conuocata omni domo sua, vt scriptum est Genes. 35. dixit: *Abiicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt*; & mox subiungitur: *Dederunt ei omnes deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum: at ille infodit eas subter terebinthum, quæ erat post vrbem Sychem.* Laban quoque Rebeccæ frater satis indicauit se solius DEI cultorem non fuisse: nam expostulans cum Iacob quod se inscio discessisset, *Stulte*, inquit, *operatus es: & nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum: sed* DEVS *patris tui heri dixit mihi; Caue ne loquaris cum Iacob, quicquam durius. Esto, ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi domus patris tui: cur furatus es deos meos?*

Rupertus. lib. 6. Commentariorum in Genes. cap. 41.

EX aduerso autem non omnino veri DEI notitia & religione caruisse 31
progeniem illam, & familiam Nachor, nonnullæ sunt, minime futiles, coniecturæ. Principio, illud quod Laban dixit seruo Abrahæ (vt narrat Moses cap. 24. *Ingredere benedicte Domini &c.* Illud inquam, *benedicte Domini*,

Domini, significat eum à veri Dei, neque cognitione fuisse remotum, neque à pietate abhorruisse, sed multo magis id ipsum ostendunt, quæ paulo post subiungit Moses, verba Laban & Bathuelis: Responderuntque Laban & Bathuel: *A Domino egressus est sermo: non possumus extra placitum eius quicquam aliud loqui tecum. En Rebecca coram te est: tolle eam & proficiscere: & sit vxor filij Domini tui: sicut locutus est Dominus:* Quid, est illud, *A Domino egressus est sermo*, nisi sic fieri Deus voluit & decreuit? quare nos cõtra voluntatem eius nihil facere possumus. Est enim phrasis hebraica, egredi sermonem, vel verbum ex aliquo, vel ex ore alicuius; significans sententiam, voluntatem, placitum, siue decretũ alicuius: & quempiam facere, quod egreditur de ore suo, est facere quodcumque ei lubet: quare est illud, quod Iudæi dixerunt Hieremiæ: *Sermonem quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te: sed facientes faciemus omne verbum quod egreditur de ore nostro.* Id est, faciemus quodcumque nobis libitum fuerit. Ad eandem quoque sententiam & illud est interpretandum, quod legitur Deuteronomij 8. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*, id est, quacumque re Deus voluerit, potest hominem pascere & nutrire. Eiusdem præterea rei argumentum sumi potest ex iis verbis, quæ dixit Laban Iacob, postquam fœdus cum eo firmauerat: *Intueatur*, inquit, *& iudicet Dominus inter nos: nullus sermonis nostri testis est, absque Deo, qui præsens respicit. Deus Abraham, & Deus Nachor, iudicet inter nos Deus patris eorum.*

Hebraica illa phrasis (A Domino egressus est sermo) quid significet. *Hierem. 44.*

Locus Deuteronomij cap. 8.

Auctoris Cõiectatio.

32 Atque hæc quidem in vtramque partem disputata sint. Equidem coniicio (nam præter coniecturam, certi nihil afferre possum) posteros illos Nachor, cognitione aliqua veri Dei religioneque tinctos fuisse: verumtamen eam religionem minime synceram & puram, sed admixtam superstitione earum gentium, quibuscum viuebant, infectam & contaminatam habuisse. Colebant igitur illi Deum Thare patris Nachor, quem fuisse fidelem alio loco demonstrauimus, simulque venerabantur Deos aliarum gentium, solemnique earum ritu, Idola, id est, simulacra Deorum, magno in pretio & honore habebant. Hoc igitur de religione earum gentium existimari, & dici potest. Quod autem spectat ad moralem eorum hominum probitatem, satis apparet ex historia huius capitis, bene moratam fuisse eam familiam: id enim indicat eximia puritas, & perfecta vsquequaque virginitas Rebeccę, iam grandis puellæ, & incustoditæ, & tanta libertate gregem pascentis & adaquantis; idemque arguit tam prolixa illius gentis in hospitandis peregrinis, benignitas: eorum denique acta & sermones, fuisse eos sine fuco & fallacia homines, veritatisque, atque humanitatis, & probitatis amantes & obseruantes, aperte declarant.

In secundo Tomo Cõmentariorũ in Genesim lib. 16. num. 243. & sequentibus.

Theodor. quæst. 73. in Genes.

33 Theodoretus alteram præterea rationem & causam tradit deuitati coniugij Chananæorum; quod tale coniugium lege interdictum fuisset Abrahæ. Sic enim scribit: Verũ de nuptiis legem à Deo acceperat. Itaque cum esset in religione pie educatus, voluit filio ex propria cogna-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tione vxorem desponsare: illudque prohibet fieri, quod diuina lege potissimum erat inhibitum. Sic ille. Verum quanam lege diuina (de hac enim sine dubio loquitur) vetita fuissent eo tempore Abrahæ coniugia Chananæorum, equidem nescio: nam lex diuina, talia coniugia interdicens Hebræis, quatuor ferme seculis post id temporis lata est per Mosen: nisi forte vocabulo legis significare voluit priuatum aliquod Dei oraculum, vel singularem quampiam reuelationem super ea re à Deo factam: de quo tamen nihil vspiam in sacris literis proditum est.

Thomas Anglus. Thomas Anglus addit alias duas rationes: alterã, quo magis ea re constaret esse illos in ea terra aduenas & peregrinos, quousq; scilicet Deus promissa sua de possessione illius terræ, posteris Abrahæ tradenda, impleret: alteram, ne cum gente impia, quam Deus exterminare ac delere constituerat, contrahendis matrimoniis, nectendisque cognationum & affinitatum vinculis copularentur: atque vt in primis Patriarchis populi Hebræi, illustre præcederet exemplum fugiendi eiusmodi coniugia, à quibus postea Hebræi lata lege prohibendi erant.

Sed redeo ad odium Abrahæ, Chananæorum matrimonia prorsus 34
auersantis. Idem quoque odium tenuit filium eius Isaac, & nurum Rebeccam: quapropter & ipsi filium suum Iacob, eiusdem rei gratia, miserunt in Mesopotamiam. Audi Rebeccam ita loquentem cum viro suo Isaac: *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth, si acceperit vxorem Iacob de stirpe terræ, nolo viuere. Vocauit itaque Isaac Iacob, & benedixit eum, præcepitque ei dicens, Noli accipere vxorem de genere Chanaan: sed vade in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi vxorem de filiabus Laban auunculi tui.* Cæterum id non esse postea seruatum à filiis Iacob, patet exemplo Iudæ, de quo ita scribit Moses Genes. 38. *Vidit Iudas filiam hominis Chananæi, vocabulo Sua: & accepta vxore ingressus est ad eam, &c.* Ex narratione item Mosis licet intelligere, cęteros filios Iacob, postquam is regressus ex Mesopotamia est in terram Chanaan, ex ea gente vxores duxisse: nam cum multi essent, fortasse in posteris Laban, non tot erant eo tempore nubiles fœminæ, quas possent in matrimonium assumere. Nec sanè necessarium fuit, id tunc ab illis obseruari; vtpote quos Deus breui post tempore, separatos à gente Chananæorum, translaturus erat in Ægyptum. Itaque satis fuit esse id obseruatum in tribus illis primis populi Hebræi Patriarchis.

Quæstio cur de tali cõiugio nõ sit requisita sententia & assensus Isaac.

At enim duæ hoc loco quæstiunculæ occurrunt. Vna est, cur de tali 35
coniugio non sit requisita volũtas Isaac, & petitus eius assensus, sed totum id negocij mandatum sit seruo: cum Isaac eo tempore iam grandis natu esset; nõ minor vtique quadragesimo anno: nec rite matrimonium sine expresso vtriusque coniugis assensu, cõtrahi queat. Respondendum est, sine dubio concurrisse assensum Isaac; propterea autem id tacuisse Mosem, vt significaret, Isaac paternæ sententiæ obseruantissimum, voluntatisque obsequentissimũ, vt alia omnia sua, sic etiam vxorium illud negocium, patris iudicio, voluntati, curæque omnino permisisse. Enimuero, patre viuente, non decuit Isaac de suo coniugio statuere,

statuere, nisi iuxta paternam voluntatem & sententiam: Abraham verò per illum seruum, tanquam per suum procuratorem, de filij coniugio agebat. Verba igitur, quæ Abraham locutus est seruo, non indicant eum fuisse quasi tutorem & præsidem ipsius Isaac; aut quod Isaac eius serui consilio & imperio regi deberet: sed ostendunt fuisse eum tanquã nuncium & administrum voluntatis tam Abrahæ quàm Isaac; & ab vtroque de tractando tali coniugio, quasi procuratoriam auctoritatem & potestatem habuisse. Rupertus in hac re admiratur & mirifice prædicat, tum fidem Abrahæ, tum eximiam castitatem Isaac, ad hunc modum scribens: Fidei simul & casti laus est coniugii, res gesta hæc. Nam nec senex Abraham nurum de Chananæis quæsiuit, vnde aliquod suppeditari posset solatium peregrinationi suæ: nec iuuenis Isaac vxorem ambiuit, quam prius cõcupiuisset oculis, sed eam quam nunquam viderat, secundum patris voluntatem præstolatus est. Non enim in Abraham, magno caret merito fidei, nec in Isaac vero castitatis testimonio; quod & ille peregrinationem suam; propter Deum in quo confidebat, sic amplexatus est, vt eorum qui Deo non placebant, propinquitatem, nullam sibi aut posteris suis admitteret: & hic ita iuuentutis petulantiam supergressus est, vt illam expectaret coniugem, quam Deus daret, non quam concupiscentibus oculis ipse cum dote magna rapuisset.

Rupertus li. 6. Comm. in Gen. cap. 38. Fides Abrahæ, & Castimonia Isaac.

Altera quæstio cur Abraham nõ misit ipsum met Isaac in Mesopotamiam.

36 Altera quæstio est, cur Abraham non ipsummet Isaac misit in Mesopotamiam, vt quam vellet ipse ex posteris Nachor, vxorẽ sibi eligeret; sed id negocij tractandum & perficiendum seruo suo mandauit. Siquidem Isaac daturus filio suo Iacob vxorem, non seruum misit in Mesopotamiam, vt inde accerseret & duceret filio vxorẽ, sed eo misit ipsummet Iacob, vt habes infra Genes. 28. Huius rei causam affert Rupertus huiuscemodi: Isaac multis in rebus illustrem gessisse Christi figuram; sed, quod ad præsentem rem attinet, duabus maxime. Quemadmodum enim non ipse Isaac missus est in Mesopotamiam, vt acciperet vxorem, sed eius seruus: ita Christus, non ipse secundum corporalem præsentiam iturus erat ad Gentes, vt eis ore suo prædicans Euangelicam doctrinam, easque ad se conuersas, desponderet sibi in fide, misericordia, & iustitia: sed id præstitit per seruos suos, id est, sanctos Apostolos, quibus de hac re dedit mandatum: *Ite in vniuersum mundum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, &c.* Nam de se ipse dixit: *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel*, & ob eam ipsam causam Paulus Christum appellauit, ministrum Circumcisionis: *Dico*, inquit, *Christum Iesum ministrum fuisse Circumcisionis, propter virtutem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum.* Deinde Isaac, non vltro ipse, nec propria sua voluntate vxorem sibi quam vellet, delegit; sed eam solum, quæ sibi patris sententia & voluntate data erat, accepit. Quod sane præfigurauit, quod à Christo factum est: nempe non ipse propria sua voluntate elegit homines, quos saluaret; sed eos tantum, quos sibi Deus Pater assignauerat & dederat, suæ doctrinæ

Matt. vlt. Matt. 15. Ad Rom. 15.

& gra

& gratiæ ſacramentis ſanandos, ſuiſque meritis ſaluandos ſuſcepit.
Ioan.6. Hoc ipſe verbis illis aperte declarauit: *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, non eiiciam foras: quia deſcendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me. Hæc eſt enim voluntas eius qui miſit me, Patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo; ſed reſuſcitem illud in nouiſſimo die.* Verba Ruperti ſuper ea re breuiter
Rupertus li. 6. Comm. in Geneſ. cap. 38. & 39. Luc. 19. differentis, hæc ſunt: Aſſimilatur Iſaac etiam in hoc Dei Filio; quippe qui nulla propria voluntate, id eſt, humano iudicio, animam aſſumit, ſiue reiicit; iuxta id quod ipſe dixit: *Non veni facere voluntatem meam, ſed voluntatem Patris mei.* Nam ſi ad naturalem ſpectes carnis affectum, eadem teneritudine ſuam fouere debuiſſet patriam, qua videns ciuitatem Hieruſalem, veris lacrymis fleuit ſuper illam. Verum quid ipſe dixit: *Deſcendi*, inquit, *de cœlo, non vt faciam voluntatem meam; ſed voluntatē eius qui miſit me.* Notandum præterea eſt, quod Abraham non ipſum Iſaac, quem Deo, iuſſus, obtulerat, adiuret: neque ipſum ad quærendum ſibi vxorem mittat; vt quæcumque ſibi placuerit, illam accipiat: quia videlicet nec futurum erat, vt ipſe Chriſtus, poſtquam paſſus eſt, per ſemetipſum Eccleſiam ſibi de hoc mundo colligeret corporali præſentia. Sic Rupertus.

Verum eius ratio & interpretatio, non hiſtorica & literalis, ſed plane myſtica & allegorica eſt. Germanā igitur & propriam eius rei cauſam & rationem hanc eſſe exiſtimo. Abraham vnicum tantummodo filium domi habebat; Iſaac verò duos, Eſau & Iacob: itaque vno à ſe dimiſſo, ex altero ſubſidium & ſolatium ei ſuppetebat. Sedenim, illa præcipue cauſa fuiſſe videtur, quod ab vxore ſua Rebecca vehementer inſtigatus & ſolicitatus eſt Iſaac ad mittendum Iacob in Meſopotamiam: id verò fecit Rebecca, conſulens ſaluti & vitæ Iacob, vt ipſum iræ, odio, & inſidiis Eſau, propter paternam ſibi præreptā benedictionem, capitali odio perſequentis fratrem ſuum Iacob, caute & tempeſtiue ſubduceret. Audi Scripturam: *Oderat ergo ſemper Eſau Iacob, pro benedictione, qua benedixerat ei pater: dixitque in corde ſuo; venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. Nunciata ſunt hæc Rebeccæ; quæ vocans Iacob, dixit ad eum: Ecce Eſau frater tuus minatur vt occidat te. Nūc ergo fili mi audi vocem meam; & conſurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran: habitabiſque cum eo dies paucos; donec quieſcat furor fratris tui, & ceſſet indignatio eius, obliuiſcaturque eorum, quæ feciſti in eum. Poſtea mittam & adducam te huc. Cur vtroque orbabor filio in vno die?*

37

QVAR

QVARTA DISPVTATIO,

Cum Abraham nec in vrbe Haran, nec in Meſopotamia natus eſſet: ſed in Vr Chaldæorum: quomodo terram Meſopotamiæ & vrbem Haran, vbi habitabat Nachor, vere appellare potuit terram ſuam: quaſi eſſet patria eius & natale ſolum:

Super illis verbis:

Sed ad terram & cognationem meam proficiſcaris: & inde accipias vxorem filio meo Iſaac. VERSV 4.

38 QVAM hoc loco Abraham vocat terram ſuam, paulo infra in hoc ipſo capite, ſeruus eius narrat vocatam fuiſſe ab eo domum patris ſui, illis verbis: *Adiurauit me dominus meus dicens, Non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, ſed ad domum patris mei perges.* Dicitur autem domus Thare patris Abrahæ, fuiſſe in vrbe Haran, non quod ibi natus Thare fuiſſet; conſtat enim ex vndecimo capite libri Geneſis, & quinto capite libri Iudith, ex Chaldæa veniſſe eum in ciuitatem Haran: verum quia ibi perdiu manſit, per annos nempe ſexaginta, ibique mortuus eſt, atque inibi progenies eius, per ipſius filium Nachor, propagata eſt: propterea in eo loco verè dicta eſt fuiſſe domus Thare. Manſiſſe verò Thare ſexaginta annos in vrbe Haran, facile probatur ex capite 11. & 12. Geneſis. Abraham enim relicto Thare in vrbe Haran, profectus eſt in terram Chanaan, annum ſeptuageſimumquintum agens, id autem eſt, anno centeſimo quadrageſimo vitæ Thare; ſiquidem is ſeptuaginta cum eſſet annorum, genuit Abraham, vixit autem quinque & ducentis annis. Quare poſt Abrahæ diſceſſum ex vrbe Haran, ſuperuixit ibi Thare ſexaginta annis. Ob eandem cauſam eadem illa vrbs dicta eſt hoc capite vrbs Nachor, ita ſcribente Moſe de ſeruo illo Abrahæ: *Profectus, perrexit in Meſopotamiam ad vrbem Nachor.* Nam poſtquam ex Chaldæa Nachor venit in eam vrbem, ſedem in ea fixit, perpetuumque locauit domicilium, ibique genuit filios, eiuſque progenies ibi propagata, & tanquam in natali ſolo verſata eſt. Verum quia nos hic pro certo poſuimus, eo tempore Nachor & progeniem eius habitaſſe in vrbe Haran, quæ in extrema Meſopotamia verſus Syriam & Palæſtinam ſita eſt, vt ſignificatur in libro Ioſue capite 24. ne forte quiſpiam de ea re ambigat, id manifeſtum ipſa facit Scriptura huius libri, quæ infra Geneſ. 27. 28. 29. locum ibi habitabat Bathuel:

filius Nachor,& Laban nepos eius,& in quem profectus est Iacob, vbi Liam & Rachel duxit vxores,nominatim appellat ciuitatem Haran.

His igitur expositis,venio ad tractandam quæstionem,quæ in titulo 39
huius disputationis proposita est. Cum Abraham nec in vrbe Haran natus fuerit,nec diu ibi habitauerit,quomodo eam vere appellauit terram suam?Paulus Burgensis in quadam Additione sua ad Postillas Lyrani super caput 12. Geneſis, obnixe contendit probare, natum fuisse Abraham in vrbe Haran,ideoque vere dici terram & patriam eius.Sed frustra & irrito conatu,in eo laborat Burgēsis;omnibus scilicet, qui de origine Abrahæ prodiderunt, Hebræis, Christianis, etiam Ethnicis scriptoribus, aperte reclamantibus, magnoque assensu affirmantibus, Abraham fuisse Chaldæum,& natum in Vr Chaldæorum vrbe. Diuina quoque Scriptura tribus locis euidenter ei repugnat; Primo Genes. 15.vbi Moses hæc Deum facit loquentem cum Abraham; *Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum,vt darem terram istam.* Abraham porrò ex natali terra & patria sua euocatus & eductus fuerat à Deo, vt patet ex initio capitis 12.Geneſis,& iis verbis Abrahæ,quæ sunt in hoc capite: *Deus qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ.* Ergo Vr Chaldæorum fuerat natalis locus & patria Abrahæ: inde enim discedens vnà cum patre suo Thare,venerat in vrbem Haran.Idem quoque liquido perspicitur ex iis quæ scripta sunt in capite quinto libri Iudith de Abraham & patre eius, illis verbis: *Populus iste,ex progenie Chaldæorum est.Deserentes itaque cæremonias patrum suorum,quæ erant in multitudine Deorum,vnum Deum cæli coluerunt:qui & præcepit eis,vt exirent inde,& habitarent in Charan.* Idipsum præterea nos diserte B. Stephanus docuit. Nam referens præceptum Dei, quo Abraham iussus est exire de terra sua, adiungit hæc: *Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan.* Quin & ipse Burgensis euidentissimis huius veritatis,quæ in Scriptura sunt, testimoniis conuictus, denique mutauit sententiam. Nam in quadam Additione sua ad Postillas Lyrani super caput Deuteronomij 28. affirmate tradit Abraham natum esse in Chaldæa.

Paulus Burgensis refellitur.

Act.7.

Thostatus hoc loco.

Thostatus autem propterea existimat,ciuitatē Harā, in qua Nachor 40
& progenies eius habitabat,Abraham vocasse terram suam,quod in ea vrbe longissimo tempore moratus ipse fuisset, nempe vsque ad mortem Thare patris sui. Verum ea sententia quatuor argumentis refellitur.Etenim Abraham minus vno anno mansisse in vrbe Haran,nos supra,cum explanaremus cap. 12. & tractaremus Disputationem secundam,tum auctoritate nobilium Doctorum,tum optima ratione ostendimus.Enimuero,cum vrgeret Abrahamum illud tam graue sanctumque Dei mandatum eundi in terram Chanaan, non vtique decebat eum in eo mandato exequendo perficiendoque, tardum & negligentem esse:Deinde,profectus est Abraham de vrbe Haran in Chananitidem,annū agens septuagesimumquintū:ergo post digressum Abrahæ, superuixit Thare in vrbe Haran annos sexaginta: siquidem Thare septua

-septuagenarius genuit Abraham(quod etiam sentit Thostatus)& obiit ducentesimoquinto ætatis suæ anno,vt habes Gen.11.Adhæc,si Abraham māsisset in vrbe Haran vsque ad mortē Thare,proculdubio mansisset vsque ad centesimum trigesimumquintum annum ætatis suæ; hic enim annus Abrahæ,concurrit cum ducētesimoquinto ætatis Thare,quo is excesit. At falsum esse id,demonstrat euidenter historia libri Geneſis,quæ facit eum annorum septuagintaquinque, cum relicta vrbe Haran petiit Chananitidem: vbi cum versatus esset decem annos, vxorem duxit Agar ancillam, agens octogesimumquintum annum, vt traditur Genes.16. & in eadem terra centenarius genuit filiū Isaac Genes.21.Falsum igitur est, māsisse Abrahā in vrbe Haran vsque ad mortem Thare, vt hoc loco scribit Thostatus. Sed quid multis opus est? cum ipsemet sibi contradicat Thostatus; & hæc sententia eius prorsus euertat,quod super caput 11.Geneſis quæst.31.& super caput 12.quæstione 19.constituerat;affirmans, viuente Thare in vrbe Haran, peregrinatum esse Abraham per annos sexaginta in terra Chanaan, vsque ad mortem scilicet patris sui Thare.Quare si à contradictione vindicare quispiam Thostatum velit,dicat oportet, eum, quod hoc loco dixit, non ex sua dixisse sententia, sed Lyrani potius, quem tacito etiam nomine,plurimum sequi solet. Lyranus enim sensit Abraham mansisse in vrbe Haran vsque ad mortem Thare, eoque defuncto petiisse Chananæorum regionem,cum annorum esset septuagintaquinque:non enim facit eū anno Thare septugesimo,sed cētesimo trigesimo esse natum. Vide ipsum super caput 11.& 12.Geneſis.

41 Quid igitur nos(nāque hoc,vt opinor, expectat Lector)ad quæstionem propositā respondendum censemus? Ego sanè verba illa Abrahæ, quæ hanc excitarunt quæstionem: *Ad terram & cognationem meam proficiscaris*,posse dupliciter exponi puto: Primò quidem,ita vt illud pronomen *meam*,non iungatur cum illa voce *terram*, quasi Abraham, terram, in qua tunc habitabat Nachor, vel progenies eius, appellauerit terram suam:sed iungatur cum illa voce *cognationem*: ad hunc nempe intellectum,vt proficiscaris ad terram (scilicet Mesopotamiæ, vt paulo infra exprimitur) & ad cognationem meam, quæ in ea terra habitat. Namque post hæc verba proxime indicauit Abraham, quænam esset terra sua,dicens, *Deus qui tulit me de domo patris mei,& de terra natiuitatis meæ*:terra vero natiuitatis Abrahæ,erat Chaldæa,& in ea,ciuitas Vr. Non igitur Abraham significare illis verbis voluit,terram,in qua tunc progenies Nachor habitabat,fuisse terram suam.

Alterum, idque meo iudicio commodius & probabilius respōsum huiusce modi esse potest; Abraham regionē,quæ trans fluuiū Euphratem est,cōprehendens Mesopotamiā & Chaldeā,appellauit generatim terram suam;quod tota illa regio,transfluuialis diceretur respectu Palæstinæ;& ipse Abraham,transfluuialis vocabatur à Chananæis, quòd ex regione,quæ transfluuium Euphratem est, venisset in terram Chanaan:sicut animaduertere potest Lector ex iis,quæ scripta sunt in libro

Iosue capite 24. Et B. Stephanus Actorum 7. vtitur Mesopotamiæ vocabulo late sumpto, eo nomine comprehendēs etiam Chaldæam. Nam cum dixisset, Deum apparuisse Abrahæ versanti in Mesopotamia, & precepisse ei, vt inde exiret, scilicet de terra sua, & cognatione sua; mox adiecit: *Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan.* Quo intelligitur, pro eadem regione vsurpasse Stephanum, nomē Mesopotamiæ & Chaldææ. Quoniam igitur Abraham mittebat seruum in Mesopotamiam, proxime iunctam Chaldææ patriæ suæ, & quæ, ample sumpto eo nomine, Chaldæam ipsam amplectitur; progenies autem Nachor habitabat in vrbe Haran, quæ erat in Mesopotamia: iccirco mittens illuc seruum, verè dixit, se illum mittere in terram suam.

Caietan. in cap. 24. Genesis.

Caietanus hæc ipsa, quæ nunc tractamus, verba explanans, Non, inquit, ad Vr Chaldæorum, neque ad aliquam aliam ciuitatem in specie, seruum illum misit: sed ad Mesopotamiam, (hoc est, terram inter Euphratem, & Tigrim) appellando illam terram suam, quia vere inde erat oriundus. Nulla igitur certa ciuitas, sed certa regio significatur, dicēdo, *ad terram meam.* Et per hoc excluſit consanguineos suos, tam genitos ex Loth, quàm ex Ismaele: vtrique enim erant in terra Chanaan, seu Syriæ. Vbi aduerte, quod quamuis Moses hæc pauca verba, continentia substantiam dictorum narret; multo tamen plura dicta, vel nota fuere seruo qui mittebatur. Præsertim cum pro eo quod Latina translatio seruum illum vocat seniorem domus Abrahæ; eum lectio Hebraica appellet, Inueteratum in domo Abrahæ: ex hoc enim bene colligitur, seruum illum fuisse cum Abraham in Mesopotamia; & nouisse, quænam esset cognatio Abrahæ, & vbi habitaret. Idem Caietanus paulo post, tractans illa verba Mosis: *Profectusque, perrexit in Mesopotamiam, ad vrbem Nachor*, sic ait: iuxta Hebræum, pro illo, *In Mesopotamiam*, habetur, *In Aram fluuiorum.* Appellatur Aram fluuiorum, ciuitas quædam in Mesopotamia, id est, in terra, inter duo flumina Euphratis, & Tigris interiecta, ad differentiam scilicet alterius Aram, quæ est in Syria: cuius, in calce capitis 22. mentio facta est. Vnde appositiue adiungitur, *ad ciuitatem Nachor:* Hactenus enim non scripserat Moses, vbi habitauerit Nachor: nam nec memorauit eum inter euntes cum patre suo Thare, de Vr, in Charā; nec scripsit ipsum remansisse in Vr: sed seruus ille sciēs cuncta gesta, iuit recto itinere ad Aram trans Euphratem, sciens habitasse ibi Nachor: & propterea dicitur iuisse ad ciuitatem Nachor; non tanquam domini eius vrbis (quantum scitur) sed tanquam habitatoris. Hæc Caietanus. 42

Verum in istis Caietani verbis tria sunt, quæ vel expositionē desiderāt, vel indigēt correctione. Primo, ait Caietanus Abrahā fuisse oriundū ex Mesopotamia; quod falsum est, si proprie vtamur nomine Mesopotamię, prout ea distinguitur à Chaldęa, quēadmodū id nominis ferè in vsu est apud scriptores. Abrahā quippe, tā genere, quàm ortu Chaldæus erat, vrbē Chaldææ nominatā, Vr, patriam habens: sin autē ample sumatur nomen Mesopotamiæ, vt paulo supra indicauimus, sententia 43

Caietani

Caietani minime abhorret à vero. Ait præterea Caietanus, seruum illum non esse missum nominatim ad aliquam certam ciuitatem, sed generatim tantum in Mesopotamiam: quod sane non congruit cum narratione Mosis; qui scribit missum fuisse ad cognationem Abrahæ, id est, familiam Nachor, quæ vno in loco Mesopotamiæ, id est, in vrbe Haran habitabat: idque cōfirmant verba illa: *Perrexit in Mesopotamiam ad ciuitatē Nachor.* Illud demū à verò abest, quod dixit Caietanus; Arā fluuiorum, siue vt est Hebraice, Aram Naharaim, significare non ipsam regionem Mesopotamiæ, sed vnam quādam eius regionis ciuitatē; cū contra prorsus se res habeat. Namque vocem, Aram, tam Hebræi, quàm nostri, interpretantur, Syriam; Naharaim autem, significat fluuius. Syriam verò fluuiorum Hebræi appellant eam ipsam, quam Græci vocant Mesopotamiam. Vrbs autem vbi habitabat Nachor, non dicebatur Aram, sed Haran, siue Charan: externi verò scriptores vocant Charras; locum sane insigni Romanorum clade, & memorabili Crassi Imperatoris nece satis nobilitatum. Id porrò facile animaduertere potuisset Caietanus, cum distincte hic memoretur Aram fluuiorum, siue Mesopotamia; atque vrbs Nachor, quæ erat Haran.

Dixitque Abraham: Caue, ne quando reducas filium meum illuc. Dominus DEVS *cæli & terræ, qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, qui locutus est mihi, & iurauit mihi dicens: Semini tuo dabo terram hanc: ipse mittit Angelum suum coram te, & accipies inde vxorem filio meo.* VERSV 6. & 7.

NON est putandum, fuisse illi seruo ius & potestatem ducendi quocumque vellet, aut reducendi ipsum Isaac; tanquam is esset sub tutela serui, eiusque auctoritati subiectus à patre. Verum hisce verbis significauit Abraham, Ipse nullo modo velle, vt ea conditione coniugiū inter Isaac & fœminam de cognatione sua contraheret, vt si mulier illinc venire nollet ad Isaac, promitteret ipse, iturum illuc filium suum Isaac. Causa verò cur tantopere Abraham à profectione filij sui Isaac in Mesopotamiam abhorreret, duplex, & vtraque sanè admodum idonea & probabilis afferri potest. Putabat enim Abraham id fore contra grauissimum illud & sanctissimum DEI præceptum, quo iussus ipse fuerat, ex illa terra omnino discedere, firmissimo animi proposito, numquam illuc, habitandi causa, regrediendi, aut posteros suos mittendi. Deinde, videbatur id contrarium esse diuinis promissionibus sibi datis, earumque fore irritum effectum. Etenim DEVS ei promiserat, se daturum eius semini 44

terram Chanaan atque inibi se progeniem eius numerosissime multiplicaturum, magnisque bonis cumulaturum: at si eius posteri, relicta terra Chanaan, aliò gentium & terrarum habitatum irent, earum DEI promissionum minime compotes fieri possent. Vtramque hanc causam supra positis verbis indicauit Abraham: priorem quidem, cum dixit; DEVS *qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ*: posteriorem verò, cum adiunxit: *Et iurauit mihi dicens, semini tuo dabo terram hanc.* Ergo licet Abraham certam haberet spem fore, vt mulier, quæ ex cognatione sua petebatur in coniugium filij sui, libenter & ipsa veniret in terram Chanaan, & à parentibus eius mitteretur, & ideo dixit, *Ipse mittet Angelum suum coram te*; eo tamen fuit animo, vt si alterutrum sibi necessario eligendum esset, aut mittere Isaac habitatum in Mesopotamiam, vt ex cognatione sua vxorem acciperet; aut si nollet eum discedere ex terra Chanaan, vxorem ei Chananæam dare, hoc potius eligeret, quam illud. Illud enim erat DEI præcepto, & promissionibus sibi ab eo datis contrarium; hoc autem, minimè; licet malum videretur ac periculosum.

Thomas Anglicus super cap. 24. Genes.

MONET Thomas Anglicus, ex hoc Scripturæ loco primum notuisse, etiam inter absentes, per intermedium procuratorem, posse matrimonium contrahi: sic enim coniugium inter Isaac & Rebeccam absentes, per seruum illum Abrahæ, contractum est. At ego, non fuisse tunc inter illos absentes contractum matrimonium, existimo: sed facta solum sponsalia; & futurum coniugium certis vtrinque promissionibus firmatum: vere autem ac proprie, postquam Rebecca venit ad Isaac, matrimonium esse contractum inter præsentes: idque (nisi ego parum video) videtur mihi non obscure indicasse Moses, extremis illis huius capitis verbis: *Qui introduxit eam* (Isaac Rebeccam) *in tabernaculum Sare matris suæ, & accepit eam vxorem, & in tantum dilexit eam, vt dolorem qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.* 45

IPSE *mittet Angelum suum coram te*, Videlicet, vt iter tuum, & negotium à me tibi mandatum regat, prosperet, & ad optatum perducat exitum. Simile est illud Exodi 23. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te & custodiat in via, & introducat in locum, quem præparauit:* & illud Tobiæ 5. *Credo quod Angelus* DEI *bonus commitetur ei, & bene disponat omnia, quæ circa eum geruntur; ita vt cum gaudio reuertatur ad nos.* Quot autem & quanta hominibus Angeli, quorum illi tutelæ, rectionique crediti à DEO sunt, adiumenta præbeant & commoda corporis iuxta animique, vel vnius Angeli Raphaelis, quæ in libro Tobiæ narratur historia clarissime demonstrat. Etenim Raphael preces & opera misericordiæ Tobiæ, in cælis offerebat DEO, salutarem ei procurans earum rerum effectum, sicut ipse dixit Tobiæ 12. *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos; ego obtuli orationem tuam Domino.* Ipse iuueni Tobiæ fuit iudex & dux itineris, atque in omni labore, periculisque, magnum præsidium & solatium. Ipse eum, ab immanis cuiusdam piscis 46

Quã multa & magna hominibus, Angeli Sancti bona præstent. Tobiæ 12.

piscis deuoratione seruauit: & docuit eum naturales eius piscis, sed occultas mortalibus, ac pernitias virtutes & potestates, abigendi dæmonia, & illuminandi cæcitatem. Ipse Dæmonem, qui Saram, septem eius viris in ipso die nuptiarum occisis, vulgo infamem & abominabilem fecerat, ex domo illa prorsus ejecit, & in deserto Ægypti religauit. Ipse maximam pecuniæ vim Tobiæ debitam à Gabelo longe distanti, incredibili celeritate ac facilitate recepit. Ipse iuuenem Tobiam, omni negotio felicissime confecto, salvum duxit ac reduxit, & patris eius cæcitatem sanauit. Hæc Angeli tam multa & egregia in se merita & beneficia, grato, vt par erat, animo reputans Tobias, & patri suo commemorans, verissime dixit: *Pater, quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis eius? Me duxit & reduxit sanum: pecuniam à Gabelo ipse recepit: vxorem ipse me habere fecit; & dæmonium ab ea compescuit: & gaudium parentibus eius fecit: me ipsum à deuoratione piscis eripuit: te quoque videre fecit lumen cæli: & bonis omnibus repleti sumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare?* Iacob etiam confessus est, ab omnibus malis, quibus omni vita sua liberatus fuerat, beneficio Angeli fuisse seruatum: *Angelus* inquit, *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Genes. 48.

Tulitque decem Camelos de grege domini sui, & abiit: ex omnibus bonis domini sui portans secum. VERSV 10.

47 SAPIENTER, inquit Rupertus, pro re & tempore seruus ille senior sic abiit, cum multitudine camelorum, & cum amplissimis muneribus. Præsentibus namque donis doceri debebat & instrui puella, vt non paruas viri, aut soceri sui sciret speraretque diuitias. Sic plane seruus, ad Gentilitatem conuertendam ad CHRISTVM est à DEO missus, id est prædicator Euangelicus, cum maximis muneribus, illis videlicet, de quibus dictum est: *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Ex his bonis Domini sui IESV CHRISTI, siue PATRIS eius DEI, portauerunt secum prædicatores Euangelici; vt ex præsentium gloriosa testificatione miraculorum, cognosceret ipsa, quæ petebatur CHRISTO, sponsa, quod vere magnus, & diues, & potens esset ille in cælo & in terra. Quid porro sibi volunt decem Cameli, quos ille seruus tulit de grege domini sui? Præcepta nimirum Decalogi; de quibus Dominus dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata* DEI: quæ Pharisæi negligentes, & in decimanda menta & aneto superstitiose diligentes; recte tali elogio denotati sunt, vt diceretur illis: *Væ vobis Pharisæi, qui decimatis mentam, & rutam, & omne olus, & præteritis iudicium & charitatem* DEI: vel vt alius refert Euangelista: *Reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem, excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Recte igitur decem fuerunt cameli, quia decem præceptis, Rupertus li. 6. Commentariorum in Genes. cap. 40. Ephes. 4. Exod. 20. Matth. 19. Luca. 11. Matth. 23. Exod. 34.

ptis,quæ in duabus tabulis ſcriptæ ſunt digito DEI, continetur omnis
Ad Philip. 3. vera iuſtitia legis: quam ſolam ſeruari oportet in Euangelio CHRISTI, reiectis omnibus iuſtitiis carnis, quas Apoſtolus detrimẽtum facit pro CHRISTO, & arbitratur vt ſtercora. Hactenus ex Ruperto. Ergo ex omni lege Moſis,decem tantum præcepta,quæ vocantur Moralia,Prædicatores Euangelici deferebant ad Gentes, eiſque perpetuo ſeruanda tradebant:non tamen nuda,ſed pretioſiſſimis CHRISTI donis ornata & locupletata;fidem dico,ſpem,caritatem, Sacramenta nouæ legis,clariſſimam diuinarum Scripturarum intelligentiam, remiſſionem peccatorum,pacem & reconciliationem cum DEO,dona linguarum,multiplicemque miraculorum gratiam,dona SPIRITVS Sancti,aliaſque inenarrabiles CHRISTI diuitias,quibus ad eius admirationem,amorem, cultumque excitarentur homines.

PRO illis verbis: *Ex omnibus bonis eius portans ſecum*, hebraice ad ver- 48
bum eſt: *Omnia bona domini ſui in manu ipſius*, quod nõ ſolum ſignificat, ei fuiſſe creditam omniũ bonorũ Abrahæ curam & adminiſtrationem: verum etiã, quod in illa legatione portauerit ſecũ omnia bona domini ſui. Quod,ne videatur incredibile,tripliciter exponi poteſt. Primo,vt ſit locutio hyperbolica,ſatis frequens in Scriptura:& tuliſſe dicatur omnia bona,id eſt,plurima. Deinde,vt illud,omnia,non ſignificet vniuerſitatẽ omnium bonorũ, ſed tantũmodo generum & ſpecierũ:vt ſenſus ſit,ex omni genere bonorum domini ſui tulit ſecum;id eſt, ex auro,argento, gemmis, pretioſis veſtibus aliiſque rebus,quæ(vt inquit Ioſephus)raræ erant in Meſopotamia, & pretioſæ illic habebantur:quemandmodũ B. Auguſtinus putat eſſe interpretandũ illud Apoſtoli: *Qui vult omnes homines ſaluos fieri*, id eſt,ex omni genere hominum: & illud, *Qui illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundũ*:& item illud, *Decimatis mentam & rutam,& omne olus* id eſt,olera omnis generis. Hebręi vero cenſent,propterea dictũ eſſe,ſeruum illũ tuliſſe omnia bona Abrahæ, quia tulit ſecum ſchedam ſiue chirographũ Abrahæ, in quo declarabat ille,ſe filio ſuo Iſaac,tanquam vnico hæredi,tradidiſſe omnia bona ſua:quo ſcilicet ea re vehementius parentes Rebeccæ ad tale coniugiũ expetendũ incenderentur. Hæc porro interpretatio Hebræorũ ſatis cõgruit cum eo, quod infra ſcriptũ eſt Geneſ. 25. *Dedit Abrahã cũcta,quæ poſſederat Iſaac; filiis autem concubinarũ largitus eſt munera.* Hinc igitur apparet fuiſſe magnificam legationẽ illam:ſiue ſpectes legati dignitatem, erat enim primarius in domo & familia Abrahæ,ſingulari prudẽtia, fide,& induſtria præditus,ob idque cariſſimus Abrahæ;ſiue æſtimes magnificentiã munerum, quæ mittebantur; ſiue amplitudinem comitatus, tam animalium quam ſeruorum:ſiue demum longinquitatẽ itineris, grauitatemque negotij,cuius gratia conficiendi legatio illa eſt ſuſcepta.

Ioſephus li. 1. Antiquitatum. *S. Auguſt. in Enchiridio.* *1. ad Tim. 2.* *Ioan. 1.* *Lucæ. 11.*

TVLIT *ſecum decem Camelos.* Incredibilem fuiſſe priſcis illis tempo- 49
ribus apud Orientales populos,Palæſtinæ vicinos, Camelorum vim & copiam,frequentiſſimumque vſum,multifariam nos docẽt ſacræ literæ. Etenim vni viro Iob, traditur,fuiſſe ſex millia Camelorum. Madianitis item,

De vſu & copia camelorum apud orientales. *Iob. 42.*

item,ſcriptum eſt,fuiſſe in exercitu, quo vaſtatum regionem Hebræorum venerant, innumerabiles camelos,& inſtar arenæ maris. Hebræi, victis prælio Agarenis,in cætera præda,quam retulerunt,cepere quinquaginta millia camelorum. Multiplex porro illis gentibus,illiſque in locis camelorum fuit vſus, & paruo quidem impendio, leuiſſimoque labore. Vtebantur namque eorum equitatu in præliis;& mulorum ſiue equorum vice,in faciendo itinere: in quo tantã pollebant celeritate,vt auctore Ariſtotele,Niſæos equos,pernicitatis eximię,ſuperarent. Philoſtratus certe,vt rem teſtatam compertamque narrat, eos ad mille ſtadia vno die conficere. Valebant præterea plurimum ad geſtanda onera: gerunt enim ad ſeptingenta pondo etiam nonnumquam vſque ad mille. Sitis patientiſſimum eſt animal: nempe in quinque dies ſæpe etiam octo,coactum vero vel vſque in quindecim, ſitim tolerat. Audiat Lector Plinium: Cameli,iumentorum in illis terris dorſo funguntur,atque etiam equitantur in præliis,velocitas inter equos;ſed ſua cuique menſura,ſicut vires. Nec vltra aſſuetum procedit ſpatium, nec plus inſtituto onere recipit. Sitim,& quatriduo tolerant: implenturque, cum bibendi occaſio eſt,in præteritum & in futurum; obturbata proculcatione prius aqua,aliter potu nõ gaudent. Viuunt quinquagenis annis;quidam & centenis. Sic Plinius.

Iudic. 7. *1. Paralip. 15.* Vſus & commoditates, & virtutes camelorũ. *Ariſt. libr. 9. de Hiſto. animal. cap. vlt.* *Philoſtr. lib. 2. de vita Apollonij.* *Plin. libr. 8. cap. 18.*

Verum Iulius Scaliger, ſuper eadem ipſa re dictincte magis & co- 50
pioſe diſſerens,ad hunc modum ſcribit: Camelorum ſpecies tres. Arabici,proceri ſunt,ac bene ſurrecti beneque habiti, ante quadrimatum inutiles. Horum,qui probatiſſimus eſt, mille pondo Italica gerit: ſeptingẽtorum, ſarcina eſt. Altera ſpecies eorum,quos Ariſtoteles geminos ſcribit habere ὑββ«ς, Bactrianos ille nominat; non niſi in Aſia inueniri docent hiſtoriæ Africanæ. Tertiæ ſpeciei cenſentur parui ſane, atque ad ſarcinas inepti, ſed vſum præbentes equorum:tanta velocitate ac patientia,vt amplius centum millaria vno die conficere dicantur; pauciſſimo cibo, nulloque potu contenti, Dromedarios vocant mercatores noſtri. Vniuerſum camelorum genus,adeo ſitis patiens eſt vt quindecim totos dies coacti ferant. Ex more, quinto quoque die, cum minimum: cum plurimum,nono bibunt. Syri Camelis ſingulis ſemel in die panes dant hordeaceos, crudos, quinos: octauo quoque die,potum. Qui in Libyæ ſolitudinibus agitant Cameli, quandiu viridis paſcuntur herbas,nihil bibunt. Nec Arabes ipſi quidem,quoad lacte vtuntur Camelino. Ibi quoque pro equis eſt opera Camelorum, quos neque infrenant,neque incapiſtrant:ſed pertuſænarium chartilagini corrigiam inferunt, habenarum vice: quomodo anulis ferreis ad bufalorum rectionem vtuntur Itali. vulgatum eſt,Camelos ingeniculatos excipere ſarcinas:& ſuarum virium conſcios,vbi ſatis impoſitum eſſe videatur, exurgere,fruſtra ad maiores,grauioreſue porro cogi. Sic ille. Ob tot igitur Camelorum vſus, commoditateſque,tam promptas & faciles,mirum eſſe non debet,tantam fuiſſe apud Orientales gentes Camelorum frequentiam vſumque.

Iulius Scaliger contra Cardanum exercitatione 209. nu. 2.

QVINTA DISPVTATIO,

Super illis verbis:

VERSV 12. 13. & 14. *Domine* DEVS *domini mei Abrahæ, occurre obsecro mihodie, & fac misericordiam cum domino meo Abraham. Ecce sto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella cui ego dixero, Inclina hydriam tuam vt bibam: & illa responderit, Bibe, quin & Camelis tuis dabo potum: ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac: & per hoc intelligam quod feceris misericordiã cum domino meo.*

An istiusmodi deprecatio illius serui Abrahæ, improbanda sit tanquam pertinens ad tentationem DEI, & ad superstitiosam ominandi vanitatem.

Iosephus reprehẽditur.

ANTE omnia sciendum est, Iosephum primo libro Antiquitatum non referre fideliter historiam huius loci, quædam addentem ex suo sensu, quæ non habet narratio Mosis. Quod sane non raro vir ille facit; an scienter, putans ea ratione facturum se probabiliorem narrationem: an per obliuionem vel incuriam, incertum est. Facit Iosephus seruum illum dicentem, si petenti sibi potum aquæ, à puellis aquatum venientibus ad fontem, aliis omnibus dare recusantibus, vna quæpiam earum humaniter ac liberaliter offerret; putaturum se, eam esse puellam, quam DEVS vxorem præparauerat domino suo Isaac. At Moses, de aliis puellis potum denegantibus, nihil seruum illum dixisse scribit; sed de vna solum puella, quæ comiter & benigne potum ei offerret. Audiat Lector Iosephum. Profectus famulus, diuturnum iter faciens, quod difficilis esset transitus per Mesopotamiam, hyeme propter cœni altitudinem; æstate, ob inopiam aquarum, & infesta latrociniis itinera; tãdem peruenit ad vrbem Charras; in cuius suburbio incidit in plures puellas, aquatum euntes: vbi DEVM precatus est, vt inter puellas inueniretur ea, ad quam filio desponsandam missus erat à domino suo Abraham: idque eo signo deprehenderet, quod cæteris negantibus, ipsa potum roganti præberet. Hæc secum volutans accedit ad puteum 50

teum, poscitque ab illis potum. Illis vero causantibus, aquam se non sine labore haurire, quam domum deferant, non aliis præbeant; vna omnium, obiurgatis reliquis, negando eas vnquam inter homines versatas, quæ ne aquam quidem darent, benigne hospiti potum offert. Sic Iosephus. Sed venio ad tractatum disputationis supra positæ. Quæritur enim an ille seruus eiusmodi oratione tentauerit DEVM, petens ab eo certum signum, quo deprehenderet ipse vxorem destinatam Isaac: & ex puellæ responso diuinare volens, ipsam esse destinatam à DEO vxorem domino suo Isaac: quod spectare videtur ad superstitionem captandi omen, vsurpatam ab Ethnicis, & damnatam à Theologis.

S. Augustinus. 52 SANCTVS Augustinus in libro Quæstionũ super Genesim, quæstione 53. hanc ipsam ponit quæstionem: verum exposita tantum ratione super ea re dubitandi, suspenso iudicio, tacitaque sententia sua, inexplicatam eam, atque iniudicatam dereliquit. Ad hunc autem modum scribit: Quærendum quid differant augurationes illicitæ, ab ea petitione signi, qua petiuit seruus Abrahæ; vt ei DEVS ostenderet, ipsam fore vxorem domini sui Isaac, quæ petẽti sibi potum aquæ, non solum sibi, sed etiam Camelis potum offerret. Aliud est enim mirum aliquid petere, quod ipso miraculo signum sit: aliud hæc obseruare, quæ ita fiunt, vt mira non sint, sed à coniectoribus superstitiosa vanitate interpretentur. Sed hoc ipsum etiam, quod mirum aliquod postulatur, quo significetur quod quisque vult nosse, vtrum audiendum sit, non parua quæstio est. Eo namque pertinet, quod dicuntur, qui hoc non recte faciunt, tentare DEVM. Ab hoc autẽ discernitur, quod Gedeon fecit, pugnæ imminente periculo. Consultatio quippe illa magis, quam tentatio DEI fuit. Vnde & Achaz apud Isaiam, timet signum petere, ne DEVM tentare videatur; cum hoc tamen eum Dominus admoneret per Prophetam, credo, existimãs, quod ab ipso Propheta exploraretur, vtrum præcepti memor esset, quo tentare DEVM prohibemur. Sic Augustinus. Verum solutionem eius dubitationis tacitam ab Augustino, breuiter Lyranus tradidit: seruus, inquit, ille non quæsiuit signum per modum augurij vel diuinationis, quod est illicitũ; sed præmissa oratione petiuit à Domino signum, quo cognosceret, quod Angelus Domini direxisset viam suam, sicut prædixerat ei dominus suus Abraham; & ideo non peccauit petendo signum hoc modo. Hanc Lyrani solutionem breuissime Caietanus significauit potius, quam explicuit dicens; Oratio illa serui Abrahę, bene respondet promissioni domini eius Abrahæ, qui promiserat ei dicens: *Dominus mittet Angelum suum corã te, & accipies inde vxorẽ filio meo.* Quasi dicere velit Caietanus, Angelum à DEO missum, vt prædixerat Abraham, ad dirigendũ viam eius, & prosperandũ negotium quod gesturus erat, incitasse illum seruum ad sic orandum, atque suggessisse ei verba, quæ locutus est.

Iudic. 7. Isa. 7.

Lyranus super cap. 24. Genes.

Caietanus ibidem.

53 BEATVS certe Chrysostomus non modo non vituperat, sed etiam valde laudat eiusmodi orationem, prudentiam illius serui sic orantis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

commendans ; nempe volentis dignoscere, futuram domino suo conuenientem vxorem,ex probitate morum,ex singulari comitate, & humanitate, præsertim autem ex hospitalitatis & benignitatis gratia:hãc quippe virtutem sciebat apprime caram domino suo , & in eius domo maiorem in modum coli & exerceri.Ponam hic verba Chrysostomi, Vide,inquit,serui prudentiam;Nam quia sciebat Patriarchæ hospitalitatem,& quia virginem inde ducendam conueniens erat iisdem esse præditam moribus,quibus dominus suus,nullam aliam quærit coniecturam;sed characterem virginalis animi, ex hospitalitate vult agnoscere.Si ego inquit,aquam ab ea petiero,& non solum faciet quod petam, sed & candorem & liberalitatem mentis suæ declarabit , dicens, etiam Camelis tuis aquam dabo ; morum suorum ingenuitatẽ & bonitatem satis aperte ostendet.Consona est Theodoreti sententia;Non, inquit,seruus ille Abraham dubitanter protulit orationem illã,vt quidam nimium simplices existimant,sed cum DEVM illius coniugij auctorem esse nouisset, signa quædam sibi demonstrari postulabat; per quæ scire posset , an coniugium DEO placeret ; signum autem erat, non pulchritudo corporis,nec aliud quippiam eorum, quæ splendida putantur;sed hospitalitas & affabilitas,atque animi mansuetudo. Cum enim tam insignibus earum virtutum ornamentis cumulatus esset dominus eius Abraham , volebat & sponsam congruere moribus soceri; ne contentiones & discidia parerent mores contrarij. Quod autem quæ locutus est seruus , non fuerint coniectitia, sed fidei & religionis argumenta;primum demonstrat accurata compositio orationis; deinde expectatio voluntatis diuinæ,id enim docet Scriptura,cum ait : *Vir autem obseruabat illam , & tacebat;vt scivet an* DEVS *direxisset viam suam an non.* Sic Theodoretus.Nec dissonum est,quod tradit Rupertus. Veraciter,inquit,seruum illum Scriptura seniorem nominauit;nam quod seniore dignum fuit, non ipse petendæ puellæ iudicium suis commisit oculis,qui solam faciem, nõ etiam mores aut virtutem perpendere possunt:sed secũdum herilem fidem, credens quod domini sui curam haberet DEVS,totam in illo posuit electionis spem.Credidit autem homo ille , quod hospitalitatis argumento explorata, & tali iudicio deprehensa virgo, domini sui moribus conueniens , digna eius foret coniugio.

S.Chrys.homi.45.in Genes.

Theodoretus quæst.73. in Genesim.

Rupertus libro 6.Commentariorũ in Genesim cap.41.

54 BEATVS Thomas,disputans vtrum diuinatio,quæ fit per auguria, & per omina sit licita ; ponit obiectionem , qua probari videtur eam esse licitam ; Gedeon enim , inquit , qui inter Sanctos numeratur ab Apostolo ad Hebræ.11.ex eo quod audiuit narrati somnium quoddam & interpretationem eius,promisit sibi victoriã de hostibus ; quasi fausto quodam omine ad præliandum animatus. Similiter Eliezer seruus Abrahæ , ominandi videtur vsus obseruatione ; ex responso puellæ signum petens futuræ vxoris. Huiusmodi obiectionem ita diluit Doctor Angelicus : Dicendum , inquit , quod Gedeon obseruauit recitationem & expositionem somnij, accipiens ea pro omine, quasi ordinata

S.Thomas 2.2.quæst.95. art.7.

Iudic.7.

nata ad sui instructionem à diuina prouidentia.Et similiter Eliezer,attendit verba puellæ,præmissa oratione ad DEVM. Sic ille. Vult igitur S.Thomas,orationem illius serui nihil habuisse superstitionis; sed plenam fuisse fidei,deuotionis, & fiduciæ in DEO:& ab eo fuisse motum ad petendum signum,& tale signum.

55 VERVM Thomas Anglicus superiorum omnium enucleatissime ac distinctissime propositam difficultatem,more suo scholastico,docte scilicet magis quam eleganter, hunc in modum explicat : videtur, inquit,illa serui Abrahæ oratio,fuisse superstitiosa.Vnde enim certum ei fuit eam puellam,quæ sibi potum petenti pro vt ipse præcogitauerat, prompte ac liberaliter offerret, fuisse à Deo destinatam coniugem domino suo Isaac? Sed dicendum est , prædictam orationem , non modo non fuisse superstitiosam, sed etiam fidelem & deuotam, ac discretam. Fidelis quidem fuit ; quia nulli rei superstitiosæ , sed soli fidei , pietatique,ac prouidentiæ DEI nitebatur; tum etiam Sanctitati Abrahæ & DEI promissionibus ei factis,& dicto Abrahæ,qui dixerat ipsi : *Dominus ipse mittet Angelum suum coram te.* Deuota vero fuit,quia non rem vanam & curiosam , sed grauem & vtilem , & piæ intentioni Abrahæ conuenientem,petebat. Nam quia rationabiliter cogitabat , iudicium suum & experientiam non sufficere , ad probandum & eligendum de terra & gente incognita,puellam plene idoneam & cõgruentem coniugio Isaac , iccirco aliquam ostensionem diuini præsagij & iudicij expetebat à DEO, per quam sua electio dirigeretur. Discreta demum illa fuit oratio;siquidem conditionem posuit rationabiliter indicatiuam strenuæ & egregiæ indolis puellæ ; vtpote actum promptæ & piæ & largæ liberalitatis,& humilis obsequij;nempe quæ talis esset,quæ plus sibi offerret,quàm ipse peteret,idque alieno valde loco & tempore:scilicet vespertino tempore ; in quo tam pro gregibus , quàm pro domo haurire aquam,& quanto citius domum redire oportebat : præsertim autem, quod aliæ complures puellæ ob easdem causas , aquam ex eodem puteo haurire debebant.Præterea, ex euentu patuit, quod coniecturalis illa serui Abrahæ cogitatio , fuerat mota & ordinata à DEO; quia mox Rebecca venit,& descendit ad fontem; & omnia , prout ille seruus præcogitauerat & proposuerat,expleuit.Sic ille.

Thomas Anglicus in cap. 24. Genesis.

56 EGO in opinionem istorum auctorum,pleno feror assensu : censeo enim orationem illius serui,tale petentis signum , quatuor ob causas esse inculpabilem,quin etiam piam & laudabilem.Principio,instinctu & afflatu diuino incitatus ille est ad id petendum : id enim aperte indicauit euentus , petitioni eius omnino respondens. Itaque dubitare non conuenit , & seruum ad tale petendum signum , & Rebeccam ad id , quod postulatum erat,exequendum,explendumque, fuisse à DEO impulsos.Deinde, nihil in ea oratione cernitur superstitiosum , aut vanum ; nihilque non rectam redolens fidem , puramque pietatem , ac sinceram religionem.Adhæc,petiuit tale signum in re grauissima,& in negotio maximi momenti; cuius vtique bonum exitum & successum,

Auctoris sententia.

super omnia,domino suo curæ & cordi esse sciebat:& in quo iudicium & prudentiam suam,nisi diuino inspiratu ductuque regeretur, parum valere nouerat.Postremò,ad id petendum,vehementer est motus verbis illis domini sui, *Ipse mittet Angelum suum coram te.* Itaque cum ei venit in mentem tale signum petere;omnino persuasum & certum habuit,eam sibi mentem & cogitationem à DEO per Angelum fuisse inspiratam,atque in animum suum impressam.Quotiescumque porrò signum petitur à DEO,non ex imbecillitate fidei,sed ex magna DEI fiducia,nec ad diuinam potestatem,aut veritatem dictorum & promissorum eius explorandam;sed vt circa graue aliquod negotium tractandum,quid DEO placitum sit, pernoteścat ; & vrget ad id honesta necessitas,siue pia vtilitas,adestque diuinus instinctus ad id mouens;humilisque ac deuota præmittitur oratio ; omnisque augurationis ,aut superstitiosæ diuinationis obseruatio longissime abest ; tunc signum petere licet;nec id pertinet ad DEI tentationem. Quocirca non peccauit Abraham, cum signum à DEO petiit, dicens ; *Vnde scire possum, quod possessurus sim terram hanc?* Genes.15.vt nos supra ostendimus,cum eum ipsum locum tractaremus:quemadmodum etiam Apostoli petierunt à DEO,vt in nomine Domini nostri Iesu Christi,signa & prodigia fierent, quo potentia & gloria Christi declararetur infidelibus.Sic enim orasse eos DEVM,refert B.Lucas: *Et nunc Domine,da seruis tuis, cum omni fiducia loqui verbum tuum ; in eo quod manum tuam extendas ad sanitates,& signa,& prodigia fieri per nomen sanctum Filij tui Iesu.* Ergo ille seruus Abrahæ , diuino præcedente instinctu , humilique præmissa oratione , in re toti mundo perquam vtili , vt scilicet idonea & digna mulier inueniretur,quæ nuberet Isaac ; ex quo Filius DEI venturus in terras , humanamque naturam pro redemptione hominum sumpturus, generandus erat; nihil peccauit,tale petens signum, nec id ad tentationem DEI vllo modo referri debet.

Vide B.Thomam 2.2.q.97.art.2.

Act.4.

SEXTA DISPVTATIO.

De Ominum obseruatione, vsuque, & ea,quæ fit per omina diuinatione apud Ethnicos vsitatissima, an secundum sacram & Ecclesiasticam doctrinam, ea probari vllo modo possit.

OSTENDIMVS in superiori disputatione, orationē illius serui Abrahæ,quæ ad ominandi rationem,& obseruationem pertinere videbatur, nec vlla ex parte fuisse culpabilem, & fuisse piam ac laudabilem.Hæc porrò tractatio,non solum hoc loco nobis occasionē præbet, verum etiam quasi necessitatem quandam imponit,certe vehementer nos

incitat ; vt breuiter indicemus, qualisnam olim apud Ethnicos,quamue probabilis fuerit ominādi obseruatio,& vsus;& an is ad Sacræ Scripturæ & disciplinæ Ecclesiasticæ normam, probari aliquatenus possit. Simul verò breui huiusce rei tractatu explicatuque,germana quorundam diuinæ Scripturæ locorum sententia pernotescet. Verum primo aperiemus, quid sit Omen,& vnde originem traxerit.

57 OMEN , erat vox humana, quæ loquentibus,vel imprudenter excidebat,vel etiam temere : ex qua futurarum rerum euentus tam prosperi , quàm aduersi diuinabantur. Non enim solum Deorum voces, ait Cicero , Pythagorei obseruauerunt , sed etiam hominum, quæ vocant Omina.Quæ Maiores nostri,quia valere censebant,iccirco omnibus rebus agendis,Quod bonum,faustum,felix,fortunatum esset,præfabantur : rebusque diuinis, quæ publice fierent , vt fauerent linguis, imperabatur:inque feriis imperādis, vt litibus & iurgiis se abstinerent. Itemque in lustranda colonia, ab eo qui eam deduceret, & cum imperator exercitum,censor populum lustraret ; bonis nominibus, qui hostias ducerent,eligebantur : quod idem in delectu,consules obseruant; vt primus miles fiat bono nomine. Prærogatiuam etiam Maiores, Omen iustorum comitiorum esse voluerunt. Hæc Cicero. Quibus adde quod tradit Valerius Maximus : Ominum , inquit , obseruatio aliquo contactu religionis innexa est:quoniam non fortuito motu, sed diuina prouidentia constare creditur. Ominum igitur obseruatio, duabus ex rebus credebatur nata ; tum ex prouidentia DEI , variis modis præsignificantis hominibus futura,per somnia,per sortes,per syderum aspectum , per auium volatus & cantus , ac demum per hominum voces, non proprio eorum consilio,sed DEI editas incitatu : tum etiam ex euentis ; quod multa ad verbum ei obseruationi vere respondissent.

Quid sit omen,& quæ eius origo. Cic. lib.1.de Diuinatione.

Valer. Max. lib.1.cap.5.

58 AC multa quidem huiusce obseruationis exempla celebrata sunt ab Antiquis:sed ego vnum duntaxat & alterum commemorabo. Vrbe Roma à Gallis deleta,deliberātibus Patribus conscriptis, vtrum Veios migrarent,an sua mœnia restituerent ; forte eo tempore è præsidio cohortibus redeuntibus, Centurio in comitio exclamauit : Signifer, statue signum,hic optime manebimus. Ea voce audita,Senatus accipere se omen respondit, atque è vestigio, Veios transeundi consilium omisit. Illud quoque hocin genere fertur in primis. L. Paulo bellum cum rege Perse gerendum obtigerat. Domum è curia regresso , & filiolam suam tristiculam animaduertenti; & quid tristis esset,roganti, respondit illa ; periisse Persam. Erat autem mortua catella , quam illa habuerat in deliciis, eo nomine. Tum ille arctius puellam complexus, Accipio(inquit)omen,mea filia.Qua voce ad gerendum bellum vehementer animatus est ; non dubiam spem futuræ victoriæ ac triumphi, animo præsumens.

Exēpla insignium ominum. Valer. Max. libr.1.

Cicer. lib. 1. de Diuinatione.

59 AD istiusmodi autem ominosæ diuinationis,deridendam & contemnendam superstitionem, appositissimum hoc loco exemplū,ex Pausania comemorare lubet,sic autē ille in Achaicis scribit:Phare, Achęorum

Pausanias.

Exemplũ vanissimæ superstitionis in capiendis ominibus.

rum oppidum, Patrensibus est ab Augusto attributum; vbi fori area magno & late patenti ambitu est;quo scilicet spatio esse consueuerunt priscorum fora. In eius medio,Mercurij marmoreum signum est, cum barba,è quadrata basi eminens., modica magnitudine. Proximo loco, oraculum est. Ante Mercurij signum, Vesta est,& ipsa marmorea. Appositæ ei sunt plumbo ferruminatæ,æneæ lucernulæ. Qui DEVM consulunt,Vestam primum thure incenso placant:deinde oleo infuso, lucernas accendunt,tum verò in aræ dextera parte,nummum patria nota signatum, appellant æreum, dedicant. Vbi, quod ex vsu suo fuerit, rogarit quispiam; aurem simulacro admouet:inde è foro abiens, manibus aures bene occludit. Vbi è foro excessit, amota auribus manu, quam primum excepit vocem, eam sibi certissimi oraculi loco ducit. Eadem quoque apud Ægyptios,in Serapidis loco, celebratur oraculi religio.Sic Pausanias.vide quæso,Lector,quo vsque vanissima mortalium superstitio prouecta sit:vt voces ab homine imprudenter,ac fortuito, & cæco quodam casu editæ, quasi certissima futurarum rerum indicia, instar diuinorum oraculorum accipiantur & colantur. Sed

Cic.lib.2.De Diuinatione

quando ista obseruans,ait Cicero,quieto & libero animo esse poteris, vt ad rem gerendam,non superstitionem habeas,sed rationem ducem? Ita ne? si quis aliquid ex sua re, atque ex suo sermone dixerit & eius verbũ aliquod apte ceciderit ad id quod ages,aut cogitabis, ea res tibi aut timorẽ afferet,aut alacritatẽ? Cum M. Crassus exercitũ Brundusij imponeret,quidã in portu,caricas Cauno aduectas vendens, Cauneas clamitabat.Dicamus,si placet,monitũ ab eo Crassum caueret, ne iret: nõ fuisse periturũ,si omini paruisset.Quæ si suscipiamus;pedis offensio nobis,& abruptio corrigiæ,& sternutamẽta erũt obseruãda.Sic Cicero.

Refutatur ominũ obseruatio & vsus.

Cæterum, Ominatoriam istam diuinationem esse vanam ac futi- 60
lem, atque ab omni ratione veritateque vacuam, hunc in modum argumentari licet:Voces humanæ non possunt esse certa futurarum rerum signa,ergo ex illis futura diuinari non possunt. Enimuero,triplex est signorum genus:vnum est naturale;alterum,diuinum;tertium,humanum:ad nullum verò trium istorum generum,significatio ominum referri ac partinere potest.Etenim signũ naturale duo habet quæ ominibus non conueniunt.Habet namque vel semper, vel plurimum, sibi respondentem euentum quem significat. Siquidem ea quæ secundum naturam sunt, vt multis locis docet Aristoteles, aut semper eueniunt,aut rarò deficiunt:At istiusmodi omina, perquam rarò veridica sunt:& vix pars eorum millesima, vt expectatur, sic euenit. Deinde, signum naturale conuenientiam habet & coniunctionem naturalem cum ea re,quam significat;vel tanquam causa cum suo effectu; interdum enim præcedens causa & apparens,occultum adhuc, sed mox secuturum, præmonstrat effectum:aut contra, sicut effectus sæpenumero conspicuus, latentem prodit causam:vel quia tam signum,quàm res eo signata,sunt effectus vnius causæ communis vtrique; & ipsa sic inter se connexa sunt;vt vel inseparabili societate simul existant; vel vnũ antecedat,

antecedat,& alterum sequatur.Horum exempla, in Pronosticis Medicorũ,maxime verò in Aphorismis Hipocratis, permulta reperire licet. Tale porrò signum, non esse omen, nec tanquam causam sui effectus, nec vt effectum causæ,nec sicut vnum effectum alterius effectus;nemo est,qui non perspicue videat.Tertia Pauli Æmilij filia,patri rogãti,quid tristis esset,respondit,periisse Persam, quæ erat eius catella:ex quo pater omẽ cepit, debellatum iri Persem Macedonum regem;regnumque Macedonicum esse interiturum.Et quam,obsecro,Persa catella,naturalem habet conuenientiam cum Perse rege, præter æquiuocam tantum eiusdem vocis similitudinem, vt interitus Persæ canis, certum signum debellandi Persæ regis esse potuerit?

61 Diuina signa, à DEO sunt missa ad quippiam certo præsignandum: quare certissima sunt indicia, quæ numquam frustrantur euentu:quod contra euenit in omnibus, quibus rarissime euentus respondet. Cumque inficiari non possint isti ominum obseruatores, quin obscurum & dubium sit,num talia omina mittantur à DEO,necne,id enim maxima pars hominum negat;nec ipsi probare id certa ratione possunt:cum,inquam,ea res dubia sit,constat sane eius dubitationis arbitros & iudices esse debere non vulgus hominum,rude scilicet,ac facile, maleque credulum; sed viros diuina sapientia, ac singulari erga DEVM pietate ac sanctitate præstantes.At,vt quisque sapiens maxime,ac pius,& sanctus est; ita maximè, istiusmodi quæ fit per omina, diuinationem deridet, contemnit,damnat.

62 RESTAT tertium signi genus, quod humanum appellauimus: id autem est,hominum consilio,ratione,ac voluntate, ad rem quampiam significandam constitutum.Sed id signi genus, vel est præteritæ rei,vel præsentis:vel si rei futuræ sit,eius certe solum esse potest, quæ tum ab homine,certo prouideri ac prænosci potest;tum talis est, vt in hominis potestate ac volũtate positum sit facere,vt ea res aliquando vel existat, vel non existat.Extra hęc autem,si quod rei futuræ significandæ gratia, ponatur ab homine signum;id vanũ, incertum & fallax esse necesse est. Atqui omen accipitur vt signum rerum futurarum,quæ prorsus incertę & incompertæ homini sunt.Futura namque contingẽtia, vt in confesso est apud Philosophos ac Theologos, nec certa hominum intelligentia comprehenduntur; nec est in homine facere, vt vel existant, vel non existant.Quare signum ab homine positum, vel acceptum, istiusmodi res significans, nihil certi habere, sed futile, ac plerumque falsum esse necessum est.

Signa humana, ne vana sint, qualia esse oporteat.

63 ADIICE, quod voces humanæ, quæ tanquam omina accipiuntur, nullam vim habent significandi futura. Aut enim habent ex voluntate, & proposito loquentis.verum id fidem minime capit;nam ille ea verba non dixit ad id significandum ad quod is qui audit, ea accommodat; immo verò respectu eius rei,inscienter & inconsulte ab eo proferũtur. Neque enim Tertia illa Æmiliana, cum dixit Persam catellam suam periisse,de clade Persę regis,& interitu eius regni,quicquam cogitabat.

Aut igitur ex voluntate atque instituto audientis, accommodantis ad id quod vult, voces loquentium, ratio & vis ominum pendet. Sed id profecto perabsurdum & valde ridiculum est, eum qui audit, ex loquentium verbis fingere sibi omina, & ad id quod animo voluit ac reputat accommodare: & propter verbalem solum & æquiuocam similitudinem vocis auditæ cum cogitatione rei cuiuspiam futuræ; arbitrari, eam vocem ad id præsignandum, sibi fuisse diuinitus missam.

ADHÆC, vox eadem audiri potest à multis, diuersa agere cogitantibus; quæro an ea vox illis omnibus, quod quisque cogitat, ominetur; aut vni eorum tantum? Exempli gratiâ, sint, qui audiant eam vocem, Petrus, Paulus, Franciscus, Ioannes; si vni eorum tantum dicatur ea vox esse omen; quæram, cuinam eorum? cur enim potiùs Petro, quàm Paulo, vel alij? & vnde notum esse potuit, eam vocem pertinere ad Petrum, non autem ad Paulum, vel Ioannem? Sin autem dicatur, vocem illam omnibus eam audientibus, vim ominis præstare; est id sanè prorsus incredibile; quomodo enim vna vox multis diuersa animo spectantibus, præsignificare potest, quod eorum quisque scire quærit? Nam neque vna vox, nisi vnum & idem significare potest, siue ab vno, siue à multis audiatur: neque vnum, idemque significans, fieri potest, vt vim ominis præstet multis diuersa agere cogitantibus; aut diuersas admodum res futuras animo spectantibus. 64

An obseruatio & diuinatio ominatoria secundum sacram & Ecclesiasticam disciplinam probari possit.

DIXIMVS de obseruatione & vsu Ominum, qui erat apud Ethnicos; eiusque vanitatem ac futilitatem confutauimus: sequitur, vt, an ominandi ratio, sacræ ac Ecclesiasticæ doctrinæ conueniens sit, breuibus ostendamus. Beatus Augustinus libro primo Retractationum, capite primo, etiam nomen ipsum Ominis, adeo improbat, vt se, cum in Academicos disputando acriter pugnaret, semel eo nomine vsum esse doleat; quòd id nominis, nec in sacris literis, nec in probato auctore Ecclesiastico, legatur. Augustini verba hæc sunt: Item respondens ei, cum quo disputabatur; Hic plane, inquam, non erras; quod, vt tibi Omen sit ad reliqua, libenter optauerim. Hoc licet non serio, sed ioco dictum sit, nollem tamen eo verbo vti. Omen quippe me legisse non recolo, siue in sacris literis nostris, siue in sermone cuiuspiam Ecclesiastici disputatoris: quamuis abominatio inde sit dicta, quæ in diuinis libris assidue reperitur. Sic Augustinus. Reperitur quidem vox ominis in sacris literis, sed (nisi me fallit memoria) semel tãtum, nec nisi ab Ethnicis hominibus, atque impiis vsurpata. Legimus enim in libro tertio Regum, capite vigesimo, debellato Benadad Syrorum rege, vnisse famulos eius supplices ad regem Achab, eique dixisse: *Seruus tuus Benadad dicit; Viuat, oro te, anima mea. Et ille ait: Si adhuc viuit, frater meus est. Quod acceperunt viri pro omine; & festinantes, rapuerunt verbum ex ore eius, &c.* 65

S. Augustin.

Locus lib. 3. Regum ca. 20.

VERVM, etsi nomen ominis non est in sacris literis vsitatum, res ipsa tamen, quę illustrem habet ominis speciem & similitudinem (certe ab Ethnicis omen fuisset appellatum) non rarò inuenitur: nimirum ex verbis cuiuspiam auditis, coniectare ac diuinare quippiam futurum. 66

Ponam

Ponam eius rei, producta ex sacris literis, aliquot exempla. Principio, oratio illius serui Abrahæ, de qua supra disputauimus, magnam habet ominis speciem; sic enim ille dixit: *Puella, cui ego dixero: Inclina hydriam tuam, vt bibam: & illa responderit, Bibe; quin & camelis tuis dabo potum: ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac. Et per hoc intelligam, quod feceris misericordiam cum domino meo.* Voluit igitur seruus ille, ex responso puellæ, quænam esset domini sui futura coniux, diuinare. Deinde, huc etiam referri potest, quod legitur in libro Iudicum capite septimo, Gedeonem exaudito somnio, quod in castris Madianitarum narrabatur, & interpretatione à quodam Madianitarum prolata, certissimam animo concepisse spem victoriæ de Madianitis comparandæ. Audi Scripturam: *Cum audisset*, inquit, *somnium & interpretationem eius, Gedeon, adorauit: & reuersus ad castra Israel, ait: Surgite; tradidit enim Dominus in manus nostras, castra Madian.* Quæ verba explanans Caietanus: Ad suauem inquit, diuinæ gubernationis dispositionem spectat, confortare animos hominum per signa sensibilia: inter quæ computantur, sumpta ex hominibus omina: siquidem magni fiebant apud priscos omina, tanquam à superis data. Sic Caietanus. Exempla ominũ in sacris literis.

Locus libri Iudicũ ca. 7.

Caietanus in cap. 7. Iudicum.

67 SED alterum Scripturæ exemplum, ad id quod volumus expresse declarandum, videtur esse appositissimum. In libro primo Regum, capite 14. sic legimus: *Dixit Ionathas ad armigerum suum: veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si forte faciat Dominus pro nobis: quia non est Domino difficile saluare, vel in multis, vel in paucis. Cumque apparuerimus eis, si taliter locuti fuerint ad nos; Manete, donec veniamus ad vos: stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. Si autem dixerint, Ascendite ad nos; ascẽdamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris. Hoc erit nobis signum.* Quam historiam commemorans Iosephus libro sexto Antiquitatum: Ergo, inquit, postquam eo accesserunt, Ionathas animabat suum armigerum, ad hostem aggrediendum; si nos, inquiens, vbi viderint hostes, iusserint ascendere ad se, omen victoriæ accipiendum est: quod si tacuerint, neque nos vocauerint, reuertamur. Cumque propius ad hostilia castra accederent, appetente iam die, vbi eos Philistini aspexerunt, inclamabant; venite huc, daturi pœnas audaciæ. Quam vocem Ionathas auide arripuit, tanquam indubitatum omen victoriæ. Sic Iosephus. Lyranus supradictum Scripturæ locum exponens, proditum esse scribit à Iosepho, Ionatham primo vehementer, & admodum religiose rogasse DEVM, vt sibi animum viresque adderet ad hostes debellandos; cuius precibus annuentem DEVM, illud ei signum dedisse, si hostes, eum ad se vocarent, id certissimum ei fore signum comparandæ victoriæ. Cum autem ille ad locum hostium accessisset, subito, ingenti exorta nebula, fuisse offusa & operta eorum castra, vt nec Ionatham, nec inter se nosceret; quare inuicem pugnantes, mutuis fuisse vulneribus trucidatos. Hæc Lyranus ex Iosephi sententia. Equidem nescio vbi Lyranus istud legerit apud Iosephum. Ego nec in libro sexto Antiquitatum, vbi hanc ille memorat historiam, nec vspiam alibi, tale quid in eius libris legere

Locus 1. lib. Reg. cap. 14.

Iosephus.

Lyranus in cap. 24. primi libri Regum, non fideliter refert sententiã Iosephi.

memini. Lapsus igitur sine dubio est Lyranus, vel memoria, vel incuria legendi Auctorem ipsum; vel forte fidens aliis ex Iosepho id referentibus; memorabili sanè documento, scriptores, in citandis auctorum sententiis, perquam cautos & diligentes, atque attentos esse oportere. Caietanus porrò factum illud Ionathæ narrans: Magna, inquit, fuit Ionathæ fiducia, solum cum armigero suo aggredi hostium castra: sed non imitanda. Euentus tamen ostendit, eam fiduciam diuinitus ei fuisse inspiratam. Sicut etiam decetnere sibi illud omen sine diuina inspiratione, illicitum profecto fuisset: nam fuisset nonnullum diuinationis peccatum; quemadmodum & illud fuisset, tentare DEVM. Sic Caietanus.

Caiet. in ca. 14. primi Regum.

MVLTA præterea in Ecclesiasticis historiis leguntur, quæ procul dubio ad rationem & obseruationem ominum Ethnici retulissent. Ego in præsentia, duo tantum ponam exempla. Probus Præfectus, cum Ambrosium Liguriæ & Æmiliæ præposuisset, ei proficiscenti, quasi diuinans, dixit: Vade, age non vt iudex, sed vt Episcopus. Cuius sapiens dictum, quasi fuisset oraculum, res ipsa mirifice comprobauit. Nam cum postea eiusdem Probi iussu Ambrosius Mediolanum cum potestate venisset, vt populum de Episcopo deligendo dissidentem sedaret: cum in frequenti Ecclesia, de quiete & tranquillitate multa præclare dixisset; derepēte vox pueri è media turba, Episcopum Ambrosium exclamantis, audita est: quam vniuersus populus, vt faustissimum Episcopatus eius omen, magno assensu & gaudio accepit. 68

Omen Probi de S. Ambrosio.

Verum, quod sibi contigisse narrat Augustinus, id profecto est memoratu dignissimum. Æstuabat animo, & discruciabatur Augustinus; quasi contrariis quibusdam cogitationum & affectuum fluctibus, in contrarias iactatus sententias & desideria. Cupiebat ille quidem flagrantissime, honestam, sanctamque viuendi rationem, qualem scilicet Christiana disciplina præscribit, amplecti: sed inde, tum antiquis vitiis, tum præsentium ardore cupiditatum, & consuetarum voluptatum titillatione vehementer retrahebatur. Quid igitur sibi tali ægritudine animi misere conflictato acciderit; ipsemet hisce verbis commemorat: Et ecce, audio vocem de vicina domo, cum cantu dicentis, & crebro repetentis quasi pueri, an puellæ, nescio: Tolle, lege. Statimque mutato vultu intentissimus cogitare cœpi, vtrumnam solerent pueri in aliquo genere ludendi, cantare tale aliquid: nec occurrebat omnino audiuisse me vspiam. Repressoque impetu lacrymarum, surrexi; nihil aliud interpretans diuinitus mihi iuberi, nisi vt aperirem codicem, & legerem quod primum caput inuenissem. Audieram enim de Antonio, quod ex Euāgelica lectione, cui forte superuenerat, admonitus fuerit; tamquam sibi diceretur, quod legebatur: *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me:* tali oraculo ad te esse conuersum. Itaque concitus redij ad eum locum, vbi sedebat Alipius; ibi enim posueram codicem Apostoli, cum inde surrexeram: arripui, aperui, & legi in silentio capitulum, quo primum coniecti sunt oculi mei.

S. Augustī. li. 8. Cōfessionum, cap. 8.

S. Antonius.

Matth. 19.

Erant

Erant autem hæc verba: *Non in comessationibus & ebrietatibus; non in cubiculis & impudicitiis; non in contentione & æmulatione: sed induite Dominum* IESVM CHRISTVM, *& carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentiis.* Nec vltra volui legere, nec opus erat: statim quippe cum fine huiusce sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt. Hæc Augustinus.

Ad Rom. 13.

69 Cæterum, admonendus est Lector, verba hominum, si certa fuerint futurorum indicia & prædicta, ab iis qui Christianam disciplinam profitentur & colunt, ea non vocari omina, nec accipi vt hominum verba: sed prophetice esse dicta, & diuino afflatu instinctuque, etiam nescientibus qui ea dicunt, enuntiata censeri. Cuius rei perillustre proditur in Euangelio Iohannis exemplum Caiphæ Pontificis Iudæorum, qui nesciens quid diceret, prophetauit, affirmās expedire, vt IESVS CHRISTVS moreretur pro populo, ne vniuersa gens periret. Interdum quoque Dæmon multa prænoscens futura, mortalibus occulta, ea tacito suggestu & incitatu per homines aliquos prædici facit; vt vanis superstitionibus, atque etiam noxiis erroribus, curiosos huiusmodi rerum sectatores, circumueniat. Audiat lector, super ea re Augustini sententiam: Fatendum est, inquit, quando ab istis vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanæ mentes patiuntur. Quod cum ad decipiendos homines fit, spirituum seductorum operatio est: quibus quædam vera de temporalibus rebus nosse permittitur, partim quia subtilioris sensus acumine; partim quia corporibus subtilioribus vigēt; partim experientia callidiore, propter magnam longitudinem vitæ; partim à Sanctis Angelis, quod ipsi ab omnipotente Deo discunt, iussu eius sibi reuelantibus, qui merita humana occultissimæ iustitiæ syncericate distribuit. Aliquando autem iidem nefandi spiritus, etiam quæ ipsi facturi sunt, velut diuinando prædicunt. Sic eo loco Augustinus. Qui hoc ipsum alio loco, duobus sibi notissimis confirmat exemplis: ostendens, quosdam occulto instinctu prædixisse quædam vera, quæ tamen illi per iocum & risum dicebant. Plinius etudite quodam loco disputat, num verba hominum (cuius generis etiam censentur Omina) vim vllam habeant efficiendi boni cuiuspiam, maliue arcendi, aut certe præsignificandi. Et aientem quidem sententiam, quæ vulgaris erat & vetus, exemplis variis, experimentisque proditis comprobat: negātem vero sententiam, cui & ipse videtur annuere, sola firmat Sapientum auctoritate; & dissimulato quodam contrariæ opinionis irrisu contemptuque. Verum de Ominum obseruatione vsuque, finem hic disputandi faciamus.

Ioan. 11.

S. Augustī. li. 2. de Genesi ad literā capit. 17.

S. Augustī. li. 12. eiusdem operis cap. 22.

Plin. lib. 28. *cap.* 2.

SEPTIMA DISPVTATIO,

Cur Moſes, cum Rebeccam appellaſſet virginem, addit, eam fuiſſe viro incognitam : videtur enim talis adiunctio ſuperuacua, & tautologiæ vitium non effugere:

Super illis verbis:

15. *Nec dum intra ſe verba compleuerat : & ecce Rebecca egrediebatur: Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro.*

70 ECCE quod ille ſeruus optauerat, & à Deo fuerat deprecatus, id ei prorſus ex voto contigit. Itaque euentus ipſe, deſiderio eius, petitionique mirifice reſpondens, plane oſtẽdit, orationẽ eius non fuiſſe ſuperſtitioſam, ſed piam & Deo acceptã : vtpote optato effectu diuinitus cõprobatam. *Decora nimis.* Illud *nimis* ex conſuetudine linguæ hebrææ, habet vim ſuperlatiui, ſignificans magnam eius rei, cui adiungitur exuperantiam. *Decora,* Id eſt, decentiſſimi aſpectus, quantũ ad condecentẽ membrorum proportionem, & viuidum ac ſuauem colorem, & teneritudinem ac læuitatem cutis. *Virgo pulcherrima.* Virginum, quoad intactæ viris ſunt, ſpecioſior & amabilior eſt pulchritudo, deflorata autem virginitate, & viuidi coloris ſuauitas marceſcit, & læuitas oris turpatur : ad eundem nempe modum, atque floribus accidit, vel intactis, vel manibus hominum contrectatis. Atque virginalis pulchritudinis Rebeccæ commemoratione, indicare voluit Moſes, quam fauſtum & fortunatum eſſet futurum illud matrimonium, quod inter virgines conglutinãdum erat; in quo nec mulier alium nouiſſet virum, nec vir aliam mulierẽ: fit enim mutuus inter coniuges flagrantior & perſeuerantior amor, quorum animi alienis amoribus non fuere occupati. Enimuero, ipſa virginitas, magna pulchritudinis gratia eſt, omnique dote optabilior : non aurum, non prædia, non vlla dotalis pecunia ſic virum delectat, vt in vxore virginitas, quæ primum à viro libata, vt rurſus non poteſt redintegrari, ita perpetuo manſuræ beneuolentiæ arctiſſimum eſt vinculum. Scite igitur Poëta, Didonem, quæ virgo nupſerat Sichæo, primos illi ſeruantem amores inducit, atque hæc loquentem facit,

Virgilius Æneid. 4.

» *Ille meos, primus qui me ſibi iunxit, amores*
» *Abſtulit; ille habeat ſecum, ſeruetque ſepulchro.*

Verum

Verum in ſupradictis verbis Moſis, quibus ait Rebeccam fuiſſe virginem & incognitam viro, alterutra vox ſuperuacua videtur, aut virgo, aut, incognita viro : nam ſi virgo eſt, neceſſe eſt eſſe incognitam atque intactam viro ; & contra, ſi eſt intacta viro, neceſſe eſt virginem eſſe. Caietanus breuiter & bene diſputationem hanc expedit ; ſcribens poſterius verbum additum eſſe, ad clariorem prioris expoſitionem; vel nomen virginis, ſignificare hoc loco tantummodo habitum innuptarum mulierum virginalem : illud vero, *Et incognita viro,* denotare integritatem mentis & corporis. Niſi ad ampliorem expreſſionem inquit Caietanus, adiunctum ſit, *Et vir non cognouit eam,* ſuſpicor, virginis nomine, habitum innuptarum ſignificari. Ita vt Rebecca deſcribatur ab ætate, puella : à formoſitate, decora & pulcherrima : ab habitu, virgo ; ab integritate carnis, incognita viro. Hæc Caietanus.

Caietanus in cap. 24. Geneſis.

71 Rabbi Salomon rationem exponens, cur Moſes non contentus fuerit dixiſſe, Rebeccam fuiſſe virginẽ, ſed addiderit, eam viro fuiſſe incognitam; ait, ea re ſubindicare voluiſſe, eſſe nonnullas corpore quidem virgines, quæ tamen à viris cognitæ & ſubactæ ſint, per auerſam nimirum venerem, & nefandæ diuerticula libidinis: & tales fuiſſe dicit pleraſque Gentilium filias, cuſtodientes in corpore ſuo virginitatẽ in parte quidem generationis, ſed aliis in partibus eam proſtituentes. Sic ille. Facit ad confirmandam iſtam expoſitionẽ, quod ſcribit B. Cyprianus de quibuſdam virginibus dubiæ & ſuſpectæ virginitatis, propter domeſticam atque intimam cum viris conſuetudinem. Iactabant illæ ſuam illibatam virginitatem, eamque obſtetricum manu & iudicio explorandam offerebant. Sed negat Cyprianus id teſtificandæ integritati & virginitati, ſufficiens eſſe argumentum. Verba Cypriani hæc ſunt: Nec aliqua putet, ſe poſſe hac excuſatione defendi, quod & inſpici, & probari poſſit, an virgo ſit; cum & manus obſtetricum & oculi ſæpe fallantur. Et ſi incorrupta inuenta fuerit virgo, ex ea parte ſui, qua mulier poteſt eſſe ; potuit tamen ex alia corporis parte peccaſſe ; quæ corrumpi poteſt, & tamen inſpici non poteſt.

Rabbi Salomon ſuper hũc locum Geneſis.

Cyprianus li. 1. Epiſtolarum Epiſt. 11.

72 Clemens Alexandrinus libro quarto Stromatum, & diſcipulus eius Origenes homilia 10. in Geneſim, cenſent hoc loco nomine virginis denotari muliebris incorruptionem corporis : per id autem quod additur: *Et incognita viro,* ſignificari animum mentemque incorruptam & incontaminatam à Diabolo. Audiat Lector Origenem : De Rebecca, inquit ille, dicitur: *Virgo erat decora valde & vir non cognouerat eam.* Non hoc fruſtra ſcriptum eſt de ea. Verumtamen mouet me cur dicitur ea fuiſſe virgo, & quod vir non cognouerat eam, quaſi vero aliqua ſit virgo, quam vir contigerit. Sed eſt profecto aliqua virgo, quam vir contigit. Sæpe iam dixi, quod in his libris, non hiſtoriæ narrantur, ſed myſteria contexuntur : non enim in ſacra Scriptura Spiritus Sanctus narrat hiſtorias, ſed pandit myſteria, & ſpiritualibus doctrinis animas erudit atque inſtituit. Tale etiam hoc loco aliquid indicari puto.

Clemens Alexand.

Origenes homil. 10. in Geneſ.

Sicut

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sicut Christus vir animæ nostræ dicitur, cui nubit anima, cum venit ad Fidem; ita & huic contrarius vir, ille est, cui nubit anima, cum declinat ad infidelitatem. Ipse ille est, qui in Euangelio & inimicus homo dicitur, lolium super seminans tritico. *Matth.13.* Non ergo sufficit animæ, vt casta sit corpore; opus præterea est, vt vir hic pessimus non cognouerit eam. Potest enim fieri vt habeat quis in corpore virginitatem, & cognoscens istum virum, pessimum Diabolum, atque ab eo concupiscentiæ iacula in corde suscipiens, animæ perdiderit castitatem: Quia ergo Rebecca virgo erat, sancta corpore pariter & spiritu; idcirco eius duplicat laudem Scriptura appellans & virginem, & incognitam viro. Sic Origenes. Verum satis apparet istam Origenis expositionem non esse literalem, sed mysticam: vocabulum enim hominis, aut viri, simpliciter & sine adiunctione vlla positum, significat verum hominem, non autem Diabolum, præsertim vero in narratione historica: & fœminam esse cognitam aut incognitam viro, phrasis est hebraica, in sacris literis frequentissima; significans fœminam esse corruptam à viro, vel incorruptam & virginem.

Breuis disputatio cõtra Origenem: veras historias tradi à Spiritu Sãcto in veteri testamẽto, earũque cognitionẽ valde vtilẽ esse legentibus.

Sed enim illud quod hoc loco dixit Origenes, & alibi sæpe inculcat, Scripturam veteris Testamenti non historias narrare, sed sub specie narrationis historicæ, mysteria tradere eorum quæ homini credenda, speranda, amanda, & agenda sunt: hoc, inquam, nisi aliter accipiatur, quam verba ipsa sonant, non falsum modo est, sed perabsurdum, & ipsi Scripturæ contrarium. Ex eo namque sequeretur, nullas in veteri Testamento veras esse historias; sed quæ tales videntur, eas mysticas, & plurimum, allegoricas esse narrationes; quales nimirum sunt Parabolæ Euangelicæ; quæ personas, & sermones, & facta continent, non vera, sed prudenter ficta, & ad faciliorem commodioremque hominum eruditionem ac persuasionem vtiliter prodita. At enim, quis adeo insanus sit, vt in libris Mosis, Iosue, Iudicum, Regum, Esdræ & Machabæorum veras narrari historias inficiari audeat? Immo vero Scriptura ipsa historias in vno aliquo libro sacro expositas, in aliis libris vt veras historias commemorat; his vtens, tanquam exemplis, ad docendos, incitandos, confirmandos, aut redarguendos, & conuincendos homines. Sicut igitur in Ethnicorum libris, vt Herodoti, Thucydidis, Sallustij, & Liuij veræ traduntur historiæ; sic etiam in sacris libris veteris Testamenti. Hoc tamen inter profanam & sacram historiam interest, quod illa vnicum modo sensum habet historicum, quem verba ipsa denotant; hæc autem præter historicum, habet sensum mysticum, tanquam medullam intra corticem historiæ inclusum. Quid, quod si Scriptura veteris Testamenti vere ac proprie historias non contineret, nullus esset sensus mysticus; quippe qui ex historia & re gesta nascitur, & sensu historico nititur, nec sine eo constare potest? Quare primo requirendus est sensus historicus, & declarandus, & supponẽdus quasi

73

Differentia Sacræ ac ꝓphanę historiæ.

quasi fundamentum; exinde mysticus indagandus, explicandus & superponendus est. Beatus Hieronymus, reprehendens eos, qui in exponendis Sacris historiis, omisso historico sensu, ad allegorias confugiebant, post nonnulla, quæ in eos disputauit, hæc subdit: Atque hæc, inquit, dicimus, non quod tropologicam intelligentiam condemnemus, sed quod spiritualis interpretatio sequi debeat ordinem historiæ: quod plerique ignorantes, Lymphatico in scripturis vagantur errore. Sic Hieronymus. Hoc ipsum firmare licet auctoritate B. Augustini. Ante omnia tamen fratres, inquit ille, hoc in nomine Domini, & admonemus quantum possumus, & præcipimus: vt quando auditis exponi Sacramentum Scripturę, narrãtis quæ gesta sunt, prius illud quod lectum est, credatis sic gestum, quomodo lectum est; ne subtracto fundamento rei gestæ, quasi in aëre quæratis ædificare.

B. Hier. super cap. 13. Isaiæ.

S. Augustin. sermon. de Tẽpore 72.

72 Nec dicat Origenes, nullam, vel perexiguam ad nos, ex legendo Sacram Scripturam peruenturam vtilitatem; si traderentur in ea historiæ, quæ sæpenumero satis vulgares sunt, ac leuissimarum rerum: ac non potius sub specie historiæ, mysteria rerum cœlestium, & doctrina spiritualis commendaretur. Etenim falsa est hæc sententia. Namque vel nuda ipsa historia sacra, sepositis quæ in ea latent mysteriis, plurimum habet solidæ vtilitatis. Siquidem Sacra historia, clarissimum est diuinæ prouidentiæ circa bonos & pios viros, & circa improbos atque impios, testimonium. Eadem quoque abundat omnis generis virtutum iuxta vitiorumque luculentissimis, & ad permouendos hominum animos acerrimis exemplis. Est præterea maxime salutaribus ad bene instituendam vitam, aut male institutam actamque corrigendam, ad pietatem & sanctimoniam aduersus Deum colendam, & ad iustitiam equitatemque cum hominibus conseruandam, referta præceptis & documentis. Fremant omnes licet (dixit apud Ciceronem Crassus) dicam quod sentio: Bibliothecas omnium Philosophorum, vnus mihi videtur duodecim tabularum libellus, si quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere, & vtilitatis vbertate superare. Hoc ego verissime dixerim de Sacra historia; non solum cum historiis profanis, verumetiam cum moralibus Philosophorum omnium doctrinis, præceptisque comparata. Scire admodum M. Tullius, historiæ vtilitatem commendans, appellauit eam, testem temporis, lucem veritatis, vitam memoriæ, magistram vitæ, nunciam vetustatis. Etiam T. Liuius Romanam scribere historiam orsus, ac de vtilitate eius pauca quædam præfatus: Hoc inquit, illud est præcipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi, tuæque Reipublicæ, quod imitere, capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. At quanto hæc verius, quanto congruentius, pleniusque competunt in Sacram historiam, quæ humanas omnes historias, & vetustatis, & amplitudinis, & veritatis, & vtilitatis præstantia, longo post se relin-

Multiplex historiæ sacræ vtilitas.

Cic. lib. 1. de Oratore.

Cic. lib. 2. de Oratore.

Liuius in Procœmio.

quit interuallo ? Eat nunc igitur Origenes, aut si quispiam alius est, cuius animo ea insederit sententia, & dicat, si ad historias veteris Testamenti spectemus, & intendamus animum, eas nobis insalubres, atque infrugiferas, atque insulsas fore,

Solutio propositæ quæstionis.

75 Nos igitur ad quæstionem initio propositam, cur Moses, cum dixisset Rebeccam esse virginem, addiderit, fuisse incognitam viro, cum hoc, idem atque illud significet, & oratio tautologica esse videatur; Respondeamus, consuetudinem esse linguæ hebrææ, sæpenumero vsurpatam in Sacris literis, eandem rem variis verbis declarare, vel ad maiorem eius rei expositionem aut confirmationem, vel propter orationis ornatum & elegantiam, secundum proprietatem eius linguæ. Cuius rei exempla, legenti Sacras literas, passim obuia sunt: sed illud perinsigne est, quod nunc mihi succurrit ex capite octauo Prouerbiorum, vbi antiquitas & æternitas diuinæ Sapientiæ variis sententiis prædicatur, ad maiorem eius rei confirmationem & illustrationem conferentibus: *Dominus*, inquit, *possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret*, & cætera, quæ deinceps ad eandem sententiam, magna orationis varietate & elegantia subduntur. Sedenim in rebus futuris, non solum ad expositionem & confirmationem rei, tales verborum repetitiones conducunt, sed etiam ad celeritatem & breuitatem temporis, & futuri effectus certitudinem significandam. Quale est illud apud Ezechielem: *Venit contritio super te, qui habitas super terram: venit tempus, prope est dies.* Eodem spectat, quod Ioseph dixit, exponens duplex Pharaonis somnium: *Quod*, inquit, *vidisti secundo, ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est; eo quod fiat sermo Dei, & velocius impleatur.*

Ezechiel 7.
Genes 41.

Ad confirmandam hanc nostram regulam exponendæ Scripturæ in verborum repetitionibus, addam hoc loco egregiam B. Augustini sententiam: ad hunc autem modum scribit ille; Firmamẽtum esse sententiæ in repetitione, multis Scripturarũ locis docemur. Inde est quod Dominus ait: *Amen, Amen*: Inde in aliquibus Psalmis, *Fiat fiat.* Ad significationem rei sufficeret vnum fiat, sed ad significationem firmamenti accessit alterum fiat. Rex Ægypti Pharao, vidit bis somnium idem, à septem macris, consumptas esse septem boues pingues, & rursus, à septem spicis exilibus consumptas esse septem fœcundas: sed quid de hoc consultus Ioseph respondit? *Non duo*, inquit, *sunt ista, sed vnũ visum: & vna est interpretatio horum: sed quod bis vidisti, ad confirmationem valet.* Hæc dixi, vt non putetis repetitionem in verbis sanctæ linguæ, quasi loquacitatis esse appetitum, sæpe ibi repetitio, firmamenti habet vim. *Paratum cor meum Deus*, inquit, *paratum cor meum*: & alio loco, *Sustine Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum*, Innumerabilia talia sunt per omnes Scripturas: Verum hisce exemplis sufficit commendasse nos loquendi genus, quod obseruetis in omnibus similibus. Hæc Augustinus.

S. August. in Psalmũ 74.
Psal. 56.
Psal. 26.

Nec

76 Nec mihi displicet sententia Leonis Castro; qui tradit duas esse voces Hebræas, significantes Puellam & Virginem, vnam, Betula, alteram, Alma: sed hoc inter eas discrimen esse; quod Alma semper significat puellam virginem, nec vnquam in Scriptura reperire est, ea voce significari puellam corruptam: at vero vox Betula, significat puellam tam virginem, quam corruptam. Significari ea voce puellam corruptam, probat ille duobus Scripturæ testimoniis, vno Ezechielis, altero Ioelis. Et apud Ezechielem quidem capite 23. ita legitur: *Fracta sunt vbera, & subactæ mammæ pubertatis earum.* Pro illo *pubertatis earum*, Hebraice est vox, *betula*; vbi ea vox dicitur de adolescentula, non solum corrupta, sed etiam publica meretrice: Ioel vero capite primo: *Plange*, inquit, *sicut virgo induta sacco, super virum pubertatis tuæ*, vbi simpliciter adolescentula lugens maritum suum, dicitur à Ioele, *betula*: Et in historia huius capitis vigesimiquarti Geneseos, hæc vtraque vox reperitur, sed ita, vt quod positum est inter eas voces discrimen, satis appareat. Namque vbi nos legimus versu 43. *Et virgo quæ egredietur ad hauriendam aquam, audierit à me, &c.* pro voce, virgo, est Hebraice *alma*, quę simpliciter & absolute semper significat adolescentulam, virginali integritate præditam: quocirca Moses non curauit hic addere, *Et incognita viro.* At vero paulo superius versu 16. vbi nos legimus, *Puella decora nimis & virgo pulcherrima*, est Hebraice betula: quæ vox, quoniam ex vsu linguæ Hebrææ potest significare tam puellam virginem, quam corruptam; iccirco Moses non contẽtus vocasse Rebeccam, betula, protinus adiunxit, *Et incognita viro*, vt indifferentem eius vocis significationem restringeret ad significandum puellam omnino incorruptam. Atque ob hanc ipsam causam apud Isaiam capite 7. vbi Latina lectio consentiens cum 70. Interpretum translatione sic habet: *Ecce Virgo concipiet*, non est Hebraice vox betula, sed alma, vt significaretur adolescentula incorruptæ virginitatis. Scitum enim est illud Epiphanij: Circunspectissimus, inquit, est Spiritus Sanctus in diuina Scriptura; cauet omnia, prospicit omnia. Sciens igitur quantopere conaturi essent Iudæi deprauare vaticinium illud Isaiæ, voluit in eo poni vocem non betula, sed alma, quæ secundum vsum linguæ Hebrææ, semper dicitur de puella incorrupta.

Leo Castro in caput 7. Isaiæ.

Epiphanius lib. 2. contra hæreses disputans contra Theodotianos.

Hactenus ex Leone, viro sane docto & pio.

***

OCTAVA DISPVTATIO,

Super illis verbis:

VERS. 43. *Ecce ſto iuxta fontem aquæ, & virgo quæ egredietur ad hauriendam aquam, audierit à me: Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum de hydria tua, &c.*

Examinatur ſententia B. Hieronymi aduerſus Iudæos de propria ſignificatione Hebrææ vocis, Alma, quæ in iſtis verbis ponitur.

EX ſuperiore diſputatione exoritur hæc, quam tractandam nunc ſuſcipimus; vt ſententiã, non ſolum B. Hieronymi, verum etiam communem Chriſtianorũ doctorum tueamur ac defendamus. S. Hieronymus in Traditionibus hebraicis in Geneſim, ſuper hæc ipſa verba Moſis, quæ hic poſita ſunt, cum commemoraſſet lectionem huius loci, ſecundum Septuaginta, quæ cum noſtra Latina congruit, hæc ſubdit: In hebræo, inquit, ſcriptum eſt: *Ecce ego ſtans iuxta fontem aquæ: & erit adoleſcentula, quæ egredietur ad hauriendum, &c.* pro *adoleſcẽtula*, legitur hebraice *alma*, quæ vox legitur apud Iſaiam, vbi nos legimus, *Ecce Virgo cõcipiet & pariet*, Aquila tranſtulit, *Ecce adoleſcentula concipiet*. Notandum ergo eſt quod verbum *alma* nunquam niſi in virgine ſcribitur, & habet etymologiam. Abſcondita. Vnde apud Iob de Sapientia dicitur: *Abſcondetur ab oculis omnis viuentis*: vbi pro, *Abſcondetur*, Hebraice eſt, *Alma*. Ergo, Alma, quod interpretatur Abſcondita, id eſt, virgo nimia diligentia cuſtodita, maioris mihi videtur laudis eſſe, quàm virgo. Virgo quippe, iuxta Apoſtolum, poteſt eſſe corpore, & non ſpiritu. Abſcondita verò, quæ virgo eſt, Epitaſim virginitatis habet; vt & virgo ſit, & abſcondita: & quæ abſcondita eſt, iuxta idioma linguæ Hebrææ, conſequenter & virgo eſt; quæ autem virgo, non ſtatim ſequitur, vt abſcondita ſit. Oſtendant igitur Iudæi in Scripturis alicubi poſitum, Alma, adoleſcentulam tantum & non virginem ſonare: & concedemus eis illud quod in Iſaia nos legimus, *Ecce virgo concipiet*, non abſconditam virginem, ſed adoleſcentulam iam nuptam ſignificare. Hæc S. Hieronymus eo loco. 77

Iſaiæ 7.

Iob. 28.

1. Cor. 7.

Iſaiæ 7.

Idem exponens illa verba Iſaiæ: *Ecce Virgo concipiet*, partim hæc ipſa tradit, partim alia quædam addit: Sic enim ſcribit: Pro voce, virgo, Hebraice eſt Alma; quã omnes interpretes, præter Septuaginta, interpretati ſunt Adoleſcentulam. Porrò Alma, verbum ambiguum eſt apud Hebræos: dicitur enim, Adoleſcentula, & Abſcondita: vnde in Geneſi legimus, 78

legimus, vbi Rebecca dicitur, Alma, Aquilam, non adoleſcentulam, nec puellam, ſed abſconditam, tranſtuliſſe. Ergo Alma, non ſolum puella, vel virgo, ſed cum Epitaſi virgo abſcondita dicitur & ſecreta; quæ nunquam virorum patuerit aſpectibus, ſed magna parentum diligentia cuſtodita ſit. Lingua quoque Punica, quæ de Hebræorum fontibus manare dicitur, proprie virgo, Alma appellatur. Noſtro quoque ſermone, Alma, ſancta dicitur. Omnium enim pene linguarum verbis vtuntur Hebræi. Equidem, quantum cum mea pugno memoria, numquam me arbitror, Alma, in muliere nupta, legiſſe: ſed in ea quæ virgo eſt, ſed virgo iunioris ætatis, & in annis adoleſcentiæ. Denique in Deuteronomio, ſub Puellæ, & Adoleſcentulæ nomine, virgo intelligitur, cum dicitur: *Si inuenerit homo in campo puellam deſponſatam, &c.* Et in Regum volumine legimus, quæſitam eſſe puellam, nomine Abiſag, & introductam ad regem, vt dormiens cum eo foueret eum: *Et erat*, inquit Scriptura, *puella pulchra nimis, & miniſtrabat regi; & rex non cognouit eam.* Hæc in eo loco B. Hieronymus.

Deut. 22.

3. Reg. 1.

Oleaſter.

79 OLEASTER, ſuper cap. 24. vbi verſu 43. Hebraice ponitur vox, Alma; ſuper ea voce, pauca hæc annotauit: Ponitur, inquit, hoc loco, nomen, Alma, ſic dictum à verbo, Halam, quod proprie ſignificat, abſcondere: quare, Alma, puellam abſconditam & latentem ſignificat; aut quod lateat, qualis ſit futura; aut quod aſpectibus hominum abſcondita ſit: quemadmodum vox, Elèm, puerum ſignificat, ſic vocatum, quod ignotum nobis eſt, qualis ille futurus eſt. Verum dubitari poteſt, vtrum vox, Alma, numquam ſignificet mulierem corruptam, ſed ſolum virginem. Affirmat hoc Hieronymus: ſedenim Caietanus in Prouerbiis oppoſitum dicit, ſuper illud: *Et via viri in adoleſcentula*, Hebraice eſt, *in alma*, & videtur ſignificare fœminam corruptam, nam in virgine, facile deprehenditur via viri, id eſt, concubitus cum virgine; non ſic autem in muliere corrupta. Sententia tamen Hieronymi magis pia eſt. Sic Oleaſter.

Locus Prouerbiorum cap. 30.

80 SENTENTIA vero Caietani, quam memorat Oleaſter, in commentario ſuper 30. caput Prouerbiorũ poſita eſt; vbi explicat illa verba Salomonis: *Tria ſunt difficilia mihi, & quarum penitus ignoro; viam aquilæ in cælo; viam colubri ſuper petram; viam nauis in medio mari; & viam viri in adoleſcentula. Talis eſt via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergẽs os ſuum, dicit: Non ſum operata malum.* Pro illo, *Viã viri in adoleſcentula*, Hebraice eſt vox *alma*; Quem locum exponẽs Caietanus: Multum (inquit) refert, quod dictio interpretata, Adoleſcentula, ſonet Abſconditam: & eſt ablatiuus fœminini generis. Dictio enim Hebraica, eſt Alma, ex proprietate vocabuli ſignificans Abſconditam. Et hoc quidem loco, ea vox ponitur pro muliere, non virgine, ſed prius corrupta. Siquidem via viri in virgine, non manet ignota poſt concubitum: ex hoc enim quod vir abſtulit ei ſignaculum virginitatis, reliquit ſignũ, vnde poſtea, quod factum eſt, cognoſci poſſit: ſed ſi mulier erat prius corrupta, nullum relinquitur veſtigium, quo cognoſcatur concubitus, poſtquam factus eſt.

Nam in pudibundo mulieris, nihil penitus apparet, testificans concubitum factum. Meminit autem mulieris sub nomine, Almæ, seu Absconditæ, ad insinuandum quod de concubitu clandestino loquitur; & intendit per hæc declarare innumerabiles concubitus occultos, tam cum nuptis, quàm cum innuptis; & monere: quod nisi deprehendantur in ipso crimine, non possunt cognosci huiusmodi facta. Sic ille. Caietanus igitur argumentatur eo loco, vocem, Alma, non significare virginem, sed corruptam, propterea quod sententia Salomonis, non in virgine, sed in corrupta muliere vera esse possit.

Soluitur argumentatio Caietani, & locus Prouerbiorum ca. 30. declaratur. Beda.

81 VERVMENIMVERO tribus modis istam argumentationem refellere, simulque obiectionem ex illo Salomonis loco ductam, dissoluere possumus. Primo dici potest, Latinos omnes codices, & item Græcos, eo loco non habere, *In adolescentula*, sed *In adolescentia*: vt non fœmina significetur, sed ætas hominis. Nec est recens hæc Lectio, sed antiqua, vt quam Beda sequatur. Estque aptissimus & probatissimus eius lectionis sensus hic: Viam hominis in adolescentia sua, id est, rationem vitæ quam sequitur adolescens, esse ignotam, ac pene incomprehensibilem. Namque adolescens, propter imperitiam rerum humanarum, & quod variarum æstu cupiditatum in diuersa subinde studia iactetur, & huc atque illuc paulo momento impellatur, nec diu eodem in sensu, voluntateque permaneat; iccirco ratio vitæ eius admodum varia, & instabilis, & incerta, ob idque ignota est.

Deinde responderi potest id, quod, exponens locum illum Salomonis, tradit Lyranus: sequens enim lectionem Hebraicam, quæ habet vocem, Alma, & sic legens eum locum, *Et viam viri in adolescentula*: censet verba illa continere prophetiam Salomonis de incomprehensibili mysterio conceptionis & natiuitatis Filij DEI, ex Beatissima Virgine. Ponam eius verba, quæ sic habent: Dicitur hic adolescentula B. Virgo MARIA, quæ in iuuentute CHRISTVM concepit, SPIRITVS Sancti virtute. Hoc autem fuit valde mirabile, sicut prædixerat Hieremias, *Nouum creabit Dominus super terram, mulier circumdabit virum*. Etenim CHRISTVS in vtero Virginis, vir fuit perfectus scientia & gratia, ab instanti conceptionis suæ: & in natiuitate exiit, clauso vtero Virginis. Verè igitur Salomon de hac via viri in adolescentula, dixit, hoc esse quartum, quod ipse penitus ignorabat. De nulla autem alia via in adolescentula potest dici, eam fuisse omnino ignotam Salomoni, quippe qui perfectam habuerit scientiam diuinitus infusam de naturis hominum, animalium, plantarum, vsque ad minima, vt traditur 3. Regum cap. 3. Hæc Lyranus. Salomon igitur, secundum hanc expositionem, significare voluit viam, qua Filius DEI ingressus est vterum Virginis, & inde exiit, id est, modum conceptionis & natiuitatis eius ex matre, ante & post virginee; sibi esse penitus incomprehensibilem. Similiter tria superiora exempla refert Lyranus ad CHRISTVM: per viam aquilæ in aëre volantis interpretans CHRISTI in cælũ ascensionem; per viam colubri repentis super petram, eiusdem resurrectionem; qui cum tanquam

Lyranus in caput 30. Prouerb.

Hiere. 31.

quam serpens pependisset in Cruce, in resurrectione, ex sepulcro surrexit clauso, ita vt in signato desuper saxo, nullum egressionis eius appareret vestigium. Per viam nauis in mari, signari conuersationem eius in terris apud Iudæos, à quibus multas & atroces passus est persecutionum procellas; nec in eius tota vita, nec in vllo eius facto aut dicto, vel minimum apparuit vnquam culpæ vestigium, sicut ipse dixit Iudæis: *Quis ex vobis arguet me de peccato*? Vel potius per viam nauis in mari, significatus est incomprehensibilis eius status in hac vita; vt qui simul & viator fuerit, & comprehensor.

Ioan. 8.

82 TERTIO modo responderi potest, sicut ante nos intellexit, & in suis Commentariis super illud 30. cap. Prouerbiorum exposuit doctus & grauis in hac nostra ætate Scriptor, Iansenius; dictum illud Salomonis, in vniuersum intelligi posse de via viri in qualibet adolescentula virgine, id est, de primo congressu, quo virginalis fœminæ integritas corrumpitur: quam vir, & puella omnibus viis, omnibusque modis celare & occultare, atque etiam negare conantur; & perinde se gerunt, ac si nihil tale fecissent. Etenim naturale est, inquit Plinius, post primam venerem, relinqui pœnitentiam & tristitiam, curamque sollicitam, quoquo modo abscondendi quod factum est. Et ad hoc declarandum, facit exemplum, quod mox subiungitur, adulteræ; quæ adulterium ita studet occultare, quasi nihil gessisset; & ad idem ipsum declarandum, valent tres præmissæ similitudines, Auis, Serpentis, & Nauis; vt sicut ibi nullum postea motus eorum apparet vestigium; ita isti perinde se gerunt, quasi nullus inter eos fuisset congressus. Legẽdo igitur eo loco vocem, Alma, quæ Latine significat Adolescẽtulam incorruptam, satis apparet, secundum hanc, & Lyrani expositionem, Caietani argumentationem esse infirmam: quando etiam eo loco vox Alma de Virgine & incorrupta fœmina, commode accipi potest. Nec sanè aberraret à vero, si quis diceret, tertiam expositionem esse literalem; secundam verò traditam à Lyrano, esse mysticam; verum ita esse mysticam, vt eam tamẽ SPIRITVS Sanctus eo loco principaliter significari & intelligi voluerit.

Plin. lib. 10. cap. 63.

83 SED restat etiam nunc nonnihil dubitationis. Si vox, Alma, quæ hoc loco dicitur de Rebecca, significat virginem occultam & absconditam viris, vt censet S. Hieronymus, quomodo id nomen conuenire potuit in Rebeccam, quæ quotidie extra ciuitatem publice ibat ad hauriendam aquam; & cum seruo tam familiariter sermocinata est; quin etiam munera eius accepit? Hanc dubitationem attigit, & cursim soluit Thomas Anglicus. Quomodo, inquit, Rebecca erat virgo abscondita, cum ipsa iret extra vrbem ad hauriendum aquam, sicut communiter faciunt vulgares puellæ? Potest dici, sub tali circũstantia, iuxta morem illius terræ hoc esse factum, vt nullum esset periculum, nullaque suspicio mala exoriretur. Sed numquid seruus ille benefecit, dando puellę munera; aut puella, recipiendo ea ab ignoto homine? Dicendum, quod à sene maturo & reuerendo, qualis putandus est fuisse procurator ille totius domus Abrahæ; pensata item causa caritatis & vrbanitatis, & libera

Thomas Anglicus in ca. 24. Gen.

liberalitatis, qua vsa fuerat erga eum puella; considerato quoque loco publico, vbi tunc erant, nec non & comitatu ac societate virorũ, qui cũ illo seruo venerant, & ibi aderant; nihil prorsus ea res siniſtræ habere potuit suspicionis; sed potius fuit signũ condignę gratitudinis, aduersus puellam tam liberalem & officiosam. Quamobrem nec ipsi, talis viri munus respuere potuissent, citra indecentem eius contẽptum. Præterea, licet videatur supra significatum esse, prius data esse puellæ munera, posterius autem interrogatam de genere & cognatione sua, respondisse eam, se filiam esse Bathuelis, filij Nachor: hic tamen paulo infra, seruus iste, contra factum esse narrat; dicens, prius fuisse eam interrogatam de genere & parentibus suis, & cognito quod esset nepos Nachor, fratris Abrahæ, tunc demum se munera ei, quasi cognatæ domini sui, dedisse. Verisimile etiam est (& si hoc tacuit Moses) puellam similiter quęsisse de seruo illo, quis esset, vnde esset, quorsum illuc venisset; comperto autem, illum esse seruũ Abrahæ auunculi sui, nõ recusauit dona: nec ea tamen occultauit; sed rediens domũ, parentibus & fratribus suis ostentabat: non enim virgo eximiæ honestatis, atque impenetrabilis pudicitiæ, temere accepisset munera à viro extraneo & incognito; nam vt vulgari sermone iactari solet, Quæ recipit dona, fœmina nulla bona.

VERSV 28. Dubitari etiam potest circa illa verba: *Cucurrit itaque puella, & annũciauit in domum matris suæ, omnia quæ audierat*; cur dicatur puella iuisse domum matris suæ, & non patris; cum & patrem haberet, & ex patre potius, quam ex matre, domus appellari soleat? Iosephus negat, tunc vixisse patrem Rebeccæ: sic enim Rebeccam facit respondere seruo Abrahæ: Rebecca mihi nomen est: pater vero fuit Bathuel; quo defuncto, Labanus frater meus, & domum curat & matrem, meæ quoque virginitatis tutor est. Sic Iosephus. Verum reclamant omnes Hebræi iuxta Christianique scriptores. Immo vero in hoc ipso Capite versu 50. nominatur Bathuel, vt præsens sermoni illius serui: Rebecca vero paulo supra dixerat versu 24. se filiam esse Bathuelis. Verum quibus Iosephi placet sententia, respondeant, illum Bathuelem non fuisse patrem Rebeccæ, sed fratrem minorem natu quam Laban: quocirca versu 53. 55. plurali numero nominantur fratres Rebeccæ. Nam etsi Moses versu 29. dixit, Rebeccam tunc habuisse fratrem, nomine Laban; propterea tamen eius tantum ibi mentionem fecit, quod ille maior natu, & curator rectorque domus esset. Thomas Anglus ita soluit: Fortasse pater Rebeccæ multas habebat vxores, quarum vnaquæque propriam sib & liberis suis habebat domum: & iccirco Rebecca iuisse dicitur ad domum matris suæ. Quam etiam ob causam seruus Abrahæ, dicitur munera dedisse matri & fratribus, non autem patri: ne scilicet ea communia essent aliis vxoribus, earumque filiis. Quod autem dicitur versu 55. *Responderuntque fratres Rebeccæ & mater*, vocabulo fratrum, intelligi debent tam pater eius Bathuel, quam fratres ipsius Laban. solere namque Scripturam nomine fratrum significare patrem & filium, vel auum & nepotes, patet ex illis verbis Iacob, Genes. 31. *Necetur coram fratribus nostris*

84

Iosephus 1. li. Antiquitatum.

Thomas Anglus hoc eodem loco Geneſis.

Nomine fratrum, etiam parentes & filij, aut que & ne potes, nonnunquã significãtur.

nostris &c. Verum nomine fratrum Rebeccæ, possent commode intelligi vel germani fratres, vel secundum morem linguæ hebrææ, consobrini, aliique cognati. Consimilis est responsio Caietani. Non dixit, *patris sui*, sed, *matris suæ*: ait Caietanus, quia tunc viri habebãt plures vxores, habentes diuersa habitacula. Et propterea Rebecca ad habitaculum matris suæ currens, dicitur quod annuntiauit domui matris suæ: non enim annuntiauit domui, hoc est, familiæ nouercæ, sed matris suę Et ponderando verbum *nuntiauit*, cessat omnis coniectura de morte patris hinc tracta: quia non de domo, hoc est, de ædificio; sed de domo, id est de familia (cui scilicet nunciari potest) constat esse sermonem. Sic Caietanus. Nec dissona super eadem re scribit hoc loco Thostatus.

Caietanus hoc loco.

Thostatus.

NONA DISPVTATIO.

Cum illius serui Abrahæ commemoratio apud cognatos Rebeccæ, eorum quæ sibi ab Abraham mandata fuerant, quæque ipse antea dixerat & egerat, multis rebus diuersa sit à narratione Mosis, qui prius easdem res exposuerat, Quæritur, quomodo vtraque narratio vera esse possit:

Super illis verbis:

Et adiurauit me Dominus meus dicens: Non accipies vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, &c. VERSV 37. vsque ad 48.

NARRATIONEM serui Abrahæ apud cognatos Rebeccæ, quæ hic ponitur, diuersam esse à narratione earundem rerum, quam paulo supra Moses posuit, ex paucis, quæ subiiciam, existimari posset. Principio, seruus hoc loco versu 37. simpliciter & præcise dixit, adiuratum se fuisse à domino suo: at Moses versu 2. modum eius adiurationis exposuit, dicens; iussum seruum ponere manum sub fœmore Abrahæ, & sic ab eo adiuratum. Deinde seruus versu 38. ait, dixisse sibi Abraham, vt iret ad domum patris sui: sed Moses versu 4. narrat, iussisse eum Abraham, ire ad terram & cognationem suam. Adhæc seruus memorat, Abraham dixisse sibi; *Dominus, in cuius conspectu ego ambulo, mittet Angelum suum tecum, & diriget viam tuam*: at videtur iste seruus duo addidisse de suo; tum illud, *In cuius conspectu ego ambulo*, tum etiam illud, *diriget viam tuam*: siquidem Moses iliud ipsum antea narrans, fa-

cit dicentem Abraham hoc tantum, *Ipse mittet Angelum coram te.* Illud quoque secus narrasse videtur seruus, quàm sibi dictum fuerat; ait enim versu 41. dixisse sibi Abraham: *Innocens eris à maledicto meo, cum veneris ad proximos meos, & non dederint tibi.* Moses vero aliter hoc idem narrat, scribens versu 8. dixisse ei Abraham: *Si mulier noluerit venire tecum, non teneberis iuramento.* Sedenim, illud grauius videtur, maiorisque momenti, quod seruus narrat versu 47. prius se interrogasse Rebeccam de cognatione & parentibus ipsius, & postea dedisse ei armillas & inaures: Moses autem contra, versu 22. & 23. narrauit, seruum prius dedisse dona Rebeccæ, posterius verò percuntatum esse de cognatione & parentibus eius. Hæc igitur est diuersitas vtriusque narrationis: quæ an talis sit, vt obstet, quominus vtraque narratio vera esse queat, deinceps est disputandum.

6. Regulæ, secũdũ quas iudicari potest, an duæ eiusdem rei narrationes inter se cõtrariæ sint necne. 1. Regula.

86 Quo autem liquidius, non solum in hoc loco, sed compluribus aliis Scripturæ locis, vbi similis incidit dubitatio, discerni & iudicari possit; quando diuersæ narrationes eiusdem rei, vel à diuersis auctoribus, vel ab eodem diuersis in locis positæ, sint verè discrepantes inter se, ac repugnantes, nec ne; aliquot in præsentia generales regulas tradere lubet: ad quas, cum super ea re disceptabitur, dirigi, ac diiudicari ea disceptatio facile queat.

Prima Regula. Diuersitas, non realis, sed tantum verbalis duarum narrationum eiusdem rei, nihil prorsus officit veritati. Nam cum verba, res ipsas significandi gratia, sint instituta, nec veritatem in se vllam aut falsitatem contineant, nisi vt res significant: necesse profecto est, eandem esse veritatem narrationum eiusdem rei, si nullam habeant realem diuersitatem, quantumlibet diuersis verbis sint expositæ. Hæc regula adeo per se manifesta est, vt ne expositione quidem, nedum probatione indigeat.

2. Regula.

87 Secunda Regula. Non sunt inter se pugnantes eiusdem rei narrationes, quarum vna pluribus quàm altera circumstantiis eiusdem rei expositis, plenius, & distinctius, atque expressius eam rem declarat; multa commemorans, de quibus nullum in altera narratione fit verbum. Quamuis enim talis diuersitas non sit tantum verbalis, vt superior, verum plane realis sit, ea tamen non facit huiuscemodi narrationes Scripturæ contrarias inter se. Etenim contrarietas (siue vt loquimur in scholis) cõtradictio, est affirmatio & negatio eiusdem de eodem: exempli causa, si vnus affirmet, aliquid esse factum, & alter factum id esse negat; vel vnus dicat factum tali tempore & loco, & à talibus personis, alter vero id ipsum omnino inficietur; ista est vera & manifesta contradictio. Sin autem vnus de re quapiam nonnulla narret, alter vero eadem de re agens, ea non memoret, istorum sane narrationes haud quaquam contrariæ censeri debent; sed vna vberior & latior, altera ieiunior & angustior, atque concisior.

Atque hæc quidem vtraque, de qua diximus, narrationum diuersitas crebra est apud sacros Euangelistas; qui sæpe rem eandẽ, non modo diuer

diuersis verbis, verum etiam alij pluribus, alij paucioribus eius rei circumstantiis appositis, nonnulla quidem orationis diuersitate, nulla tamen sententiarum contrarietate, commemorant. Audiat Lector B. Augustinum, cum locum hunc Mosis, quem nunc in manibus habemus, tractaret in eandem sententiam ita scribentem: Seruus Abrahę narrans quæ sibi mandata fuerant à Domino suo; si legantur quemadmodum ei mandata fuerint, nonnihil diuersa reperientur: nam sententia eadem quidem est, verba vero non omnia, vel ipsa, vel ita dicta sunt. Quod admonendum putaui propter stultos & indoctos homines, qui Euangelistas hinc calumniantur, quod in aliquibus verbis non omnino conueniunt, quamuis rebus & sententiis omnino non discrepent. Certe istum librum vnus homo scripsit; qui ea, quæ supra dixit, cum mãdaret Abraham, vel relecta, sic ponere poterat, si ad rem pertinere iudicaret. Veritas enim narrationis non exigit, nisi vt ea sit rerum, sententiarumque ratio, quibus voluntas, propter quam intimandam verba fiunt, satis appareat. Sic eo loco Augustinus.

B. Augustin. in lib. Quæstionum super Genesim, quæst. 64.

88 Tantum vero abest, vt talis in narrando diuersitas, veritati Scripturæ Euangelicæ officiat, aut narrationis fidem eleuet, vt credibiliorẽ etiam faciat euangelicam historiam: apparet enim eius scriptores, nõ de composito, nec quasi communicato inter se consilio, ad scribendum similiter euangelium, consensisse omnes. Quanquam aliam eius rei S. Augustinus rationem affert, hisce verbis: Quisquis dicit Euangelistis per Spiritus sancti potentiam id debuisse concedi, vt nec in genere verborum, nec in ordine discreparent: non intelligit, quanto amplius Euangelistarum excellit auctoritas, tanto magis per eos fuisse firmandam cæterorum hominum vera loquentium securitatem: vt pluribus eandem rem forte narrantibus, nullo modo quiquam eorum de mendacio recte arguatur, si ab altero ita discrepauerit, vt possit etiam Euangelistarum exemplo præcedente defendi. Cum enim fas non sit, Euangelistarum aliquem mentitum fuisse existimare, vel dicere: sic apparebit nec eum fuisse mentitum, cui tale aliquid acciderit, quale illis accidisse monstratur. Et quanto magis ad mores optimos pertinet cauere mendacium, tanto magis tam eminenti auctoritate nos doceri & regi debebamus, ne putaremus esse mendacium, cum sic inter se variare narrationes inueniremus, vt inter Euangelistas variatæ sunt. Simul etiam, quod ad fidelem doctrinam maxime pertinet, intelligeremus, non tam verborum, quàm rerum quærendam, vel amplectendam esse veritatem: quando eos, qui non eadem locutione vtuntur, cum sententiis rebusque non discrepant, in eadem veritate constitisse approbamus. Hæc Augustinus.

Cur Sacri Euãgelistæ non eodem prorsus modo scripserint euãgelicã historiã S. Augustin. lib. 2. de cõsensu Euãgelistarum. cap. 12.

89 Tertia Regula. Variatio ordinis in factis dictisue narrandis, vno prius, altero posterius eandem rem narrante; & vno post aliud quippiam, altero ante illud ipsum commemorante; talis, inquam, variatio ordinis, nec aduersatur veritati, nec eas inter se narrationes arguit esse contrarias. Ordo namque nihil affirmat aut negat, in quo solum

3. Regula. Variatio ordinis in narrando eaſdẽ res, non facit narrationes inter se contrarias, nec veritati earũ obstat.

est contradictio:sed est tantum dispositio & collocatio rerum,quæ narrantur.Quo fit,vt narratoribus, citra veritatis iniuriam concedantur Anticipationes,siue Præoccupationes,& item, Recapitulationes: vnde natum etiam illud est tritum sermone Prouerbium ὕστερον πρότερον, ἐμπρικῶς, id est,Prius posterius,more Homeri.Cõfirmari hoc,simulque illustrari potest,auctoritate B. Augustini. Quid interest (inquit Augustinus) quis quo loco ponat;siue quod ex ordine inserit, siue quod omissum recolit,siue quod postea factum, ante præoccupat:dum tamẽ non aduersentur eadẽ vel alia narrãti nec sibi nec alteri? Nam quia nullius in potestate est, quãuis optime fideliterque res cognitas, quo quisque ordine recordetur;& quid prius posteriusue homini veniat in mẽtem, non est vt volumus,sed vt datur:satis probabile est,quod vnusquisque Euangelistarum eo se ordine credidit debuisse narrare, quo voluisset Deus ea ipsa quę narrabat,eius recordationi suggerere;in eis duntaxat rebus quarum ordo,siue ille,siue ille sit,nihil detrahit auctoritati veritatique Euãgelicæ.Cur autem Spiritus Sanctus,diuidens propria vnicuique prout vult, & ideo mentes quoque Sanctorum propter libros in auctoritatis culmine collocandos,in recolendo quæ scriberent,sine dubio gubernans;alium sic,alium vero sic narrationem suam ordinare permiserit;quisquis pia diligentia quæsiuerit, diuinitus adiutus poterit inuenire. Hoc tamen non est huius operis munus in quo demonstrandum suscepimus,Euangelistas, neque sibi quemquam aduersari, nec inter se pugnare, quolibet ordine vel easdem res vel alias narrent. Et alio loco idem Augustinus:Quod alius,inquit,alium loquendi modum tenet,non est vtique contrarium. Neque illud contrarium est, si alius dicit,quod alius prætermittit.Vt enim quisque meminerat, & vt cuique cordi erat,vel breuius vel prolixius,eandem explicare sententiam; ita Sacros scriptores explicasse,manifestum est. Ex quo apparet, non debere nos arbitrari quemquam mentiri,si eandem rem pluribus verbis quàm alius, nec eodem modo commemoret. Vt siue mutetur ordo verborum,siue alia pro aliis,quæ tamen idem valeant,verba proferantur: siue aliquid, vel quod recordanti non occurrit, vel quod ex aliis quæ dicuntur possit intelligi,minus dicatur:siue aliorum,quę magis dicere statuit,narrandorum gratia,vt congruus tempori modus sufficiat,aliquid sibi non totũ explicandum, sed ex parte tãgendum quisque suscipiat:siue ad illuminãdam declarãdamque sententiã,nihil quidem rerũ,verborũ tamen aliquid addat,cui auctoritas narrãdi concessa est: siue rem bene tenens,non assequatur, quamuis id conetur,memoriter etiã verba quæ audiuit,ad integrũ enunciare. Sic Augustinus.

S Aug.lib.2. de consent. Euãgelistarũ c.12.&21.

Liquet igitur, variationem ordinis in narrando, nihil diminuere de veritate narrationis. Quamuis si ordo ipse affirmetur aut negetur, iam ibi aditus patet,& locus datur contradictioni: vt si vnus rem eandem dicat prius gestam,alius vero posterius: vel vnus, post aliam quandam rem,id quod narrat,euenisse dicat:alter vero idipsum affirmet, aut simul,aut ante eam rem contigisse.

Quarta

90 Quarta Regula. Cum diuersus est,ordo in variis eiusdem rei narrationibus, considerandum est vtrius narrationis ordinem, verisimile sit congruentiorem esse proprio ordini rei gestæ. Hoc porro duabus ex rebus haud difficulter vestigari & reperiri poterit. Primum aduertere oportet, an vnus narrator causam habuerit aliquam idoneam mutandi ordinem rei gestæ in eius rei narratione:alter vero qui eãdem rem narrat,cur mutare proprium rei gestæ ordinem vellet,nullam habuisse iustam causam videatur. Nam si hoc fuerit compertum,existimare conueniet,hunc potius narratorem, quam illum, rem exposuisse iuxta ordinem,quo res illa gesta est. Huius documenti manifestum,& præsens sit exemplum, hæc narratio serui Abrahæ apud cognatos Rebeccæ, & item præcedens earundem rerum narratio Mosis: seruus enim prius memorauit se interrogasse Rebeccam de parentibus eius,& postea dedisse ei munera:contra vero Moses narrauit,donatam fuisse muneribus à seruo Rebeccam: deinde interrogatam de parentibus suis:neuter tamen dixit,illud prius aut posterius factum.At enim cur Moses mutare vellet ordinem rei gestæ, nulla occurrit causa: cur autem seruus ordinem variare vellet, satis idonea & probabilis ratio suppetit. Etenim præponere interrogationem de parentibus & cognatis Rebeccæ donationi munerum, conducebat multum ad demerendos cognatorum Rebeccæ animos,& conciliandam eorum beneuolentiam;quo scilicet propensiore voluntate,lubentiorique animo Rebeccam darent & mitterent vxorem Domino suo Isaac.Namque audientes,seruum post cognitos Rebeccæ cognatos,dedisse ei munera;existimabant id sua causa esse ab eo factum,suique respectu & ratione habita; quamobrem se ab illo valde honoratos esse putabant.At si audissent illi,prius seruum dedisse munera Rebeccæ;quam nouisset eius cognatos:putassent id non ipsorum gratia esse factum, sed vel ob eximiam puellæ pulchritudinem, honestatemque, vel ob egregiam promptamque eius in seruum humanitatem & benignitatem.

4.Regula. Vnde iudicari possit, an ordo narrationis sit congruens cum ordine rei gestæ.

91 Quinta Regula. Si res quæpiam vno modo narretur ab ipso Canonico Scriptore, & diuerso modo res eadem narretur ab alio quodam homine, quem Scriptor ipse Canonicus alio loco idem narrantem inducit, standum & inhærendum potius est narrationi Scriptoris Canonici,quam illius hominis; cum quantum ad veritatem narrationis;tum quantum ad ordinem rectum & proprium, conuenientemque ordini rei gestæ.Ratio huius regulæ certa & indubitata,hæc est.Scriptor Canonicus in eo quod ipse dicit & scribit,nec falli;nec fallere potest:quippe cui Spiritus sanctus inspirat & suggerit quicquid scribit: simulque regit ac moderatur mentem, linguam, & calamum eius in scribendo, tum quantum ad copiam vel breuitatem dicendi, tum quantum ad ordinem & modum scribendi. Quicquid igitur Scriptor Canonicus per se scribit,quocumque id modo vel ordine scribat,esse id verum vel dubitare impium est. Alios vero, quos idem Scriptor loquentes inducit, semper vera dicere, non est necessum credere. Siquidem non raro in

5. Regula. Stãdum potius est narrationi Scriptoris Canonici, quã aliorũ,quos Scriptor canonicus rẽ eãdem narrantes inducit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Scriptura inducũtur homines loquentes non ſolum falſa, verum etiam impia. Exempli loco ſit, quod apud B. Matthæum legimus: is enim capite 26. inducit Petrum dicentem, & iureiurando aſſeuerantem ſe non eſſe diſcipulum Chriſti, nec ſe noſſe eum hominem: At ipſemet Matthæus antea capite 10. dixerat, Chriſtum elegiſſe duodecim diſcipulos, & horum primum nominauerat Petrum: hoc igitur proculdubio verum eſt, illud vero falſum. Alterum eiuſdem rei exemplum habemus Exodi 1. vbi Moſes narrat, obſtetrices Ægyptias à Pharaone iuſſas eſſe occidere infantes Hebræorum: ſed eas Deum reuerentes, timenteſque, poſthabito regis imperio, ſeruaſſe infantes. Eaſdem tamen obſtetrices paulo poſt, Moſes facit eandem rem multo ſecus narrantes Pharaoni.

6. Regula. Sexta Regula. Cum in diuerſis eiuſdem rei narrationibus Sacræ 92
Scripturæ, diſſonantia aliqua temporum eſſe videtur, facile erit eam diſſonantiam oſtendere nullam eſſe, obſeruata, declarataque varia numerandorum temporum ratione, cuius apud Scriptores, ſacros æquè atque profanos, frequens eſt vſus. Huius exponendæ apertius regulę gratia, lubet indicare aliquot varias computandi tempora rationes, ſatis vſitatas, per quas eiuſmodi temporum diſſonantia plerumque tolli poteſt. Prima varietas eſt computationum, quarum vna vocatur incluſiua, quæ initium eius temporis quod memoratur, ſimulque extremum includit & comprehendit. Altera nominatur Excluſiua, quod iſtiuſmodi terminos, tam primum quam vltimum excludat; intermedij ſolum commemoratione temporis contenta: Huius varietatis exemplum nunc mihi occurrit, Hiſtoria Transfigurationis Domini noſtri: quam Matthæus cap. 17. & Marcus 9. aiunt factam poſt ſex dies, quàm Chriſtus diſcipulis dixerat illa verba: *Amen dico vobis, ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis, venientem in regno ſuo*: At vero Lucas cap. 9. eandem hiſtoriam narrans, ſcribit id eſſe factum poſt octo dies. Quam diſſonantiam tollens, iuxta regulam hic à nobis traditam, S. Auguſtinus, ad hunc modum ſcribit libro ſecundo de Conſenſu Euangeliſtarum capite 56. Quod Marcus poſt ſex dies factum dicit, ſicut Matthæus, Lucas autem poſt octo, non contemnendi ſunt, ſi quos mouet, ſed ratione reddita inſtruendi. Cum enim dies aliquos enunciamus, dicentes, poſt tot dies; aliquando non annumeramus eum in quo loquimur, nec eum quo res ipſa futura eſt, quam prænunciamus vel pollicemur; ſed medios tantum dies, poſt quos reuera plenos atque integros, illud futurum eſt. Hoc fecit Matthæus & Marcus: nam excepto illo die, quo locutus eſt Ieſus, & illo quo exhibuit memoratam in monte viſionem, medioſque dies tantum numerantes dixerunt; *Poſt ſex dies*; quod Lucas, annumeratis finalibus, id eſt, primo atque vltimo, dixit, *Poſt octo dies*; eo nimirum loquendi modo, quo pars pro toto commemoratur. Sic Auguſtinus.

Tres modi tollẽdi diſſonãtias tẽporum quæ in ſacrę Scripturæ narrationibus nõ numquã eſſe videntur. Locus Matthęi cap. 17.

S. Auguſt.

Altera varietas computationis temporum in eo eſt poſita, quod in- 93
terdum

terdum omne tempus rei cuiuſpiam vel perſonæ, plene atque omni ex parte numeratur: nonnunquam vero, principalis tantum & maxima temporis ſumma exponitur, præteritis minutiis dierum, aut menſium, aut etiam paucorum aliquot annorum. Exempli cauſa, in capite ſecundo libri tertij Regum, & in vltimo capite prioris libri Paralipomenon, proditum eſt regem Dauid regnaſſe quadraginta annis, ſeptem quidem in Hebron ſuper ſolam tribum Iuda, triginta vero ac tribus in Hieruſalem ſuper omnes tribus. At regnaſſe eum quadraginta annos & præterea ſex menſes, patet ex capite quinto libri ſecundi Regum, vbi regnum Dauidis in Hebron, definitur ſeptem annis & ſex menſibus, & poſtea regnum eius ſuper omnes tribus, triginta ac tribus annis determinatur. Huc etiam ſpectat, quod legitur Geneſ. 15. ſemen Abrahæ peregrinaturum fuiſſe in terra non ſua quadringentis annis: ſiquidem ei ſummæ quinque annos adiicere oportet, vt ſupra oſtendimus, cum in eius loci expoſitione verſaremur.

Locus libri 3. Reg. c. 2.

94 Tertia varietas percenſendi tempora, frequens eſt in libris Regum & Paralipomenon. Interdum enim in computandis annis alicuius regni & principatus, tantum numerantur anni quibus Princeps ille ſolus regnauit: nonnunquam vero recenſentur etiam, ſub eius nomine, anni, quibus ille, adhuc viuente prędecẽte rege, ſiue patre ſuo, ſiue alio quopiam, adminiſtrauit regnum, ſiue ob illius abſentiam vel ægritudinem, ſiue ab eo ipſo in ſocietatem gubernandi regni aſcitus. Clarum huius documenti firmumque perhibet teſtimonium liber quartus Regum capite 15. Illic enim traditur, Ioathan filium regis Azariæ regnaſſe annos ſexdecim; cuius tamen paulo ante eum locum, vigeſimus regni annus memoratur. Verum res ſic ſe habuit: ſolus poſt mortem patris, regnauit annis ſexdecim Ioathan: viuente autem patre, & ob lepram qua percuſſus à Deo fuerat, ad gubernacula regni tractanda minime idoneo, regnum ipſe aliquot annis adminiſtrauit, vt eo ipſo loco indicat Scriptura. Poſſem aliis compluribus exemplis ſupradictas computationum varietates illuſtrare; atque alias inſuper de diſſonantia temporum, ad conſonantiam redigenda veritatis, regulas tradere: verum id enucleatius tractandi, non eſt hic locus. Erit vero ſane quam idoneus, maximeque opportunus in opere noſtro Electarum Diſputationum, quod abſoluta horum Commentariorum in Geneſim editione, ſi vixerimus, & Deo placuerit, typis mandaturi ſumus. In eo autem opere, vbi ſuper Chronologia diſſerimus, de iſtiuſmodi Computationum varietatibus, & de multiplici ratione explicandi tollendique diſſonantias temporum, in Chronologiæ tractatu frequenter obuias, proprie, ſubtiliter, & accurate diſputatur.

Locus libri 4. Reg. c. 15.

Auctoris opus Electarum Diſputationum.

95 Sed redeo ad narrationes Moſis & ſerui Abrahæ, quæ videbantur notabilem habere, ſuper earũdem rerum commemoratione, diuerſitatem. Verumenimuero, ſi eiuſcemodi omnis diuerſitas ſecundum regulas ſupra expoſitas; attente obſeruateque conſideretur, nullam continere veritatis diſcrepantiam reperietur. Aut enim eſt inibi diuerſitas

ſolum

Universidad de Deusto Biblioteca

solum verbalis, cum eadem res, idemque loquentis sensus, diuersis exponitur verbis, vti est illud, *Non teneberis iuramento*, atque illud, *Innocens eris à maledictione mea.* sic enim Abraham iureiurando seruum obstrinxerat, vt si contra mandata sua faceret, suam esset offensionem ac maledictionem incursurus. Et item illa, idem significant: *Dominus mittet Angelum suum coram te*, atque illud, *Dominus mittet Angelum suum, qui dirigat viam tuam:* nam illud, *Coram te*, clarius exponitur per, *diriget viam tuam.* Eandem quoque sententiam habent illa: *Proficiscéris ad terram & cognationem meam, & Ibis ad domum patris mei.* Aut est diuersitas quidem realis, sed in eo tamen solum, quod vnus eorum tacuit aliquid, quod alter expressit: veluti modum, quo seruum adiurauit Abraham, Moses exposuit, reticuit autem seruus. Aut demum est diuersitas quantum ad ordinem narrandi eandem rem, vel prius vel posterius; vt de interrogatione parentum & cognatorum Rebeccæ, & de donis ei à seruo datis. Nullam porro superiorum trium diuersitatum, facere contrarias inter se narrationes, aut vllam veritatis discrepantiam, liquido apparet ex regulis supra traditis.

DECIMA DISPVTATIO,

Super illis verbis:

VERSV 63. *Egressus fuerat Isaac ad meditandum in agro, inclinata iam die.*

Quodnam genus meditationis fuerit, cuius exercendi gratia, prodibat Isaac in agrum.

Suach, verbũ Hebræũ quid significet.

96 NONNVLLAM huius quæstionis explicandæ difficultatem affert varia significatio & interpretatio verbi Hebræi, Suach, quod Latino verbo, Meditandi, reddidit noster interpres. Aliqui enim vertunt, meditari, alij, orare; quidam, loqui vel confabulari, vel etiam garrire; nonnulli, exercere. Symmachus Græcè interpretatus est λαλήσαι, id est, loqui: Aquila, ὁμιλήσαι, colloqui & confabulari: Scholia Græca exponunt, attendere propriis cogitationibus, & sermocinari: & quia non additur persona cum qua sermocinatum exierit Isaac; significatur, eam fuisse vel secum vel cum Deo collocutionem. Septuaginta interpretes transtulerunt, ἀδολεσχῆσαι, hoc est, exercere se vel animo vel corpore. Suidas ἀδολεσχίαν ita describit: Meditatio, inquit, in Scriptura, est continua quędam exercitatio: Et meditabor, pro continue exercitabor, vsurpari solet. Vult igitur Suidas eo verbo denotari assiduã exercitationem animi, quæ est meditatio. S. Ambrosius libro de Isaac cap. primo sic hũc locũ citat: *Exijt in campum*

S. Ambros.

campum abalienare, quod duplicem potest sensum reddere; vel vt se à curis turbisque domesticis seduceret; vel vt se totum dedens contemplationi rerum diuinarum, mentem abduceret & abstraheret à sensibus. Hieronymus hebræum verbum interpretatur loqui, sed in oratione, quasi vtendo oratione vocali: sic enim ait: *Et egressus est vt exercitaretur in campo*, in hebræo legitur: *Egressus est Isaac vt loqueretur in agro.* significat autem, secũdum illud; quod Dominus solus orabat in monte, etiam Isaac, qui in typo Domini, ad orationem, quasi virum iustum domo egressum & vel nona hora, vel ante Solis occasum, Spirituales DEO victimas obtulisse. S. Hieronymus.

97 SANCTVS Augustinus ait, verbum Græcum ἀδολεσχῆσαι nonnullos interpretari, exerceri, alios garrire: Se autem putare, significari eo verbo, affectum studiose aliquid cogitantis cum delectatione cogitationis. Audiat Lector Augustinum. Quod scriptum est, *Exiit Isaac exerceri in campum meridie*, qui verbum de hac re græcum nesciunt, exercitationem corporis putant. Scriptum est autem Græce ἀδολεσχῆσαι: ἀδολεσχεῖν vero ad animi exercitationem pertinet, & sæpe vitio deputatur. More autem Scripturarum plerumque in bono ponitur. Pro isto verbo, quidam interpreres nostri exercitationem posuerunt; quidam garrulitatem, quasi verbositatem, quæ in bonum, quantum ad latinum eloquium pertinet, vix, aut numquam inuenitur: sed vt dixi, in Scriptura plerumque in bono dicitur. Sed mihi videtur, id verbum significare animi affectum, studiosissime aliquid cogitantis, cum delectatione cogitationis: nisi aliud sentiunt, qui hæc verba græca melius intelligunt. Sic ibi Augustinus. Idem alio loco, explanans illud Psalmi 118. *In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas*, ipse citat hanc lectionem: *In mandatis tuis garriam, & considerabo vias tuas*, & subdit: Quod, inquit, græcus habet ἀδολεσχήσω, latini interpretes, quidam interpretati sunt, garriam; quidam vero exercebor, quæ duo inter se videntur esse diuersa. Sed si exercitatio intelligatur ingenij, cum quadam delectatione disputationis, vtrumque coniungitur, & quasi ex vtroque vnum aliquid temperatur, vt non sit aliena ab huiusmodi exercitatione garrulitas. Solent enim garruli vocari loquaces. Sic Augustinus.

S. Augustinus quæst. 69 in Genes.

S. August. in Psalmũ 118. concione 6.

98 LYRANVS & Thostatus, secuti Hebræos, interpretãtur, Meditari. Sed aiunt duplicem significari posse meditationem, partim rerum diuinarum coniunctam cum pietate aduersus DEVM, quæ est oratio: partim meditationem philosophicam rerum naturalium, maxime vero luminum & motuum cœlestium. Fuerat enim Isaac Astronomiam egregie doctus à patre suo, præstantissimo eius scientiæ doctore. Caietanus verbum hebræum exponit, loqui: & putat, exisse Isaac in agrum, ad loquendum cum agricolis & operariis suis, super operibus & ministeriis eorum. Vatablus, verbum, inquit, hebræum, Suach, proprie significat, submissa voce loqui, & velut murmurare: vt orantes, vel meditantes, vel apud nos de re aliqua mirantes, facimus. Quidam Hebræorum interpretantur, vt ambularet inter virgulta. Hamerus censet hebræo ver-

Hebræi. Lyranus. Thostatus. Caietanus. Vatablus. Hamerus.

bo significari, mentis suæ sensa verbo ex promere velle, idque in rebus seriis, & neutiquam vulgaribus: ad quod sine dubio meditatione opus est. In Psalmo 118. frequens est hoc verbum, quod latinus interpres verbo meditandi, vel exercendi solet reddere.

SVNT igitur decem circiter expositiones huius loci. Prima; exisse 99
Isaac in agrum, animi gratia, ad loquendum, siue confabulandum: hanc fert translatio Aquilæ & Symmachi. Secunda; ad loquendum cum agricolis & operariis suis, de operibus rusticis & agrestibus: hæc est Caietani. Tertia; ad exercendum se, corporalis aliquo exercitij genere, vel deambulando, vel currendo, vel saltando, vel iactu ponderum: hanc memorat, & improbat Sanctus Augustinus. Quarta; ad orandum DEVM: sic paraphasis Chaldaica, & Sanctus Hieronymus. Quinta; ad abalienandum se, vel à curis domesticis, vel per contemplationem à sensibus: hanc innuit Ambrosius. Sexta; ad meditandas res naturales, præsertim vero motus & virtutes syderum: vt putant Hebræi, quos Lyranus & Thostatus sequuntur. Septima; ad studiose & delectabiliter cogitãdum & meditandum, vt placet S. Augustino. Octaua; ad loquendum submissa voce, secumque sermocinandum, vt aliquid meditabundi ac mirabundi solent: Sic Vatablus. Nona, ad res admodum graues & serias cum animo suo reputandas ac peruolutandas, vt eas postea condigne eloqui & agere posset: Sic Hamerus. Posset his addi decima quorundam interpretatio, ad commemorandum quæ eo die deliberauerat, dixerat, audiuerat, egerat: quod se quoque Cato Censorius, more Pythagoreorum, quotidie facere solitum, apud Ciceronem confirmat.

Cato apud Ciceronem libro de senectute.

MEA vero sententia, huiusmodi est: verbum hebræum Suach, pro- 100
prie significare, loqui, tam corde, quam ore, tam secum, quam cum aliis: vnde est in Scriptura & verbum, & sermo, & locutio cordis, fere non minus frequens, quam oris. Et quia loqui corde seu mente, idem est, atque cogitare, & meditari, eo factum est, vt verbum istud sæpe ponatur pro cogitare & meditari. Vsurpatur etiam pro eo quod est non inconsulte aut inexplorate, nec temere vt quodlibet in buccam venit, sed cogitato & meditato loqui; nec de rebus leuibus, sed grauibus & seriis dicere. Quare illa quæ legentibus sacram Scripturam nõ raro occurrunt,

Psal. 70. *Lingua mea meditabitur iustitiam, Os iusti meditabitur sapientiam,* & alia
Psal. 49. horum similia, significant præmeditate & attente loqui; vt non in summo ore & primoribus labiis nascatur sermo, sed ex intimo animo, considerate formatus, emanet.

Opportunitas solitudinis ad contemplandũ.

ISAAC porro secessum agri & solitudinem petens, orandi & medi- 101
tandi gratia, primus docuit mortales, opportunissimam esse solitudinem ad res quascumque magnas & sublimes, animo agitandas tractandasque. Id vero accidit duplici ex causa: tum quod solitudo ab omni tumultu, strepitu, interpellationibus, aliisque animi auocamẽtis sit vacua: tum, quod illud ipsum vndequaque silentium, & montium, vallium, camporum, arborum, & super omnia, cælorũ & siderum patentissimus prospectus, mirandum in modum excitat, erigitque mentem ad contempla

templationem diuinarum rerũ; atque in ea ipsa detinet, insatiabili cum voluptate. Exemplum hoc Isaac, præstantissimi quique in populo Hebræo viri, studiosissime secuti sunt; Moses, Elias, Eliseus, filij Prophetarum, atque omnes ferme Prophetæ. Et ille Prophetarum maximus Ioannes Baptista, vt tãtus vir esset, quantus postea fuit, à pueritia vsque in deserto educatus est. Quid ego dicam de Thebaidis solitudinibus, quæ vt antea fuerant hominibus, ac pene feris etiã inhabitatæ; sic fuere postea Monachorum domiciliis frequentissimæ: quorum vita quanto erat remotior ab hominum conuictu, tanto erat omnium sermone & admiratione celebrior. *Luc.* 1.

Flagrantissimũ solitudinis amatorem & cultorem fuisse B. Hieronymum, illa eius verba satis indicant: O desertum, CHRISTI floribus vernans: ô solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi ciuitas magni Regis extruitur: ô eremus familiarius DEO gaudẽs. Quid agis frater in seculo, qui maior es mundo? Quandiu te tectorum vmbræ premunt? Quandiu te fumosarum vrbium carcer includit? Crede mihi, nescio quid hic plus lucis aspicio. Libet, sarcina corporis abiecta, ad purum ætheris euolare fulgorem. Idem alio loco: Viderint, quid alij sentiant; vnusquisque enim suo sensu ducitur. Mihi oppidum, carcer, & solitudo, paradisus est. Moses vt præesset populo Iudæorum, quadraginta annis eruditur in eremo: pastor ouium, hominum factus est pastor. Sic Hieronymus. Quin etiam Ethnici, quarumlibet doctrinarum studio impensius dediti, verum ante omnes, Philosophi & Poëtæ, non minus cupide secessus & solitudines, quam mortalium plerique, vrbium fora, circos, & theatra amabant & frequentabant. Verum enim illud est cuiusdam poëtæ, S. Hierony in epist. ad Heliodorũ, & Rusticũ. *Apocaly.* 21. *Exo.* 24. *Supra* 3. Horat. li. 2. Epist. 1.

» *Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit vrbes.*

VNDECIMA DISPVTATIO.

Cur Rebecca conspecto & agnito Isaac, descenderit de camelo, & operuerit se pallio:

Super illis verbis:

Rebecca conspecto Isaac, descendit de camelo, & ait ad puerum, Quis est ille homo qui venit per agrum, in occursum nobis? Dixitque ei, Ipse est dominus meus. At illa tollens cito pallium suum, operuit se. VERSV 65.

102 PRÆPOSTERE hoc loco narrare videtur Moses rem gestam. Etenim prius Rebecca interrogauit de homine, sibi obuiam veniente, Quis nam esset: & comperto, esse Isaac, tunc descen-

dit de camelo,& operuit se.Verum istiusmodi præposteræ narrationes, vt alio loco monuimus,non solum in propheticis libris frequentes,verum etiam in historicis nō raræ sunt.Pro Latina voce,pallium,Hebræa vox Saiph, significat velamen , quo mulieris caput & corpus operitur, vel lineum,vel sericum,vel ex panno.LXX.interpretes verterunt Theristrum;de cuius significatione vocis,hæc Hieronymus:Theristrum ,pallium dicitur ; genus etiam nunc Arabici vestimenti, quo mulieres prouinciæ illius vtebantur. Idem alio loco : Græci vocant Theristra , quæ nos palliola possumus appellare;quib. obuoluta est & Rebecca:hodieque eo velamine Arabiæ & Mesopotamiæ operiuntur fœminæ.Dicitur autem Græcè, θέρετρον,ab eo quod in θέρει,hoc est,in æstate & caumate corpora protegat fœminarum. Sic Hieronymus. De velamento porrò Arabicarum mulierum quod tradit Hieronymus,id Tertullianus paulo expressius declarauit: Iudicabunt vos(inquit Tertullianus) Arabiæ fœminæ Ethnicæ;quæ non caput,sed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato , contentæ sint dimidiam frui lucem , potius quàm totam faciem prostituere.Sic ille.

Saiph vox Hebræa quid significet.

Hierony. in Traditionib. heb. in Genesim, super cap. 24. & in ca.3. Isaiæ.

Tertull. de velandis Virginibus.

PERTINVIT sanè ad magnam virginei pudoris Rebeccæ commendationem , fuitque certum absconditæ vsque ad in temporis,virisque impenetrabilis pudicitiæ testimonium;quod ne sui quidem sponsi Isaac primum aspectum sustinuerit. Nec mirum:nempe velamen capitis & faciei mulierum , apud omnes gentes , quibus mulieris pudiciriæ respectus aliquis , curaque fuit , seuere admodum sancteque obseruatum est. Cuius seueritatis vnum illud modo indicabo exemplum Caij Sulpitij Galli : quem ferunt ob eam tantum causam repudiasse vxorem , quod aperto capite versata esset in publico ; hisce verbis eam increpans : Lex tibi meos tantum præfinit oculos , quibus & formam tuam approbes , & placere desideres. His decoris instrumenta compara : his esto speciosa ; horum te certiori crede notitiæ. Vlterior tui conspectus superuacua irritatione accersitus , in suspicione & crimine hæreat necesse est. Multa super hac re disputat Tertullianus in eo libro , quem scripsit de Virginibus velandis. Multa etiam (pro Notarum breuitate) collegit in hanc sententiam , amicus noster Cæsar Baronius , vir doctrina probitateque , iuxta venerabilis & amabilis , & de historia Ecclesiastica , eiusque studiosis hominibus optime meritus. 103

Valerius Maximus lib.6. cap.3.

Baronius in Martyrologium die 7. Maij.

TERTVLLIANVS certe , factum hoc Rebeccæ , agnito Isaac, protinus operientis se , valde laudans : Et desponsatæ,inquit , fœminæ habent exemplum Rebeccæ ; quæ cum ad sponsum ignotum adhuc ignota perduceretur , simul ipsum cognouit esse , quem de longinquo perspexerat, nō sustinuit dexterę collυctationem,vel osculi congressionem,nec salutationis communicationem;sed confessa quod senserat,id est, spiritu nuptam , negauit virginem velata ibidem. O mulierem iam de CHRISTI disciplina. Ostendit enim , etiam nuptias de aspectu & animo fieri , quemadmodum & stuprum. Sic ibi Tertullianus. Idem 104

Tertull. in lib. De velandis Virginibus.

paulo

paulo infra;fœminas ad velandum se,graui & vehementi oratione cohortans;Oro te,inquit,siue mater,siue soror,siue filia,virgo,secundum annorum nomina dixerim;vela caput.Si mater es, propter filios:si soror,propter fratres : si filia,propter patres : omnes in te ætates periclitantur.Indue armaturam pudoris:circumduc vallum verecundiæ:murum sexui tuo strue,qui nec tuos emittat oculos,nec admittat alienos. Et quatenus velare se debeat mulier,indicans , mox subdit : Mithris & lanis quædam non velant caput,sed colligant:à frōte quidem protectæ; qua proprie autem caput est,nudæ.Aliæ modice linteolis,credo,ne caput premant,nec ad aures vsque demissis , cerebro tenus operiuntur. Misereor,si tam infirmo auditu sunt,vt per tegmen audire non possint. Sciat fœmina,quia totum caput,mulier est.Limites & fines eius,eo vsque pertingunt,vnde incipit vestis. Quantum resoluti crines occupare possunt,tanta est velaminis regio,vt ceruices quoque ambiantur. Ipsæ enim sunt , quas subiectas esse oportet , propter quas potestas supra caput haberi debet : velamen,iugum illarum est. Iudicabunt vos Arabiæ fœminæ Ethnicæ, quæ non caput , sed faciem etiam ita totam tegunt , vt vno oculo liberato , contentæ sint dimidiam frui lucem, potius quam totam faciem prostituere. Mauult fœmina videre , quàm videri. Quas propterea infœliciſſimas esse dixit Romana quædam regina , quòd adamare magis illæ , quàm adamari possint ; cum sint vel ex alterius infelicitatis , & quidem frequentioris , immunitate felices ; quia facilius adamari , quàm adamare , fœminæ possint. Hæc Tertullianus.

Quatenus velare se mulieres debeant.

105 Cæterum,iuuat hoc loco monere Lectorem,morem vsumque operiendi caput,varias ob causas antiquitus vsurpari solitum , quas è sacris libris eruere possumus. Nonnunquam enim operire caput,signum est valde lugentis ac dolentis.Sic enim legimus libro secundo Regum ca. 19.*Rex Dauid operuit caput suum,& clamabat voce magna,Fili mi Absalon, Absalon Fili mi.*Interdum significationem habet multum erubescentis ac verecundantis,vt hoc loco traditur de Rebecca. Et apud Danielem capite 13.legimus , Susannam, cum esset operta, à flagitiosis illis senibus retegi esse iussam. Aliquando indicium facit summæ obseruantiæ & reuerentiæ,quasi maiestatem alicuius aspicere nequaquam sustinentis. De prophera quidem Elia proditum est libro tertio Regum capite 19.cum diuinam illam visionem in monte Horeb accepisset,eum protinus operuisse vultum suum pallio. Operire item vultum alicuius,est quasi auersantis eum & abiicientis , aspectuque suo indignum iudicantis , & quasi de vita tollendum censentis. Quod ad hanc sententiam facit,ponam hic ex capite septimo libri Esther.*Cum*,inquit,*reuersus esset rex de horto,& intrasset conuiuij locum,reperit Aman super lectulum corruisse,in quo iacebat Esther;& ait:etiam reginam vult opprimere, me præsente,& in domo mea. Nec dum verbū de ore regis exierat , & statim operuerunt faciem eius. Et suspensus est Aman in patibulo quod parauerat Mardochæo,& regis ira quieuit.*

Varius apud veteres,operiendi capitis vsus.

Locus 2.lib. Reg.cap.19.

Locus lib.3. Reg.cap.19.

Locus libri Esther c.7.

Cur autem Rebecca,viſo atque agnito Iſaac, confeſtim de camelo 106
deſcenderit, promptum eſt cauſam intelligere. Modeſtiæ nimirum ac
1.Cor.11. reuerentiæ cauſa id fecit:ne ſponſum,quem vt caput ſuum,dominum-
que ſibi colendum & honorandum eſſe nouerat, ipſa de loco ſuperio-
ri, ſedenſque,in loco inferiori ſtantem indecẽter acciperet.Hunc por-
Allegorica expoſitio S.Greg. lib. 35. Moraliũ. ro locum Sanctus Gregorius,allegorico Hiſtoriæ huius tractatu,miri-
fice illuſtrauit: aperuit enim quid ſecundum intimam myſterij intel-
ligentiam ſignificet,Rebeccam camelo inſidentem, eſſe perductam ad
Iſaac; eoque aſpecto, deſcendiſſe de camelo,ac pallio ſe operuiſſe. Ex-
planãs itaque Gregorius verba illa Iob cap. 42. *Facta ſunt ei quatuordecim millia ouium,& ſex millia camelorum*,ad hunc modum ſcribit:Cameli
Cameli nomen quid in Scriptura myſticè ſignificet. nomine,aliquando in ſacro eloquio, Dominus; aliquando Gentilium
ſuperbia exprimitur,quaſi excreſcente deſuper tumore tortuoſa.Quia
enim ad ſuſcipienda onera,ſponte ſe camelus humiliat, non immerito
Redemptoris noſtri gratiam deſignat: qui in eo quod infirmitatis no-
ſtræ onera ſuſcipere dignatus eſt, à poteſtatis ſuæ celſitudine ſponte
Matth.19. deſcendit. Et idem ipſe Saluator dixit,*Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire,quam diuitem intrare in regnum cælorum.* Quid enim nomine diuitis, niſi quemlibet elatum; quid cameli appellatione, niſi propriam condeſcenſionẽ ſignat?Camelus enim per foramen acus trãſiit,
cum Redemptor noſter vſque ad ſuſceptionem mortis, per anguſtias
paſſionis intrauit. Quæ paſſio, velut acus extitit, quia dolore corpus
pupugit. Facilius autem camelus per foramen acus, quam diues cælo-
rum regnum ingreditur: quia niſi prius ipſe infirmitatis noſtræ onera
ſuſcipiens, per paſſionem ſuam foramen nobis humilitatis oſtenderet;
nequaquam ſe ad illius humilitatẽ,ſuperba noſtra rigiditas inclinaret.
Rurſus cameli nomine, tortuoſa & plena vitiis Gentilitas deſignatur:
Geneſ.24. ſicut per Moſen dicitur, quod inclinata iam die egreſſum in agrum
Iſaac,in camelo ſedens Rebecca conſpexit, ac protinus de camelo de-
ſcendit,& ſeſe pallio ad viſionem illius verecundata cooperuit.Quem
enim alium deſignabat Iſaac,in eo quod inclinata iam die egreſſus fue-
rat in agrum,niſi eum,qui extremo huius mundi tempore, velut in fi-
ne diei veniens, quaſi in agrum foras exiit? quia cum ſit inuiſibilis, in
hoc mundo ſe viſibilem demonſtrauit.Quem in camelo ſedens Rebec-
ca conſpexit:quia eum Eccleſia ex Gentibus veniens,cum adhuc vitiis
eſſet innixa,& nec dum ſpiritalibus, ſed animalibus motibus inhære-
ret,attendit.Sed protinus de camelo deſcendit:quia vitia, quibus prius
fuerat ſuperbe elata, deſeruit: Se quoque pallio operire curauit; quia
viſo Domino,infirmitatem ſuæ actionis erubuit: & illa, quæ prius in
camelo libera geſtabatur,deſcendens poſtmodum, verecunda tegitur.
Vnde eidem Eccleſiæ,à priori elatione conuerſæ,per Apoſtolum,quaſi
Ad Rom.6. Rebeccæ de camelo deſcendenti, & pallio ſe operienti dicitur: *Quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis*? Hactenus ex
Gregorio.

Rupertus Rupertus,factum Rebeccę deſcendentis de camelo,& ſe operientis, 107
ad

ad Catholicam Eccleſiam pulchre accommodat: ea re docens per- lib.6. Commentariorũ in Geneſim capite 4. Differentia Catholicæ Eccleſiæ, atque Hæreticæ ſectæ.
ſpicue diſcerni Catholicam Eccleſiam,ab hæretica ſecta & prauitate.
Sic profecto,inquit,ſana omnis doctrina,& Euangelica religio,pudice
ambulat, & ſub honeſto & humili Sacramentorum velamine, Chriſti
amatoris ſui ſeſe obſequio præſentat. Filiæ vero fallacis gratiæ, & va-
næ pulchritudinis,id eſt, cunctæ hæreſes ambulant extento collo, &
nutibus oculorum eunt,& plaudunt,& tanquam importunæ meretri-
culæ,videri & appeti ambiunt.De quibus Iſaias ſpiritu prophetico va-
ticinans:*Pro eo,* inquit,*quod eleuatæ ſunt,& ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant,& plaudebant,& ambulabant pedibus ſuis,& compoſito gradu incedebant,decaluabit Dominus verticem earum, & Dominus crinem earum nudabit.*Et idem infra de iiſdem ſub nomine Tyri,*Sume,* in-
quit,*cytharam,circui ciuitatẽ,meretrix obliuioni tradita.Bene cane; frequenta canticum,vt memoria tui ſit.*Sic Rupertus: qui omnem hiſtoriã huius
capitis,ſecundum allegoricam expoſitionem,in libro ſexto Commen-
tariorum ſuorum in Geneſim,à capite 38.vſque ad 45.varie admodum
& copioſe,docteque ac pie tractauit. Atque hæc quidem de coniugio
inter Rebeccam & Iſaac,à nobis diſputata ſint. *Iſaiæ 3.& 23.*

108 Nec eſt hoc loco diſſimulandus Ioſephi lapſus in Chronologia, af- Ioſephi lapſus in Cronologia.
firmantis,non multo poſt coniugium hoc, deceſſiſſe Abraham: cum
certum ſit,eum iſti coniugio,non minus quinque & triginta annos ſu-
perſtitem fuiſſe. Erat enim Iſaac quadragenarius, cum Rebeccam du-
xit vxorem,Geneſ.25.quare Abraham id temporis, erat centum qua-
draginta annorum;centenarius enim genuerat ipſum Iſaac,Geneſ.21.
Omne porrò tempus vitæ Abrahæ, definitur, Geneſ.25,annis
centum ſeptuginta quinque. Sed nimirum id Ioſepho
excidit, non ob inſcitiam Chronologiæ,ſed
per incogitantiam quandam,
atque incuriam.

***

BENEDI-

Universidad de Deusto
Biblioteca

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA SVPER CAPVT *Vigesimumquintum Genesis.*

De alio Coniugio Abrahæ cum Cetura, & sex filiis ex ea procreatis. De morte item & sepultura eius.

VERSV 1. ABRAHAM *verò aliam duxit vxorem nomine Ceturam : quæ peperit ei Zamram, & Iecsan &*
2 *Madan, & Madian, & Iesboc &*
3 *Sue. Iecsan quoque genuit Saba & Dadan. Filij Dadan fuerunt Assurim, & Latussim,*
4 *& Laomim. At vero ex Madian ortus est Epha & Epher & Henoch, & Abida, &*
5 *Eldaa. Omnes hi filij Ceturæ. Deditque Abraham cun-*
6 *cta quæ possederat, Isaac. Filiis autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaac filio suo, dum*
7 *adhuc ipse viueret, ad plagam orientalem. Fuerũt autem*
8 *dies vitæ Abrahæ, centum septuagintaquinque anni. Et deficiens mortuus est in senectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierum : congregatusque est ad populum suum.*
Et sepe-

Et sepelierunt eum Isaac & Ismahel filij sui in spelunca 9
duplici, quæ sita est in agro Ephron filij Seor Hethæi, è regione Mambre, quam emerat à filiis Heth, ibi sepultus est ipse, 10
& Sara vxor eius.

PRIMA DISPVTATIO.

Cur Abraham pene decrepitus, denuo vxorem duxerit.

Super illis verbis:

Abraham vero aliam duxit vxorem, VERSV 1.
nomine Ceturam.

CAVSAM dubitandi super ea re, breuiter & apposite Caietanus exposuit, hisce verbis: Mirũ (inquit) est, quod Abraham tam senex (agens videlicet centesimum quadragesimum, annum vel circa) habensque filios adultos, cum promissionibus diuinis, quod vterque futurus esset princeps gentis magnæ, & quod in semine Isaac, benedicendæ erant omnes gentes terræ; acceperit puellam ad generandos filios, in quibus tamen non erat ei vocandum semen: siquidem à Domino dictum ei fuerat: *In Isaac vocabitur tibi semen.* Auget admirationem, quod horrens Abraham dare filio suo vxorem ex terra Chanaan; acceperit ipse in vxorem, mulierem cuius natio ignota est nobis. Nec vlla fit mentio alicuius diuinæ consultationis: immo nec minimæ rationis huius noui coniugij. Quare omnib. collatis, suspicor Abraham præfeciſſe domui suæ Isaac, tanquam hæredem vniuersalem; & quod ipse seorsim manserit cum Cetura, & propterea in aduentu Rebeccæ, nullam fieri Abrahæ mentionem, nec deinceps, nisi narrando mortem & sepulturam eius, & exonerationem Isaac. Tempus autem, quando Abraham vxorem accepit Ceturam, non est certum: videlicet, an id factum sit viuẽte adhuc Sara, post eiectionem Agar cum Ismaele, an ea iam mortua. Scripturæ tamen narratio, si rei gestæ ordini respondet, insinuat hoc esse factum post mortem Saræ. Hæc Caietanus, Caiet. in ca. 25. Genesis. *Genes. 21.*

Verum an istud coniugium factum sit ante, vel post mortem Saræ, etsi non est vt Caietanus ait, liquido compertum: est tamen admodum probabile, id euenisse post mortem Saræ, & Origenes sensit, & scriptũ reliquit in Homilia 11. in Genesim. Etenim patet id ex ordine Mosaicæ narrationis: quæ id memorat post mortem Saræ, & post nuptias Rebeccæ atque Isaac: esse autem eum ordinem rectum, & cum ordine Quando Abraham duxerit Ceturã vxorem. Origenes.

rei gestæ congruentem, existimare conuenit, cum nihil sit, quod nos contra sentire cogat. Sacros enim historiographos, res gestas recto ordine narrare putādum est, nisi cum manifesta ratio contrariam sententiam nobis persuadet,quod putare hoc loco,nulla est ratio.Deinde, si viuente Sara,duxit Abraham vxorem Ceturam, quęro,an id ipse sponte sua fecerit,an suasu & impulsu Saræ, quemadmodum de coniugio eius cum Agar supra dictum est,Genes. 16.sed neutrum videtur credibile.Si enim Abraham cum nullam prorsus haberet prolem, atque esset amplius quinquaginta annos iunior, quàm erat nunc,nunquam viuente Sara egit de ducenda alia vxore, sed ad id consilio & incitatu Saræ denique adductus est: quanto minus id vltro fecisset, generatis iam duobus filiis, aut certe vno, Ismaelem dico, cuius amplissimam, fore posteritatem,ex DEO cognouerat? Nec Sara induxisset eum ad id coniugium;quippe quæ ne coniugium quidem Agar ei suasisset, nisi quia id temporis Abraham omni prole carebat, & ipsa nullam ex se prolis generandæ spem habebat.

Sed ad propositam quæstionē redeamus.Sanctus Augustinus potis- 2
simam causam,cur in ea ætate voluerit DEVS,Abraham ducere vxorem fuisse,putat magnum quoddam mysterium eo coniugio præfigurandum. Id autem tale fuit; vt sicut per Agar & Ismahelem præfigurati sunt carnales homines veteris Testaměti;ita per Ceturam & filios eius,præsignificarentur carnales homines Noui Testamenti: cum primis vero,Hæretici; Christianæ fidei,ac religionis,ac doctrinæ similitudine quadam, tanquam sanguinis propinquitate, & cognationis cum veris Catholicis coniunctione gloriantes: cum tamen reuera longe separati sint ab Ecclesia Catholica, nec cælestis hæreditatis participes esse queăt. Verū præstat nosse hoc ex ipsis Augustini verbis, quæ sunt huiusmodi:Factum illud Abrahæ,qui post mortem Saræ,vxorem duxit Ceturam & ex ea filios procreauit,non sic accipiendum est, quasi humana consuetudine,& cogitatione tantummodo substituendæ numerosioris prolis hoc factum sit. Sic enim possent accipere homines, etiam quod de Agar & Ismaele factum est, nisi Apostolus admoneret illa esse facta prophetice,vt in vtrisque personis mulierum, earumque filiorum,duo Testamenta ad futurorum prænuntiationem, allegorica significatione figurarentur.vnde in isto quoque Abrahæ facto,tale aliquid quærendum est:Ego quod interim mihi occurrit, indicabo. Munera quæ acceperunt filij cōcubinarum,videntur mihi significare quædam dona DEI,vel in Sacramentis,vel in quibusque signis,etiam carnali populo Christianorum, & Hæreticis data, velut filiis concubinarum: cum tamen hæreditatis munus, quod est caritas & vita æterna, non nisi ad Isaac pertineat, hoc est ad filios promissionis. Sic ibi Augustinus.

S.Augustin. Quæst. 70. in Genes.

S.Aug.li.16. De Ciuitat. Dei cap.34.

Idem alio loco & hanc ipsam causam expressius tradit, & adiungit alteram de secundis nuptiis,hoc Abrahæ exēplo,factoque cōprobatis: quasi iam tum DEVS tanti viri exemplo præfulcire ac præmunire voluerit, ius ac potestatem secundarum nuptiarum, aduersus quosdam futuros aliquando hæreticos,eiusmodi nuptiarum improbatores atque damnatores. Hunc autem in modum scribit eo loci Augustinus:Quid sibi vult quod Abraham post mortem Saræ, Ceturam duxit vxorem? Vbi absit vt incontinentiam suspicemur,præsertim in illa iam ætate,& in illa fidei sanctitate.An adhuc procreandi filij quærebātur, cum iam, Deo promittente,tanta multiplicatio filiorum ex Isaac,per stellas cæli, & arenam terræ,fide probatissima teneretur? Sed profecto, sicut Agar & Ismahel, doctore Apostolo, significauerunt Carnales veteris Testamenti:cur non etiam Cetura & filij eius, significent Carnales, qui se ad Testamentum Nouum existimant pertinere?Ambæ quippe,& vxores Abrahæ,& concubinæ sunt appellatæ.Sara vero nunquam dicta est concubina,sed vxor tantum. Habent ergo nonnulla munera filij concubinarum,sed non perueniunt ad regnum promissum, nec Hæretici, nec Iudæi carnales: quia præter Isaac nullus est hæres: & non qui filij carnis hi, filij Dei: sed filij promissionis deputantur in semine, de quo dictum est, *In Isaac vocabitur tibi semen.* Neque enim video,cur etiam Cetura,post vxoris mortem ducta,nisi propter hoc mysterium,dicta sit concubina.Quid vero si & hoc in isto facto prouisum est contra Hæreticos,futuros secundarum aduersarios nuptiarum:vt in ipso Patre multarum gentium,post obitum coniugis iterum coniugati, demonstraretur non esse peccatum?Hæc Augustinus.

Ad Rom.9. Genes.21.

3 Origenes porro cum Augustino consentit,etiam ipse putans coniugium illud Abrahæ cum Cetura, instinctu Dei factum esse, ad præfigurandum mysterium quoddam: verum super eo mysterio diuerse ab Augustino sentit,& disputat.Censet enim,tali coniugio præfiguratum esse spirituale coniugium mentis humanæ cum sapientia,quod non fit nisi inueterata iam ætate. Etenim non nisi senum coniux fit sapientia: *In Antiquis enim,*vt ait Scriptura,*sapientia est,& in senibus prudentia.* Iuxta hoc est & illud memorabile Aristotelis dictum, Mentem nonnisi senibus contingere affirmantis:haud dubie,mentis vocabulo,probas & condignas ac perfectas mentis functiones & officia significantis. Ponam hoc loco verba Origenis: nam etsi oratio eius super ea re longiuscula est; sed ea tamen multæ eruditionis amœnitate ita est delectabilis, pulchrisque sententiis & moralibus documentis scite instructa & ornata, vt eam Lectori frugiferam, non solum iucundam fore sperem.

Iob.12. Aristoteles in 30. sect. Problematum, problem. 4.

Hæc autem sunt Origenis verba:Semper nobis Sanctus Paulus occasiones prębet intelligentię spiritualis,ostendens quod lex vetus fuerit spiritalis. Ipse igitur de Abraham & Sara disputans quodam loco, ait:*Non,*inquit,*infirmatus fide,consideranit suum corpus emortuum,cum fere centum esset annorum,nec emortuam vuluam Sarę.* Hunc ergo, quem ille dixit emortui corporis centenario annorum numero fuisse, & Isaac magis virtute fidei, quam corporis fœcunditate genuisse, Scriptura nunc refert accepisse vxorem,Cetură nomine, & filios ex ea plurimos

Origenes hom.11.in Genesim. *Ad Rom.4.*

genuisse,cum fere centum triginta & septem videretur annorum.Nam Sara decem annis iunior eo fuisse scribitur:quæ centesimo vigesimo-septimo anno defuncta, indicat, Abraham super centum triginta septem annos fuisse,cum Ceturam accepit vxorem.Quid ergo?putamus in tanto Patriarcha,per id tempus,incitamenta carnis viguisse? & qui olim à naturalibus motibus emortuus dicitur,nunc à libidine rediuiuus putabitur? An (vt sæpe iam diximus) Patriarcharum coniugia mysticum aliquid indicant & Sacratum? Sicut & ille qui dicebat de Sapientia: *Hanc ego cogitaui vxorem adducere mihi.* Fortassis ergo iam tunc & Abraham simile aliquid cogitauit:& quamuis esset Sapiens,sciebat tamen quod Sapientiæ nullus est finis, nec discendi terminum senectus imponit:qui enim virtutem & Sapientiam habere in coniugio solet, quando potest ab huiusmodi cessare coniugio?Saræ namque dormitio & mors virtutis est intelligenda cõsummatio:qui vero consummatæ & perfectæ virtutis est, semper eum in aliqua eruditione versari necesse est, quam eruditionem, coniugem eius,sermo diuinus appellat. Iuxta hanc intelligentiam esse puto, quod in lege Mosis, cœlebs & sterilis maledicto subiacebat: *Maledictus*, inquit, *qui non reliquerit semen in Israel.* Quod si hæc de carnali semine dici putentur, omnes Ecclesiæ virgines sub maledicto positæ videbuntur. Et quid de Ecclesiæ virginibus dico?Ipse Ioannes,quo maior inter natos mulierum nemo fuit, & alij Sanctorum plurimi semen secundum carnem non reliquerunt, quippe qui nec matrimonia iniisse legantur.At certum est illos spirituale semen,& spiritales filios reliquisse, & habuisse vnumquemque pro coniuge sapientiam, sicut & Paulus per Euangelium filios generabat. Accepit ergo senex, emortui iam corporis, Abraham Ceturam vxorem.Ego puto secundum hanc,quam supra exposui, rationem, quod melius tunc vxor accipitur,quando emortuum corpus est, & mortificata sunt membra,quæ sunt super terram: capaciores enim Sapientiæ nostri sensus tunc sunt, cum mortificatio Christi circumfertur in corpore nostro mortali. Denique Cetura quam nunc senex Abraham accepit vxorem,thymiama interpretatur,quod est incensum, vel bonus odor:quemadmodum & ipse Paulus dicebat:*Christi bonus odor sumus.*Si quis igitur est,in quo odor peccati iam nullus est, sed odor iustitiæ, & suauitas misericordiæ:si quis sine intermissione orando,semper incensum offert Domino, cum Dauide dicens, *Dirigatur oratio mea sicut incensum*,hic Ceturam duxit vxorem.

Sapientia 8.

Deuter.25.
Matth.11.

Colos.3.

2.ad Cor.2.

Psal.140.

4 Sic ergo Sanctorum illorum senum nuptias interpretari dignũ puto: sic pulchrè inita Patriarcharum in vltima iam & defecta ætate coniugia:sic necessarias filiorum procreationes existimo intelligendas. Ad tales enim nuptias, talemque sobolẽ, non ita iuuenes vt senes apti sunt:siquidem quanto quisque secundum carnem infirmior est, tanto erit animi virtute robustior, & Sapientiæ amplexibus aptior. Tu igitur etiam potes, si vis, eiusmodi nuptiarum maritus existere. Exempli causa, si hospitalitatem libenter exerces, hanc te coniugem assumpsisse

assumpsisse puta: huic si addideris pauperum curam, alteram videberis sortitus vxorem. Quod si & Patientiam tibi adiungas, & Mansuetudinem,cæteraque virtutes, tot videberis accepisse vxores, quot gaudes virtutibus. Quod si etiam ex his doctrinis, quæ extrinsecus videntur esse in sæculo,attingamus aliqua;vt artem Grammaticam, disciplinam Geometricam,& Arithmeticam,aut etiam Dialecticam: & hæc omnia extrinsecus acquisita,ad nostra instituta traducimus, atque in assertionem nostræ legis conferimus; tũc videbimur etiam alienigenas mulieres in matrimonium sumpsisse,vel etiam concubinas.Ac si de huiuscemodi coniugiis,disputando, contradicentes redarguendo, conuertere aliquos poterimus ad Fidem, suisque eos rationibus & artibus superatos,veram CHRISTI Philosophiam & Pietatem suscipere & amplecti suaserimus: tunc videbimur ex Dialectica vel Rhetorica, quasi ex alienigena quadam,& tanquam concubina,filios genuisse.Ergo ad tales nuptias, & ad tales filios procreandos, nullus propter senectutem excluditur;immo potius hæc casta progenies,maturæ iam ætati plus conuenit.Sic Origenes.Videat Lector etiam quæ hanc in rem scripsit Epiphanius sub finem Panarij.

Auctoris sententia exponẽtis tres causas ob quas Abraham iam pene decrepitus vxorem duxerit Ceturam.

5 EGO, vt quod super ea re sentio paucis dicam, duplicem eius coniugij contrahendi causam fuisse reor: & vtramque non tam ex humana ratione & voluntate, quam ex diuino consilio & instinctu profectam. Atque vna quidẽ causa,est historica,& vt vocant,literalis:voluit nempe DEVS, quo magnifica illa sua promissio de numerosissima multarum gentium ex Abrahæ stirpe futura propagatione, cumulatius perficeretur, nouam eum in extrema etiam ætate vxorem ducere: & ad id cupiendum atque exequendum impulit eum, vel manifesto admonitu & iussu,vel tacito inspiratu atque incitatu.Enimuero dixerat ei DEVS, vt supra scriptum est Genes. 17. *Multiplicabo te vehementissime, nec vltra vocaberis Abram, sed Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te, faciamque te crescere vehementissime, & ponam te in gentibus, regesque egredientur ex te.* Hoc DEI promissum,partim per Ismahelem, partim per Isaac, sed mirandum in modum per filios Abrahæ, in vltima ætate ex Cetura susceptos expletum est. Etenim illi variarum gentiũ & regnorum fatores ac parentes fuerunt;vt paulo infra ostendemus,in ea, quæ hanc proxime subsequetur,disputatione.

6 Eodem adde,cum Abraham omnes facultates suas hæreditario iure iam tradidisset filio suo Isaac, vt Moses indicauit Genes. 24. voluisse eum,domum etiam,maximamque familiæ partem, bonorumque procurationem eidem relinquere: quin etiam iudicasse, post coniugium Rebeccæ,commodius vtrique fore,si distinctum ipse ac separatum habens domicilium,seorsim habitaret.Quamobrem ex suo esse vsu putauit,nouam ducere vxorem, quæ senectutis suæ præcipuam haberet rationem,curamque suæ domus & familiæ,rerumque suarum,studiose & diligenter ageret. Quo factum est, quemadmodum solerter annotauit Caietanus, quia iam à contubernio Isaac separatus fuerat Abraham,vt

Caietanus hoc loco.

seruus ille rediens ex Mesopotamia,secumque ducens Rebeccam, solum conuenisse Isaac, eique omnia, quæ sua in legatione acciderant, narrasse dicatur: nulla de Abrahamo facta mentione. Eodem quoque spectat, quod Isaac dicitur introduxisse Rebeccam in tabernaculum Saræ matris suæ: nimirum ea re significatur, Abraham antiquum tabernaculum suum dedisse Isaac in proprium eius habitaculum; & tabernaculum Saræ vxoris suæ iam demortuæ, Rebeccæ coniugis eius habitationi & vsui assignasse.

7 Alteram ineundi eius coniugij causam, equidem fuisse arbitror mysticam & allegoricam, atque hanc ego præcipuam esse censeo, & quam SPIRITVS Sanctus nos in eo coniugio potissimum scrutari & considerare, & historicæ illi causæ, ac literali anteferre voluit. Etenim quēadmodum coniugij Abrahæ cum Agar ancilla, & tam eius, quam Ismahelis ex Abrahæ domo eiectionis, primaria causa fuit ratio illa allegorica, quam exposuit B. Paulus: itidem profecto de nouissimo hoc Abrahæ coniugio cum Cetura existimare conuenit. Nam & Propheta Osea, iubente DEO, fornicariam accepit vxorem, ad præsignandum, quod plebs Israëlitica, quam DEVS sibi desponderat, fornicans fornicaretur, vt inquit Scriptura, hoc est, Idololatrię vehementer dedita, purum sanctumque veri DEI cultum, pietatem, & fidem, prorsus abiecisset: Prophetæ namque non verbis solum, verum etiam factis prophetabant. Ad eundem igitur modum Abraham, qui testante Domino, Genes. 20. Propheta erat, affecta iam ætate, vxorem duxit, ex qua filios à se genitos remouit à consortio Isaac, & ab hæreditate excluſit. Nempe voluit SPIRITVS Sanctus ea re præfigurari, ex CHRSITO generatū iri per baptismale regenerationis lauacrum, complures filios; qui tamen ab electorum æterna societate segregandi, nec ad cælestis participationem hæreditatis erant admittendi.

Ad Gal. 4. Oseæ 1.

8 Illud præterea in eo, quod dixi, istius coniugij mysterio Lectorem cum obseruatione & admiratione secum reputare velim: Hebræum populum, nullos vnquam vel pertinaciores, vel infensiores, vel acerbiores, atque capitaliores insectatores atque hostes passum esse, quàm eas gentes, quæ secum erant sanguinis propinquitate, & cognationis necessitudine coniunctæ. Tales nempe fuerunt Ammonitæ, & Moabitæ, orti ex Loth, qui Abrahæ nepos ex fratre fuit. Tales item fuisse constat Idumæos, & Amaleciras, ex Esau fratre Iacob, à quo proseminatus est populus Hebræus, progenitos. Tales itidē fuisse legimus Ismahelitas, atque Madianitas, ex duobus Abrahæ filiis propagatos. Idem sanè vsu venit populo Christiano: cui scilicet omnium gentium inimicissimi, & infestissimi, atque ingentium auctores calamitatum, fuere Iudæi, & Hæretici. Quorū tamen illi, eiusdem DEI cognitionem & cultum præse ferunt; eiusdemque sacræ doctrinæ ac Scripturæ studio & professione gloriantur. Hi verò, idem CHRISTI, ac fidei eius nomen iactant; & germanos se Christianæ disciplinæ alumnos & discipulos, non minus impudenter quàm insipienter, nec minus procaciter quàm mendaciter,

Quinā fuerint olim atrociores Iudæorum insectatores atque hostes, & nunc sint Christianorum. Genes. 19.

venditant. Illam porro Ceturam, tertiam fuisse vxorem Abrahæ, diuersam à Sara & Agar, attente legenti hanc Mosis historiam, perspicuum fit, eaque Patrum est sententia. Verum, quia Hebræorum contraria est opinio, quam nonnulli etiam de nostris Theologis secuti sunt, idque ipsum putarunt quidam sensisse B. Hieronymum, idcirco proxime sequente disputatione, quo exploratior & liquidior sit communis sententiæ veritas, id tractandum suscepimus.

SECVNDA DISPVTATIO.

An Cetura fuerit Agar, an alia quæpiam mulier.

Super illis verbis:

Abraham verò aliam duxit vxorem nomine Ceturam. VERSV 1.

9 HEBRÆORVM opinio est, hanc Ceturam non aliam fuisse mulierem, nisi Agar, quam ante quinquaginta annos vxorem duxerat Abraham, vt supra scriptum est Genes. 16. Nam cum Agar legitima esset vxor Abrahe, atque eam ipse in gratiam Saræ à contubernio & societate sua remouisset: mortua iam Sara, rectum Abrahæ visum est, reuocare eam, & in maritalem torum & societatem reponere. Ex quo apparet, Abraham nouum coniugium non iniisse, sed prioris coniugij vsum, quantum ad contubernium & torum, esse ab eo repetitum. Hanc Hebræorum opinionem B. Hieronymus commemorans, nec probat, nec improbat, tanquam inter assensum eius ad dissensum ambiguus, & ideo vt incertam in medium relinquens. Sic enim scribit: Cetura hebræo sermone, copulata interpretatur aut coniuncta; quam ob causam suspicantur Hebræi, mutato nomine, eandem esse Agar: quæ Sara mortua de concubina transierit in vxorem. Et ita sane videtur decrepiti iam Abrahæ excusari ætas: ne senex post mortem vxoris suæ vetulæ, nouis arguatur nuptiis lasciuisse. Verum nos, quod incertum est, relinquamus. Sic Hieronymus.

S. Hierony. in Traditionibus Hebrai. in Genesim super cap. 25.

10 Nec Lyranus profecto ab ista Hebræorum opinione videtur abhorruisse: quamuis non neget ei communem Catholicorum Expositorum sententiam esse cōtrariam. Dicunt Hebręi (ait Lyranus) istam Ceturam fuisse Agar: in hebræo enim Cetura sonat Thurificatam, cuius nominis hanc tradunt rationem, quod illa postquam eiecta est de domo Abrahæ, ita se perpetuo mundam custodiuerit, quasi oblata & consecrata DEO esset: quapropter mortua Sara, misit Abraham filium Isaac, ad reducendum eam sibi. Verum contra hoc esse videtur, quod paulo infra dicitur, Abraham filiis concubinarum suarum largitum esse munera: habuit igitur ille, præter Agar, alias concubinas. Sed ad hoc respon-

Lyranus in cap. 25. Genesis.

deri

Universidad de Deusto
Biblioteca

deri potest,positum esse ibi plurale pro singulari;sicut contra singulare pro plurali,non raro ponitur in Sacris literis,vt supra dictum est super caput 19.Quanquam & alia ratio esse posset cur de vna Agar pluraliter dictum sit nomen concubinarum ; quod ea bis fuerit , longo temporis interuallo,Abrahæ coniuncta,& quasi vicem duarum tenuerit.Vnde in Bibliis hebraicis correctis , nomen concubinarum hoc loco scribitur diminute;ad denotandum scilicet,non fuisse reuera,nisi vnam. Expositores autem catholici communius dicunt , istam Ceturam fuisse aliam quàm Agar , & iuniorem illa. Quamobrem ex sene potuit ea generare filios.Neque eam duxit Abraham libidine commotus, sed amore prolis,& in figuram futurorum.Quemadmodum enim Agar & Ismahel figurauerũt carnales veteris Testamenti:ita Cetura & filij eius significauerunt Hæreticos , qui se dicunt ad Nouum Testamentum pertinere: sed Ecclesia,quæ per Saram designatur,vna remanet,tanquam vxor & sponsa;aliæ vero nominantur concubinæ.Hæc Lyranus.

Thomas Anglus in cap.25.Geneſis.

11 At enim Thomas Anglus,non operte nec dubitanter, sed aperte atque asseueranter,quod proditum est ab Hebræis,& sensit, & scriptum reliquit.Nam cum Hebræorum opinionem ita memorasset , vti referri eam à B.Hieronymo paulo supra diximus,subdit:Ceturam fuisse Agar, confirmat Sanctus Hieronymus in Commentario suo super primo libro Paralipomenon ita dicens : Cetura ipsa est Agar , quod in Psalmo manifestatur,cum dicitur:*Tabernacula Idumæorum,& Ismahelitarũ,Moab & Agareni.* Ismahelitas vocans filios Ismahel , qui vtique Agar filius fuit;& Agarenos,Madianitas,& cęteras tribus,quas de Cetura procreatas Sacra Scriptura cõmemorat. Idem Hieronymus super caput quintum eiusdem libri : Notandum , inquit,quod ea ipsa sit Cetura,quæ & Agar.Nam cum dicat Rubenitas & Gadditas & dimidiam tribum Manasse,pugnasse cum Agarenis:sequitur,præbuisse eis auxilium Ituræos, Naphæos,& Nodab,qui vtique filij Ismaël fuerunt. Idem porro,qui in libro Paralipomenon dicitur Nodab, in Genesi Cedma vocatur. Hæc Hieronymus. Cui etiam ratio valde consonat. Cum enim Agar adhuc viueret , & legitima esset Abrahæ vxor , conueniens fuit & condecens tam veritati coniugij , quam mariti erga eam pietati , vt post mortem Sarę reduceretur in domum Abrahę.Siquidem præcedens eiectio eius & Ismahelis,& tam longa eorum à contubernio separatio , satis superque fuerat ad vitandũ diffidiũ inter Agar & Saram, & ad declarandum primatũ hęreditariũ Isaac super Ismahelem, & ad correctionem prioris superbiæ Agar,ac denuo ad pręsignanda mysteria futurorum. Facit pro hac opinione,quod infra dicitur , Ismahelem simul cum Isaac sepelisse Abraham:quo significari videtur , fuisse Ismahelem in contuberniũ ac societatem paternam & fraternã restitutũ. Si autem quæratur,cur Scriptura non eam priori nomine vocarit Agar,sed alio nomine Ceturã,responderi potest,id esse factum,ne prius illud mysterium eiectionis eius, per hoc obscuraretur:& vt ex mutatione nominis significaretur,magnã quoque morum eius mutationem in melius esse factam. Sic Thomas.

Psal.82.

SED

12 Sed istam Hebræorum opinionem merito reiiciunt , & valide confutant Caietanus & Thostatus:ille quidem,vt solet,succincte ac presse; hic autem latius & distinctius. Multipliciter insinuatur in hoc capite, ait Caietanus , quod hæc mulier nomine Cetura , non fuerit Agar , vt multi Hebræorum crediderunt. Nam & modus loquendi (sic enim est Hebraice:*Et addidit Abraham,& accepit mulierem,& nomen eius Cetura*) nouitatem nuptiarum insinuat. Et quod magis vrget , explicatur non cognomen,sed nomen mulieris Cetura.Et hoc eodem capitulo nominatur Agar suo nomine. Et quod amplius est,clare subiungitur, Abraham habuisse non vnam tantum,sed multas concubinas. Hæc Caietanus. Quatuor igitur rationes his verbis perstrinxit Caietanus:primam ex illa locutione hebraica , *Et addidit* ; qua significatur nouum coniugium. Et quamuis hoc non legatur in editione vulgata , attamen in ea aliquid ponitur simile aut etiam maiorem vim habens ; dicitur enim Abraham aliam duxisse vxorem , nomine Ceturam. Illud, aliam, demonstrat fuisse eam nouam vxorem, & diuersam à prioribus. Secunda ratio Caietani est, vocabulum Ceturæ nõ esse cognomẽ eius mulieris, sed nomẽ proprium,sicut etiam Agar. Cum igitur Cetura & Agar sint diuersa nomina propria, patet diuersas esse fœminas , quarum illa sunt propria nomina.Tertia ratio:in hoc ipso capite paulo infra induci Agar sub nomine proprio,& vocari Agar Ægyptiam & ancillam Saræ,quod de Cetura non dicitur. Quarta ratio : hoc ipso in loco Moses narrat, Abraham largitum esse munera filiis concubinarum suarum : habuit igitur Abraham non vnam tantum concubinã,nempe Agar,sed plures. Non enim vocabulo concubinæ comprehendi potest Sara; cum enim fuerit principalis vxor Abrahæ,& materfamilias,& filius eius omnium facultatum Abrahæ legitimus & solus fuerit hæres;nomen concubinæ nullo modo in eam competit. Nam quod respondent Hebræi,eorumque sectatores,hic esse positum plurale pro singulari; aut eandem mulierem Agar, esse pluraliter vocatam concubinas,quod bis fuerit ei copulata, primum , cum ei nupsit, deinde cum post multorum annorum diuortium,iterum in societatem & torum eius est reuocata:vtrumque sane caret probabilitate. Non enim dicendum est,in Scriptura,præsertim vero in narrationibus historicis, numeros, pluralẽ vel singularem, non propriè sumi, sed per abusum poni vnum pro alio ; nisi id aut probetur ex alio Scripturæ loco , aut dicere cogat euidens ratio , quorum hoc loco neutrum est.Nec sane illam distinctionem duarum concubinarum,non quantum ad rem,sed quantum ad diuersum coniunctionis modum,approbare debemus. Tales enim distinctiones formales & rationis,vsitatas in scholasticis disputationibus, vsurpare non solet diuina Scriptura in historicis narrationibus:quippe quæ populares sunt,& ad cõmunem & vulgarem loquendi modum vsumque accommodatæ.

Caietanus hoc loco. Cetura non fuisse Agar.

13 Thostatus , & istas ipsas Caietani rationes ad idem probandum adhibet,& præter istas,quandam, meo iudicio, firmissimam. Nimirum, cum Abraham , vsque eo in senectute processisset , vt non minor tunc

Thostatus in capit. 25. Geneſis.

esset centesimo & quadragesimo anno, non duxisset in ea ætate vxorem, nisi adolescentulam, ex qua videlicet filios generare posset. Vir enim senex non potest generare ex fœmina sene, sed ex puella: atque ob eam causam Abraham centenarius ex Sara nonagenaria, non potuit naturaliter generare filium Isaac. Multo igitur minus, cum esset Abraham centum quadraginta annorum, potuisset ex Agar generare tot filios, quot dicitur hoc loco generasse ex Cetura; erat enim id temporis Agar annorum circiter octoginta. Quod autem fuerit tunc Abraham centum quadraginta annorum, paulo superius ostendimus, ex eo, quod coniugium Abrahæ cum Cetura factum est post coniugium Isaac cum Rebecca; Isaac porrò (quem Abraham centenarius genuerat) quadragenarium, fuisse cum duxit Rebeccam, in hoc ipso capite paulo infra traditur. Quod autem Agar fuerit eo tempore, annorum circiter octoginta, hoc modo probatur: Ab eo tempore, quo Abrahã vxorem duxit Agar, vsque ad hoc tempus coniugij eius cum Cetura, trãsierunt quinquaginta quinque anni; siquidem tunc Abraham fuisse dicitur octoginta quinque annorum, Genesis 16. nunc autem erat, vt diximus, centum quadragtinta annorum. Agar verò cum nupsit Abrahæ, maior erat vigesimo anno: cum enim tunc duplo ferme longior esse vita hominum, quam nunc est; longiora itidem spatia erant & intervalla singularum ætatum: quamobrem fœminæ multo quàm nunc grandiores natu dabantur nuptum. Ex his efficitur, Abraham in ætate centum quadraginta annorum, tot filios ex Agar iam octogenaria, nequaquam generare potuisse.

Cur Abrahã duxerit vxorẽ Chananæam.

14 Restat dubitatiuncula quædam, velut obiter discutienda. Cum Abraham vsqueadeo abhorreret à coniugiis mulierum Chananęarum, vt filium suum Isaac, vxorem accipere ex ea gente, nullo modo voluerit, sed in Mesopotamiam vsque miserit, qui mulierem inde generis & stirpis suę, ducerent in coniugium Isaac: cur ipse sibi talia coniugia non similiter est auersatus; sed Ceturam, quę mulier fuisse Chananæa à plerisque creditur, vxorem acceperit? Huius rei satis idoneam & probabilem rationem affert Thostatus dicens, id factum esse propter electionem populi Dei, vt totus descenderet de stirpe Abrahæ, nec misceretur cum gentibus Idololatris. Quoniam verò totus Dei populus propagandus erat per Isaac, si is vxorem duxisset ex gente Chananæa; populus vtique Dei, idololatris Chananæis, naturali cognatione, arctaque necessitudine deuinctus & permixtus fuisset. At verò Abraham, ducendo vxorem Ceturam, non intendebat augere populum Dei; sciebat enim promissiones & benedictiones Dei, ad semen suum pertinentes, in solo Isaac & posteris eius complendas esse: sicut ei dictum est Genesis 17. & 21. Cum igitur alij omnes filij Abrahæ, præter vnum Isaac, ex populum Dei & electum illud semen Abrahæ censerentur; nihil planè referebat, an vxorem acciperet Abraham ex Chananæis, an ex qualibet alia gente.

Thostatus hoc eodem loco.

TER

TERTIA DISPVTATIO.

De filijs Abrahæ ex Cetura natis:

Super illis verbis:

Quæ peperit ei Zamram & Iecsan, & Madan, & Madian, & Iesboc, & Sue. VERSV 2.

15 IN huius tractatu disputationis, illa primum obuia nobis fit quęstio: Quomodo Abraham in centesimo & quadragesimo ætatis anno, filios generare potuerit: cum Beatus Paulus, ingentis miraculi loco prædicet, quod Abraham iam centenarius, & quasi emortuum iam corpus habens generauerit filium Isaac. Verum facile hoc, & quidem dupliciter, soluitur. Etenim Abraham, cum centenarius esset, & impotens generandi, diuinitus accepit vim & facultatem gignendi filios; non in ea solum ætate, neque ex Sara tantum; sed postea etiam, & ex alia qualibet muliere. Virtus igitur illa generandi, tunc ei supernaturali Dei dono tributa, mansit in eo viuida & efficax vsque ad ætatem prope decrepitam, in qua scilicet duxit Ceturam. Sed enim illud magis dictu credibile fuerit, Abraham in illa ætate centenaria, non potuisse generare filios ex Sara iam vetula, nempe nonagenaria, insuperque sterili, & materia cruoris menstrui destituta: eundem tamen Abraham ex alia fœmina, adolescentula, & præter virorem vigoremque ætatis, naturaliter fœcunda, solitisque mulierum profluuiis abundante, prolem suscipere naturaliter potuisse. Quapropter etiam postea, vel in centesimo quadragesimo ætatis anno generare filios potuit ex Cetura, fœmina scilicet (vt existimare consentaneum est) tum ætate, tum corporis temperamento, tum aliis generandi opportunitatibus, ad concipiendam, edendamque prolem habilissima. Ac beatus quidem Augustinus vtramque supra positam solutionem tradit; sed antefert posteriorẽ, vt videre est apud eum lib. 16. de Ciuitate Dei, capite 28. Et in libro Quæstionum in Genesim, quæstione 35. Verum cum à nobis super ea re, supra copiosè disputatum sit, cum explanaremus caput 18. Genesis, & primam ac secundam, super illud caput disputationem tractaremus, superuacaneum foret hoc loco plura disserere.

Rom. 4.

S. August.

16 Alteram quæstionem trahit hęc disputatio, ex commemoratione filiorum, quos ex Cetura genuisse Abraham, narrat hoc loco Moses. Numerat autem sex filios, quorum nomina in titulo huius disputationis posuimus. Ex horum vno filiorum, cui nomen Iecsan, duo recen-

sentur nepotes Abrahæ, Saba, & Dadan. Ex Dadan porrò, tres filij eius, & pronepotes Abrahę memorantur, Assurim & Latussim & Laomim. Ex alio verò Abrahæ filio, qui nominatus est Madian, quinque orti sunt filij, & nepotes Ahrahę, Epha, & Epher, & Henoch, & Abida, & Heldas. Quæritur igitur, quasnam, isti filij, nepotes, & pronepotes Abrahæ ex Cetura, terras insederint & coluerint; quarum item gentium satores, quorumque regnorum conditores fuerint.

Iosephus. Iosephus primo libro Antiquitatum, super istare, ex monumentis veterum, ac celebrium auctorum disputans, hæc tradit: Omnibus suis filiis, ac nepotibus ex Cetura susceptis, Abraham deducendi colonias fuit auctor: occupaueruntque illi Troglodyticam regionem, & Arabiæ Felicis quicquid ad Mare rubrum pertinet. Fertur etiam, quod Ophres, ex filio Madian nepos Abrahæ, cum exercitu profectus, occupauit Libyam, quam postea nepotes eius tenuerunt, Aphricam ab ipso denominatam. Attestatur huic opinioni & Alexander Polyhistor ita scribens: Cleodemus (inquit) prophera, cognomine Malchus, qui ad imitationem Mosis legislatoris, Iudæorum historiam cõtexuit, narrat Abrahamum ex Cetura aliquot filios suscepisse, tres nominatim recensens, Aphram, Surim, & Iaphram: & à Suri appellatam esse Assyriam; ab Aphra verò & Iaphra, vrbem Aphem & regionem Aphricam nominatas: & hos ductu Herculis in Libya militasse cõtra Antæum. Addit præterea, Herculem ex Aphræ filia genuisse filium Dedorum, & ex hoc natum esse Sophonem, à quo Sophuces barbari habent nomen. Sic Iosephus. Similia tradit Sanctus Hieronymus, haud dubie mutuatus ex Iosepho. Sed insuper adiicit hæc: Filij Dadam nominantur Asurim, Latusim, & Laomim: & Asurim quidem in negociatores transferri putant; Latusim, æris ferrique metalla cudentes; Laomim vero interpretantur, principes multarum tribuum ac populorum. Alij, ab hoc Asurim vocatos Syros esse contendunt; & à plerisque filiis Abrahæ ex Cetura, occupatas Indiæ regiones. Sic Hieronymus.

Alexander Polyhistor.

Hierony. in Tradit. Hebrai. in Genesim, super cap. 25.

17 Verumenimuero, in iis quæ retulimus ex Iosepho, quædam videntur, nonnulla animaduersione & castigatione indigere. Huiusmodi est illud, Nepotes Abrahæ ex duobus eius filiis, Iecsan, & Madian, militasse sub Hercule contra Antæum: id enim perinsignem atque perabsurdum in Chronologia errorem continet. Hercules namque è viuis excessit (vt inter omnes conuenit) minus triginta annis ante bellum Troianum; quod bellum in principatu Samsonis, aut non procul ab eo tempore contigit, vt alibi ostendimus: quare isti nepotes Abrahæ plus sexcentos annos Herculem antecesserunt. Hoc ego firmare possum auctoritate Eusebij, qui in Præfatione suorum Chronicorum, ad hunc modum scribit: Inachi temporibus, qui primus Argis regnauit, Patriarcha Hebræorum vixit Iacob, qui & Israel dictus est; à quo duodecim Iudæorum tribus, Israelitis vocabulum sortitę sunt. Semiramim autem & Abraham contemporaneos fuisse manifestum est. Nam Moses, licet iunior supradictis sit omnibus, tamen ils, quos Græci antiquissimos putant,

Animaduersio in Iosephi sententiam.

Eusebius. Nepotes Abrahę ex Cetura, multis antecessisse seculis Herculis æra.

tant, senior deprehenditur; Homero scilicet, & Hesiodo, Troianoque bello: ac multo etiam superior Hercule, Musæo, Lino, Chirone, Orpheo, Castore, Polluce, Æsculapio, Libero, Mercurio, Apolline, ceteris que Diis Gentium; quin etiam ipsius quoque Iouis gestis, quem Græcia in arce diuinitatis collocauit. Hos namque omnes etiam post Cecropem, primum Atticæ regem, fuisse conuincimus; Cecropem vero præsens historia, Mosi coæraneum ostendit, & antecedere Troianum bellum, annis trecentis quinquaginta. Sic Eusebius.

De origine appellationis Africæ.

18 Præterea, Iosephus dicit, istos filios vel nepotes Abrahæ occupasse regionem Troglodyticam, & quicquid Arabiæ Felicis porrigitur vsque ad Mare rubrum. Sed non videtur id congruere cum eo, quod de istis memorat hoc loco Moses; scribens eos habitasse ad plagam orientalem, respectu videlicet eius loci, quem incolebat Abraham, siue is esset Hebron, siue Bersabe. Scriptura enim regiones orientales appellat respectu Palæstinæ, quæ spectant magis ad Chaldæam & Persidem. Hoc autem nullo modo conuenit in Troglodyticam regionem, quæ iacet in Aphrica, Æthiopibus proxima, & à supradicta descriptione plagæ orietalis remotissima. Illud item haud scio an pro certo credi possit: ait Iosephus, vnum filiorum Madian, dictum Epher, vel vt ipse nominat Opher, siue Apher, petiisse cum exercitu Libyam, ibique postea consedisse, & mutato nomine, Libyam ab eo dictam esse Aphricam: cum ex ipsa Scriptura manifestum sit, Madian cum suis liberis, Æthiopiæ orientalis, vel vt alij interpretantur, Arabię, partem tenuisse, proximam terræ Promissionis. Profani certe auctores diuersa Iosepho, de origine appellationis Libyę & Aphricæ, prodiderunt. Quidam, inquit Solinus, Libyam à Libya Epaphi filia, Aphricam verò ab Afro Libys Herculis filio, potius dictam receperunt. Nec absimile est quod ex istorum sententia scripsit Isidorus: Libya, ait, dicta est, quod inde Libs spiret, id est, Aphricus. Alij tradunt, Epaphum Iouis filium, qui Memphim in Ægypto condidit, ex Cassiopa vxore procreasse filiam Libyam, quæ postea in Aphrica regnum possedit, cuius ex nomine terra illa deinde Libya est appellata.

Solinus capite 27. Isidorus Etymologiarũ lib. 4. c. 5.

19 Cæterum de quatuor Abrahæ, partim filiis, partim nepotibus, ex Cetura vxore, quorum non semel in Scriptura fit mentio, nonnihil hoc loco nominatim dicẽdum est. Isti autem sunt, Madian filius Abrahæ; atque huius filius Epha; & item duo filij Iecsan, iidemque nepotes Abrahæ, Dadan siue Dedan, & Saba. De Madian ita scribit Hieronymus: Madian, vrbs ab vno filiorum Abrahæ ex Cetura, sic vocata. Est autem trans Arabiam ad Meridiem, in deserto Saracenorum contra Orientem maris Rubri; vnde vocantur Madianæi, & Madianæa regio. Legimus & filias Hobab, soceri Mosis, dici filias Madian: sed hæc, alia ciuitas est, eiusdem tamen atque illa nominis, iuxta Arnonem & Areopolim, cuius nunc ruinæ tantummodo demonstrantur. Sic Hieronymus. Facit igitur Sãctus Hieronymus diuersas regiones & gentes, Madianitarum, qui ex filio Abrahæ orti sunt, atque eorum Madianitarum,

S. Hieronymus de locis Hebraic. *Exodi* 2.

De Gente Madianitarum.

ex quibus vxorem duxit Moſes. Verum & Origenes homilia 11. in Geneſim, & Thoſtatus, & permulti alij, eandem gentem & regionem fuiſſe cenſent. Iſti Madianitæ adiutum venerunt Moabitas, pugnare volentes aduerſus Hebræos. Iſti, authores fuere regi Moab, vt accerſeret Balaam ariolum ad maledicendum Hebræis. Iſti, fœminas ſuas expoſuerunt libidini Hebræorum, vt ea ratione illicerent eos, non ſolum ad corporalem, verum etiam ſpiritualem fornicationem; id autem eſt, vt abducentes eos à cultu ſui Dei, ad cultum idoli eorum Beelphegor, indignationi eos ac vindictæ Dei obnoxios facerent: atque ita euenit. Denique in iſtos iuſſu Dei, cum pugnaſſent Hebræi, innumerabilem eorum ſtragem, cæſis quinque ipſorum regibus, ediderunt. Hæc autem omnia literis prodita ſunt à Moſe in libro Numerorum, cap. 22. 25. 31.

Thoſtatus hoc loco.

Madianitæ interdū nomine Iſmahelitarū appellantur.

Madianitæ porro, tanquam eadem gens atque Iſmaelitarum, Amalecitarum, & Chuſæorum, promiſcue & indifferenter, eorum nominibus ſæpe memorantur in Scriptura. Nam Iſmaelitas & Madianitas pro eadem gente ſumi, manifeſtum fit ex capite 37. Geneſis. Illic enim ſcriptum eſt, Ioſeph eſſe venditum Iſmahelitis: & paulo infra eum locum ſubditur, Madianitas vendidiſſe Ioſeph in Ægypto Phutiphari: & in cap. 39. dicitur Phutiphar emiſſe Ioſeph de manu Iſmahelitarum, à quibus perductus fuerat Ægyptum. In libro autem Iudicum cap. 6. & 8. Iſmahelitæ nominantur pro Madianitis, & Amalecitis. Nam cum capite 6. dictum eſſet, Madianitas & Amalecitas veniſſe cum innumerabili exercitu in terram Iudæorum; iſti ipſi deinde capite 8. cum memoratur præda, quam Hebræi duce Gedeone profligatis iſtis gentibus reportarunt, nomine Iſmahelitarum appellantur. Sic enim victores Hebræos, dux eorum Gedeon allocutus eſt: *Vnam petitionem poſtulo à vobis, Date mihi inaures ex præda veſtra: inaures enim aureas Iſmahelitæ habere conſueuerant.* 20

Madianitæ nomine Aethiopū nōnunquā vocantur. Homerus.

Author in 1. tomo Cōmentariorū in Geneſim, lib. 15. nu. 19. Locus num. capite 12. S. Auguſt. in lib. Quæſt. ſuper Numeros quæſtio. 19.

Hebræas porrò voces Chus, & Chuſiim, ſatis frequentes in ſacris literis, fere interpretantur LXX. interpretes, & Auctor noſtræ tranſlationis Latinæ, Æthiopiam & Æthiopes: verum cum, auctore Homero (quem ſecuti ſunt Herodotus, Strabo, & Plinius) duplex antiquitus habita ſit Æthiopia, vna Orientalis, confinis Ægypto; altera Occidentalis, longe remota, & Zonæ Torridæ ſubiecta: de illa, non autem de hac, Scriptura loquitur. Et illa quidem poſterioribus ſęculis vocata eſt Arabia, latiſſime eo vocabulo ſumpto; qua de re copioſe alio loco diſputatum eſt à nobis. Madianitas itaque quaſi eandem gentem atque Chuſæorum, id eſt, Æthiopum, commemorari in Sacris literis, exemplo Sephoræ vxoris Moſis, perſpicuum eſt: eam namque fuiſſe Madianitam, conſtat ex capite ſecundo Exodi: quæ tamen eadem in libro Numerorum cap. 12. appellatur Æthiopiſſa. Quam rem conſiderate penſitans B. Auguſtinus, De vxore, inquit, Moyſi Æthiopiſſa, quæri ſolet, vtrum ipſa erat filia Iethro, an alteram duxerit. Sed ipſam eandem fuiſſe, credibile eſt: de Madianitis quippe erat, qui reperiuntur in libro 2. Paralipomenon 21

pomenon cap. 14. Æthiopes dici, quando contra eos pugnauit Ioſaphat. Nam in iis locis dicitur eos perſecutus populus Iſrael, vbi Madianitæ habitant, qui nunc Saraceni appellantur. ſed nunc eos, Æthiopes nemo ferè appellat: ſicut ſolent locorum, & gentium nomina, plerumque vetuſtate mutari. Sic Auguſtinus.

22 Huius Madian, filius hoc loco nominatur Epha, Iſaias capite 60. gentes Madian & Epha, vt ſanguine, ſic etiam regionibus ac ſedibus coniunctas fuiſſe, earumdemque copia rerum abundaſſe, ſignificat dicens: *Inundatio camelorum operiet te, Dromedarij Madian & Epha: omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. Omne pecus Cedar congregabitur tibi: arietes Nabaioth miniſtrabunt tibi.* Hęc verba pertractans B. Hieronymus, expreſſiorem nobis earum gentium cognitionem breuibus tradit. Madian, inquit, & Epha, regiones ſunt trans Arabiam, fertiles camelorum; omniſque prouincia appellatur Saba. Hinc fuit & Saba regina, quę venit ſapientiā audire Salomonis; cui deferens aurum & thus vt regi pacifico, maiora ab eo ſuſcepit munera. Cedar, regio Saracenorum eſt, qui in Scriptura vocantur Iſmahelitæ. Et Nabaioth, vnus memoratur filiorum Iſmahelis; ex quorum nominibus ſolitudo appellatur, quæ frugum inops, plena eſt pecorum. Per familiaria ergo nomina gentium barbararū, quæ vicinæ ſunt Iſraeli, totius mūdi cōuerſio prædicitur. Madian quippe in hoc loco interpretatur iniquitas: Epha, reſolutus ſiue effundens: Saba, conuerſio vel captiuitas; Cedar, tenebræ: Nabaioth, prophetię: Greges igitur camelorum, iniquitatis vinculo reſoluti, & animas ſuas effundentes Deo, operient Hieruſalem muneribus; & omnes de captiuitate venient, in conuerſione ſua, aurum fidei deferentes, & thus ſacrificij. Et per hæc munera, nequaquam propria ſalute contenti, proficient, vt etiam cæteris prædicent ſalutare Dei. Si quis autem contentioſus eſt, & carnaliter hæc terrenæ Hieruſalem promiſſa eſſe contendit: reſpondeamus ei illud Apoſtoli: *Nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei.* Addamus & illud, etiam ſi carnaliter iſta fuiſſent promiſſa Iudæis, ſub conditione tamen eis promiſſa eſſent; vt ſi ſuſcepiſſent lumen ſuum, quod ad eos miſſum fuerat, tunc etiam iſta ſequerentur: quod videlicet per deſiderium auri & opum abundantiam, rerumque carnalium (quarum ſemper iſta gens capta eſt illecebris) ſuſciperent ad ſe miſſum filium Dei. Quem quia ipſi non ſuſceperunt, vniuerſa ſublata ſunt, & ſuſcipientibus eum, ſpiritualiter reddita hæreditas eſt. Hæc B. Hieronymus.

Locus Iſaiæ cap. 60.

S. Hierony. lib. 17. Cōmentariorū in Iſaiam. *Matth.* 12. 3. *Reg.* 10.

1. *Cor.* 11.

23 In hiſce B. Hieronymi verbis attendere oportet, vtiliſſimum quoddam ad intelligendas atque interpretandas ſacras literas, tradi præceptum ac documentum: diuina promiſſa terrenorum bonorum Iudæis data, vel de regionis ipſorum æterna poſſeſſione, vel de perpetuitate ac fœlicitate regni ipſorum, vel ciuitatis Hieruſalem, vel templi, quæ promiſſa videmus effectu caruiſſe; ea, inquam, promiſſa non propriè, vt verba primore ſpecie ſignificant, ſed figurate, de ſpiritualibus nempe

Notabile documentū, perutile ad intelligēdam S. Scripturam.

nempe ac cæleſtibus bonis, quæ Chriſtianæ Eccleſiæ præſtanda erant, eſſe interpretanda. Aut ſi quis ea contendat, de terrenis bonis vt verba ipſa ſonant, intelligi oportere; eum profecto dicere neceſſe eſt, ne tales promiſſiones vanæ atque irritæ fuiſſe videantur, eas non abſolute datas fuiſſe, ſed conditionaliter; videlicet, ſi Iudæi in colendo Deum, eiuſque legi obtemperando perſeueraſſent, & Meſſiam à Deo miſſum, fideliter ac piè, vt par erat, accepiſſent.

De gẽte orta ex Dadã, ſiue Dedan.

Sequitur Dadan, ſiue Dedan, filius Ieeſan, & nepos Abrahæ. Alter 24
eiuſdem nominis, ſed multo antiquior, memoratur Geneſis decimo capite inter filios Regma filij Chus, nepotis ipſius Noe: itaque ille Dedan abnepos fuit Noe. Duo iſti Dedan diuerſas ex ſe gentes propagarunt: quo fit, vt apud Ezechielem capite 27. duo Dedan, id eſt, duæ gentes ex duobus iſtis hominibus progenitæ, commemorentur. Etenim primo ſic ait: *Filij Dedan negotiatores tui*, & paulo infra: *Dedan inſtitores tui, in tapetibus ad ſedendum.* Et illos quidem vetuſtiores Dedanæos, Sanctus Hieronymus incolas facit Occidentalis Æthiopiæ: quod tamen non admodum credibile eſt. Nimirum occidentalis Æthiopia, propemodum immenſis à mari mediterraneo ſpatiis diſtat, & ab vrbe Tyri remotiſſima eſt. Ezechiel verò, vt ex verbis ſupra poſitis perſpicuum eſt, Dedanæos facit negociatores & inſtitores Tyriorum; qui celeberrimum Tyriorum mercatum frequentarent, comportandis eo tapetibus ad ſedendum. Cui autem perſuaderi queat, Dedanæos ex Æthippia vſque occidentali, infinito penè terrarum tractu, terreſtrique itinere, atque incredibili labore, difficultateque, negotiandi & lucrandi cauſa, Tyrum frequenter petiiſſe? Illud igitur verius dictu, & creditu procliuius fuerit, Dedanæos fuiſſe populos Idumæis non ſolum vicinos, ſed etiam permixtos & confuſos: ſiquidem Hieremias & Ezechiel, cum de vaſtatione & excidio Idumęorum vaticinantur, vna cum Idumęis conſociant & coniungunt Dedanæos; quaſi ea calamitas vtrique genti communiter ac pariter euentura eſſet.

Locus Ezechielis c. 27.

S. Hieronym. in Traditio Hebraicis in Geneſim ſuper cap. 10.

Locus Hieremię, c. 49. Ezech. c. 25.

Reſtat vt de Saba, fratre ipſius Dadan, & filio Ieeſan, ac nepote Abra- 25
hę, dicamus. Tres hoc nomine Saba, memorantur in hoc ipſo libro Geneſis: quorum duo, ſupra, capite decimo, nominãtur: vnus, filius Chus, & pronepos Noe; alter filius Iectan, & nepos Heber: ille ex progenie Cham; hic ex ſtirpe Sem. Tertius, eodem hoc nomine Saba appellatus, eſt filius Ieeſan, & nepos Abrahæ, quem in hoc loco Moſes commemorat. Ex iſtis porrò tribus hominibus, quibus idem fuit nomen Saba; tres Sabæorum, diuerſi admodum populi, extiterunt. Apud ſcriptores certe profanos, tres Sabæorum gentes memorantur. Quoſdam enim illi faciunt Arabiæ Felicis incolas: de quibus ita Plinius: Sabæi, Arabum populi, propter thura clariſſimi, ad vtraque maria porrectis gentibus habitant. Vtraque maria vocat Plinius, Arabicum ſiue Rubrum; & item Perſicum. Apud Iſaiam vero Chus, & Miſraim, & Saba iunguntur, vt qui vicinas ſedes habuerint; id eſt, Ægyptij & Arabes, & Sabei. Iſaię verba hæc ſunt, *Labor Ægypti, & negociatio Æthiopiæ, & Saba,*

Quæ Gens ex Saba nepote Abrahę propagata ſit, & vbi terrarũ cõſederit.

Plinius lib. 6. cap. 28.

Locus Iſaię 45.

Saba, viri ſublimes, ad te tranſibunt, & tui erunt. Hebraice pro Ægypto eſt Miſraim, pro Æthiopia, Chus, & item Sabaim. Ioſephus & B. Hieronymus, iſtos Sabæos Felicis Arabiæ incolas, tradunt fuiſſe poſteros Abrahæ; filios nempe Ieeſan, quem ille genuit ex Cetura. Alteros autem Sabæos, externi Scriptores locant iuxta Perſas: Tertios vero Sabæos, regionum Indiæ habitores faciunt. Etenim Dionyſius, qui de ſitu Orbis, cum laude veritatis & diligentiæ ſcripſit, quoſdam Sabæos memorat, proximos Paſagardis, qui ad Perſidem pertinent: & in deſcriptione Indiæ, inter eius terræ populos etiam Sabæos numerat. Vtri autem iſtorum fuerint ex Saba filio Chus, & ex filio Iectan, non liquet: niſi quod non paucis placet, Sabæos Indicos traxiſſe originẽ ex Saba filio Iectan; vt pote cuius alios filios, regiones Indiæ coluiſſe, à multis creditum, & literis proditum ſit.

Ioſephus li. 1. Antiquitatum. S. Hieron. in Traditio. hebrai. in Geneſim ſuper cap. 25. Dionyſius.

26 In hac demum hiſtoria, quam ſcribit Moſes de Abrahæ filiis ex Cetura, quid nos aduertere & obſeruare oporteat, monet Origenes hiſce verbis: ſed ne hoc quidem latere nos debet, ex his quæ per hiſtoriam referuntur, quæ & quales ſint generationes, quæ ex ipſo Abraham & Cetura dicuntur propagatæ. Si enim horum meminerimus, facilius de diuerſis gentibus, quę in Scripturis memorantur, poterimus agnoſcere. Verbi cauſa, cum dicitur Moſes accepiſſe vxorem filiam Iethro Sacerdotis Madian, qui Madian inuenitur filius fuiſſe Ceturæ & Abrahæ, agnoſcimus quod vxor Moſis non fuit alienigena, ſed ex ſemine Abrahæ. Similiter & cum ſcribitur regina Cedar (fortaſſe legi debet, Saba) ſciendum nihilominus eſt, etiam iſtum Cedar (ſiue potius Saba) ex ipſo genere Abrahæ & Ceturæ deſcendiſſe. Sed & in generationibus Iſmahelis, ſimilia inuenies: quas ſi diligenter intuearis, plurimas in iis, quæ cæteros latent, hiſtorias deprehendes. Hæc Origenes.

Origenes homil. 11. in Geneſ.

Exod. 2.

Dedit Abraham cuncta quæ poſſederat, Iſaac: filiis autem concubinarum largitus eſt munera. Et ſeparauit eos ab Iſaac filio ſuo, dum adhuc ipſe viueret, ad plagam orientalem. VERSV 6.

27 PVTAT Caietanus per repetitionem ſiue recapitulationem, hic memorari quod Abraham dederit omnia quæ poſſederat, filio ſuo Iſaac; cum id non ſolum ante coniugium Abrahæ cum Cetura, verum etiam ante coniugium Iſaac cum Rebecca factum eſſe conſtet. Siquidem ſeruus Abrahæ, miſſus in Meſopotamiam narrauit parentibus & fratribus Rebeccæ, iam tunc Abraham donaſſe omnia quæ poſſidebat, filio ſuo Iſaac: hæc enim ſunt illius verba: *Et peperit Sara, vxor domini mei, filium domino meo, in ſenectute ſua: deditque illi omnia quæ habuerat.* Sed quæ aut

Caietanus in cap. 25. Geneſis.

Geneſ. 24.

Qualia & quanta fuerint bona & facultates Abrahæ. *Act. 7.*

qualia fuerunt bona, quæ possidebat Abraham, & quorum hæredem solum instituit Isaac: Ea nempe fuerunt, non bona, vt vocant, stabilia atque immobilia, vt sunt vrbes, oppida, prædia, ædes; nihil enim in terra Chanaan, eiusmodi bonorum possedit Abraham, vt testatur B. Stephanus; præter nonnullos puteos, quos ipse foderat, & nemus, quod in terra Bersabeæ plantauerat, vt scriptum est Genes. 21. & præter Hebronicum agrum cum duplici spelunca, & arboreto, quæ, appensa pecunia emerat ab Ephrone Genes. 23. Erant igitur Abrahæ bona, vt vocant, mobilia; plurimum scilicet auri & argenti, ampla & pretiosa suppellex, ingens gregum & armentorum copia, & numerosissimum famulitium seruorum & ancillarum. Huiusmodi bona commemorans apud parentes & cognatos Rebeccæ, seruus Abrahæ, Genes. 24. *Dominus*, inquit, *benedixit domino meo valde, magnificatusque est: & dedit ei oues & boues, argentum & aurum: seruos & ancillas, camelos & asinos.* Enimuero quam opulentus eo tempore fuerit Abraham, ex eo æstimare licet, quod annos ante obitū suum amplius nonaginta, cum ex Mesopotamia primum venit in terram Chanaan, dicitur fuisse auri & argenti ditissimus; atque in tantum abundasse gregibus & armentis ac seruitiis, vt coactus fuerit dissociari & discedere à contubernio Loth; quod eos terra illa capere non posset. Illud quoque ingentis eius opulentiæ ac potentiæ non dubium fuit argumentum; quod vel ipse rex eius regionis, in qua tunc versabatur Abraham, tantam eius metuens sibi suisque opulentiam ac potentiam, magnopere amicitiam eius expetierit atque ambierit, eamque inito fœdere atque interposito iureiurando, in perpetuum firmari curauerit. Namque Abimelech rex Philistinorum, hisce verbis super ea re egit cum Abraham: DEVS, inquit, *tecum est in vniuersis quæ agis. Iura ergo per* DEVM *ne noceas mihi, & posteris meis, stirpique meæ, sed iuxta misericordiam quam fecit tibi, facies mihi & terræ in qua versatus es aduena.*

Genes. 13.

Genes. 21.

Quæ bona dederit Abrahã filiis Ceturæ, ex Traditionibus Hebræorum docet Epiphanius sub finem operis Aduersus Hæreses, quod inscriptum ab eo est, Panarium.

28 FILIIS *autem concubinarum largitus est munera.* Concubinas Abrahæ vocat, Agar, ex qua ille genuerat Ismahelem; & Ceturam, ex qua sex filios susceperat. Hæ mulieres vocantur concubinæ, non quod veræ non essent eius vxores, neque enim vir sanctissimus, grauissimum adulterij flagitium, aut probrosæ fornicationis turpitudinem, non clam nec semel, sed publice ac longo tempore, admisisset. Vocantur igitur, more antiquo, concubinæ ad denotandam scilicet earum differentiam ab vxore principali. Hæc autem erat, quæ legitimo ritu ac cæremoniis, publicisque matrimonialis contractus scripturarum, instrumentorumque testimoniis, in vxorem assumebatur; sola item futura materfamilias, & gubernatrix domus, & ad omne vitæ consortium, omnemque humani ac diuini iuris cum viro communicationem, & bonorum hæreditariam participationem adhibenda: cuius vtique solius filij, patrimonij paterni futuri essent hæredes. Ac talis quidem, sine dubio, fuit Sara: & iccirco semper vxor, nunquam autem concubina est appellata. Concubinæ porro dicebantur, veræ quidem vxores, quantum ad affectum maritalem, & licitum torum atque concubitum, ac procreationem liberorum: sed

sed quia ad hoc solum assumebantur, non autem ad superiora illa, quæ de principali vxore diximus; ideo fere vocabantur concubinæ. Fuisse autem Ceturam & Agar veras Abrahæ vxores, manifestū facit narratio Mosis: is enim & initio huius capitis ait, Abraham aliam duxisse vxorem, nomine Ceturam; & supra capite 16. dixit Saram dedisse Agar ancillam viro suo Abrahæ in vxorem.

29 *Largitus est munera.* Erant hæc munera, pecunia, vasa auri & argenti, suppellex, de gregibus item & armētis. Hæc licet per se magna satis videri potuerint, in comparatione tamen bonorum quæ dabantur Isaac, perexigua erant, nimirum talia, vt nomen potius munerum, quam hæreditariæ donationis mererentur. Hæc porro munera Abraham, dum ipse viueret, filiis concubinarum largiri duas ob causas voluit. Primo quidem, vt onere prouidendi illis tanquam fratribus, post mortē suam; leuaret Isaac: non enim ita commode, ac pacifice, mortuo Abraham, vt eo viuente, id fieri potuisset, vt prudenter ac scite annotauit Caietanus: Ideo, inquit, dona dedit Abraham filiis concubinarum, & dimisit eos à cura sua, vt exoneraret Isaac filium suum ab onere prouidendi illis. Incumbebat enim Isaac, hæredi vniuersali cura prouidendi fratribus suis ab hæreditate exclusis. Eiusmodi enim exoneratio significatur, dicendo (vt est in hebræo) *Et misit eos desuper Isaac, dum adhuc ipse viueret:* Tanquam tollens onus quod erat super Isaac. Et quia hæc executio fuit vltima res gesta ab Abraham prudentissime, ideo adiungitur, quod fecit, dum adhuc ipse viueret. Hæc Caietanus. deinde voluit Abraham dum viueret, de bonis suis id largiri filiis cōcubinarum, quod eis solum dandum esse iudicabat; quo posset eos ante obitum suum, segregare à societate ac vicinitate Isaac: quamobrem proxime adiungitur, separasse eum filios concubinarum à filio suo Isaac, ad plagam orientalem. Cur autem solus Isaac institutus sit hęres, præter supra expositam rationem, quod filius esset principalis vxoris & matrisfamilias; alia quædam, eaque præcipua fuit causa, DEI nimirum voluntas & sententia. Is enim voluit, solum Abrahæ filiorum Isaac, qui secundum repromissionem, atque ingenti diuinæ omnipotentiæ miraculo natus fuerat, proprium Abrahæ filium & hæredem haberi: & in sola eius progenie, posteros Abrahæ censeri, ad quos scilicet tantum promissa sua pertinerent.

Caietanus hoc loco.

Cur omniū filiorum Abrahæ, solus Isaac institutus sit hęres.

30 *Et separauit eos à filio suo Isaac, dum adhuc ipse viueret.* Quatuor maxime idoneis, iustisque causis, ad istiusmodi separationem aliorum filiorum suorum ab Isaac, & ad alias terras amandationem faciendam, impulsus est Abraham. Prima causa: Nouerat ex DEI promissis sibi datis, multiplicatum iri semen Isaac, instar cæli stellarum, & pulueris terræ: Ismahelis quoque & aliorum filiorum sobolem, maiorem in modum esse propagandam: ex quo futurum certissime sciebat, vt nisi inuicem separarentur, eos terra illa capere non posset: namque ob eandem ipse causam dissociari voluit à Loth, filio fratris sui, vt supra Genes. 13. dictum est. Altera causa: Fecit id prudentissime Abraham, quo aliis filiis segregatis ab Isaac, magnum eorum aduersus Isaac, inuidiæ atque odij

Quatuor causæ cur Abrahã alios filios separauerit ab Isaac.

Universidad de Deusto Biblioteca

reſtingueret incendiũ;ægerrime ferentibus illis, ſolum Iſaac bonorum omnium patris ſui relictum hæredem;atque eius vnius maiorem,quàm aliorum omnium Abrahę filiorum,opulentiam eſſe ac potentiam.ſimul etiam voluit Abraham radicitus præcidere frequentes inter ſuos filios, eorumque ſeruos,ſi eadem in terra verſarentur,rixarum, iurgiorum ac diſſidiorum futuras occaſiones. Nam ſi inter paſtores & ſeruos Loth atque Abrahæ tales fuere contentiones, vt ex re vtriuſque atque vſu fore iudicatum ſit,inuicem diſſociari eos,& ſeparatim habitare:quanto magis id inter filios Abrahæ, eorumque ſeruos euenturum merito timeri poterat?Tertia cauſa : Erat Abraham propheta, vt dixit Dominus Geneſ.20. & quæ ad poſteros ſuos ſpectabant,multa prædoctus à DEO fuerat. In his vero & illud prænouerat Abraham, cultum veri DEI in ſolis per Iſaac poſteris ſuis manſurum;cęterorum filiorum poſteris omnibus ad Idololatriam dilapſis. Quamprimum igitur eos diſtrahendos inuicem eſſe cenſuit,ne qui fideles & pij eſſent, aliorũ impietatis contagio infecti corrumperentur. Quarta cauſa : Poſſeſſio terræ Chanaan, ſolis Abrahæ per Iſaac poſteris promiſſa à DEO fuerat.Si autem in terra manſiſſent poſteri omnes aliorum filiorum Abrahæ, vt Madianitæ,Iſmahelitæ,Sabæi, & Ephæi vt taceam alios;iſti proculdubio vniuerſam illam terram vſquequaque impleuiſſent.Quare poſt quadringentos annos(vti prædixerat DEVS Abrahæ Geneſ.15.)reuerſi ad poſſidendam eam terram poſteri Abrahæ, ex Iſaac & Iacob progenitis ; cum & ipſi pene innumerabiles eſſent,certe terram illam ab aliis occupatam tenere non poſſent, quod erat diuinæ promiſſioni & prædictioni contrarium : aut inde fratres ſuos debęrent extrudere, pugnando in eos, magnaſque eorum ſtrages faciendo;quod ſane inhumanum,atrox, & crudele videri potuiſſet.

Geneſ.13.

Caietanus.

31 *Ad plagam Orientalem.* Caietanus ſic legit hunc locum ex hebræo; *Ad Orientem,ad terram Orientis.* Ne intelligeretur,inquit,quod ad plagam,ſeu aſpectũ Orientalem duntaxat, & non ad ipſam terram Orientis miſerit filios concubinarum,explicauit vtrumque dicens, *Ad Orientem,ad terram Orientis.* Putat igitur Caietanus,huiuſmodi verbis lectionis hebraicæ ſignificari,alios filios Abrahę ſeparatos eſſe ad Orientem, non quidem ad aliam partem terræ Palæſtinæ, quæ magis eſſet Orientalis,quam ea regio terræ eiuſdem,in qua manſurus erat Iſaac:ſed quod emiſſi ſunt extra omnem Palæſtinam, ad alias regiones,quæ vel ſecundum cæli & mundi ſitum,vel reſpectu Palæſtinæ,Orientales cenſebantur. Verumenimuero plaga Orientalis, dupliciter intelligi poteſt; vel ſimpliciter & abſolute reſpectu mundi, quemadmodum regio Indiæ ab omnibus vocatur ſimpliciter Orientalis : vel reſpectu Palæſtinæ, & in comparatione eius terrę,in qua tunc erat Abraham,& manſurus erat Iſaac, & quam Hebræi habitaturi ac poſſeſſuri erant. S. Hieronymus ſignificat, plagam Orientalem in hoc loco accipi debere priori modo; ſcribens, à pleriſque filiis Abrahæ ex Cetura, occupatas fuiſſe Indiæ regiones. Sedenim nec id S. Hieronymus ex ſua, verum ex aliorum ſententia

Dupliciter terra aliqua dici poteſt orientalis.

S. Hierony. in Traditio. hebraicis in Geneſim ſuper cap.25.

ſententia ſcripſit, dicens eſſe id ab aliis proditum, nec de omnibus Abrahæ filiis iſtud vere dici poteſt.

32 Equidem ſine dubitatione dixerim, non poſſe hoc loco per plagam Orientalem intelligi religiones Indiæ, remotiſſimas vtique à Palæſtina : idque puto cuiuis homini ſacrarum literarum minime indocto,tribus hiſce argumentis facile perſuaderi poſſe.Principio, non fit credibile,Abraham ſuos amandaſſe filios ad regiones Indiæ, immenſis ſcilicet terrarum ſpatiis diſtantes, cum talis receſſus infiniti eſſet laboris, ac multiplicis periculi;nec tam longinquo abſceſſu, ad id quod intendebat Abraham, opus eſſet. Deinde liquido conſtat, duas gentes ex duobus iſtis Abrahæ filiis propagatas, Madianitas dico & Ilmahelitas, vicinas Palæſtinæ ſedes habuiſſe : duas item alias gentes,ex aliis duobus Abrahæ filiis ortas, Sabæorum & Ephæorum, coluiſſe terras ſinu Perſico citeriores,Arabiam nempe Felicem.Idem quoque ſentire conuenit de Dadanæis, vt quos Ezechiel dicat,celebrem illum mercatum Tyri,cum mercimoniis frequentare ſolitos. Ad hæc,nuſquam in ſacris literis nec India, nec regiones, quæ vltra ſinum Perſicum ſunt, nomine Orientis appellantur : ſed Orientales terras ſimpliciter vocat diuina Scriptura, quæ ſunt citra ſinum Perſicum, vt Perſidem, Armeniam, Arabiam, atque Meſopotamiam. Gentes quoque iſtis regionibus propiores, comparatione terræ Iudæorum, nominare ſolet Orientales, eorumque loca eſſe ad Orientem : vt Arabes, Idumæos, Amalecitas, Madianitas, Ammonitas, & Moabitas, necnon & Mare rubrum,ac Mare ſalſum. Quapropter Iob,qui erat Idumæus,numeratur inter Orientales : & tres Magi,qui vel ex Chaldæa, vel ex Arabia veniſſe ad Chriſtum adorandum creduntur, veniſſe dicuntur ex Oriente. Iacob item profectus in Meſopotamiam, iuiſſe dicitur in terram Orientalem. Et in libro Numerorum capite vigeſimotertio. Balaam ariolus accerſitus eſſe dicitur ad maledicendum Hebræis,ex montibus Orientis:quem tamen veniſſe ex Meſopotamia,apertis verbis ſcriptum eſt in capite vigeſimo tertio Deuteronomij.

Ezechiel 27.

Matth.2. Geneſ.29.

* * *

QVARTA DISPVTATIO,

Vtrum priscis illis temporibus, & ante humanas leges scriptas, obseruatum fuerit discrimen aliquod legitimæ atque illegitimæ, tum coniunctionis viri cum fœmina, tum procreationis liberorum:

Super illis verbis:

VERSV 6. *Dedit Abraham cuncta quæ possederat Isaac: filiis autem concubinarum largitus est munera.*

Iurisconsultorum opinio.

VETVS fuit Iurisconsultorum opinio, Imperiali etiam auctoritate confirmata, primæua illa ætate, & ante leges scripto latas & promulgatas, quemlibet concubitum fuisse licitum; omnesque ex quacumque commixtione fœminæ ac viri generatos liberos, legitimos esse habitos, nullo tunc legitimi atque illegitimi discrimine cognito aut obseruato: idque perdurasse, quoad leges ab hominibus latæ, certos matrimoniis fines constituerunt: ex quo factum esse, vt qui eos limites fuerint transgressi, primum illegitimam nouerint coniunctionem viri ac fœminæ, ac procreationem liberorũ. Huc spectare videtur illa Iustiniani Imperatoris sententia: Donec, inquit, sola natura hominibus sanciebat, legitimos omnes æque producebat: cum primum vero ad libidinem diuertere, aliumque cursum tenere cœpit; tunc naturales & illegitimos immiscuit: tunc & leges scriptæ sunt, quæ iis rebus modum constituerent. Sic ille. Ciceronem quoque putet fortasse quispiam, isti opinioni suffragari. Namque is quodam loco ita scribit: Fuit quoddam tempus, cum in agris homines passim bestiarum more vagabantur, & sibi victu ferino vitam propagabant; nec ratione animi quicquam, sed pleraque viribus corporis administrabant. Nondum diuinæ religionis, nec humani officij ratio colebatur: nemo legitimas viderat nuptias: non certos quisquam inspexerat liberos: non ius æquabile, quid vtilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorem atque inscitiam, cæca & temeraria dominatrix animi cupiditas, ad se explendam, viribus corporis abutebatur, permiciosissimis satellitibus. Hæc Cicero. Si quis hac de re plura nosse cupit, legat eruditum & copiosum de Nothis ac spuriis librum Illustrissimi Cardinalis Palæoti: quem ego virum, propter eximiæ virturis & doctrinæ præstantiam, insigne Sacri Collegij decus & ornamentum merito appellare possum.

Iustinianus.

Cicero in Proœmio Rhetoricæ de Inuẽtione.

Cardinalis Palæotus in principio eius libri.

33

ATQVE enimuero ex historia, quam hoc capite narrat Moses de filiis Abrahæ, ex Cetura procreatis, atque aliis quibusdam ex historiis huius libri, 34

libri, aperte intelligitur, iam tunc in ætate Abrahæ, multis nempe sæculis ante legem Mosis, omnesque humanas leges scriptas, multiformem in carnali coniunctione viri ac fœminæ varietatem ita esse obseruatã; vt quædam viri & fœminæ coniunctiones, & procreationes liberorum tanquam honestæ ac licitæ approbarentur; aliæ vero vt improbæ, flagitiosæ, ac probrosæ; vituperarentur & damnarẽtur. Septem porro eius rei differentias, priscis illis hominibus in obseruatione atque vsu fuisse, ex nonnullis historiis huius libri, animaduertere & annotare licet.

Septem differentias in coniunctione viri & fœminæ & in generatione filiorum, etiam ante omnes leges scriptas fuisse à priscis obseruatas.

Prima differentia est vxoris atque concubinæ: quam Moses compluribus libri huius locis indicauit. Nam capite 22. nominat Melcham vxorem Nachor, & mox adiungit, concubinam eius fuisse Romam: & capite 25. filios Ceturæ & Agar appellat filios concubinarum, distinguens eos ab Isaac filio Saræ, tanquam vxoris Abrahæ, capite 35. Bala vocatur concubina Iacob; & cap. 36. concubina Eliphaz, filij Esau, nominatur Thamna, ex qua ortus est Amalec, auctor gentis Amalecitarum. Diuersam porro vxoris atque concubinæ, apud priscos illos, fuisse rationem, arguit diuersa liberorum vtriusque conditio: siquidem vt patet ex capite 25. Genesis, paterna hæreditas non filiis concubinæ, sed vxoris tantum contingebat. Altera est differentia coniunctionis viri cum muliere libera, & quę viro coniunctionis dignitate par erat; atque cum muliere quæ erat ancilla & serua. Magnum enim vtriusque fuisse discrimen, argumento est, quod filii vxoris, quæ mulier esset libera, soli bonorum patris hæredes erant, exclusis hæreditate filiis ancillæ: hoc nempe declarant illa Saræ verba, Genes. 21. *Eiice ancillam & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Tertia differentia est commixtionis viri cum propria vxore, atque commixtionis eius cum aliena, quod vocatur adulterium. Eum vero concubitum, quantopere prisci illi homines, quasi grande quoddam, & publico bono exitiale scelus exhorruerint; satis ostendunt verba quæ dixit Abrahæ rex Abimelec expostulans cum eo, quod non indicasset sibi, Saram suam esse vxorem. *Vocauit Abimelch*, inquit Scriptura Genes. 20. *Abraham, & dixit ei: Quid feciſti nobis? quid peccauimus in te, quia induxisti super me & super regnum meum peccatum grande? Quæ non debuisti facere, feciſti nobis. Rursumque expostulans ait: Quid vidisti vt hoc faceres?* vide simile Genesis vigesimo sexto.

35 Quarta differentia est vxoriæ coniunctionis, atque meritriciæ: hæc significatur Genes. 34. cum filij Iacob indignabundi propter vim allatam sorori suæ, dixerunt: *Nunquid vt scorto abuti debuere sorore nostra?* Iudas item, vt legitur Genes. 38. cõcubuit cum Thamar nuru sua, suspicatus eam, vt ait Scriptura, esse meretricẽ: operuerat enim vultum suum, ne agnosceretur. Quinta est differentia maritalis coniunctionis atque fornicariæ, qua mulier in domo patris sui vel soceri, libidinose miscetur cum alio viro. Ea sane commixtio, id temporis, non solum fœdissimo dabatur crimini, verum etiam atrociſſimo supplicio puniebatur. Audi Scripturam Genes. 38. *Nunciauerunt Iudæ, dicentes, Fornicata est*

est Thamar nurus tua. Dixitque Iudas, Producite eam, vt comburatur. Sexta differentia est, coniunctionis viri cum vxore sua, atque cum nouerca, vel cum nuru sua. Hæc sane commixtio, etiam priscis illis hominibus ante legem Mosis, execrabilis, & grauissimo digna supplicio visa est. Quamobrem quia Ruben filius Iacob, cognoscere Balam patris sui vxorem, & nouercam suam ausus est, dira patris maledictione percussus est, cum ei dixit: *Effusus es sicut aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius*, Genes. 49. Et de Iuda, qui per errorem cognouerat Thamar nurum suam, scriptum est, *Attamen vltra non cognouit eam*, videlicet, à tali cõcubitu, tanquam illicito, fœdoque abhorrens. Septima differentia est voluntariæ commixtionis, atque violentæ & coactę, quę fit per raptum mulieris, & violentam eius compressionem: vt de Dina filia Iacob, proditum est Genes. 34. Cuius violenta constupratio, filiis Iacob, adeo fœda, probrosa, & intoleranda est visa, vt eam atrocissima, non solum eius qui sororem violauerat, verum totius gentis atque vrbis Sychimitarum, cæde, direptione, ac vastatione, vlti sint. Apparet igitur ex iis quæ cursim hoc loco, carptimque disputata sunt, priscos illos homines, qui leges scriptas multis sæculis antecesserunt, non omnem viri ac fœminæ coniunctionem, omnemue liberorum procreationem, eiusdem esse rationis & conditionis putasse: sed magnam in ea re, probitatis atque improbitatis, honestatis ac turpitudinis, recti demum atque iniqui differentiam esse cognouisse atque obseruasse.

QVINTA DISPVTATIO,

De Chronologia totius vitæ Abrahæ: ac de nonnullis rebus, quas de eo veteres quidam Scriptores Ethnici falsò prodiderunt:

Super illis verbis:

VERSV 7. *Fuerunt dies vitæ Abrahæ, centum septuaginta quinque anni.*

Patria & genus Abrahę.

HIc me locus admonet, facturum me Lectori gratissimum, si vniuersam vitæ Abrahę Chronologiam, per insigniores ac memorabiliores eius partes, strictim expositam, tanquam in conspectu eius statuam. Abraham, tum genere, tum patria Chaldæus fuit. Etenim Maiores eius, fuere Chaldæi, & patria eius fuit vrbs Chaldææ, cui nomen Vr. Hoc aperte traditur in diuina Scriptura, vt ex cap. 15. & 23. colligitur. 36

Illic

Illic enim scriptum est dixisse Deum Abrahæ: *Ego sum Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum.* Hic autem proditum est, Abraham dixisse: *Deus qui tulit me de terra natiuitatis meæ.* Si Abraham igitur euocatus à Deo est ex terra natiuitatis suæ, cui terrę nomen erat Vr Chaldęorum; consequens est, eam vrbem fuisse patriã & natale solum Abrahæ. Idem quoque potest elici ex capite vndecimo Geneseos, vbi scriptum est, Thare genuisse tres filios, Abraham, & Nachor, & Aran: & Aran quidem mortuum esse in Vr Chaldęorum, terra natiuitatis suę: & post mortem eius, Thare, filium suum Abraham eduxisse de Vr Chaldæorum. Quo ex loco nec dubie, nec obscure intelligitur, tres illos fratres fuisse in ea vrbe natos, atque inibi diutius versatos. Accedit ad confirmationẽ eius sententiæ, auctoritas libri Iudith capite 5. Quo in loco, de populo Hebræorum, cuius velut parens & sator fuit Abraham, verba Achior ducis Ammonitarum, huiusmodi sunt: *Populus iste ex progenie Chaldæorum est: hic primum in Mesopotamia habitauit, quoniam noluerunt sequi Deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum.* Duxit autem Abraham originem ex Sem, filio præcipuo Noe, decimâ post ipsum Noe generatione ortus. Pater eius appellatus est Thare: qui annum septuagesimũ agens, ipsum genuit, vt traditur Genes. 11. Scio putasse quosdam, natum esse Abraham, anno ætatis Thare patris sui centesimo trigesimo: verum opinionem istorum, multis confutauimus argumentis in secundo Tomo horum Commentariorum in Genesim, libro 16. num. 186. Vtrum autem fuerit Abraham primogenitus Thare, prior natu quàm fratres eius, Nachor & Aran, probabiliter in vtramque partem disputatũ est, in eodem illo libro nostro, numero 228. & sequentibus.

Stirps generis Abrahæ, atque pater & fratres.

37 Natus est Abraham anno post Diluuium Noëticum ducentesimo nonagesimo secundo: tot enim anni secundum computationem annorum, quam habet Genes. 11. Scriptura Hebraica & Latina translatio, recensentur à fine Diluuij vsque ad ortum Abrahæ. Sed quanto tempore post factam linguarum diuisionem, & dispersionem hominum per varias mundi plagas, terrarũque regiones, ortus est Abraham? Hebræi, quos etiam quidam de Christianis, haud ignobiles scriptores hac in nostra ætate secuti sunt, tradunt confusionem linguarum & dispersionem gentium accidisse sub finem vitæ Phaleg: id autem est, anno trecentesimo quadragesimo post Diluuium, qui erat ætatis Abrahæ octauus & quadragesimus annus. Sed istiusmodi opinionem refutauimus, in secundo Tomo, libro 15. Disputatione vndecima; præsertim autem numero 148. Atque eo in loco probauimus, confusionem linguarum contigisse, annis circiter centum post Diluuium. Hinc autem sequitur, annis, post eam linguarum diuisionem, centum ferme ac nonaginta, ortum esse Abraham; quippe qui natus est, vt diximus, anno post Diluuium ducentesimo nonagesimo secundo.

Quando natus Abrahã.

Genebrard. in Chronologia.

38 Dum Abraham moraretur in Chaldæa, & annum ageret quinquagesimum octauum, mortuus est patriarcha Noë, cuius ille, decimã post generationem, proles fuit. Siquidem Noë post Diluuium vixit trecẽtis

Quoto anno Abrahæ mortuus sit Noe.

Traditio Hebræorũ. S. Hieron. in Traditionib. Hebraicis in Geneſim ſuper ca.11. & 12.

quinquaginta annis,vt extremo cap. nono Geneſis ſcriptum eſt: Abraham verò natus eſt poſt Diluuium,vt diximus,ducẽtis nonaginta duobus annis. Tradunt item Hebræi, eamque traditionem vt veriſimilem memorat S. Hieronymus; Abrahã,dum eſſet in Chaldæa, quod ignem more illius gentis,diuino cultu adorare nollet, coniectũ eſſe in ignem; ſed inde mirabiliter à Deo ereptum, atque omnino inuiolatũ eſſe conſeruatum: quamobrem vt tanti miraculi memoria conſeruaretur,ex eo tempore annos vitæ eius computari cœpiſſe. Quoniam autem ſecundum Hebræos (& vt res habet) natus eſt Abraham anno ſeptuageſimo Thare; & putant illi diſceſſiſſe ipſum ex vrbe Haran, & profectum eſſe in terram Chanaan poſt mortem Thare; cum ſcribat Moſes Geneſ. 12. fuiſſe,id temporis,Abraham ſeptuagintaquinque annorum; eos annos Hebræi computant,non ab ortu Abrahæ,ſed à tempore illius incendij Chaldaici, ex quo liberatus fuerat. Ergo, ſi Abraham natus eſt ſeptuageſimo anno Thare,cuius vita definitur à Moſe Geneſ. 11. annis ducentis quinque: illud verò Chaldaici incendij miraculum ſeptuagintaquinque annis contigit ante mortem Thare; neceſſe eſt miraculum illud accidiſſe,ſexageſimo anno ætatis Abrahæ. Verum iſtiuſmodi Traditionem Hebræorum commentitiam eſſe ac fabuloſam, multis argumentis conuicimus in ſecũdo Tomo,lib. 16. in Diſputatione decimaquinta.

An inuẽtor Aſtrologiæ fuerit Abraham, apud Chaldæos. Euſebius Cæſarien.

Eupolemus perantiquus ſcriptor,apud Euſebium lib. 9. de Præparatione Euangelica cap. vltimo,memoriæ prodidit, Abraham fuiſſe inuentorem Aſtrologiæ apud Chaldæos. Sed iſti ſententiæ aduerſatur Philo, non in vno loco eorum librorum,quos ſcripſit de Abraham,affirmãs, didiciſſe Abraham ſcientiam Aſtrologiæ à Chaldæis, eorumque diſciplinis percipiendis ſtuduiſſe,priuſquam ei ſe Deus manifeſtaſſet,atque eum ex Chaldæorum ſocietate & conſortio euocaſſet.

Quoto Abrahæ anno, vocatio Dei & prima eius promiſſio & profectio illius ex Chaldæa in terram Chanaã euenerit. *Ad Gal.3.* An regnauerit Damaſci. Ioſephus. Iuſtinus.

Anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo quinto, vt traditur Geneſ. 12. primum ei Deus apparuit,iubens diſcedere eum ex Chaldęa,& ire in terram Chanaan. Tunc data ei à Deo eſt prima & magnifica illa promiſſio, de numeroſiſſima poſteritatis eius multiplicatione, & futura per eum benedictione omnium gentium: ab hac verò promiſſione vſque ad tempus legis per Moſen latæ in monte Sina, computat B. Paulus annos quadringentos triginta. Hæc igitur omnia eodem illo ſeptuageſimo quinto anno ætatis Abrahæ contigerunt, diuina eius vocatio, & promiſſio Dei,& diſceſſus eius ex Chaldæa, aduentuſque in vrbẽ Haran,atque ibi relicto patre,profectio in terram Chanaã. Hæc autẽ omnia vno atque eodem illo anno facta eſſe,nos ſupra oſtendimus, in hoc tertio Tomo,in Tractatu ſecũdæ Diſputationis ſuper cap. 12. Proditum eſt memoriæ à quibuſdam Ethnicis auctoribus, Abraham cum exercitu profectũ ex Chaldæa ſiue ex Meſopotamia, priuſquã intraret Chanaitidem,manſiſſe atque regnaſſe Damaſci: quæ vrbs Syriæ eſt nobiliſſima. Huius ſententiæ Ioſephus auctorem laudat Nicolaum Damaſcenum: idemque ſcriptum reliquit Iuſtinus, ſiue Trogus Pompeius, libro trigeſimoſexto. At enim iſtam nos opinionem ſex argumentis ſupra

pra confutauimus,cum exponeremus caput 12. Geneſis,in numero 58.

Quãdo fuerit coniugiũ Abrahæ cũ Agar, & victoria de quatuor regibus, & occurſus Melchiſedec.

40 Decem porro annis,quàm venerat in terrã Chanaã,ſuaſu atque impulſu vxoris Saræ, Abraham coniugem duxit Agar Ægyptiã, ancillam ſuam, annum 85. agens; & in ſequenti anno ex ea genuit Iſmahelem, Geneſ. 16. Verum eius decennij interuallo,quod inter aduẽtum Abrahæ in terram Chanaan,& coniugium Agar interfluxit,quatuor permira & valde memorabilia contigerunt. Primum horum fuit,mira flagellatio Pharaonis regis Ægypti, propter ablatam vxorem Abrahæ, Geneſ. 12. Alterum fuit,Abraham parua manu, validiſſimum quatuor regum exercitum profligaſſe,& Lot captiuitate liberaſſe. Tertium fuit, occurſus Melchiſedec regis ſimul ac pontificis; qui gratulabũdus perhonorifice accepit Abrahã, & pro victoria ab eo parta, euchariſticum Deo,panis & vini obtulit ſacrificium,Geneſ. 14. Quartum fuit,magnifica illa Dei apparitio, quæ deſcribitur Geneſ. 15. in qua tria dedit ei Deus promiſſa: vnum,de multiplicatione ſeminis eius inſtar ſtellarum: alterum, de danda poſteris eius poſſeſſione terræ, à flumine Ægypti, vſque ad magnum flumen Euphratem: tertium,de poſterorũ eius poſt quadringentorum annorum peregrinationem & ſeruitutem, reuerſione ad poſſidendam terram Chanaan. Apud Euſebium libro nono de Præparatione Euangelica capite vltimo, vetus ſcriptor Artapanus tradit, Abraham fame compulſum, conceſſiſſe in Ægyptum, atque inibi per viginti annos eſſe verſatum,& poſtea remigraſſe in Palæſtinam. Sed id Sacræ hiſtoriæ huius libri plane contrarium eſſe, oſtenſum eſt ſupra, in ſexta Diſputatione ſuper caput duodecimo, numero centeſimo decimo. Quemadmodum & illud eodem in loco,numero centeſimo vndecimo confutatum eſt,quod proditum eſſe ab Eupolemo,referunt Ioſephus primo libro Antiquitatum, & Euſebius loco proxime ante poſito; Abraham, dum manſit in Ægypto docuiſſe Ægyptios Aſtrologiam & Arithmeticam.

Artapanus apud Euſebium.

Abrahã nec per viginti annos manſiſſe in Ægypto, nec docuiſſe Ægyptios mathematicas diſciplinas.

Ioſephus.

Quę res acciderint in anno 99. Abrahæ.

41 Cum nonageſimumnonum Abraham ageret annum,accepit à Deo præceptum & ſacramẽtum Circumciſionis: & tam ipſe,quàm Iſmahel tredecim natus annos,aliique omnes domeſtici eius, Circumciſi ſunt, Geneſ. 17. & tunc ei ac Saræ mutata ſunt nomina,ex Abram, in Abraham,& ex Sarai,in Sara. Res autem Abrahæ tredecim annorum,id eſt, ab ortu Iſmahelis vſque ad præceptum Circumciſionis, miro ſilentio ſuppreſſit Moſes; ſcilicet hiſtoriæ de ortu Iſmahelis,proxime ſubnectẽs hiſtoriam de lege Circumciſionis. Hoc ipſo ætatis Abrahæ nonageſimonono anno euenit, quod narratur Geneſ. 18. de tribus Angelis ſpeciem & figuram hominum gerentibus, ab illo acceptis hoſpitio: à quibus ei quoque prædictum eſt, fore, vt inſequenti proximo anno, filium generaret ex Sara; & Sodomorum gens, omnisque illa regio, funditus interiret. Eo ipſo tempore contigit,quod Geneſ. 20. memorat Moſes,de rege Philiſtinorum Abimelec, diuinitus admonito, & iuſſo reddere vxorem, quam abſtulerat, Abrahæ: vbi Abraham diuino oraculo propheta appellatur.

Ortus Isaac anno 100. Abrahæ. S. Hieronymus.

Centenario autem natus est ex Sara filius Isaac, Genes. 21. Tempore autem ablactationis eius fecisse dicitur Abraham grãde conuiuiũ. Verum de tempore ablactationis, variant Hebræorum sententiæ, vt refert Sanctus Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim super caput 21. aliis, quinque annorum tempus: aliis, duodecim præfinientibus: quare ablactatio Isaac, vel centesimoquinto anno, vel centesimo duodecimo Abrahæ, contigit. Eiectio porrò Agar & Ismahelis ex domo Abrahæ, quæ narratur eodem capite 21. haud dubie facta est post ablactationem Isaac, vt series & ordo Mosaicæ narrationis indicat. Verum quia nec certum est tempus ablactationis; nec liquet quãdiu post ablactationem id acciderit: idcirco etiam tempus illius rei incõpertum est. Quanquam Auctor Commentariorum in vndecim Epistolas Pauli (cuius Commentarij sub nomine S. Hieronymi, cum genuinis eius Commentariis coniuncti feruntur) super quartum caput Epistolæ ad Galatas, significat, tunc Isaac fuisse quinquennem: idemque censuit quidam huius ætatis Chronologiæ tractator, atque etiam emendator, non sine (quantum ad Catholicam doctrinam, ac probabiliorem temporum rationem spectat) emendatione legendus.

Quãdo eiectio Agar & Ismahelis.

Matthæus Beroaldus in Chronico lib. 3.

In centesimo vigesimoquinto ætatis suæ anno secundum Iosephum, vel secundum Hebræos, in centesimo trigesimoseptimo, immolare voluit Abraham filium suum Isaac in monte Moria, vbi postea templum à Salomone fabricatum est; sed facere id prohibitus, ariẽtem sibi diuinitus oblatum, eius vice sacrificauit, Genes. 22. Tunc quod olim ei dixerat DEVS cum euocaret eum ex patria; *In te benedicentur omnes gentes*, Genes. 12. tunc, inquam, id ipsum apertius atque expressius declaratum est illis verbis: *In semine tuo* (id est, in CHRISTO, vt interpretatur Paulus) *benedicentur omnes gentes*. Aduertat Lector hoc loco, post ortum Isaac, & vsque ad eius immolationem, per annos vigintiquinque, aut etiam triginta septem, nihil de rebus Abrahæ, præter admodum pauca, scriptis ac memoriæ commendatum esse. 42

Immolatio Isaac, quoto anno Abrahæ.

Ad Gal. 4.

Porro cum ageret annum centesimum trigesimumquintum, mortuus est ei pater Thare: id vero ex duabus sententiis Scripturę, quæ sunt Genesis 11. perspicue ostenditur. Altera sententia est, natum esse Abraham septuagesimo anno patris sui Thare: altera est, vixisse Thare quinque & ducentis annis. Hinc euidenter concluditur, nato Abrahæ, patrem eius Thare centum trigintaquinque annis superuixisse. Iam vero mors vxoris eius Saræ, dubitari non potest quin centesimo trigesimo septimo eius anno contigerit. Siquidem Sara decessit, cum centum viginti septem annos vixisset, Genes. 23. at decennio erat Abraham natu grandior quàm Sara, Genes. 17. Tribus annis post excessum Saræ, vxorem dedit filio suo Isaac Rebeccam neptem fratris sui Nachor, Genes. 24. cum ageret ipse annum centesimum quadragesimum: namque Isaac quadragenarius erat, cum Rebeccam duxit, Genes. 25. Annis verò post id temporis viginti, cum esset Abraham centũ sexaginta annorũ, duos ei nepotes genuit Isaac, Esau & Iacob: nam fuisse tunc sexagenarium Isaac,

Mors Thare patris Abrahæ.

Mors Saræ.

Cõiugium, Isaac & Rebeccę, & cõiugiũ ipsius Abraham & Ceturæ.

Isaac, apertis verbis testatur Scriptura, Genes. 25. Sequitur tempus mortis Abrahæ.

Mors Abrahæ.

43 DECESSIT Abraham exactis vitæ suæ annis centum septuagintaquinque, Genes. 25. breuioris nempe vitæ, quàm omnes eius Maiores, præter auum suũ Nachor, qui annis duntaxat centum quadragintaocto vixisse dicitur, Genes. 11. minus nempe quam Abraham, annis viginti septem. Mortuus est anno post Diluuiũ quadringentesimo sexagesimoseptimo: quippe qui natus est ducẽtis nonaginta duobus annis post Diluuium, & postea vixit centũ septuagintaquinque. Annus porrò mortis eius, concurrit cum anno bis millesimo centesimo vigesimotertio post orbem conditum: ab exordio enim mundi, fluxerunt anni mille sexcenti quinquaginta sex, vsque ad Diluuium: ipse verò obiit post Diluuium, vt diximus, anno quadringentesimo sexagesimoseptimo. Reliquit primum filium Ismahelem, annorum octogintanouem, vt quem genuerat sex & octoginta annos natus, Genes. 16. viditque duodecim filios eius, qui fuere principes totidem tribuum ac populorum, Genes. 25. Filij autem eius geniti ex Cetura, tũc esse poterant annorum trigintaquatuor, vel triginta: cum enim duxit Ceturam, erat centum quadraginta annorum, vt supra in prima Disputatione super hoc caput ostensum est.

Mors Abrahæ quanto fuerit tẽpore prior ortu Mosis & egressu Hebræorum ex Aegypto.

44 Cęterum Isaac, cum mortuus est Abraham, septuagintaquinque erat annorum, quippe qui patre centenario fuerat natus, Genes. 21. Duo autem filij eius & nepotes Abrahæ, Iacob & Esau, quos sexagenarius ipse genuerat, erant, id temporis, quindecim annorum. Quod si tunc Iacob fuit quindecim annorum, descendit autem is cum omni familia sua in Ægyptum, centesimum & trigesimum annum agens, Genes. 47. & ex eo tempore vsque ad exitum Hebræorum ex Ægypto, anni fluxerunt ducenti quindecim, vt ostensum est in Disputatione sexta super caput 15. Genesiu. 70. liquido apparet, mortem Abrahę, centum quindecim annis priorem fuisse descensu Iacob in Ægyptum; exitu autem Hebręorum ex Ægypto, trecentis triginta. Moses porrò huius scriptor historiæ, octogenarius erat, cum eduxit Hebræos ex Ægypto: quare natum esse eum ducentis quinquaginta annis post obitum Abrahæ, necesse est.

Sem, & Heber quandiu superuixerint Abrahę.

Moriẽs Abraham, etiam tum viuos reliquit, sibique superstites, duos perinsignes generis sui Patriarchas, Sem, filium Noe, ex cuius stirpe post nonam generationem ipse progenitus fuerat: & Heber ipsius Sem pronepotem; ex quo scilicet, & lingua, & gens, vocata est Hebræa. Sem quippe quingentos annos vixit post Diluuium: Heber autem obiit, anno post Diluuium quingentesimo trigesimo; vtrumque enim colligitur ex cap. 11. Geneſis: Abraham verò decessisse anno post Diluuium quadringentesimo sexagesimoseptimo, paulo supra docuimus: Ergo Sem superuixit Abrahæ triginta tribus annis; eidemque superstes fuit Heber, sexaginta tribus. Permirum vero posset videri, res quingentorum annorum ab istis duobus Patriarchis gestas, altissimo esse in sacris literis silentio inuolutas. Atque hæc est vniuersa vitæ, ac rerum gestarum, mortisque beatissimi Patriarchæ Abrahæ, Chronologia.

Quinque interruptiones historiæ rerũ Abrahæ, factæ à Mose.

VERVMENIMVERO, illud hoc loco est obseruatione dignissi- 45
mum, in scribenda historia rerum Abrahæ, multas esse factas à Mose, multorumque annorum, narrationis historicæ interruptiones: quas hic strictim aspiciendas exponam Lectori. Prima Interruptio fuit inter ortum Abrahæ, & egressum eius ex Chaldæa, per annos prope septuaginta quinque. Siquidem breuissime indicato eius ortu, parente, fratribus, & coniuge; statim Moses transit ad egressum eius ex Chaldea, qui competit in annum septuagesimumquintum ætatis Abrahæ. Secunda Interruptio cernitur inter caput 16. & 17. Geneseos. Nam statim post ortum Ismahelis, subiungit Moses legem à DEO datam Circumcisionis, intermissa historia tredecim annorum. Namque Ismahel natus est octogesimosexto anno Abrahæ, Genes. 16. Lex autem Circumcisionis, lata est nonagesimonono eiusdem anno, Genes. 17. Tertia Interruptio animaduerti potest inter ortum Isaac, eiectionemque Ismahelis, Genes. 21. atque inter immolationem Isaac Genes. 22. Namque intermedium tempus, quod fuit annorum plus viginti, aut etiam, secundum alios, triginta, omnino tacitum præteriuit Moses. Quarta Interruptio facta est inter immolationem Isaac, Genes. 22. & mortem Saræ, Genes. 23. Nam si Iosepho fidem habere volumus, mors Saræ duodecim annis contigit, post historiam illam immolationis Isaac. Quinta Interruptio fuit post coniugium Abrahæ cum Cetura, vsque ad mortem eius, per annos scilicet non minus trigintaquinque. Erat namque Abraham, centum quadraginta annorum, cum accepit Ceturam: post id vero coniugium, paucissimis interpositis, Moses subiunxit mortem Abrahæ, in anno ætatis eius centesimo septuagesimoquinto. Quare Moses historiam trigintaquinque annorum omisit. Apparet igitur ex iis, quæ ad præsens breuissime disputauimus, ex centum septuagintaquinque annis vitæ Abrahę, Mosem maxima ex parte prætermisisse historiam ferme centum quinquagintaquinque annorum; & res ab eo per annos duntaxat circiter viginti gestas, exposuisse.

Historia Mosis de Abrahãin hoc libro scripta, quot annorum res ab eo gestas contineat.

SEXTA DISPVTATIO:

Super illis verbis:

VERSV 8. & 9. *Et deficiens mortuus est in senectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierum: congregatusque ad populum suum: & sepelierũt eum Isaac & Ismahel, filij sui: & sepelierunt eum in spelunca duplici &c.*

Cõmendatio mortis Abrahæ.

DESCRIBITVR his verbis, qualitas & ratio mortis Abrahæ: 46
eaque commendatur ex tribus rebus: primum, ex naturali modo, qui est per naturalem resolutionem corporis, omni vitæ spatio,

spatio, cursuque peracto: tum ex bonitate & tranquillitate, & longitudine senectutis: ac demum ex satietate viuendi; quasi tandiu vixerit, vt viuere diutius non concupiscceret. Hæ res decessum ex hac vita, cæteroqui acerbum & horribilem, non solum tolerabilem, verum etiam facilem, lenem, ac suauem efficiunt. Hoc nempe ei DEVS, ante annos prope nonaginta, promiserat, cum ei dixit Genesis 15. *Tu ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.* Origenes de morte Abrahæ, ita scribit: de tanti Patriarchæ morte, quid aliud nobis dicendum est, nisi quod in Euangelio continet sermo Domini dicentis: *De resurrectione mortuorum non legistis, quomodo dixit in rubo* DEVS DEVS *Abraham,* DEVS *Isaac, &* DEVS *Iacob? Non est autem* DEVS *mortuorum, sed viuorum: omnes enim illi viuunt.* Optemus ergo & nos huiusmodi mortem, sicut Apostolus dicit: *Vt moriamur peccato, viuamus autem* DEO. Talis namque Abrahæ mors intelligenda est: quæ in tantum dilatauit eius sinum, vt omnes sancti, qui de quatuor terræ partibus veniunt, post mortem portentur ab Angelis in sinum Abrahæ. Sic Origenes.

Origenes homil. 11. in Genesim. *Matt.* 22.

Ad Rom. 6.

48 Egregius sane Caietani est super hunc locum & memorabilis Commentarius: multa enim docte in horum verborum enarratione, paucissimis verbis perstrinxit. Non sola, inquit, mors istis verbis, sed peruentio ad finẽ, hoc est, ad terminos vitę naturales, describitur. *In senectute bona.* Minus dicitur, quàm est in Hebræo: vbi postrema ætas decrepitorum significatur. Et hæc vltima ætas narratur bona, vtpote absque ægritudinibus & molestiis, semperque vtilis. *Prouectæque ætatis, & plenus dierum,* Hebraicæ est, *Senex & Satur,* quod qualitatem vltimæ ætatis, non solum à bonitate commendat, sed etiam à satietate. Est enim sensus, Abraham non solum habuisse senectutem incolumem, & vtilem vsque ad finem, sed etiam senem obiisse bonis omnibus satiatum, vt nihil ei desiderandum amplius superfuerit. Emphasim autem habet, triplicata senilis ætatis repetitio. *Et congregatus est ad populum suum,* siue, vt est in Hebræo, *ad populos suos,* Aduerte prudens Lector, tria narrari hoc loco de Abraham; quorum primum est, eum fuisse mortuum: & hoc directe respicit ipsum Abraham, id est, hominem constantem ex anima & corpore: siquidem proprie, neque corpus moritur, neque anima, sed ex vtroque constitutus homo. Tertium est, sepultum fuisse eum à filiis suis in spelunca duplici. Hoc proculdubio spectat ad Abraham, tantum ratione corporis eius; neque enim anima, neque homo ex corpore & anima constans sepelitur, sed tantum cadauer. Ergo quod secundo loco positum est, Abraham esse congregatum ad populos suos; haud dubie conuenit Abrahę tantum secundum animam rationalem. Neque enim ipse homo compositus ex anima & corpore congregatus est ad populos suos; sed potius segregatus & separatus est à congregatione omnium populorum huius mundi. Nec cadauer Abrahæ, aggregatum fuit populis eius: sola quippe Sara de gente eius, sepulta eo tempore erat in illa spelunca. Restat igitur, id oportere intelligi de Abraham, tantum secundum eius animam rationalem. Et hæc ideo perpende, vt obmutescere

Caietanus in cap. 25. Geneseos.

facias

facias imprudentium hominum temeritatem, qui audent dicere, ne vnum quidem verbum in libris Mosis inueniri de vita hominum post mortem. Ex hoc enim loco clare patet immortalitas animæ, non solius Abrahæ, sed multorum etiam populorum, quibus aggregatus est Abraham. Et dicitur Hebraicæ in numero plurali, *ad populos suos*: ad significandum, quod ex quibuscumque mundi nationibus, mortui iusti, simul in alia vita conueniebant: & vndecumque essent, conueniebant & consociabantur cum quocumque iusto mortuo adueniente, tanquam proprius populus illius. Quare ad literam significatur, Abraham esse congregatum ad societatem iustorum omnium, qui ante ipsum mortui fuerant. Narrans autem Moses sepulturam Abrahæ, duos eius filios, Isaac & Ismahelem, tantum memorat, nihil dicens de filiis eius ex Cetura, aut quia duo illi erant præcipui; aut quia alij, ab eo loco longinqua habitatione semoti, sepulturæ Abrahæ non interfuerunt. Hactenus ex Caietano.

SED quæstio existit super illis verbis, *Deficiens, mortuus est*. Videtur 49
enim id quasi præcipuum quippiam, ac singulare & proprium dici de Abraham. At enim, nisi qui repentina, subitaque morte rapiuntur, omnes qui moriuntur, videntur paulatim deficiendo mori. Nam, vt more loquar nostratium Philosophorum, proxime mortem antecedens alteratio corruptiua, facit paulatim deficere naturalem hominis virtutem: cuius defectionis terminus ac finis, mors est. Verum nihil fuerit negotij, istiusmodi dubitationem explicare; si aduertatur, hoc loco illud *deficiēs*, non aliud significare, nisi, non præcoci, atque immatura morte præripi; nec violento morborum, aut vulnerū, aliorumue corporis cruciatuum impetu, deturbari de vita: sed mori suo tempore, atque vt loquuntur nunc Philosophi, per naturalem corporis resolutionem; sensim videlicet radicali & primogenio humore siccato, & consumpto; caloreque naturali paulatim deficiente, ac denique extincto.

Pro illo *deficiens mortuus est*, hebraicè ad verbum est, *Et expirauit, & mortuus est*. Verbum hebræum, quod latine redditur expirauit tantum dici de iustis hominibus, censet Rabbi Salomon, cui etiam Lyranus assentiri videtur. Sed id propterea non placet aliis, quod istud ipsum verbum, supra Genes. 7. dictum est de iis qui perierunt diluuio Noëtico. Nam vbi nos legimus: *Consumptaque est omnis caro &c.* Hebraice ad verbum est, *Expirauit omnis caro*, quod sane in vniuersum dictum est de omnibus hominibus sceleratis, quorum scilicet maxime puniendorum causa, illud missum est diluuium. Probabilius igitur est, quod super hūc locum tradit Auen Esra; illud verbum expirauit, significare egressionem spiritus è corpore, quæ fit subito sine dolore; ad cuius ipse rei confirmationem citat locum ex capite 49. Geneseos, vbi scriptum est de Iacob, cum finem prædicendi quæ filiis suis erant ventura, fecisset, collegisse pedes suos ad lectum, & expirasse: idem verbum hoc hebræum, etiam illic est. Itaque censet Esra, omnem expirationem esse mortem, non autem omnē mortem esse expirationem. Cum Esra cōsentit etiam

Rabbi Salomon. Lyranus.

Auen Esra in hunc locum.

Rabbi

Rabbi Dauid in Radicibus, scribens, vocabulo expirationis significari mortem lenem, sine præuio morbo graui aut diuturno.

Rabbi Dauid.

Talis porro senum mors, facilis ac lenis est, dulcique sopori non absimilis: qualem nempe vitæ exitum, εὐθανασίαν, id est, bonam & facilem vocare, sibique ac suis precari solitus erat Augustus Cæsar. Sic enim de obitu eius Scribit Suetonius: Sortitus est facilem exitum, & qualem semper optauerat. Nam fere quoties audisset, cito', ac nullo cruciatu defunctum quempiam, sibi & suis εὐθανασίαν similem (hoc enim & verbo vti solebat) precabatur. Huc item spectat, quod de differentia senilis atque iuuenilis mortis scite admodum, elegantique similitudine M. Tullius hisce verbis explicuit: Quid est, inquit, tam secundum naturam, quam senibus emori? quod idem contingit adolescentibus, aduersante & repugnante natura. Itaque adolescentes sic mihi mori videntur, vt cum aquæ multitudine, flammæ vis opprimitur: senes autem cum sua sponte, nulla adhibita vi consumptus ignis extinguitur. Et quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, vi auelluntur; si matura & cocta, decidunt: sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas: quę mihi quidem tam iucunda est, vt quo propius ad mortem accedam, quasi terram videre videar, aliquandoque in portum ex longa nauigatione esse venturus. Sic Cicero.

Qualē mortem Augustus appellauerit εὐθανασίαν ex Suetonio in Augusto c. 99.

Cicero de Senectute.

51 Ex iis quæ dicta sunt, extat & apparet, immerito LXX. Interpretes hoc loco esse à B. Hieronymo reprehensos, quod dixerint, Abraham deficientem esse mortuum; quia inconueniens sit dicere, Abraham, virum vtique perfectissimum defeciisse atque imminutum esse. Verba Hieronymi hæc sunt: Male in LXX. interpretibus additum est: *Et deficiens Abraham mortuus est*, quia non conuenit Abrahæ deficere & imminui. Sed enim, vt defectus moralis, inconueniēs atque indecens fuerit Abrahæ; non tamen naturalis, ac vitalis, de quo hic agitur: communis quippe omnium mortalium. Nec id solum dixerunt LXX. interpretes, sed idem quoque in Latina translatione vulgata, quæ ipsius esse Hieronymi creditur, positum est. Nec id Hebrææ scripturæ non optime respondet. Audi Oleastrum, interpretationem Hebræi verbi, pro quo Latine est, *deficiens*, tractātem. Dicit Rabbi Dauid, verbum *Gauah*, significare, obire, seu leniter mori, & non longa ægritudine tabescere. Mihi vero videtur, propter adiunctum verbum *Moth*, quod Mori significat, ne inutilis fiat repetitio, verbum gauah, significare deficere; quod equidem coniector ex Psalmo 88. vbi dicitur, *Pauper Vegauah*, id est, & deficiens ab adolescentia. Pro quo Septuaginta verterunt, Et in laboribus: Hieronymus autem, & ærumnosus. Sic ergo reddēdus est hic locus: *Defecit & mortuus est*. Hæc Oleaster.

S. Hiero. in Traditionibus Hebraicis in Genesim super cap. 25.

Oleaster hoc loco.

* * *

SEPTIMA DISPVTATIO,

Super iisdem illis verbis:

VERSV 8. *In senectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierum.*

Quæ videtur in Sacris literis Tautologia, ea secũdũ proprietatẽ Hebræę linguę ornatũ orationis & emphasim habet.

VIDENTVR hæc verba, Tautologiæ vitio non carere. 52
Namque ista tria, in senectute bona, Prouectæ ætatis, & plenus dierum, idem plane significare videntur, hominem scilicet longæuum, annosum, decrepitum, & ad vltimos prouectum ætatis terminos. Verum non ita res habet: sed istiusmodi coaceruatio verborum idem significantium, apud Hebræos, etiam ornamenti & elegantiæ gratiam habet, non tantum vitio caret. Amat enim lingua Hebræa & frequentat, nominum verborumque geminationes, & repetitiones, vel ad clariorem sententiæ intelligentiam, vel ad maiorem eius quod dicitur, confirmationem & persuasionem, vel ad orationis concinnitatem & ornatum. Nec raro fit, vt quæ idem significare videntur, diuersa id ratione, & secundum varias eius rei proprietates ac circumstantias significent: velut hoc in loco animaduertere est. Etenim senectutis verbum, ingrauescentem tantum ætatem significat; quæ vero adiuncta sunt, *Prouectæque ætatis, & plenus dierum*, maturiorem, & prope vltimam ætatem denotant. Nec temere aliquos dici plenos dierum reperias, nisi qui integre, sancteque vixerunt; quibus videlicet exacti dies non perierunt; quod non frustra traducti sint per vana studia, sed per egregia virtutum facinora. Nam ignaui, & voluptatibus corporis seruientes, atque vmbratilem viuentes vitam, vitiis, tanquam perpetua caligine, cooperti, nunquam verum iustitiæ ac virtutis solem aspiciunt; diesque suos omnes, tanquam somno oppressi, sepultique transeunt. Quamobrem cum illi præteriere, quia nullius rei bene ab ipsis gestæ recordatio eos recreat & consolatur, quasi nullos fuisse existimant.

Quæ sit dicenda senectus bona.

Sed quam vocat Moses bonam senectutem? Senectus bona dicitur, 53
nõ prępropera & præcox; sed sera, & sana, & pro ætate, valens, integrisque vtens sensibus: non difficilis, nec morosa, nec acerba, sed sobria, prudens, grauis, & perfectam quandam in sermonibus, in sententiis, consiliis, moribus, studiis & actionibus, quasi maturitatem habens. Bona senectus vocatur, propter existimationem virtutis, doctrinæ, ac prudentiæ, honorabilis, & reuerenda magnamque apud omnes habens fidem & auctoritatem: apex enim senectutis, vt apposite quidam dixit, est Auctoritas. Senectutem bonam appellat Moses, quæ contraria ei senectuti est, quam, vt malam, descripsit Boëtius illis versibus:

Boëtius lib. 1. de cõsolatione philosophica metro primo.

,, *Gloria felicis olim, viridisque iuuentæ,*
,, *Solatur mœsti, nunc mea fata senis.*
,, *Venit enim properata malis inopina senectus,*
,, *Et dolor ætatem iussit inesse suam.*
,, *Intempestiui funduntur vertice cani,*
,, *Et tremit effœto corpore laxa cutis.*

Bona demum senectus est, quæ licet proxima sit morti (qua nihil omnium rerum horribilius est homini) se ipsa tamen consolatur & sustentat, præteritæ vitæ prudenter atque innocenter exactæ conscientia, & iucunda rerum à se gestarum recordatione.

Philonis egregia sententia.

54 Exornabit nõ parum, vt opinor, atque illustrabit ea, quæ de bona senectute Abrahæ strictim diximus, amplior & luculẽtior super eadẽ ipsa re Philonis disputatio. In libro enim quem scripsit, Quis rerum diuinarum sit hæres, tractans ea verba, quæ dixit Deus, Genes. 15. *Tu autẽ ibis ad patres tuos, cũ pace nutritus, in senectute bona*: ad hunc modum disputat: Non temere dictum est illud de Abrahã: *In pace nutritus*, sed quia maxima pars hominũ nutritur in bello, & in bellicis calamitatibus. Est enim triplex belli genus: vnũ externum, quod infert obscuritas, ignobilitas, & quicquid est simile, & quod ab hominibus inuicẽ geritur: cuius effectus & finis, est bonorum spoliatio, & cædes hominum. Alterum est bellum internũ, sed corporale; quo à morbis, læsionibus, mutilationibus, aliisq; pestibus innumeris humanum corpus oppugnatur. Tertium bellum est item internũ, sed animæ; quæ à prauis affectibus, ab erroribus, à stultitia, iniustitia, similiũque tyrannorũ insultibus grauissimis, impetitur atque vexatur. Itaque in pace nutritur, qui hoc maxime tertio belli genere caret; cui serena & tranquilla vita contingit, vere felix & beata. Sed quando hæc cõtingit? Videlicet, quãdo in rebus externis bene se habẽt, & domi facultates, & foris existimatio ac fama, corpus robore ac prospera valetudine fruitur: anima vero virtutibus. Siquidẽ his singulis suo est opus satellitio: Corpori enim, pro satellitibus, sunt gloria, diuitiæ, potẽtia: animæ autẽ, sanitas atque integritas corporis: menti vero, contemplatiuę scientię ac virtutes. Nã de humana & ciuili pace hæc nõ intelligi, quæ promissa sunt Abrahæ, liquet ex sacræ Scripturæ lectione: maxima enim grauiaque bella, & susceepit, & peregit Abraham. Quin & derelicta patria, nec vlla certa sedes cõcessa homini, vltro citroq; vagãti per deserta & inuia, graue bellũ fuisset, nisi sustẽtatus fuisset fide oraculi. Qualẽ enim pacẽ ei potuit afferre cõtinua peregrinatio, sedes incertæ, cũ potentibus regibus contẽtio, famis onus, diutina vxoris sterilitas, alia demũ super aliis subinde pericula? Verũ si rem penitus introspiciamus, hæc ipsa reperiemus sinceræ pacis fuisse indicia. Nã ex affectibus emigratio, perdomatio perturbationũ, deletę iniquitatũ infestę copię, & à Chaldaicis opinionibus ad pias & religiosas trãsitus, hoc est, à sensibilibus creaturis ad Authorẽ earum intelligibilẽ; tranquillam, firmamque pacẽ conciliant. In tali pace degenti, bona senectus promittitur: ea vero est, nõ longæuitas, sed vita cum prudentia: nã felices dies, multis annis meliores sunt; sicut breuis lux, melior est, quã ętern ę tenebrę. Salubriter enim vir quidam propheta dixit: Malle se vnã diem cum virtute viuere,

Triplex genus belli.

Cui senectus bona contingat. *Psal.* 83.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam mille annos in vmbra mortis: per vmbram, vitam malam subindicans. Idem nunc quoque, re magis, quam verbis, Moses docet. Namque Abraham cui bonam senectutem pollicetur, breuioris vitæ facit, quam vllum de Maioribus eius: philosophice nos erudiens, quænam sit bona senectus; ne hoc promissum intelligamus de senectute, quę appareat in corpore, probrosis sæpe fœditatibus plena: sed de prudentia, animique constantia, dictum accipiendo, honestatem & sapientiam prædicemus de senectute, à qua nimirum seniores denominamus honoris gratia. Disce igitur hoc dogma nostri legislatoris, soli bono viro bonam senectutem & longæuitatem contingere; malum vero, quamuis longissimi æui, breuissimam tamen vitam viuere, vel potius virtuti iam esse mortuum. Hæc ex Philone.

Philo. Idem Philo in libro quem fecit super illis verbis: *Respiuit Noe*: tractans verba illa: *Erat senior Abraham, & ætatis prouectæ, & Deus ei benedixerat in omnibus*: Alias, inquit, demonstratum puto, iuuenem in Sacris literis sæpe vocari, non ætate vigentem, sed eum, qui temerariam habet animam, nouarumque rerum cupidam: nunc ostendamus, non ætate sed honore præstantes, nominari seniores. Quis enim versatus in Sacris literis ignorat, sapientissimum illum virum Abraham, breuioris æui fuisse, quam fuerit vllus pene omnium maiorum suorum? Atqui nullum eorum, sed hunc solum, reperimus in Scriptura vocari seniorem. 55

Genes. 24. Dicunt enim sacra oracula, quod *Abraham erat senior, & prouectæ ætatis, & Dominus ei benedixerat in omnibus*. Et hoc quidem extremum, videtur adiunctum tanquam causa, cur præcipue dictus sit Abraham senior. Etenim cum à benigno Deo bene afficitur pars animæ rationalis, nec vnam modo, sed omnes ab eo benedictionis species acquirit; tunc seniliter sapit, atque ita fit senior. Quare & cari Deo populi Consistorium, quod cogitur ex decies septeno numero, seniores solent nominari. Dicitur enim, *Congrega mihi septuaginta viros ex senioribus Israel quos tu ipse nosti quod seniores sint*. Ergo non eos, quos vulgus senes existimat & appellat, sed quos solus sapiens Moses nouerat, seniorum appellatione dignatur. Quos enim hic reprobauerit tanquam bonus mensarius, falsam virtutis monetam habentes, iuuenili, temerarioque sunt omnes animo: quos autem ille commendauerit, probati, & propter virtutis ac prudentiæ præstantiam, seniores censendi sunt.

Locus Numero. 11. Cõsistoriũ 70. seniorum apud Hebr. quale fuerit.

Certe vtrumque quod dixi, eruditæ aures, in vno nostræ legis edicto, clarissime possunt agnoscere. *Si habuerit*, inquit Scriptura, *homo vxores duas, vnam dilectam, alteram odiosam, & pepererint filios dilecta & odiosa, fueritque filius odiosæ primogenitus; voluerit que substantiam inter filios diuidere: non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ: sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de eis quæ habuerit, cuncta duplicia: iste est enim principium liberorum eius & huic debentur primogenita.* Obseruastin his verbis, quod dilectæ filium, nunquam seniorem vocat aut primogenitum, odiosæ vero filium, sæpius? At filium dilectæ vxoris, priorem natu fuisse, satis apparet ex ipsius edicti verbis, cum ait:

Locus Deuteron. 21.

Si pepererint dilectæ & odiosæ. Attamen prioris partus, quanquam antiquior, à recte tamen iudicante, iunior decernitur: posterioris vero filius, quamquam prærogatiua temporis careat, maiore tamen honore, & patrimonij portione dignus iudicatur. Quamobrem? Nimirum, dilecta vxor, voluptatis; odiosa vero, prudentiæ ac virtutis significationem & imaginem habet. Illius quippe consuetudinem vulgus eximie diligit, vt quæ homines suis blanditiis & deliciis, à natali vsque die ad vltimam senectutem alliciat: huius autem tetricos, verendosque mores odit misere, non secus ac pueri insipientes, parentum suorum, aut curatorum, alterumque, parum quidem iucunda ipsis, sed valde vtilia monita auersantur. Et ambæ illæ pariunt in anima filios: altera, studium voluptatis, altera virtutis. Sed voluptatis studium, partus imperfectus est, semperque puer, etiamsi ad annosam ætatem perueniat: è diuerso autem, virtutis amor ab incunabulis, vt ita dicam, in prudentiæ senatum allegitur, nunquam non seniorum appellatione, atque honore dignissimus. Quapropter diserte de virtutis, vulgo exosæ, filio dictum est, quod hic sit filiorum principium; quippe natu simul & principatu primus: cui ius primogenitorum debetur lege naturæ; quamuis ei, hominum iniquitate non deferatur. Sic Philo.

56 Pro illo: *Plenus dierum*, Hebraice est, *Satur*, significat autem Abraham satiatum esse vita, & tam diu vixisse, vt iam eum vitæ, sicut aliarum rerũ, cepisset satietas, nec mori acerbum sibi, verum etiam iucundum duceret. Cur enim non id credamus de Abrahamo, viro sanctissimo & sapientissimo, quod apud Ciceronem Censorius ille Cato, & in vniuersum de probatis senibus, & proprie de seipso prædicauit? Omnino, inquit, rerum omnium satietas, vitæ facit satietatem. Sunt pueritiæ certa studia: num igitur ea desiderant adolescentes? Sunt & ineuntis adolescentiæ: num ea iam constans requirit ætas? Sunt etiam eius ætatis: ne ea quidem à senectute quæruntur. Sunt extrema quædam studia senectutis. Ergo vt superiorum ætatum studia occidunt, sic occidunt etiam senectutis. Quod cum euenit, satietas vitæ, tempus maturum mortis affert. Equidem proficiscentem me ad eos, qui pridem excesserunt, quos ego colui & dilexi; quin etiam ad illos, de quibus audiui, & legi, & ipse conscripsi, haud sane quis facile retraxerit; nec tanquam Peliam recoxerit. Quod si quis Deus mihi largiatur, vt ex hac ætate repuerascam, & in cunis vagiam, valde recusem; nec vero velim, quasi decurso spatio, ad carceres à calce reuocari. Hæc Cato. Quod autem de Pelia dictum est, id spectat ad fabulam poëtarum, qui finxerunt Peliam Iasonis patruum, à Medea fuisse medicatis aquis recoctum, & iuuentuti restitutum.

An cuipiam possit cõtingere satietas vitæ.

Cato apud Ciceronẽ libro de senectute.

Certa & propria cuiusque ætatis esse studia.

Fabula de Pelia, ex senectute ad iuuentutem reuocato.

57 Sed quid est, Abraham obiisse plenum dierum? Hoc nempe, non solum vixisse vsque ad ineuntem, aut prouectam, verum etiam vsque ad extremam senectutem, & ad vltimos ætatis ac vitæ fines peruenisse; tamdiuque vixisse, quoad naturaliter viuere poterat. Et sicut plenum diuitiarum, aut plenum sapientiæ, vocamus hominem sapientissimum

Quid sit esse plenum dierum.

& ditissimum;ita plenus dierum vel annorum, homo annosissimus & longæuissimus nominatur. Plenus etiam dierum dicitur, qui omnes dies suos, plenos vixit ac transegit: plenos dico egregiarum virtutum functionibus,præclarisque benefactis. Nam qui vitam inertem & ociosam degunt, horum dies, vacui, & inanes, & nihili sunt. Atque vt nobilis ille pictor, diem se nullum sine linea præterire gloriabatur: sic Abraham, nullum diem non insignibus virtutum officiis, factisque plenum transierat. Titus Imperator, recordatus super cœnam, se nemini quicquam toto eo die præstitisse; memorabilem illam, meritoque laudatam edidit vocem; Amici, diem perdidi. Abraham igitur in centum septuagintaquinque annorum vita, nullum perdidisse diem, quin etiam nullum diem nisi frugiferũ exegisse, instar profecto miraculi haberi posset.

Appelles apud Plinĩ lib. 35. c. 10. Suetoni⁹ in Tito, cap. 9.

Nec solum apud homines pro magno æstimatur, & in præcipua humanæ felicitatis parte censetur, sera, & longa, & quieta, & honorata senectus: verum etiam diuina Scriptura testatur, plenitudinem dierum, vitæque longitudinem, tanquam ingens quodpiam bonum viris iustis à Deo promitti & præstari solitum. Hoc sibi bonum concedi, Dauid studiose precabatur à Deo, cum dixit: *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum.* Rex vero Ezechias, hoc sibi bonum fuisse denegatum, amarissime dolebat. Audi lamentabiles regis voces: *Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi. Quæsiui residuum annorum meorum. Dixi, Non videbo Dominum Deum in terra viuentium; non aspiciam hominem vltra & habitatorem quietis. Generatio mea ablata est, & conuoluta est à me, quasi tabernacula pastorum: præcisa est, velut à texente, vita mea: dum adhuc ordirer succidit me: de mane vsque ad vesperam finies me.* Porro non habere dies plenos, sed multum diminutos, & in medio vitæ spatio intercisos, quasi graue quoddam supplicium sceleratis atque impiis hominibus minari solet diuina Scriptura: quo pertinet illud: *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos:* & illud, *Ne impie agas multum, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Multum impie agere, significat, vel & multa magna impietatis peccata patrare, vel peccatis peccata cumulare, & in peccando perseueranter versari: vel non per imprudentiam, siue infirmitatem animi, subitamue aut vehementem perturbationem, sed scientem, volentemque, atque ex prauitate animi, quæ assiduitate peccandi, iudicium sensumque corrupit, peccare.

Locus *Psal.* 101. *Isaiæ* 38.

58

Psal. 54. Locⁿ ex c. 7. Ecclesiastæ fuse tractatur.

Sedenim quod proxime adiungitur: *Ne moriaris in tempore non tuo,* videtur contrarium sacræ Scripturę, quę docet, cuique mortalium, certum esse atque immutabile vitæ spatium à Deo præfinitũ. Aperta enim de hoc extat beati Iob sententia: *Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est, constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Triplex huius quæstionis solutio, ducitur ex triplici illorum Salomonis verborum interpretatione. Prima expositio: Mori tempore non suo, significat, mori intempestiua, violenta, & anticipata morte: & ante naturalem vitæ terminum, quem potuisset quis attingere, nisi extrinsecus vi quapiam, vitæ præreptus fuisset. Marcus Tullius hoc genus anticipatæ

59

An cuique mortaliũ sit præfinitũ vitędi spatiũ, quod nullus vnquã excedat. *Iob* 14.

Cicero in prima Philippica.

mortis

mortis; appellauit, præter fatum, præterque naturam mori: mortem vero suo tempore obitam, dixit fatalem & naturalem. Verba Ciceronis hæc sunt: Vt si quid mihi hmanitus accidisset (multa autem impendere videntur, etiam præter naturam, præterque fatum) huius diei vocem, testem Reipublicæ relinquerem, meæ perpetuæ erga se voluntatis. Demosthenes quoque in egregia illa oratione, cui titulus est, περὶ στεφάνου, eiusmodi mortem naturalem appellauit, τὴν μετρωμένην καὶ αὐτόματον θάνατον, id est, fatalem, & spontis suæ mortem: quæ scilicet nulla vi extrinsecus est coacta. Est igitur cuique mortalium duplex vitæ periodus: vna, secundum naturam, quam scilicet sua cuiusque natura non impedita, implere posset: altera secundum præscientiam & dispositionem Dei, qui non raro, tam viris iustis, magno ipsorum bono, quam sceleratis & impiis, in exemplum iustitiæ suæ, mortem accelerat. Ad hanc sententiam B. Hieron. locum illum Ecclesiastæ interpretatus est. Namque illud, *Ne impie agas multum,* sic exposuit: Cum Dominus loquatur: *Nolo mortẽ peccatoris, sed tãtum vt reuertatur & viuat:* debemus nos erigere post ruinam. Si enim iuxta eos qui de Physicis disputant, nouit hirundo pullos dẽ succo oculare Chelidoniæ; & Dictamum Capræ appetunt vulneratæ: cur nos ignoremus medicinam pœnitentiæ propositã esse peccantibus? Iam vero quod sequitur: *Ne moriaris in tempore nõ tuo,* hunc in modũ interpretatur Hieron. Scimus, Core, Dathan & Abiron, propter seditionẽ aduersus Mosen & Aaron, repẽtino terræ hiatu deuoratos: & ad emendationẽ malorum, ante diem iudicij, etiã in hac vita plurimos esse iudicatos. Quod ergo dicit Salomõ, tale est: Noli peccatis addere peccata, ne prouoces Deum etiã hic tibi inferre iudiciũ. Hęc S. Hieron. Ergo homines insigniter scelerati, propterea dicũtur mori tẽpore nõ suo, quod vel Magistratuũ animaduersione, vel etiam diuina vltione, de vita tollũtur.

Vide super hac ipsa re Disputationẽ Auli Gellij lib. 13. c. 1.

B. Hiero. in in Commẽtariis in c. 7. Ecclesiastæ. *Ezechiel.* 18. & 33.

Num. 16.

60 Altera eiusdem quæstionis solutio petitur ex Commẽtario Olympiodori super eum locum Ecclesiastæ, docentis, propterea impios homines dici, mori tempore non suo; quod moriantur priusquam bene maturi sint, riteque parati ad mortem vtiliter obeundam. Importuno tempore ac non suo, inquit Olympiodorus, decedit è vita, qui consummatus non fuerit in virtutibus. Qui vero est virtutum plenitudinem consecutus, sicut granum frumenti, quod maturum est, cadit in tempore suo. Quemadmodum igitur vua, nec dum bene decocta, sed etiamnum acerba, si decerpatur, dicitur non suo tempore decerpi, quod nondum suam haberet maturitatem: ita qui perparũ in virtutibus processit, nec se, vt oportebat, ad suscipiẽdam mortem comparauit, dicitur tunc mori non suo tempore, quia non erat tunc maturus morti. Si autem flagitiose viuentem mors occupet, quamuis centum annos is vixerit, dicetur tamen mori non suo tempore. Isaias certe eiusmodi hominem etiam cẽtenarium, non dubitauit appellare puerum, *Et puer,* inquit, *centum annorum morietur.* Si centenarius iste moriatur, quia moritur puer, vere dicetur nõ suo tempore mori. Cõtra vero pius & sanctus vir, etiã florente iuuenta raptus, vere moritur tempore suo: siquidẽ, *Cõsummatus,*

Olympiodorus,

Locⁿ Isa. 65.

Sap. 4.

matus in breui, (vt ait Scriptura) *expleuit tempora multa: quoniam ætas senectutis, est vita immaculata.*

Tertia propositę quęstionis solutio, huiuscemodi est, propterea im- 61
probi, quamuis longissimam vitam duxerint, dicuntur mori tempore non suo, quia nullo tempore illi expectant mortem, semperque longissime à se putant distare. Itaque quocumque tempore mors illis aduenerit, quia nunquam de illa cogitarunt, immatura illis videtur & pręcox: certe inopinata & ingrata venit. At vero, homini pio, immatura mors nunquam potest accidere: integritas enim vitæ, vel in prima adolescentia, maturum mortis tempus affert: neque dicendus est quispiam, parum diu vixisse, qui quantulumcũque datũ ei vitę est, pure, sancteque peregit. Quinetiam vir pius, siue senex, siue iuuenis mortem obeat, expleuit tempus suum: quippe qui paratus semper fuerit ad decedendum ex hac vita: & bene maturum censeat, quocumque ipsum die corporis huius vinculis exoluere Deus voluerit. Cõtra improbi, vitam sibi semper longam pollicentur: immo perinde ac si immortales sint, sine vlla mortis cogitatione, respectuque viuunt. Quo fit vt nunquam isti expleant tempus suum: semperque ipsis excessus è vita, quasi iuuenes essent, intempestiuus, atque immaturus videtur, etiam si centum annos supergressi fuerint. Ergo quamquam homines impij, aliquando ad extremam senectutem perueniant; verissima tamen est illa Salomonis sententia, impium & stultum hominem mori non tempore suo.

Iam vero quemadmodum Scriptura dicit fuisse aliquem plenum die- 62
rum, vel habuisse dies plenos; ita solet dicere, fuisse quempiam plenum operum, vel habuisse opera plena; vel contra, non habuisse plena opera. Legimus enim in Apocalypsi dictum esse cuidam: *Non inueni opera tua plena coram Deo meo.* Huius simile videtur, quod scriptum est in libro Danielis: *Appensus es in statera, & inuentus es minus habens.* Tales profecto fuerunt virgines illæ fatuæ, habentes lampades suas, ornatas quidem, sed inanes, & oleo vacuas. Sed quid est, opera non esse plena? Cursim exponam aliquot interpretationes nobilium Doctorum, qui eam sententiam tractarunt in suis Commentariis in Apocalypsim. Victorinus martyr habere opera non plena, interpretatur esse velut arborem frõdosam & floridam sed infructuosam: talem esse, speciosam Christianæ disciplinę professionem, bonorum operum sterilem. Andreas Cęsareę Cappadocię Episcopus, habere, inquit, opera non plena, est non esse constantem & perseuerantem in bene agendo. Vulgo putatus & nominatus Ambrosius in Apocalypsim, exponit, facere quidem magna opera; sed non ex charitate, & iccirco inania atque inutilia. Ansbertus & Haymo aiunt id esse, facere bona, quantum ad substantiam operis, sed non bene quantum ad modum, id est, recta intentione. Beda id exponit de Episcopo: quem non est satis esse bonum, sed præterea oportet vigilantem esse ac diligentem in pascendo, regendo, tuendoque grege suo. Carthusianus interpretatur facere bona, sed negligenter, remisse ac tepide. Haymo tradit alteram expositionem: vocari opera non plena, exten

Locus Apocalypsis 3.

Daniel.5. Matth.25.

Victorinus martyr.

Andreas.

Ambrosius. Ansbertus, & Haymo.

Beda.

Carthusianus. Haymo.

extensiue: quod quædam ille faciebat bona opera, alia vero minime. Si quis autem offenderit in vno ait Iacobus, factus est omnium reus. Sunt etiam qui sic interpretentur: Non habebat ille opera plena, quia charitatem & misericordiam in paucos quosdam conferebat, non autem extendebat, vt Christianum virum & perfectionis euangelicæ amatorem decet, ad omnes, etiam inimicos. Ergo non plenum opus dicitur, vel solide, vel intensiue, vel extensiue. Solide, quia intus vacuum est, vel charitate, vel recta intentione, vel veritate ac synceritate boni operis. Intensiue, quia remisse ac tepide fit. Extensiue, vel quantum ad tempus, quia non perseueranter vsque ad finem bene agitur: vel quantum ad vniuersalitatem operum, quia non omnia sunt bona, sed bonis mala sunt mixta; vel quantum ad personas, quia bonum opus non extenditur vsque ad omnes, sicut Christiana charitas exigit; vel quantum ad plenitudinem muneris & officij; non enim Episcopo & Prælato satis est bonum sibi esse, nisi bonus etiam sit aliis, munusque suum, cum eorum quos regit, vtilitate perficiat.

Iacobi 2.

OCTAVA DISPVTATIO.

Quis fuerit populus ille, ad quem Abraham, vita defunctus, dicitur esse congregatus.

Super illis verbis,

Et congregatus est ad populum suum. VERSV 9.

63 HABET diuina Scriptura in describendo statum eorum qui mortui sunt, peculiares quasdam phrases, & modos loquendi, extra ipsam, aliubi minime vsitatos. Huius generis sunt ista, Ire, pergere, apponi, colligi ad patres suos: & item Apponi & congregari & iungi cum populo suo: sicut etiam ista, Dormire cum patribus suis, & ingredi viam vniuersæ carnis. Prædicens DEVS Abrahæ mortem, *Tu*, inquit, *ibis ad patres tuos, sepultus in senectute bona*, Genes. 15. & de eodem iam mortuo scripsit Moses; *Et congregatus est ad populum suum:* Et paulo infra de Ismahele: *Mortuus est*, inquit, *& appositus ad populum suum*, Genes. 25. De Isaac quoque scriptum est, *Appositus est populo suo senex & plenus dierum*. Genes. 35. Quin etiam Iacob iam moribundus, de se ipse dixit, *Ego congregor ad populum meum; sepelite me cum patribus meis.* Et de ipso iam mortuo dixit Moses, *Et obiit, appositusque est ad populum suum*, Genes. 49. DEVS porrò cum nollet Aaron intrare terram Promissionis, sed vellet eum mori in monte Hor, dixit, *Pergat Aaron ad populos suos, non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israel*: Numerorum 20. Dixit quoque Mosi, *Vlciscere prius filios Israel, & sic colligeris ad populum tuum*, Numer. 30. & Deuteronomij

32. eidem Mosi dixit: *Ascende in montem istum Abarim, & morere in monte, quem conscendens iungeris populis tuis.* Ex his apparet, Scripturam in describendo mortem aliquorum, frequenter vsurpare istiusmodi locutiones, Apponi, vel congregari cum patribus, vel cum populis suis. Quæritur igitur, qui fuerint illi patres, quiue populi, ad quos Patriarchæ, cum moriebantur, apponi & aggregari dicti sunt.

Prima expositio Philonis. Philo in libro quem inscripsit, Quis rerum diuinarū sit hæres. *Genes.* 12. *Infra* 23.

PRIMA sententia super ea re, primaque istiusmodi verborum interpretatio, est Philonis: Qui tractans illa DEI verba, dicta Abrahæ: *Tu ibis ad patres tuos*, Genes. 15. Sic ait: Quosnam dicat patres suos, considerandum existimo. Neque enim id potest intelligi de patribus Abrahæ, qui fuerunt in Chaldæa, de quorum ipse familia progenitus erat: quippe cum eiusmodi patres derelinquere, & à cognatis suis, paternaque domo discedere, diuino fuerit iussus oraculo. Non igitur credibile sit, eum post mortem reuectum fuisse ad loca Maiorum suorum: præsertim cum constet, sepultum fuisse eum in spelunca duplici iuxta Hebron; vbi nullus de genere suo, præter Saram vxorem, conditus fuerat. Patres igitur, non illos relictos dicit, defossosque in monumentis Chaldaicis: sed, vt quidam aiunt, Solem, Lunam, Stellasque cæteras; ex quibus scilicet, cuncta hæc terrena generari creduntur. Alij hoc dictum interpretantur de Ideis archetypis intelligibilibus & inuisibilibus, ad quarum exemplar hæc sensibilia, quę videmus, facta sunt; atque harum Idearum contubernium destinari sapientibus. Sed & alij suspicantur, Patres dictos, principales potentias quatuor, ex quibus coagmentatus mundus constat, Terram dico, Aquā, Aërem, & Ignem: in hæc enim res singulas resolui necesse est. Sicut enim nomina & verba, & omnes orationis partes conficiuntur ex elementis grammaticis, ac rursus in eadem retexuntur atque resoluuntur: ita nostrum quoque corpus ex quatuor illis mundi elementis constitutum, & à singulis mutuatum quasdam portiunculas; ad certum tempus eas reddit, quasi debitum soluens, vel depositum restituens. Nimirum aridas partes, terræ: humidas, aquæ: calidas, igni: frigidas, aëri. Et hæc quidem in corpus hominis scite dicuntur. Cæterum intelligibile illud atque cæleste genus animæ rationalis, ad ætherem purissimum, tanquam ad patrem perueniet. Est enim hæc, vt Prisci docent, quinta quædam essentia, motu orbiculari prædita, cæteris quatuor melior; ex qua cælum & sidera facta fuisse videntur: &, quantum colligere possumus, humana quoque anima, eius est particula. Sic Philo. Cuius interpretatio, præterquam quod non literalis, sed allegorica est; est item falsa, & Platonica magis atque Stoica, quàm sacræ doctrinæ consentanea. Animos enim sapientum & proborum hominum, post hanc vitam, ad sidera euehi, & suum cuique, vbi beatam degat vitam, astrum assignari, Platonicum & Stoicum dogma est; sicut etiam illud, quod est sane falsissimum, humanos animos ætherea natura constare, ex qua cæli & astra constituta sunt. 64

Animaduersio in Philonis sententiam.

2. Expositio S. Augustin.

Secunda opinio & interpretatio est Augustini, populum istum, ad quem congregatus est Abrahã & Iacob, interpretantis, frequentiam & societa 65

societatem Angelorum. Sic enim scribit in libro Quæstionum super Genesim, quæstione 168. exponens illa verba, quæ de Iacob mortuo scripsit Moses Genes. 49. *Et obiit, & appositus est ad populum suum.* Ecce, inquit Augustinus, de Iacob iam quidem mortuo, sed nondum sepulto, dictum est, quod appositus est ad populum suum: sed ad quem populum appositus sit, non in promptu est videre. Ex Iacob enim populus natus est, qui dictus est populus Israël: qui autem eum præcesserunt, tam pauci iusti nominantur, vt eos populum appellare cunctemur. Nam si dictum esset, appositus est ad patres suos; nulla quęstio fieret. An forte populus est, non solum hominum sanctorum, verum & Angelorum? Populus, inquam, illius ciuitatis, quæ de cælo est Hierusalem; de qua Paulus; *Accessistis*, inquit, *ad montem Sion, & ad ciuitatem* DEI *Hierusalem, & ad millia Angelorum exultantium.* Huic populo apponuntur, qui post hanc vitam placentes DEO fiunt: tunc enim dicuntur apponi, quando nulla iam remanet solicitudo tentationum, & periculum peccatorum. Hoc intuens Scriptura dixit: *Ante mortem ne laudes hominem quenquam.* Sic Augustinus. Eandem sententiam Lector apud eundem Augustinum reperiet, in libro eius secundo contra Pelagium & Celestium, cap. 30. Hanc sententiam secutus est Magister Historiæ Scholasticæ cap. 114. Historiæ suæ super librum Genesis. Idem quoque tradit Glossa Interlineatis super cap. 25. & 49. Genesis, & Thostatus hoc loco. *Ad Hebr.* 12. *Eccl.* 11. Historia Scholastica Thostatus.

66 VERVM opinionem hanc Lyranus eo refellit argumento, quod ante CHRISTI aduentum, nullus Iustorum, post hanc vitam ascendit cælos, nec in cæleste patriam & societatem Angelorum receptus est: sed omnes iusti, quotquot fuere ab exordio mundi, post mortem descendebant in Limbum. Hanc obiectionem præuiderat Magister Historiæ Scholasticæ; & iccirco opinionem suam præmuniens, dixit, sanctos illos patres fuisse post mortem aggregatos ad societatem Sanctorũ Angelorum, non secundum rem, sed secundum certam spem. Verum tali responso, non satis occurrit obiectioni. Etenim idem posset dici de iustis viris: qui vitam adhuc viuunt in terris; maxime verò de prædestinatis aut etiã confirmatis in gratia: istos enim secundum certam spem, ad societatem Angelorum pertinere, negari non potest; cum tamen Scriptura eo loquendi modo non vtatur nisi in mortuis. Lyranus in cap. 49. Genesis.

67 Paulus Burgensis super cap. 49. Genesis defendens istam opinionem, ait propterea illos patres dici congregatos ad societatem Angelorum, quod licet illi nõn essent in cælis vna cum Angelis, in ipso tamen limbo, vbi erant, frequentissime visitabantur ab Angelis: atque hanc frequentem Angelorum visitationem, appellari societatem eorum. Sed perinfirma & leuis admodum, hæc Burgẽsis defensio est. Societas enim Angelorum, non intelligitur nisi ea, quæ est in cælis: nec aliam ob causam, Sancti post hanc vitam dicuntur recipi in societatem Angelorum, nisi quia cælestem ad patriam, & felicitatem admittũtur. Alioqui etiam viri sanctissimi, qui dum in terris versabantur, frequentissimas habuere visitationes Angelorum (quod in antiquis historiis de B. Maria Magda- Burgensis.

lena proditum est) etiam tunc dici possent aggregati fuisse ad societatem Angelorum; cum tamen id genus loquendi, non nisi de mortuis vsurpet Scriptura. Præterea, cum indifferenter Scriptura de mortuis dicat eos apponi ad patres suos & ad populum suum, idem nempe significans vtraque locutione: quemadmodum apponi ad patres suos, non potest intelligi de Angelis, insolens enim & durum est, Angelos vocare patres hominum: ita nec apponi vel congregari ad populum suum, de Angelis interpretari conuenit. Eodem addo, pro eadem re Scripturam vsurpare, congregari ad patres, vel ad populum suum, atque, dormire cum patribus suis: hoc autem in Angelos dici non posse, nemo est qui non videat. Nam quid est, dormiuisse quempiam cum patribus suis, nisi dormiuisse eum, sicut dormierunt patres eius? id autem est, mortuum esse similiter, atque mortui fuerant patres eius.

Tertia expositio Lyrani.

TERTIA Sententia & expositio est Lyrani super caput 49. Geneseos, 68
aientis populum illum, ad quem congregabantur Sancti Patres, intelligi debere omnes iustos, quicumque ab exordio mundi fuerant, & vna omnes erant in Limbo, vt Adam, Abel, Seth, Enos, Noe, aliique non

Burgensis.

pauci. Verum huiusmodi expositionem carpit Burgensis, negans ante Abraham, quempiam piorum patrum recta descendisse in Limbum: Siquidem Scriptura de nullo eorum ante Abraham dixit, quod appositus est ad patres suos, vel ad populum suum, quod eo loquendi modo significare voluerit Scriptura, hominem mori vacuum & purum ab omni culpa, quæ purgatorio igne sit expianda; & statim post mortem, recta, & sine mora, ire ad Limbum. Quanquam igitur homines iusti, qui præcesserunt Abraham, ex hac vita decesserint cum gratia DEI; ferebant tamen secum maculas & sordes nonnullorum peccatorum, per ignem purgatorium abstergendas; quapropter non est dictum, illos esse congregatos ad populum suum.

Sed hoc parum scienter & considerate à Burgensi dictum est. Quis 69
enim vel dubitare audeat, primum martyrem Abel, non ab omni peccato purum occubuisse, & recta descendisse in Limbum? quis non idem

Genes. 6.

sentiat de beatissimo Patriarcha Noe, de quo scilicet Moses scribens: *Noe*, inquit, *vir iustus atque perfectus fuit; cum* DEO *ambulauit.* eique dixit DEVS, *Te vidi iustum coram me in generatione hac.* Mirum sane, vel potius ridiculum, putasse Burgensem, puriorem ab omni culpa, sanctioremque obiisse Ismahelem, quam Abel & Noe. Atqui de Ismaële scripsit Moses Genes. 26. mortuum esse Ismahelem, & appositũ esse ad populũ suum.

Ruper. lib 6. commen. in Genes. cap. vlt & lib. 9. cap. 40.

CVM expositione Lyrani congruit Ruperti interpretatio. Nam 70
hunc ipsum qui est in manibus, locum enarrans, ita scribit: Porro quod dictum est: *Congregatus est ad populum suum*, per similitudinem est intelligendum: quia videlicet quemadmodum de agris congregatur matura messis in horreum: sic de publico vitæ huius congregantur electi temporibus suis singuli in secreta quiescentium. Idem exponens illa verba

Genes. 49.

Iacob: *Ego congregor ad populum meum*, sic ait: Quod istis verbis dixit Iacob, hunc habet intellectum: Ego descendo ad inferos: vbi Saluatorem

qui

qui mittendus est, & qui erit expectatio gentium, vniuersus expectat, donec veniat, populus Sanctorum. Hæc Rupertus. *Ibidem.*

Caietanus in caput 25. Genes.

71 Huic etiam Lyrani sententiæ adhæsit Caietanus ad hunc modũ scribẽs, Illis verbis: *Et congregatus est ad populum suum*, ad literã significatur, quod Abrahã cõgregatus est ad societatem iustorũ omnium, qui antea mortui fuerant. Dicitur autem hebraice in numero plurali, *Ad populos suos*, ad significandũ ex quibuscumque mundi nationibus, mortuos iustos simul in alia vita conuenire, & vndecũque fuerint, conuenire cum quocumque mortuo iusto adueniente, tanquam proprium eius populum. Hic porro locus clare demonstrat immortalitatẽ animæ, non solius Abrahæ tantum, sed multorum populorum, quibus adiunctus est Abraham post hanc vitam. Ex hoc igitur loco firmũ ducitur argumentum, aduersus quorundam hominũ imprudentiam & temeritatẽ, qui audent dicere, ne vnum quidem verbum reperiri in libris Mosis, de altera vita hominum post mortem. Hactenus ex Caietano.

Oleaster aduersus Caietanum super cap. 25. Genes.

72 Verum Oleaster, quasi vellicans Caietanũ, ductã ex hoc loco argumentationẽ eius pro immortalitate animæ, imbecillẽ atque inualidam esse putat. Caietanus, inquit Oleaster, ex hoc loco statuere vult animi immortalitatem: quod vtinã faciat. Dicit enim, apponi ad populos suos idem esse, quod animam eius esse in limbo, coniunctam omnibus iustis, ex quacumque natione sint vel gente. Sed hoc eum probare oportebat; Iustos videlicet, cuiuscumque sint nationis, dici populum Abrahæ, aut cuiuscumque alterius iusti: quod meo iudicio, non facile probatur. Hæc Oleaster. At enim à Caietano stat aduersus Oleastrum, grauis in primis auctor, Theodoretus. Is enim tractans verba illa scripta de Iacob mortuo, *Et appositus est ad populum suum*, ad hanc sententiam scribit: His nempe verbis obscure insinuat Moses, spem resurrectionis. Si enim homines prorsus interirent, & non transirent ad aliam vitam, minime dixisset, *Appositus est ad populum suum.* Hoc autem ipsum, DEVS etiam dixit Abrahæ: *Tu autem ibis ad patres tuos, in pace sepultus in senectute bona*: Et inde Dominus noster reprehendit Sadducæorum incredulitatem, cum inquit, *Quod autem resurgant mortui, non legistis: Ego* DEVS *Abraham, Isaac & Iacob.* DEVS *autem non est* DEVS *mortuorum, sed viuentium.*

Theodoretus quæst. 109. in librũ Genesis. *Genes. 15.*

Matthæi 22. Exod. 3.

Apponi ad populũ suũ vel dormire cum patribus suis dicitur etiã in homines improbos. An Ismael sit saluus.

73 ILLVD fortasse magis aduersari Lyrano & Caietano videretur, quod in hoc ipso capite paulo infra, Moses, narrans mortem Ismahelis, idem scripsit de eo, atque de Abraham scripserat; dicens, eum esse mortuum, & appositum ad populum suum. Ismahelem vero post mortem suam transisse, & aggregatũ esse ad populum & societatem Sanctorum: neminem memini legere Christianorum Auctorũ, qui non, aut neget, aut certe dubitet. Videat lector quę disputat super ea re Rupertus lib. 5. Commẽtariorum in Genesim cap. 36. & quod eadẽ de re carptim dixit Caietanus in cap. 16. Geneseos. In libris quoque Regum de multis regibus, etiam improbis atque impiis, dicitur, eos dormiuisse cum patribus suis: quod plane idem est atque Appositum esse vel congregatum

cum patribus vel cum populis suis. Ac ne laboret lector, eius rei quærens exempla, tria hic ponam ex posteriore libro Paralipomenon expromta. De Roboam filio Salomonis scriptum est capite 12. *Fecit malum Roboam, & nõ præparauit cor suum, vt quæreret Dominum: & dormiuit Roboam cum patribus suis.* Et capite 16. de rege Asa proditum est, interfectum ab eo fuisse prophetã Domini, & de populo plurimos; & subditur: *Ægrotauit Asa; sed nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum, verum magis in medicorum arte confisus est. Dormiuitque cum patribus suis, & mortuus est.* Quis nescit, & vita & morte impium ac possimum fuisse regem Achaz? de eo tamen legimus capite 28. *Dormiuit Achaz cum patribus suis:* Ex his videtur concludi, apponi ad patres suos, vel ad populũ suum, non significare, aggregari & adiungi ad societatem Sãctorum. Sed enim quemadmodum etiam hoc argumentum dilui, & opinio Lyrani & Caietani defendi possit, paulo infra indicabimus.

Quarta interpretatio est recentiorum Expositorum, qui linguæ he- 74
brææ stustioſi & periti, atque Hebræorum Commentariis & interpretationibus adhærentes, in istiusmodi verbis, Apponi vel congregari ad populum suum siue ad patres suos, nihil mysterij latere putant: sed merum esse censent hebraismum, & peculiarem linguæ hebrææ phrasim atque elegantiam. Tali enim locutione significatur, transisse quempiam ex viuentium statu ad statum mortuorum: id autem est, desiisse viuere & mortuũ esse, sicut alij omnes ante ipsum mortui sunt, alij post alios. Ergo illud, dormire cum patribus suis, significat, mori, sicut mortui fuerant Maiores eius. Et illud, Apponi ad patres suos, est subire conditionem mortis, quam omnes patres eius subierunt. Et item illud, Congregari ad populum suum, denotat, Desinere esse de congregatione viuentium, & pertinere ad numerum mortuorum. Quemadmodum illud etiam, Ingredi viam vniuersæ carnis; hunc habet intellectum: quia mori commune est omnium est omnium hominum, vnde dicti sunt mortales, & mors est finis vitæ, tanquam meta spatij & curriculi: iccirco quicunque moritur, is viam omnium hominum confeciſſe dicitur. Ego quid sentiam de ista expositione, mox aperiam.

Non est autem hoc loco in præteritis relinquendum, nec pro nihi- 75
lo ducendum, quoddam Pauli Burgensis monitum ac documentum. Tradit ille, inter Sanctos viros in veteri Testamento mortuos, atque in Nouo, hoc distare, quantum ad modum loquendi de vtrorumque morte: quod de horum morte loquens Scriptura, dicit, eos mortuos esse in Domino, vel dormiuisse in Domino; quod de nullo patrum veteris Testamenti dictum legimus. Cuius rei hanc ille putat causam, quod Patres veteris Testamenti, post mortem, ad beatificam Dei visionem non admitterentur, quemadmodum Sancti in Nouo Testamento: in quos vere illud dictum est: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*: & illud, *Euge, serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Verba Burgensis in Additione vltima super caput 49. Geneſis ita se habent: Notandum est, quod Scriptura loquens de morte quorundam iustorum, qui ante passionem Christi

Locus Apocaly. 19. & Matth. 25. Paulus Burgensis.

Christi decesserunt, frequenter dicit, Appositus est ad patres suos, siue ad populum suum, vel Dormiuit cum patribus suis. At vero post passionem Christi aliter loquitur de morte Sanctorum, dicens eos obdormisse in Domino, vel mortuos esse in Domino. Cuius diuersitatis hæc potest reddi ratio. Priores, quantumcunque sancti, non obdormiebant in Domino, quia nondum in Deo requiescebant per beatam fruitionem; sed congregabantur cum aliis patribus, eam beatitudinẽ expectantibus. Quoniam autẽ in Nouo Testamẽto, ianua cælestis aperta est, patetque Sanctis statim post mortẽ ascensus & aditus ad cælestẽ gloriã; iccirco vere ac merito dicuntur isti obdormire, ac mori in Domino. Ad quam mortẽ (quæ potius vita dicẽda est) nos perducat Dominus noster Iesus Christus qui viuit & regnat in secula seculorum. Sic Burgensis.

76 Ego quoque super hac ipsa re Lectori sensum animi mei, quam breuissime indicabo. Mea sententia duas habet partes. Ac primo modũ istum loquendi, esse hebraismum, & propriam atque elegãtem hebrææ linguę phrasim, equidem non inficior. Sic enim ista in veteri Testamento dicta sunt, vt in Nouo solet crebro vsurpari illud, Transire de hoc mundo, & Dormire vel obdormire in Domino. Quemadmodum etiam apud Latinos Scriptores illa sunt vsitata, excedere vel decedere, vita siue fato defungi, demigrare de vita, mortalitatem exuere vel finire, & vitam cum morte commutare. Sedenim, simul etiam istiusmodi locutione, velatum & abditum, contineri mysterium quoddam, minime dubito. Reor enim, cum dicitur de mortuis eos congregari vel apponi ad populum suum, duas tali locutione res insinuari, tum immortalitatem animæ, tum modum existendi mortuorum post hanc vitam, secundum animam. Non enim animæ hominum post mortem, solitariæ manent, & seorsim aliæ ab aliis; sed gregatim & socialiter, atque in modum cuiusdam populi, siue in cælo, siue in Inferno. Cum enim quispiam moritur, siue is bonus sit, siue malus, continuo post mortem aggregatur ad similem sui populum, vel bonorum, vel malorum.

Quinta expositio, quæ est Auctoris.

Neque hæc nostra interpretatio, noua Lectori & insolens, aut etiam dura & aspernabilis videri debet. Etenim supra, cum explanaremus caput Genes. 19. in Nu. 42. docuimus linguã hebræam, qua Sacra veteris Testamenti doctrina perscripta est, mysteria plurimarum rerum Noui Testamenti prẽnunciata; ita diuino consilio & ratione institutam, & instructam, atque ordinatam fuisse, vt eadem verba, & peculiarem eius linguæ phrasim, ac natiuam quandam elegantiam denotarent; simulque magnum quodpiam mysterium, inibi abditum pauciſque comprehensibile, continerent. Itaque vulgus Hebræorum, ea verba legens vel audiens; genuinam linguæ suæ proprietatem & gratiam agnoscebat; & ex illis verbis sententiam quandam in vulgus notam, scilicet ex ipsis verbis expressam, capiebat. At vero Sapientes viri, & super alios à Deo illuminati, præter verbalem sententiam, in mysteriũ verbis illis abstrusum mentem penetrabant, idque penitus introspiciebãt. Hanc nostram obseruationem multis è Scriptura petitis exemplis, eo loci confirmauimus.

mauimus. Ad eundem igitur modum, quod hic & alibi legitur, eos qui mortui sunt, cõgregari ad populum suum, secundũ proprietatẽ linguæ hebrææ, significat, eos esse mortuos, sicut alij omnes ante ipsos mortui fuerant: verũ ita hoc significat, vt simul etiam complicatã habeat significationem immortalitatis animæ, & modi, quo existunt post mortem hominis, animæ rationales: videlicet, non solitarie, nec aliæ seorsim ab aliis, sed in modum populi, & congregatæ in vnum locũ, vel cælestem, vel infernum. Quocirca opinionem Lyrani & Caietani, quam paulo supra oppugnare visi sumus, retinendam esse tuendamque censemus: sicubi autem in sacris literis, de improbis atque impiis hominibus scriptum reperiatur, dici eos mortuos esse, & appositos ad populum suum, interpretari eum populum conuenit, non populum sanctorum, & beatorum societatem, sed populum illis similem, populum dico improborum, qui sunt in Inferno.

Cur Auctor, cũ hanc disputationẽ tractauisset in libro de Benedictionib. Patriarcharũ, eãdẽ rursus hoc loco explicare voluerit.

Mirabitur fortasse Lector, cum hæc ipsa disputatio, nec ieiune, nec 77
indiligenter tractata fuerit à nobis in libro de Benedictionib. Patriarcharum, quem librum ante hoc triennium, vna cum secundo Tomo Commẽtariorum nostrorum in Genesim in publicum ededimus; eandem nos hoc loco retractare voluisse. Sedenim, quia hic est primus diuinæ Scripturæ locus, in quo de mortuis proditum est, fuisse eos congregatos ad populum suum; idque de Abraham & Ismaele similiter scriptum est: nobis, qui vniuersum librum Geneseos (iuuante Deo) Commentariis & Disputationibus illustrare constituimus; visum est, hunc esse proprium, maximeque opportunum, tractandæ eius Disputationis locum. Cum autem ad expositionem 49. Capitis Geneseos ventum erit, tractatum eius quæstionis omittemus in eo loco, in quo olim eam tractauimus. Simul etiam illud animaduertet Lector, si ad præsentem huius Disputationis tractationem attendat animum, plurimis eam fuisse rebus nunc auctam à nobis & locupletãtam, & insuper multo subtilius quàm antea, & limatius explicatam.

Finis tertij Tomi Commentariorum in Genesim, Benedicti Pererij.

Hunc tertium Tomum Commẽtariorum in Genesim, Auctor sexagenarius, Romæ primum edidit, anno ab ortu Domini 1595.

Laus Deo Vni Trinoque, ac Deiparæ semper Virgini Mariæ.

INDEX ALPHABETICVS, MEMORABILIVM RERVM ET VERBORVM QVÆ TRACTANTVR IN HOC TERTIO TOMO.

Nota prioris numeri, siue is, vnus sit, siue plures, signat numeros marginales adiectos ad Commentarium cuiusque capitis: Nota verò posterior significat paginam.

A.

Abimelech.

ABIMELECH *cur ob raptum Saræ non sit flagellatus, quemadmodũ Pharao. num. 7. pag. 523.*

Abimelech probum fuisse principem, & veri Dei cultorem, ipsa Moysis de eo historia non obscurè indicat. ibidem.

Abimelech somnium quibus rebus memorabile fuerit. 8. 524.

Abimelech familia ob raptũ Saræ quo morbi genera percussa sit. 23. 535. *& seq.*

Abimelechi virtutis & prudentiæ magna est commendatio, quod Abrahæ, peregrini hominis, amicitiam tantopere concupierit. 21. 553.

Abimelech, si in raptu Saræ non peccauit, cur à Deo percussus fuerit. 23. 535. *& seq.*

Abimelech quatuor causis impulsus, Abrahæ confœderationem vehementer expetiuit. 21. 553.

Abimelech, quo ritu, & qua cæremonia fœdus cum Abraham inierit. 22. 554.

Abraham.

Abrahæ diuina vocatio, principium & quasi seminarium fuit omnium bonorum quæ deinceps habuit. 1. 3.

Abrahæ vocatio fuit veluti primitiæ vocationis Iudæorum & gentium. Ibidem.

Abrahæ Deum octies apparuisse, colligi ex libro Geneseos. 3. 4.

Abraham, cur, iubente Deo, multifariam & apud varias gentes peregrinatus sit, exponuntur quinque causæ. 8. 7.

Abrahæ vocationem, figuram fuisse vocationis fidelium ad perfectionem vitæ Euangelicæ. 9. 8.

Abraham, cum à Deo ex terra sua euocatus est, non erat tunc in Mesopotamia nec in ciuitate Harã, sed in Chaldæa. 11. & seq. 9. & 10.

Abraham fuisse bis à Deo vocatum: primum in Chaldæa, secundum in ciuitate Haran,

censet Thostatus: sed refellitur. 14. & seq. 11. & 12.
Abrahæ vocatio, quam narrat Moyses initio cap. 12. an facta sit in ciuitate Haran: & an post mortem Thare patris eius. 17. & seq. 13. & 14.
Abraham fueritne natus in Chaldæa, an in ciuitate Haran, disputatio Auctoris aduersus Paulum Burgensem. 20. & seq. 15. & 16.
Abrahæ vocatio, cum sexaginta annis præcesserit mortem Thare, cur eam narrauit Moyses post mortem eius. 24. 18.
Abrahã quantopere magnificatus à Deo sit, non solum apud Hebræos & Christianos, verum etiam apud Ethnicos. 31. 22.
Abraham, ne vno quidem toto anno mãsisse in ciuitate Haran. 49. & 50. 34.
Abraham perfectum obedientiæ exemplum dedisse amatoribus & sectatorib. perfectionis Euangelicæ, egregia Chrysostomi & Gregorij sententia. 51. 35.
Abrahã, cum venit primo Chananitidem, an fuerit tantum septuaginta quinque annorum, vt significatur Genes. 54. 37.
Abraham, an fuerit rex Damasci, vt proditum est à Nicolao Damasceno, & Iustino historico. 57. & 58. 40.
Abrahæ Deus apparens, quo trium modorum apparuerit, quibus frequentius solet apparere. 68. 47.
Abrahæ semini pollicitus Deus terrã promissionis, quas ob causas possessionẽ eius non nisi longo post tẽpore tradiderit. 69. 48.
Abraham cur omnem ferme vitam peregrinando traduxerit: & cur verbo, castrametandi, eiusmodi peregrinationem declarauerit Scriptura. 72. 50.
Abrahæ profectio ex terra Chanaan in Aegyptum, cur à Moyse vocetur descensus. 81. 57.
Abrahæ peregrinationem & afflictionem in Aegypto, fuisse quasi portẽtum quoddam & prophetiam eorum, quæ posteris eius ibi euentura erant, pulchrè disputat Rupertus. 93. 66. & seq.
Abrahã vtrũ peccauerit, suadẽs vxori ne diceret se vxorem eius, sed sororem: expenduntur variæ doctorũ sententiæ. 102. 72.
Abraham vix per annũ mãsisse in Aegypto probatur contra Artapanum, qui mãsisse ibi eum dixit viginti annis. 110. 77.
Abraham nõ docuisse Aegyptios disciplinas mathematicas, disputatur cõtra Iosephi & aliorum traditionem. 112. 78. & seq.
Abraham quibus viis & artibus tãtas consecutus sit diuitias, & in quos vsus eas contulerit. 1. 88.
Abrahæ grauitas & mansuetudo in sedandis rixis pastorum suorum & Loth. 5 & 8. 91. & 93.
Abrahæ & Loth pastorũ rixæ ob quas causas acciderint. 7. 92.
Abrahæ ratio notabilis cur à iurgiis & rixis abhorrere debeamus. 10. 95.
Abraham electionẽ melioris terræ permittens ipsi Loth, fortasse originẽ dedit eius moris, quo in bonorum temporalium partitione, maior frater diuisionẽ facere, minor electionem solet. 11. 96.
Abrahã quomodo potuerit ex vno loco omnem terrã Chanaan conspicere. 42. 115.
Abrahæ cur est à Deo promissa possessio terræ Chanaan, cum eam ipse nunquam possederit. 44. 119.
Abrahæ semẽ multiplicatũ iri sicut puluerẽ terræ, quomodo intelligi debeat. 46. 118.
Abraham nunquam adijsse maritimam terræ promissionis oram legitur. 49. 120.
Abrahæ impositum fuisse nomen Hebræi à parentibus, Prophetico spiritu præuidẽtibus eum transito Euphrate iturũ in Palæstinam, putat Chrysostomus. 27. 160.
Abraham cur primũ nominatus sit Hebræus in capite decimo quarto Geneseos. 27. & 33. 160. & 164.
Abrahæ iustissimã fuisse causam belligerãdi cũ quatuor illis exteris Regibus. 34. 165.
Abrahæ prudentia militaris, & factum simile facto Gedeonis, & Leonidæ Lacedæmoniorũ regis. 30. 40. & 41. 162. 169. & seq.
Abrahamum dedisse decimas Melchisedecho, non autem accepisse ab eo, quomodo probetur. 54. & seq. 179. & 180.
Abrahamum tres ob causas appellatum esse Patrem credentium. 61. 184.
Abraham cur tantopere recusauerit sumere quicquã ex præda Regis Sodomorũ, quam ipse iusto bello acquisierat. 83. 85. & 87. pag. 203. 205. & 207.
Abraham quomodo dubitauerit de prole suscipienda, post promissum sibi à Deo semen. 8. 216.
Abrahæ laudabilẽ fuisse petitionẽ, expetentis dignum suorum laborum hæredẽ. 9. 217.
Abrahã an vere à Deo foras eductus fuerit, stellas suspicere ac numerare iussus: an vero id, aut in somno: aut per visionem imaginariam contigerit. 14. 221.
Abrahæ fides, Christum credentis futurum filium suum, valde laudatur ab Hilario. 30. 233.
Abraham cur Geneseos 15. potissimum dictus sit credidisse Deo, cum antea sæpius Deo credidisset. 36. 239.
Abraham non fuisse iustificatum ex operibus suis, quomodo intellexerit beatus Paulus. 43. 246.
Abraham quomodo iustificatus sit per fidem, qua credidit se habiturum filium & innumerabilem posteritatẽ, Thomæ Angli, & opinio Auctoris. 50. 250.
Abrahã, vtrũ cum dixit Deo, vnde sciã quod possessurus sum terram illam, dubitauerit de promissione Dei, vbi tres afferũtur expositiones. 54. & 55. 254. & seq.
Abrahamũ cur iusserit Deus post petitionem signi, sumere vaccam triennẽ, & alia quatuor animalia. 57. 257.
Abrahæ ecstasis qualis fuerit secundum Philonem, & disputatio eius de quadruplici ecstasi. 66. 265.
Abrahæ & Agar coniugium, quinque rationibus à nonnullis ostenditur non fuisse licitum, quæ rationes discutiuntur. 9. 16. 12. & seq. 311. 316. & 313.
Abrahæ paternitas spiritualis quænã fuerit, & quam ea fuerit ignota Iudæis. 8. 344.
Abræ mutatio nominis in Abrahã, qualis fuerit, & quid mysterij habuerit. 9. 345.
Abraham & si quibusdam Doctoribus visus est Geneseos 17. dubitasse de promisso Dei, re vera tamen si dubitauit, non de veritate aut possibilitate promissionis dubitauit, sed tantum de sensu & intellectu verborum Dei promittentis, vt sensit Caietanus. 68. & 70. 398. & seq.
Abrahæ cur data sit lex Circumcisionis. 52. 384. & seq.
Abrahæ historiam de trib. Angelis ab eo acceptis hospitio, fuisse priscis Poëtis cognitam & imitatã. pag. 404. in præfatione.
Abraham tres Angelos sub figura hominum adorauit, supplices manus tendens, & genua eorum exosculans, secundum Augustinum. 7. 408. & seq.
Abraham hospitibus suis tria offert hospitalitatis officia. 10. 413.
Abraham cur alloquens Angelos, nunc quasi vnũ alloquitur, alias vero quasi multos. ibidem.
Abrahæ conuiuium exhibitũ hospitibus, quale fuerit. 12. 414.
Abraham cur primus omnium in Scriptura appellatus sit senex. 18. 419.
Abraham & Saram, postquam desperarunt prolem, communi consensu statuisse seruare inuicem continentiam, per annos ferme quatuordecim ante promissam generationem Isaac. 19. 420.
Abrahæ precibus cur Deus non sit flexus ad ignoscendum Sodomitis. 71. 455.
Abrahæ fiduciam magnam in loquendo cum Deo, cum singulari reuerẽtia coniunctam, merito demiratur & diserte prædicat Philo. 66. & 68. 451. & 453.
Abraham commemorans apud Deum iustos, cur nec supra quinquaginta ascenderit,

nec infra decem descenderit. 67. & 69. 452. & 454.
Abraham Deo volenti perdere Sodomitas, inter quos erat Loth, cur non pro eius liberatione nominatim supplicauit. 70. 455
Abraham quando hospites illos suos cognouit esse Angelos. 53. 441.
Abraham, dissimulando coniugium Saræ, non deduxit eam in discrimen perdendæ pudicitiæ. 3. 520.
Abraham primus omniũ in Scriptura Propheta appellatus est. 11. 526.
Abraham cur in die ablactationis Isaac, fecerit grande conuiuium. 5. 542.
Abraham licet esset Propheta, duas tamen ob causas non cognouit, quod dixit Sara de eiiciendo Ismaele, fuisse Prophetiam. 13. 548.
Abraham cur tam exiguum viaticum dederit Agar & Ismaeli, cũ eos domo sua eiecit. ibidem.
Abrahæ obedientia in filio suo immolando, septem ex causis admirabilis censetur. 19. 584.
Abraham vtrum mentitus sit, cum dixit seruis, se post immolationem reuersurum ad eos cum Isaac, copiosè disputatur. 36. & seq. 593. & 594.
Abraham decies à Deo tentatum esse, secundum Hebræos. 13. 580.
Abrahã vtrum dubitare debuerit aut potuerit, præceptũ sibi datũ de immolando filio esse à Deo profectum. 24. 587.
Abraham qua oratione vsus sit ad Isaac, cum eum immolare voluit, vt refert Iosephus. 43. 598.
Abrahã immolando filium, fidem suam omnem Deo spemque offerebat. 56. 607.
Abrahæ actus immolandi filium, erat perfectissimus actus Charitatis & Obedientiæ; etiam perfectior, quam si mortem ipse pro Deo subijsset. 57. 607. & seq.
Abraham in ariete, quem vidit cornib. hærentẽ vepribus, Christi passionis & mortis formam prospexit, secundum Ambrosium. 65. 612.
Abrahæ virtus ac meritum in illo actu immolationis, multo fuit insignius atque excellentius, quã ipsius Isaac. 96. & 105. 618. & 635.
Abraham erat centũ quadraginta annorum cum & Isaac duxit Rebeccam, & ipse Ceturam vxorem. 1. 674.
Abrahã, quot sæculis antiquior fuerit quam Liber Pater, siue Dionysius. 11. 679.
Abraham adiurans seruum suum, iussit ab eo tangi femur suum, in signum Christi ex ipso generandi. 15. 681.
Abrahã primus in adiurãdo vsus est cæremonia supponẽdi manũ femori: nec ea quisquã alius, præter Iacob, vsus est. 9. 679.
Abraham rectè adiurauit Heliezer seruum suum, adiuratione imperatiua, per Dominum cœli & terræ. 25. 689.
Abraham cur tantopere auersatus sit coniugia Chananæarum mulierum. 26. 690.
Abrahã cur nõ misit ipsũ Isaac in Mesopotamiã ad accipiẽdũ vxorẽ, sicut Isaac misit eo filiũ suum Iacob. 36. & 44. 695. & 701.
Abrahæ seruus cõtraxit solũ sponsalia inter Isaac & Rebeccam absentes, non autem matrimonium. 45. 702.
Abrahæ seruus, quomodo dicatur portasse secum omnia bona domini sui. 48. 704.
Abrahæ seruus, dona quæ tulit ad Rebeccam, mysticè declarantur à Ruperto. 47. 703.
Abraham cur iam decrepitus, Ceturam duxerit vxorem. 1. & seq. 745.
Abraham cur acceperit vxorẽ Chananæam, cum ab ea gente tantopere abhorruerit in coniugio filij sui Isaac. 14. 754.
Abraham quomodo in ætate cẽtum quadraginta annorum, tot filios ex Cetura generare potuerit. 15. 755.
Abraham qualium bonorum hæreditatẽ reliquerit filio suo Isaac. 28. 762.
Abrahã quas ob causas adhuc viuẽs separare voluerit alios filios à societate Isaac. 30. 763
Abrahæ temporibus, septẽ differentias circa coniunctionem viri & fœminæ, & circa generationem liberorum esse obseruatas. 34. & 35. 766. & seq.
Abraham quoto anno post orbem cõditum, & post Diluuium Noeticum, & diuisionem linguarum atque gentium, natus sit. 37. 769.
Abraham quot erat annorum, cum mortuus est Noe. 38. 769.
Abraham cuius erat ætatis, cum à Chaldæis coniectus est in ignem, secundum Traditionem Hebræorum. Ibidem.
Abrahæ anno centesimo trigesimo quinto, mortuus est pater eius Thare. 42. 772.
Abrahæ mors quanto tempore præcesserit ortum Mosis, & egressum Hebræorum ex Ægypto. 44. 773.
Abraham quãdiu ante Sem & Heber, mortuus sit. 44. 773.
Abrahã cur dicatur, deficiens mortuus esse; cum id cõmune esse videatur omniũ, non violente ac repente exstinctorũ. 49. 776.
Abrahã cum dicitur obiisse plenus dierum, siue vt est Hebraice, satur, quid ea locutione significetur. 56. 781.
Abrahæ historiam quinquies fuisse interruptã à Mose: & quot annorum res gestæ ab Abraham, in ea cõtineantur. 44. 773.
Adorandi verbũ licet apud Theologos latriã significet, soli debitam Deo: Hebræum tamen verbum ei respondens, & vsitatum in Scriptura, Sahah, indifferenter significat exteriorem omnem honorem, cum aliquo motu corporis exhibitum cuilibet personæ. 7. & 25. 408. & 652.
Adorare Angelum, cur Sanctus Ioannes sit prohibitus. 7. 408.
Adiurãdi verbum, varias habet in Scriptura significationes. 18. 685.
Adiurationem duobus præcipue modis fieri, deprecando, vel imperando. 19. 685.
Adiurare Dæmones, quemlibet & quolibet modo, nefas est, res autẽ expertes rationis, etiam stultum. 20. 686.
Adiuratio facta à sanctis viris, vel in Dæmones, vel etiam in res carentes ratione, qualisnam sit. 22. 687.
Adulterium, magnum esse peccatum, & contra ius naturæ, etiam infidelibus per lumen rationis naturale fuisse notum. 12. & 14. 313. & 529.
Adulterium, quãtum mali apportet societati humanæ. 14. 529.
Æternitas vera, vt designetur in scripturis, dici solet, In sæculum sæculi, vel in sæcula sæculorum, quamquã neque hoc perpetuo obseruatur 59. 129.

Ægyptus, & Ægyptius.

Ægyptij magis horrebant adulterium, quã homicidium. 83. 59.
Ægyptiorum petulantia & profusa libido. Ibidem.
Ægyptiorum reges, putat S. Hieronymus fœminas non nisi prius annuo cultu priuatim curatas ad congressum suum admisisse, sicut mos postea fuit regum Persarum. 91. 65.
Ægyptios ab Iacob & Ioseph potius, quam ab Abrahã disciplinas humanas didicisse credibilius videri. 112. 78.
Ægypti regionis quæ figura & positus. 95. 68.
Ægypti regionẽ, Nili esse aggenerationem à multis creditum & proditum est. 96. 69.
Ægyptũ quatenus irrigatur Nilo, & adiacet mari Mediterraneo, fuisse multis ante Homerum sæculis habitatam, disputatur ab Auctore aduersus Herodotum & Plinium. 98. 70.
Ægyptus, qua parte est confinis terræ Chanaan, frumenti erat feracissima. 99. 71.
Ægypti terræ cur amœnitas & fertilitas terræ Sodomorum comparata sit à Moyse. 100. 71.
Africæ & Lybiæ appellationis origo, quænam sit secundum Iosephum, Solinum & Isidorum. 18. 757.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Agar.

Agar abiecta superstitione Ægyptiaca, veram fidem & religionẽ à Sara & Abraham didicit & accepit. 1. 304.

Agar fuisse concubinam Abrahæ, nec fuisse veram vxorem, vt significare videtur B. Leo, quomodo intelligendum sit. 23. & 24. 321.

Agar quam arroganter & ingrato animo gesserit se aduersus Saram dominam suam. 25. 322.

Agar refert typum hæreticorum, Sara vero Ecclesiæ Catholicæ. 26. 323.

Agar, post coniugium eius cum Abraham, cur dicatur ancilla; cum fuerit vera eius vxor. 28. 558.

Agar separata est tantum ab Abraham quantum ad torum & contubernium, non autem quantum ad dissolutionem vinculi matrimonialis. 13. 548.

Agar & Ismahelis eiectio ex domo Abrahæ fuit figura reprobationis Synagogæ, ac populi Hebræi. 38. & 39. 567. & *seq.*

Algariza vrbs, dicta est eadem, quæ Hierusalem. 67. 190.

Allegoria, & Allegoricum.

Allegoria quid sit. 14. 314.

Allegoria duplex, vna rerum, altera verborum. 30. 559.

Allegoria rerũ, cur propria sit diuinæ Scripturæ. *Ibidem.*

Allegiricus sensus præstantior literali. Ibid.

Allegorica expositio, quod terra Chanaan figurauerit terram illam viuentium & beatorum. 62. & 63. 131. & *seq.*

Allegorica expositio quod semen Abrahæ multiplicandum esset instar stellarum & pulueris terræ. 21. 227.

Allegorica expositio super quinque animalibus, quæ iussus est à Deo Abraham sumere. 60. & *seq.* 260. & 261.

Allegorica expositio cur Abraham diuiserit animalia terrestria, non autem aues. 62. 262. & *seq.*

Allegorica expositio, quid significet, quod Abraham abigebat aues descendentes ad cadauera illorum animalium. 64. p. 264.

Allegorica expositio, quid denotauerit occasus solis & sopor, & horror, qui contigit Abrahæ, secundum Augustinum, Philonẽ & Auctorem. 65. 264.

Allegorica expositio Philonis, super reuersione posterorum Abrahæ in terram promissionis post quartam generationem: & quod illæ quatuor generationes significẽt processum hominis per quatuor gradus ad perfectionem virtutis & sapientiæ. 84. 279.

Allegorica disputatio, de fontibus in Scriptura celebratis, ex Philone. 37. 333.

Allegoria multiplex super conuersione vxoris Loth in statuam salis. 29. & 30. 483. & 485.

Allegorica expositio super facto Loth recusantis ascendere montem, & in humili ac paruo oppido Segor habitare præoptantis, ex S. Gregorio. 33. 487.

Allegoria super incestu filiarum Loth; ex Irenæo. & Augustino. 69. 513.

Allegorica expositio super eo quod Abraham duriter tractare visus est Agar & Ismaelem, cum eos domo sua eiecit. 19. & 20. 552.

Allegoria super Sara & Agar, & super Isaac & Ismaelem, quam tractauit B. Paulus ad Galat. 4. fusissime declaratur. 27. *seq.* 556. & 557.

Allegoria missionis serui Abrahæ in Mesopotamiam ad deducendum inde vxorem Isaac. 5. 676.

Alma vox Hebræa.

Alma, semper in Scriptura significare puellam virginem, numquam vero corruptã. num. 76. 723.

Alma secundum etymologiam vocis Hebrææ, idem est atque abscondita virgo, & quasi ingenti diligentia custodita, nec virorum patens aspectibus, vt disputat B. Hieronymus. 78. & 79. 724. & *seq.*

Ambrosius.

Ambrosius putat fuisse Abraham in ciuitate Haran cum est vocatus à Deo: sed eius sententia non probatur. 14. 11.

Ambrosij grauis cohortatio ad imitandam Abrahæ deuotionem. 94. 67.

Ambrosij scitum dictum, seculare vitium esse, vt diuites terra non capiat. 4. 90.

Ambrosius recte dixit, dominorum concordiam, sæpe dissolui seruorum dissensionibus. 8. 93.

Ambrosij dictum, satius esse cum gratia emigrare ac segregari, quam cohabitare cum discordia. *Ibidem.*

Ambrosius coniugium Abrahæ & Agar tribus modis à calũniis vindicat. 8. 311.

Ambrosium caute legendum esse, cum significat adulterium nõ fuisse damnatum ante legem scriptã. 8. & 24. 311. 321. & *seq.*

Ambrosius non recte sensit, Saram in castiganda Agar modum excessisse. 25. 322.

Ambrosij de futura abolitione circũcisionis Iudaicæ egregia sententia. 31. 366.

Ambrosius hospitalitatem Abrahæ pulchre describit. 5. 407. & *seq.*

Ambrosius rationem exponit, cur Abraham tres illos Angelos hospites suos, modo vt multos, modo vt vnum sit affatus. 11. 413.

Ambrosius panem azymum cur vocari dicat græce ἐγκρυφίαν. 14. 416.

Ambrosius risum Saræ (quem Augustinus culpabilem dicit) prorsus à culpa liberat. 17. 419.

Ambrosius quomodo excuset Loth filias suas offerentem libidini sodomitarum. 4. 464.

Ambrosius quemadmodum à crimine incestus excuset filias Loth. 60. 507.

Ambrosius sentire videtur, licitum esse filiarum cum patre concubitum, seruandi generis humani gratia: sed idem alibi contrarium docere visus est. 62. 508.

Ambrosius, quanta sit ebrietatis turpitudo graphice describit. 73. 515. & *seq.*

Ambrosij ratio, cur Abraham in die ablactationis Isaac, grande conuiuium fecerit. 5. 542.

Ambrosius exponit, quã diuerse tẽtet Deus hominem, atque Diabolus, & quod prius probet hominem, quam tentet. 5. 575.

Ambrosius putat, cũ Abrahã dixit seruis, Expectate hic, & cum immolauerimus, reuertemur ad vos, sciẽter esse locutũ captiose, insciẽter vera prophetasse. 36. 593.

Ambrosius diserte admodũ prædicat magnitudinem animi Abrahæ, circa immolationem filij sui 40. 596.

Ammiani Marcellini insignis sententia, de barbarie ac feritate Saracenorũ. 31. 328.

Amor hominis erga Deum, magno cum eius timore & reuerentia iunctus esse debet. 55. 606.

Amorem hominis erga Deũ, an deceat esse secundum quandã amicitiæ æqualitatẽ. Ib.

Amorrhæi, quales fuerint, & cur soli de septem gentibus habitantibus terrã Chanaan, nominati sint à Deo. 86. 281.

Amorrhæorum tanta olim fuit immanitas, vt prouerbij loco, ad exaggerandã alicuius improbitatem & feritatẽ, appellaretur is Amorrhæus. 87. 281. & *seq.*

Amorrhæi dispersim habitasse videntur per vniuersam ferme Chananitidem. Ibidem.

Amraphel rex Babylonis, qui memoratur Geneseos 14. *putatur ab Hebræis fuisse Nemrot, sed falso.* 6. 147.

Anacharsis notabilis & symbolica membrorum compositio in dormiendo, atque eius in ea re dictum egregium. 33. 369.

Andreas Masius de Astaroth Carnaim. 17. 154.

Andreæ Masij sententia de terra promissa posteris Abrahæ vsque ad Euphratem. contraria sententiæ Augustini, discutitur ab Authore. 108. & 109. 299. & *seq.*

Antonini Imperatoris præclarum dictum super luctu mortuorum. 9. 543.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Angelus.

Angeli quàm vera fuerit prædictio, de futura barbarie Ismaelitarum siue Saracenorum.31. 366.
Angelus, qui locutus est Agar, qualis fuerit. 33. 369.
Angelorum cognitio, qualis homini contingere possit in hac vita.34. 369.*& seq.*
Angelorum illorum trium, qui apparuerunt Abrahæ, vnum fuisse quidam putant, sed falso, filium Dei.1. 405.
Angeli apparentes hominibus, varios in eorum animis motus & affectus ciere solent.4. 407.
Angeli tres qui apparuerunt Abrahæ fuerintne Michael, Gabriel, & Raphael, vt tradunt Hebræi.5. 407.*& seq.*
Angeli, quemadmodum cum hominibus conuersantes, similiter atque illi, comedere ac bibere videanteur.15. 417.
Angeli cur ante Christi aduentum se adorari ab hominibus patiebãtur; post autem, id omnino refugiant & prohibeant. 26. 653.
Angeli sancti quam multa & magna hominibus bona præstent.46. 702.
Aorasia vox Græca, an simpliciter significet cæcitatem.16. 473.*& seq.*
Appellis dictũ memorabile.57.781.& seq.
Apollinis Pythij fallax diuinitatis ostentatio.46. 118.
Apellæ, cur Iudæi dicti sint ab Horat. 17. 33.
Apponi ad patres suos, etiam in homines improbos atque impios Scripturam dicere.73. 789.
Aquæ Meron, vbinam loci fuerint. 21.*& sequent.* 102.*& 103.*
Aram vocabulum, varia loca significat in Scriptura.108. 636.
Arbor, sub qua requieuerunt tres Angeli hospites Abrahæ, quæ nam fuerit. 10. 346.
Argenteus quod genus monetæ fuerit. 17. 531.
Arietem, cornibus hærentem inter vepres, quem pro Isaac sacrificauit Abraham, Illustrem Christi fuisse figuram.65.612.

Aristoteles.

Aristoteles tradit, Aegyptum fuisse aggenerationem Nili.96. 69.
Aristoteles pulchre depingit studia & mores diuitum.2. 89.
Aristoteles iactantiam de nobilitate & diuitiarum abundantia, principia & quasi fontes seditionum inter ciues facit.6. 92.
Aristoteles innumerabilẽ facit inerrantium stellarum multitudinem.15. 222.
Aristotelis locus de menstruis mulierum, satis obscurus, explicatur.31. 427.
Aristoteles quid scriptũ reliquerit de Mari Mortuo.49. 499.
Aristotelis dictum, Mentem in senectute aduenire homini, quemadmodum intelligi debeat.3. 747.
Assyriam & Chaldæam pertinuisse ad possessionem posterorum Cham, secundum distributionem Orbis terrarum, factam à Noe post Diluuium, opinionem esse Pauli Burgensis, sed improbabilem.22. 16.
Atlantem astrologum claruisse: quo tempore natus est Moses.112. 78.*& seq.*

Auctor.

Auctoris disputatio, vtrum Lot peccauerit prostituendo filias Sodomitis: denique concludit peccasse eum ex vehementi perturbatione.10.& 15. 469.*& 472.*
Auctor docet non potuisse Lot iure paterno obiicere filias suas alienæ libidini, propter euitandum grauius scelus.14.472.
Auctor refellit sententiam eorum, qui putant ostium domus quod Sodomitæ inuenire non poterant, non fuisse ianuam domus Lot.19. 475.*& seq.*
Auctor reiicit Sententiam Aben Esræ de mutatione vxoris Lot in statuam salis. 24. 480.
Auctor demõstrat rationem Augustiui, Cur vxor Lot in statuam Salis mutata fuerit, maxime probabilem esse, simulque literalem.28. 482.*& seq.*
Auctor putat vxorem Lot conuersam esse in statuam salis, Lot iam ingresso vrbem Segor, ipsa vero foris adhuc existente. 31. 485.
Auctoris notanda obseruatio & doctrina super illis verbis (pluit Dominus à Domino) docentis illam locutionem & esse Hebraismum, & nihilominus mysterium Trinitatis in ea contineri. 41.*& 42.* 492.*& seq.*
Auctor censet omnes qui Sodomitico incendio perierunt, æterna quoque morte periisse.55. 502.
Auctor explicat perobscurum quendam locum S. Hieronymi significantis eos qui in diluuio, & incendio Sodomitico, & in Mari rubro perierunt, illo temporali supplicio euasisse æternum.56. 503.
Auctor secutus S. Thomam, excusabilem facit ebrietatem Lot.65. 510.
Auctori placet Augustini sententia cõcubitum filiarum Lot cum patre suo nullo nomine excusabilem esse à peccato.71.514.
Auctor triplicem caussam reddit, cur Sara, etiam in ætate nonagenaria, eximiæ pulchritudinis esse potuerit.5. 522.
Auctor notat lapsum Iosephi in referenda historia Abimelechi.6. 522.
Auctoris disputatio de sex significationibus vocis Prophetæ, & verbi Prophetare.12. 527.
Auctor refellit Hebræos affirmantes Abel & Noe sacrificasse in monte Moriah.16. 582.
Auctor copiosè disputat super notabili quadam dissonantia, quæ videtur esse in verbis S. Stephani Act. 7. & Mosis Genes. 23. super emptione sepulturæ.46.& sequentibus. 665.
Auctor redarguit Paulum Burgensem aientem natum fuisse Abraham in ciuitate Haran.39. 698.
Auctor refellit Thostatum opinantem longissimo tempore mansisse Abraham in Vrbe Haran.40. 698.
Auctor exponit cur Haran dicatur terra Abrahæ, cum nec in ea natus esset, nec diu mansisset.41. 699.
Auctor demonstrat orationem serui Abrahæ non fuisse superstitiosam, sed piam & laudabilem.56. 709.
Auctor tradit sex regulas, secundum quas dubitari possit an diuersæ narrationes eiusdem rei, quæ videntur discrepantes, sint inter se contrariæ nec ne.86.& sequentibus. 730.
Auctoris opus Electarum disputationum, breui publicandum.94. 735.
Auctor ostendit Dedaneos fuisse gentem finitimam Idumæis.24. 760.
Auctor disputat, contra multorum opinionem, Abrahæ posteros ex Cetura vxore non petiisse ac tenuisse regiones Indicas. 32. 765.
Auctor docet in scriptura de mortuis dicitur apponi, vel congregari cum patribus vel populis suis, eam locutionem & esse Hebraismum & duplex in ea contineri mysterium.76. 791.

Augustinus.

Augustinus putauit fuisse Abram in Mesopotamia cum est vocatus à Deo; verum non probatur.11.& 12. 9.*& 10.*
Augustinus æterna tempora dici in scriptura interpretatur quæ nullum ante se habent tempus.51. 122.*& seq.*
Augustinus tribus modis exponit, quomodo possessio terræ Chanaan fore dicatur æterna.52. 124.
Augustini egregium dictum, optime solui quæstiones, quarum plures, ijque probabiles ostenduntur exitus.61. 130.
Augustinus quomodo probet Hebræos dictos esse ab Heber.31. 163.
Augustinum non esse auctorem libri quæstionum veteris & noui testamenti qui sub

*eius nomine fertur.*56. 180.
*Augustini præclara sententia, charitatem esse veram & perfectam hominis iustitiam.*41. 244.
*Augustinus docet promissiones bonorũ temporalium in veteri Testamento figurate accipiendas esse de bonis spiritualibus & æternis.*29. 233.
*Augustinus quemadmodum declaret illam sententiam Pauli ad Ro.6.Gratia Dei vita æterna.*49. 250.
Augustinus quemadmodũ conciliet B. Iacobũ cum B.Paulo,super iustificatione Abrahæ vel ex fide,vel ex operibus. 51. 251.
*Augustini sententia de terra Hebræis promissa vsque ad Euphratem, ab Andrea Masio oppugnata, & ab auctore propugnata.*106. 297.
*Augustinus coniugium Abrahæ cum Agar, erudita disputatione, ab omni crimine vindicat.*7. 10.15.*p.*309.312.*&* 315.
*Augustinus cum prius putasset hæreticos non esse per vim compellendos ad fidem catholicam amplectendam, postea mutauit sententiam.*26. 323.
Augustinus de iusta & rationabili caussa abolendæ circũcisionis Iudaicæ. 31.366.
Augustinus pœnam incircumcisis Hebræis diuina lege propositam de infantibus interpretatur spiritualiter. 23. *&* 54.*pag.* 385.
*Augustinus pactum circumcisionis violatum ab infante incircumciso exponit de pacto Dei facto cum Adamo in Paradiso, verum ea opinio multis rationibus improbatur.*53.*&* *sequentibus.*385.
*Augustinus refutat eos,qui vnum illorum trium Angelorum qui apparuerũt Abrahæ,putarunt fuisse filium Dei.*1. 405.
*Augustinus cultrum circumcisionis fuisse petrinum tradit.*63. 393.
*Augustinus factum Lot offerẽtis filias suas libidini Sodomitarum, culpabile fuisse censet, licet alicubi videatur ambigue super ea re locutus.*5. 465.
*Augustinus arbitratur cæcitatem, qua percussi sunt Sodomitæ,nõ simpliciter sed secundum,quid fuisse cæcitatem.*16. 473.
Augustini vera ratio cur vxor Lot cõuersa sit in statuam salis 27. 482.
Augustinus tradit Lot dictum esse iustum, non simpliciter sed comparatiuè. 59. *pagina* 506.
*Augustinus censet filias Lot à concubitu paterno abstinere debuisse,etiam si nullus hominum superfuisset in terris ad propagandum genus humanum.*62. 508.
Augustinus existimat Lot non qualitate vel conditura vini,sed copia esse inebriatum. 63.*p.* 508. *Nec talem Ebrietatem excusabilem esse putat.*64. 509.
Augustinus concubitum filiarum Lot cum patre suo inexcusabilem à peccato facit. 70.*&* 71. 514.
*Augustinus quam reddat causam cur Abraham in die ablactationis Isaac epulum fecerit.*5. 542.
*Augustini egregia disputatio quomodo Deus dicatur tentare homines.*9. 577.
*Augustini disputatio, an possit dici Deus facere aliquid contra naturam.*30. 591.
*Augustinus sic abhorruit à nomine ominis, vt doleret se illud vocabulum semel vsurpasse.*65. 714.
*Augustini memorabile omen.*68. 716.
*Augustini notabilis sententia de historico sensu primum quærendo & constituendo in expositione scripturæ.*73. 720.
Augustini disputatio,an vxor Mosis,quæ dicitur Numerorum 12.*Æthiopissa, fuerit ipsamet Sephora, quæ erat Madianitis.* 21. 758.
Augustinus opinatur populum, ad quẽ scriptura dicit congregatos esse mortuos patriarchas,intelligi debere frequentiam & societatem sanctorum Angelorum; super qua opinione disputatur copiose. 65. *&* *sequentibus.* 786.*&* *seq.*
*Aulicorum talia fere studia & mores esse solere,quales suorum principum.*85. 61.
*Aulon vallis memorabilis quam præterfluit Iordanis.*19. 102.

B

Baptismus triplici nomine Circumcisione præstantior. 23. 360.
*Baptismi figuram an magis expresserint mare rubrum, & columna nubis, quam circuncisio.*24. 361.
Baptismus sicut inuito dari non debet, ita nec olim dari Circumcisio debebat. 47. 381.
*Barad quis locus & vbi.*37. 333.
*Barcæi qui fuerint.*107. 297.*&* *seq.*
Basilij iudicium de Dionysio Alexandrino. 18.38.
*Basilij egregia sententia de modo, quo Deus loquebatur prophetis.*3. 4.
*Beda circumcisionem à peccato originali Iudæos mundasse docet.*22. 359.

Bellum.

*Belli genus triplex.*54. 779.
*Belli gerendi tres iustæ causæ ex scriptoribus Ethnicis.*36. 166.
*Bella profana, & inter impios gesta, cur Moyses enarret.*1. 143.
*Belli inter quatuor reges externos, & quinque Pentapolitanos gesti moralis expositio ex Ruperto.*25. 159.
*Benedictionis publicæ Hebræorum quæ olim formula fuerit.*34. 24.
*Benedictio in sacris literis, est bonorum abundantia.*1.*&* 51. 88.*&* 177.
*Bersabee quid significet,quæ vrbs,in quo loco.*23. 554.
*Boëthij carmen in senectutem præcocem, & miseram.*53. 778.

Borchardus.

Borchardus egregius scriptor terræ sanctæ. 76. 54.
Borchardus tradit montis Moriah partes altiores post demolitionem Hierusalem à Tito, deiectas fuisse à Romanis cum ruinis templi in Cedron. 17. *pagina* 582.
Borchardus de valle Saue. 42. *pagina* 173.
*Borchardus narrat famam esse, Melchi, ẽdec Abrahamum ad radicem montis Thabor excepisse.*47. 174.
Borchardus docet quo in loco vxor Loth conuersa fuerit in statuam salis. 31. *pagina* 485.
*Borchardus scribit suo adhuc tempore extitisse Segor.*49. 483.
Borchardus docet quantum incendio sodomitico fuerit facies terræ eius deformata. 50. 500.
Burgensis,vide Paulus.

C

*Cades in finibus Idumææ eadem vrbs quæ Cades Barne.*22. 585.
*Cades quid & vbi.*37. 333.
*Cades & Sur duæ sunt solitudines.*2. 519.
*Cæcitas veterum Græcorũ, & Romanorum circa peccatum nefandum.*37. 111.
*Cæcitas, qua percussi sunt Sodomitæ qualis fuerit; & quibus modis fieri potuit.*16. 17. 473.*&* *seq.*

Caietanus.

*Caietanus docet Deum metaphorice dici tentare.*10. 578.
*Caietani explicatio vocis, sempiternam, in promissione facta Abrahæ.*53. 125.
*Caietanus putat nomen Melchisedec esse nomen appellatiuum,sed falso.*48. 175.
*Caietanus refellitur existimans Abraham nõ dedisse decimas Melchisedec,vocabulo decimarum proprie accepto.*75. 195.
*Caietanus sentit visionẽ Abrahæ Genes.*15. *non vigilanti,sed dormiẽti factã.*2.112.
*Caietanus existimat non fuisse Abrahamum vere iussum à Deo stellas numerare, sed id factum per visionem tantum imaginariam.*14. 221.
Caietanus circumcisionẽ potuisse dari seruis etiã inuitis aliquatenus,censet. 37. 381.
*Caietani sentẽtia de terra ab Hebræis vsque ad Euphratem possidenda.*104. 294.
Caietani sententia de pluralitate vxorum

*communi gentium more permissa expenditur.*3. 306.
*Caietani super nomen Ismahelis non aspernanda obseruatio.*28. 326.
*Caietani sententia de loco & tempore, quo vxor Loth versa est in statuam salis.*32. 486.
*Caietanus quomodo explicet illa verba, pluit dominus à domino, non agnoscēs ibi mysterium Trinitatis.*38. 490.
Caietani sententia affirmantis ignorantiam filiarum Loth non fuisse inuincibilem, probatur auctori. 61. 507.
*Caietanus Augustinum secutus putat inexcusabilem ebrietatem Loth.*64. 509.
*Caietanus sentit nesciente Loth, omnia à filiabus esse peracta.*67. 511.
*Caietanus obseruat, Abrahā primum omniū prophetam appellatum fuisse.*9. 525.
*Caietanus credit Saram fuisse verā Abrahæ sororem, non tamen vterinam.*15. 529.
Caietanus causam affert cur Abraham in die ablactationis Isaac fecerit conuiuium. 6. 543.
*Caietani sententia cur Sara iuste Ismahelem eiici ex domo Abrahæ voluerit.*11.546.
*Caietani opinio, qua ratione Ismahel dicatur impositus humeris Agar.*14. 549.
*Caietanus causam reddit cur Abraham plātauerit nemus.*24. 555.
*Caietanus sepulturæ religionem ex lege positiua prouenire tantum putat.*10. 644.
*Caleb non fuit filius eius Esron, qui filius Phares fuit & nepos Iuda, vt putarunt Lyranus & Caietanus.*80. 276.& *seq.*
*Cassiani doctrina de triplici vocatione Dei, & triplici renuntiatione mundi.*26. 19.
*Cetura vltima vxor Abrahæ, fuerit ne ipsa Agar.*9. 217.
*Charitas præcipuum locum habet in iustificatione.*41. 771.
*Charitatis actus perfectissimus fuit, Abraham voluisse immolare filium, & quas ob causas.*56.57. pag.607.
*Chanaan tam gens quam terra varie vsurpatur in scriptura.*64. 45.
*Chananæorum gentis tria genera iniquitatum fuere propter quæ patriis sedibus exterminati fuerunt.*87. 281.& *seq.*
Chananæi proprios filios igni comburendo diis immolabant, impia superstitione. Ibidem.

Christus.

Christus quomodo tentatus à diabolo vidit omnia regna mundi & gloriam eorum. 43. 116.
*Christus in Abraham cur non possit dici decimatus à Melchisedecho.*77. 197.
*Christum dominum quatuor ob causas fuisse appellatum Sacerdotem secūdum ordinē, Melchisedec.*79.81. pag.199.& 201.
*Christus cur præcepit discipulis vt neminem per viam salutarent.*22. 478.
Christus quomodo præfiguratus sit in Isaac. 36. 695.
*Chrystianorum infestissimi hostes Iudæi & hæretici.*8. 750.

Chrysostomus.

*Chrysostomus vult tempus mansionis Hebræorū in Ægypto breuius fuisse ducentis annis, sed reiicitur.*71. 270.
*Chrysostomus super infidelitate Abrahæ variat.*68. 397.
*Chrysostomi pulcra & moralis expositio in hæc verba, ita vt ostium domus inuenire non possent.*18. 475.
*Chrysostomi locus, quòd Abraham ex se ipso, se Dei gratia dignum fecerit, caute legendus.*35. p. 429. & *qualis fuerit illius germanus sensus, explicatur.* 36. 37. pag.430.& *seq.*
*Chrysostomus oratoriam potius in dicendo amplitudinem sequitur, quam limatam disputantium subtilitatem.*37. 431.
Chrysostomus excusabiles docet esse filias Loth, quia omnes periisse arbitrabantur. 61. 507.
*Chrysostomus ebrietatem Loth vindicat à crimine.*64. 509.

*Chrysostomus existimat Loth dormiente factum esse incestum.*68. 512.
*Chrysostomus docet filias Loth non peccasse in concubitu cum patre.*69. 513.
*Chrysostomi encomium in Abrahā propter immolationem filij Isaac.*42. 597.
Chronologia excidij sodomitici describitur. 57. 504.

Circumcisio.

*Circumcisionis institutio, & eius præstātia super omnes alias veteris legis ceremonias.*11. 348.
Circumcisionis vsus & vtilitates. 12.13. 14.15.& *seq.* 349.& *seq.*
Circumcisio variarum rerum signū quinque modis fuit, de quibus. 17.18.20.& *seq.* 354.355. & 357.
Circumcisione ablatum peccatum originale. 21.22. 356.358.& *seq.*
*Circumcisionem quæ gentes præter Iudæos vsurparint, & quanto in honore fuerit apud Aegyptios.*20. 357.
*Circumcisio & baptismus inter se cōparantur quadrupliciter.*23. 360.
Circumcisio dupliciter fuit signum figuratiuum. Ibidem.
*Circumcisio non solum figura baptismi, sed Sacramentum præparatorium ad baptismum.*24. 361.
*Circumcisio spiritualis.*25. 361.& *seq.*
Circūcisionis spiritualis pulchra figura. 26. 363.
Circumcisionē fore abolendam vbi Christus in mundum venisset, probatur. 27.28.& *seq.* 363.& *seq.*
*Circumcisionis carnalis, & spiritualis oppositio.*31. 366.
Circumcisio quomodo erat futura æterna. 32. 367.
*Circūcisio cur ea in parte corporis fieri iussa sit.*33. 369.
*Circumcisio signum memoratiuum.*17.357. *repræsentatiuum fidei Abrahæ.*18.355. *distinctiuum.*20.357. *peccati originalis, & eius curationis demonstratiuum.* 21. *pag.*358.*figuratiuum.*23. 360.
*Circumcisio cur octauo die indicta infantibus.*35. 371.
*Circumcisionem non potuisse fieri ante octauum diem.*38. 373.& *seq.*
*Circumcisionem differri potuisse vltra octauum diem iustas ob causas.*39. 375.
*Circumcisio fuit omissa sine crimine à Iudæis toto eo tempore, quo erant in deserto.*40. 375.
Circumcisionis præcepto, qui tenebātur. 43. 378.
*Circumcisionis culter petrinus ne fuerit an ferreus, variæ sententiæ.*63. 393.
*Ciuitates euersæ incendio sodomitico quæ & quot fuerunt.*47. 497.
*Clemens Alexandrinus existimat Saram fuisse veram Abrahæ sororem, non tamen vterinam.*15. 529.
*Clibanus fumans quid significauerit. nu.*67. 266.
Codri pietas memorabilis in patriam. 60. 609.
*Cohen vox hebræa quid significet in scriptura.*51. 177.
*Collegium siue vt vocat Philo, consistorium septuaginta seniorum apud hebræos quale fuerit.*55. 780
*Comedere, proprie animalis actio, improprie Angelorum.*15. 417.
*Concilium Syrmiense Photini expositionem in hunc locum, Pluit Dominus à Domino, damnauit, & eos omnes qui ea verba de patre & filio non accipiūt anathematizauit.*40. 491.
Concilii Syrmiense quemadmodum & quatenus probatum fuerit, probādumque sit. Ibidem.
*Concubinæ nomen apud veteres quid proprie significet.*23. 321.
*Coniunctionis viri cum fœmina distinctio in legitimam & illegitimam, an fuerit in obseruatione ante leges scriptas.*33.766
*Consuetudo sacræ scripturæ in diuinis promissionibus.*45. 117.
Conuiuium Abrahæ Angelis factum, sine

vino & aliis gulæ irritamentis fuit. 12. 414.
*Coram Deo aliquid esse vel fieri, quid sit in sacra Scriptura.*34. 109.
*Cornelius Tacitus docet Sodomam fulminis iactu arsisse.*46. 496.
*Cornelius Tacitus narrat quantum plantis obfuerit clades Sodomitica.*51. 500.
*Corrhæi siue Horræi.*19. 472.
*Credere Deo & in Deum an differãt in Scriptura.*32. 234.*& seq.*
*Cultus Dei triplex, sicut etiam cognitio, ex Philone.*9. 410.
*Cypriani sententia, cur Circũcisio fieret octauo die.*35.37. 371.*& seq.*

D.

*DAdan, siue Dedã, & Dedanæi qui fuerint.*24. 460.
*Damascenus varias τῶ αἰῶνος refert significationes.*58. 129.
Damascenus septem mundi secula, à creatione mũdi vsque ad consummationẽ, octauũ deinde futurum ponit. Ibidem.
*Damascenus ager vbi formatus creditur Adam.*69. 137.
*Damascus vrbs an condita fuit à Damasco seruo Abrahæ.*11. 219.
Dauid insignis figura Christi Domini. 62. 131.
Dauidis nomine sæpe in scriptura, non ipse Dauid, sed Christus Dominus intelligi debet. Ibidem.
Dauidis regnum, quomodo penes eius posteros æternum fore, sit intelligendũ. Ibid.
*Dauid Rimchi statuã salis interpretatur cumulum.*25. 480.*& seq.*
*Dæmon cur humanas victimas olim à sui cultoribus exigeret.*64. 612.
*Decimas Diis solui in more fuit apud Romanos, & alias gentes.*56. 180.
*Decimas, decimarum vocabulo proprie acceptо, dedisse Abram Melchisedecho probatur contra Caietanum.*75. 195.
Democriti laudata sententia de diuitiarum propriatate 3. 89.

Deus.

*Deus quemadmodum loqueretur Abrahæ, & aliis prophetis.*3. 4.
*Dei apparitionum tres modi insigniores, & frequentiores.*68. 47.
*Deus confirmat, & recreat seruos suos duobus modis.*70. 49.
Dei potestas, & prouidentia potentissima in dandis, vel auferendis regnis declarata per verbum, dabo. Ibidem.
*Deum tentandi duplex ratio.*79. 56.
Deus tutor & vindex coniugalis pudicitiæ. 88. 62.
*Dei obliuio, abundantiam, delicias, & otium sequitur.*38. 112.
*Deus si nobis protector assistat, nil esse timendum, & quid sit Deum esse protectorem hominis.*4. 213.
*Deus dicitur merces hominum, tum causaliter, tum substantialiter.*5. 214.
Deus promissionem Abræ factam quomodo gradatim auxerit, in maius, & in melius. 12. 220.
Deus quatuor ob causas, ad peccatorũ vindictam, tandem in hac vita solet accedere. 93. 286.
Deus cur tamdiu patiatur, impune regnare persecutores Catholicorũ in Anglia. 95. 288.
Deus cognosci, & coli potest tripliciter. 9. 345.
*Deus vnde habeat, vt rex, Dominus, & victor appelletur.*9. 410.
Deus ad cultum suũ accedentes quoquo modo, tamen admittit. Ibidem.
*Dei incredibilis longanimitas erga peccatores.*47.438. *probatur idem ex Gregorio.* 48. 438.
*Deus cur vetuerit Lot retro aspicere, quinque rationes afferuntur.*22. 478.
Deus quid maxime spectarit in transformatione vxoris Lot in statuam Salis. 28. 482.*& seq.*
*Deus quomodo non solum verbis, sed etiam factis loquatur hominibus, illisque sua tradat mysteria.*27. 482.

*Deus cur infantes corporali pœna puniat ob parentum scelera.*53. 501.
*Deus cur dictis & promissis suis iusiurandum adhibeat.*76. 618.
Deus in scriptura legitur varie iurasse. 82. 622.
*Deus post Saræ mortem apparuisse Abrahæ non legitur, & quid hoc.*12. 645.
*Deum an deceat iurare.*78.*& seq.* 619.
*Deus cum cognoscat omnia ab æterno, quomodo dixerit Abrahæ, nunc cognoui, quod timeas Deum, disputatur fuse.*53.*& seq.* 605.
Diabolus ad quẽ finẽ tẽtet homines. 9.577.
*Diodorus Tharsensis, reges de quibus in exordio cap.*14. *agitur, Persas appellat, sed non probatur.*3. 145.
*Diodorus Siculus narrat Priamũ Troianorum regem fuisse sub Imperio regis Assyriorum, & ab eo auxiliares copias duce Mẽnone missas in bello Troiano.*5. 146.
*Dionysij Areopagitæ testimoniũ, quod Melchisedech fuerit ex populo Gentilium.*66. 188.
Dionysius Areopagita tradit omnes apparitiones diuinas in Veteri Testamẽto factas, esse omnes Angelico ministerio peractas 40. 491.
Dionysius Alexandrinus notatur à Basilio, Dum pugnacissime aduersatur Sabellio, arma ministrasse Arrianis 28. 426.
*Diremptio Societatis, interdum etiam inter Sanctissimos viros fieri solet, salua inter eos caritate.*30. 107.*& seq.*
*Diuisio animalium in firmandis pactis, non solebat fieri in auibus, sed tantum in animantibus terrestribus.*60. 260.
*Diuitum mores & studia qualia, ex Aristotele.*2. 89.
Diuitem carere vitijs, & studiosum esse virtutum, arduum & rarum esse ostenditur, tum ex sacris, tum ex profanis literis. 3. 89.*& seq.*
Diuitiæ cur talaribus tunicis comparentur à Socrate. Ibidem.
*Diuitiarum abundantia, parens, & nutrix discordiarum.*6. 92.
Dominicus Sotus putat Saram fuisse veram Abrahæ Sororem, sed non vterinam. 15. 529.
*Donatistæ gloriabantur se filios esse Abrahæ secundum Spiritũ, Catholicos verò secundum carnem, quia eos Catholici ob hæresim persequebantur.*37. 565.

E.

*EBrietas Lot culpanda sit, an excusanda, disputatur.*64. 509.
*Ebrietas quantum sit malum.*73. 515.
*Ecclesia Christi cur dicatur esse de sursum, cur appellari soleat Hierusalẽ, & cur dicatur libera.*36. 564.
Ecclesia, Saræ nomine figuratur. Ibidem.
*Ecstasis, siue excessus mentis, quadruplex ex Philone.*66. 265.
*Elamitæ qui fuerint, ex Iosepho, Eusebio, Hieronymo.*10. 149.
Electos esse numeratos apud Deum, non autem reprobos quomodo intelligatur. 48. 119.
Electos omnes mori in tempore suo, improbos vero in tempore non suo, an verũ sit. 60.*& 61.* 783.*& seq.*
*Elon vox Hebræa, quam speciẽ arboris significet.*63. 44.
*Emim, quæ gens fuerit.*18. 154.
Epha gentem fuisse vicinam Madianitis. 22. 759.
*Epiphanij notabilis sententia aduersus Hæreticos.*61. 184.
*Epiphanius tradit in quibusdam Scripturis nominatim prodi, patrem, & matrẽ Melchisedech.*60. 184.
*Epiphanij lapsus, in supputatione annorum à diluuio vsque ad Abraham.*64. 186.
*Epiphanius de possibili restitutione, & regeneratione præputij per Circumcisionem ablati.*34. 372.*& seq.*
Esau inuentum diabolicum fuisse (auctore Epiphanio) de restituendo præputio. 34. 369.*& seq.*
*Et, particula, pro enim, vel quia, frequens in lingua Hebræa.*49. 383.

Ethnicos permulta habere iis, quæ sunt in Scriptura similia, probatur exemplis. 52. 441.
Euangelistæ cur non eodem prorsus modo scripserint Euangelicam historiam. 88. 731.
Eucherius explicat, cur Abraham dubitauerit de prole suscipiēda, post promissum sibi à Deo semen. 8. 216.
Eugubinus disputat quid nomine Ponti intelligatur cū Gen. 14. *dicitur Arioch rex Ponti.* 7. 147.
Eugubinus vult hebræos dici ab Heber, non ad Habar. 30. 162.
Euphrates cur in sacra Scriptura appelletur magnus fluuius. 99. 290.
Eupolemus, reges, de quibus initio cap. 14. *agitur, Armenos fuisse censet, sed improbatur.* 2. 144.
Examen conscientiæ quotidie faciendum vesperi, exemplo Isaac. 99. 738.
Excusatio Loth tradita à Caietano, cæteris præfertur. 15. 472.

F

FAcere iudicium & iustitiam in Sacris literis, quatuor modis sumitur. 43. 435.
Facies alicuius quid sæpe in Scriptura significet. 33. 329.
Fœmina cur sexus lunaris appellatur. 28. 426.
Famam bonam habere, quantum sit bonum. 32. 23.
Fides Abrahæ qualis. 37. 38. *pag.* 240. & 242.
Fidem alicui imputari ad iustitiam quid significet. 47. 249.
Fidei assignat Paulus opera aliarum virtutum ex insigni fide profecta. 46. 248.
Filiarum Loth opinio, quod omnes homines incēdio sodomitico periissent, an sit excusabilis. 61. 507.
Filiæ Loth an peccauerint peccato incestus, disputatur. 69. 513.
Filij in senectute geniti, quare à parentibus vehementius amentur. 23. 586.
Filij quibus de causis olim à parentibus mactari Diis soliti. 61. 62. 610. & *seq.*
Filiorum suorū morte, qui olim apud Ethnicos Deum suum placare studuerunt. 60. 609.
Flere & plangere quomodo differunt. 20. 649.
Fluuius Aegypti, quem Deus statuit terminum terræ promissionis, qualis fuerit, & de eius variis nominibus. 100. 101. *pag.* 291.
Fœdera ineundi quis fuerit mos antiquus, apud Hebræos & apud Ethnicos. 58. 258.
Fœdus facere, cur Hebræi dicāt diuidere aut dissecare fœdus. *Ibidem.*
Fœdus percutere vel ferire cur dicatur apud Latinos. *Ibidem.*
Fœmoris vocabulo sæpe in Scriptura significatur generationis propagatio, ex Ambrosio & Gregorio. 6. *pag.* 677. *aliquando etiam potentia & fortitudo bellica.* 7. 677.
Fratrum nomine parentes & filij, aui item, atque nepotes nonnumquam significantur. 84. 728.
Funeris officia quæ. 12. 645.
Funeris officia à sanctis patribus quomodo celebrata. *Ibidem.*

G

GAleni sententia de conceptu mulierum tempore menstruorum. 32. 648.
Galilæa gentium cur sic dicta. 10. 149.
Gedeon petendo signum à Deo nō excusatur à peccato à D. Thoma & Glossa, excusatur à Caietano & Lyrano, quibus auctor accedit. 56. 256.
Gellius ex Phauorino docte ac diserte ostendit, matres filios suos lactare debere. 2. 540.
Terea vox græca spacium quoddam annorum significat, sed non idem apud omnes. 79. 275. & *seq.*
Genebrardus, tempus à prima promissione Abrahæ vsque ad legem Mosis extendens vltra vltra sexcentos annos, refellitur. 42. 29.
Genebrardus opinatur Assyriorum regem sub se alios reges non habuisse, nec eius imperium fuisse tam potens & amplum, vt fert communis opinio, sed ab auctore confutatur. 5. 146.
Genebrardus existimat Hebræos mansisse in Ægypto 400. *annis, aut etiam quadringentis triginta, sed reiicitur.* 71. 269.
Generationis vocabulum in Sacris literis, quatuor habet significationes. 79. 275. & *seq.*
Generationis impedimenta duo. 20. 421.
Generatio in Scriptura sæpe denotatur tribus humani corporis partibus, ventre, lumbis, & fœmore. 6. 677.
Gentiles solebant in syluis, & proceris ac frondosis arboribus falsos Deos colere. 25. 556.
Gerara quæ vrbs, & quis illius situs. 2. 519.
Geraræ natus creditur Isaac. *Ibidem.*
Glossæ interlinearis moralis expositio de peccato Loth in monte. 58. 505.
Gozal vox Hebræa, pullum columbæ, siue paruam columbam significat, originem ducit à Gazal quod est rapere, secundum Oleastrum. 60. 260. & *seq.*
Græciam nullis disciplinis floruisse tempore Mosis probatur; & refellitur Philo. 114. 79. & *seq.*
Græcorum præsentis calamitatis, & miserimæ seruitutis, quæ causa. 95. 288.

Gregorius.

Gregorij sententia, contra eos qui non pœnitentes, in dies peccata peccatis cumulant. 91. 285.
Gregorius risum Saræ à dubitatione vult esse profectum. 17. 419.
Gregorius apud Iudæos in veteri Testamento eam vim habuisse circumcisionē, quam apud Christianos baptismum, docet. 22. 359.
Gregorij disputatio aduersus inuidos & sanctorum virorum obtrectatores. num. 21. 477.
Gregorij locus obscurus, de minori malo faciendo vt euitetur maius, explicatur. 11. 470.
Gregorius quomodo laudet factum Loth recusantis ascendere mōtem. 54. 475. & *seq.*
Grogorius docet quanta conuenientia fuerit punitionis Sodomitarum cum eorum peccato. 45. 496.
Gregorius docet locum parum valere ad bene viuendum, si desit spiritus. 58. 505.
Gregorij expositio allegorica, de Rebecca se pallio operiente, viso Isaac, & protinus descendente de Camelo. 106. 742.

H

Hæretici.

Hæretici nostri temporis cruentum Christi sacrificium ratione personæ atque effectus sic volunt fuisse æternum vt illius ratione Christus vere dictus sit Sacerdos in æternum: sed refelluntur ab auctore. 81. 201.
Hæreticorum inscitia ostenditur argumentantium ex hoc loco (credidit Abraham Deo) nudam fidem iustificare. 33. *pagina* 236. & *seq.*
Hæreticorum sententiam, iustificari hominem sola fide, non adiuuat hæc sententia (credidit Abram Deo.) 39. 243.
Hæreticorum secta quibus notis quibusue rebus discernatur ab Ecclesia Catholica, ex Ruperto 107. 742. & *seq.*
Hai vrbis situs & descriptio ex Borchardo & Andrea Masio. 73. 51.
Hai vrbs altera apud Ammonitas. *Ibidem*
Hai per excellentiam Habai plerumque appellatur. *Ibidem*
Ham ciuitas Zuzimorum. 18. 154.
Hamerus quid intelligat per velamen oculorum Saræ. 20. 534.
Haram quomodo dicatur vrbs vel domus Thare. 38. 697.
Haram quomodo terra Abrahæ 41. 699.
Haram aliis nominibus dicunt Charan, & Charas. 43. 700. & *seq.*

Hebræi & Hebraismus.

Heber, ex quo dicta est gēs & lingua Hebræa, quandiu superuixit Abrahæ. 44. 773.

Hebræi nominibus substantiuis adiungunt genitiuum nominis Dei ad declarandam excellentiam rei, quæ declaratur nominibus illis substantiuis. 35. 110.
Hebræi adiectiuis quibusdam nominibus addunt datiuum nominis Dei, ad indicandam veritatem, perfectionem, & præstantiam eius rei, quæ denotatur nominibus adiectiuis. Ibidem.
Hebræi Olympiade ducentesima vigesima octaua, Adriano Imperatore, ex Palæstina penitus exterminati. 50. 121.
Hebræi boni, dicebantur stellæ, quia fulgebant bonis omnibus, & non poterant lædi. 47. 119.
Hebræi mali, dicebantur puluis, quia conculcabantur, & dissipabantur. Ibidem.
Hebræi superlatiuis carent, vice tamen illorum peculiares locutiones habẽt. 33. 109.
Hebræi habitationem Loth inter Sodomitas falso accusant. 31. 108.
Hebræi possederunt terram Chanaan mille sexcentos quadraginta annos. 50. 121.
Hebræi quando desierint secundum Caietanum esse semen, & filij Abrahæ. 53. 125.
Hebræi, Hebron vocant Arbe, id est quatuor, & quare, ex Hebræorum commentariis. 71. 138.
Hebræorum veterum mos fuit, redeuntibus è bello parta victoria obuiam exire cum pane & vino ad eos refocillandos. 71. 191. & seq.
Hebræorum appellatio vnde ducta sit. 26. 159.
Hebræos dictos esse ex Abraham quasi Abræos, opinio Artapani, sed improbabilis. Ibidem.
Hebræos dictos esse à verbo Habar, sententia Chrysostomi, Theodoreti, Burgensis non probatur. 27. & 28. 160. & seq.
Hebræorum gentem & linguam dictam esse ex Heber pronepote Sem, multis probatur. 29. 30. & 31. 162. & seq.
Hebræorum mos in numerando. 37. 167.
Hebræorum figmenta. 24. 158.
Hebræi an manserint in Ægypto & seruierint Aegyptiis per quadringentos annos. 68. 267.
Hebræorum in Aegypto tempus habitationis, vnde auspicandum sit. Ibidem.
Hebræos non habitasse in Aegypto quadringentis annis argumento Augustini & Bedæ conuincitur, & non probatur Genebrardus. 69. 168.
Hebræi manserunt in Aegypto annis duntaxat ducentis quindecim, vt est communis opinio, & eam sequitur auctor. 70. 169.
Hebræi oppressi seruitute ab Aegyptiis fuerunt, minus 130. annis. Ibidem.
Hebræi num vllo tempore ditionem suam & imperium protulerint vsque ad fluuium Euphratem. 110. 300.
Hebræorum fabula de abortu Agar. 28. 326.
Hebræi & plurimi Christiani illud Genes. 19. (*pluit Dominus à Domino*) *intelligũt carere mysterio, & hoc significare, pluit Dominus à se ipso.* 37. 489. & seq.
Hebræi sermonis familiare est, magnas calamitates nomine mortis, prosperitates, vitæ vocabulo appellare. 42. 493.
Hebraismus est (Bibere vinum) idem significans quod large & vsque ad ebrietatem bibere. 63. 508.
Hebræi quidam impie arbitrantur, vinum quo inebriatus est Loth, fuisse repente à Deo creatum, sed refelluntur ab Auctore. Ibidem.
Hebræi incredibile putant, quod dicitur de Loth (nec sensit quando accubuit filia, nec quando surrexit.) 66. 510.
Hebræorum fabulosa ratio, cur vxor Loth versa sit in statuam salis. 26. 481.
Hebræis familiare esse ostenditur, pro pronominibus ponere nomina. 37. 689.
Hebræi causam pulchritudinis Saræ iam senis assignant miraculo. 4. 521.
Hebræorum sententia, quot annos lactatus sit Isaac. 4. 541.
Hebræi referunt solitum fuisse Abraham deducere hospites suos in nemus à se plantatum, vt ibi Deum colerent. 24. 555.
Hebræi tradunt Abraham vidisse in loco in quo immolaturus erat filium, ingentem columnam igneam, certum indicem eius loci. 34. 592.
Hebræi ducunt paternum genus ab Abraham, maternum vero à Nachor. 106. pa. 635.
Hebræorum commentum de morte Saræ. 4. 640.
Hebræi omnium pene linguarũ verbis vtuntur. 78. 724.
Hebræi putant Ceturam & Agar fuisse eandem mulierem. 9. 751.
Hebraismus est egredi de vtero alicuius, etiam viri, pro eo quod est, naturaliter ex eo generari. 13. 220.
Hebraismus (leuo manus ad Dominũ) quid significet, & leuare manus plurifariam vsurpari. 83. 203.
Hebraice est Genes. 15. *ego sum studium, aut clypeus tuus, pro eo quod habemus, protector tuus.* 4. 213.
Hebraismus: factus est sermo Domini ad Abram per visionem, quid significet. 2. 212.
Hebraismus, concluſit me Dominus ne parerem, quidnam denotet. 2. 305.
Hebraismus, ædificare aliquem, pro dare ei filios, & mulierem ædificari ex viro, pro suscipere ex eo filios. 4. 464.
Hebraismus in scriptura creber, à facie alicuius, vel ante faciem & similia; & quid significet. 33. 109.

Hebron.

Hebron antiqua, nunc diruta, vbi fuerit sita. 69. 137.
Hebron noua eo loco fabricata, vbi duplex fuit spelunca, quam emit Abraham in sepulturam vxoris Saræ. Ibidem.
Hebron vrbis antiquitas. 66. 136.
Hebron vrbem sic appellatam ex quodam filio Caleb opinio B. Hieronymi, sed incerta. 73. 139.
Hebron vrbs sita fuit in medio sortis Iudæ. 33. 428.
Hebron patria sancti Ioannis Baptistæ fuisse non temere creditur. 7. 642.
Heglach vox Hebræa, tam vitulum, quam vaccam significat. 59. 259.
Herodotus refutatur de origine circumcisionis. 20. 357.
Hethæi sua sepulchra obtulerunt Abrahæ, propter spem resurrectionis mortuorum. 24. 652.

Hieronymus.

Hieronymi documentum circa vocem Holam, quando æternum, vel annum Iubilei significat, expenditur. 50. 121.
Hieronymus scribit Adamũ in vrbe Hebron conditum. 74. 140. *Docet quę gens fuerit Raphain, Susin, & Emim.* 15. 152. & *quis locus fuerit Dan.* 38. 167. *Ex sententia Hebræorum dubitari posse ait an Abrahamus decimas ipse dederit Melchisedec, an vero acceperit.* 54. 179. *Ex eorundẽ Hebræorũ sententia scribit Melchisedec occurrisse Abrahę in valle Saue, & fuisse ipsummet Sem.* 47. 174. & seq.
Hieronymi opinio de vrbe Salem refertur. 68. 190. *eadem ab Auctore expenditur.* 69. 190. *Eadem satis probabilis non negatur.* 70. 191. *Sed præfertur ei communis patrum sententia.* Ibidem.
Hieronymus in quæstionibus Hebraicis vult Hus conditorem esse vrbis Damasci. 11. 219.
Hieronymi sententia de magnitudine terræ promissionis, & quantam, & quomodo Hebræi possederint, non omnino probatur auctori. 170. 297.
Hieronymi verba de Ismahelitarum barbarie. 31. 328.
Hieronymus quid sentiat de mutatione nominis Abræ. 9. 345.
Hieronymi notanda consuetudo in commemorandis multorũ sententiis, etiam falsis, tacitis auctorum nominibus, nec illis improbatis. 56. 503.
Hieronymus explicat cur Loth, ex Segor quam monti prætulerat, ad montem migrare voluerit. 36. 488.

Hieronymus docet Segor seruatam esse ab incendio Sodomitico.48. 498.
Hieronymi notabilis sententia de ijs qui hic à Deo puniuntur, an præsentibus pœnis effugiant æternas, excutitur & explicatur.54. 502.
Hieronymi sententia quid sit argenteus. 7. 523.
Hieronymi sententia de lusu Ismaelis cum Isaac.8. 544.
Hieronymus putat Abraham habitasse Geraris quando habuit præceptum de immolando filio.32. 591.
Hieronymus non fuit auctor commentariorum in vndecim Epistolas Pauli.18.544.
Hieronymi sententia, quot annos natus Ismael cum ex domo Abraham eiectus est.4. 541.
Hieronymi lapsus memoriæ, super sicli pondere.29. 655.
Hieronymus, Dædanæos facit incolas occidentalis Æthiopiæ, verum non probatur.24. 760.
Hieronymi documentum, eximia bona hebræis à Deo promissa, vel esse figuratè ac mystice intelligenda, vel non nisi conditionaliter fuisse eis promissa.23. 759.
Hieronymus in sacris literis exponendis, vult primo quærendum, & quasi fundamentum esse supponendum sensum historicum.73. 720.
Hieronymus censet vocem hebræam (Alma) semper sumi in sacris literis pro virgine incorrupta.77.& 78. 724.
Hieronymus quam disertus prædicator & ardens amator solitudinis fuerit. 101. 738.
Hieronymus contra eos qui sepulturas vendunt.14. 646.
Hierusalem nomen factum est ex duobus Iebus & Salem.67. 715.
Hierusalem & Syon vocabula, solet scriptura iungere in eadem sententia. Ibidem
Hilarius docet cur concilium Syrmiense diuersam expositionem horum verborum (pluit Dominus à Doino) tam seuero edicto damnarit.40. 491.
Hilarius erudite declarat duplicem Dei cognitionem, vnam absolutam, qua Deus omnia cognoscit, aliam cognitionem dilectionis, qua ea tantum nosse dicitur, quæ illi sunt grata.51. 603.
Historia scholastica vrbem Damasci à Damasco seruo Abræ conditam esse refert. 11. 219.
Historiæ sacræ & profanæ differentia. 73. 720.
Historiæ sacræ multiplex vtilitas.74. 721.
Historiæ commendatio. Ibidem.
Hyperbolicæ locutionis vsus frequens in sacris literis.48. 119.
Hyperbolica locutio aliena à scirrptua in definiendis finibus regionum.100. 291.
Holam vox hebræa quid significet.50. 121.
Homerus quando vixerit, variæ admodum sententiæ.98. 70.
Homerum vixisse circa tempora Salomonis ostenditur.99. 71.
Hominis perfectio in quo consistat. 6. 342.
Homo quatuor rerum generibus comparatur, & quibus inferior, & quibus superior sit. 61. 448.
Hospitalitatis tria munera & officia. 34. 428.
Hospites deducendi morem, antiquissimum esse patet auctoritate Homeri. Ibidem
Hugonis S. Victoris ratio mystica cur octauo die infantes circumciderentur. 37. 372.
Hugo Sancti Victoris ad literã explicat quid sit deleri de populo suo.59. 390.
Hugo S. Victoris existimat historiam quam Moses refert de Sara ca.20. Genes. nõ esse suo loco narratam, sed refellitur. 4. 521.
Humilitas quæ perfecta sit, secundum Chrysostomum.9. 94.

I

IGnatij martyris egregium dictum de perfecta iustificatione hominis.40. 213.
Ilex Mambre qualis, qualia eius folia & fructus.69. 137.
Ilex Mambre iuxta viam regiam, quæ ducit Hebron, sita erat. Ibid.
Ilex Mambre ad quæ vsque tempora duraverit.70. 138.
Ignis sulphureus & igneus, quo perijt Sodoma, qualis fuerit.44. 495.
Impossibile aliquid in scriptura octo modis dicitur, ex doctrina Nazianzeni & Cyrilli Alexandrini.40. 433.& seq.
Incestus cum Lot, quomodo à filiabus eius illo dormiente fieri potuerit.68. 512.
Infantes incircumcisi, obnoxij pœnæ circumcisionis omissæ esse, nec poterant nec debebant.55.56. 387.& seq.
Infantes legi circumcisionis subiecti, sed non pœnæ.56. 388.
Infantis incircumcisi pœna ad parentes, vel curatores tantum spectabat.57. 389.
Infantes in clade Sodomitica, cur simul cum parentibus comprehensi sunt.53. 501.
Ingredi viam vniuersæ terræ, vel vniuersæ carnis, quid.60. 391.
Iniquitas pro culpa, & pro culpæ pœna, sumitur in sacris literis.88. 282.
Intercessorum pro peccatoribus apud Deum triplex genus.72. 455.
Interpres Latinus in transferendis verbis ex hebræo, vel græco, solet retinere casus & genera nominum, quæ habent in ea lingua, vnde transferuntur.33. 562.
Ioannis Annij sententia, quare vrbs Hebron vocata sit vrbs quatuor.71. 138.
Ioan. Annius ait Hebron esse primã omnium vrbem, ab Adamo primo homine fabricatam.66. 136.
Ioan. Annius tradit Noë natum esse in vrbe Hebron. Ibidem.
Ioannis Arborei ratio qua Lot excusatur quod filias prostituerit, examinatur. 6. 466.

Iordanis.

Iordanis peramœnus fluuius, & fertilem, irrigando terram efficiens, teste Plinio, & Solino.13. 97.
Iordanis omnium fluminũ præstantissimus. 17. 100.
Iordanis vocabuli deriuatio, & fluuij origo. 18. 101.
Iordanis progressus, & cursus quantus. 19. 102.
Iordanis ante subuersionem Sodomæ, & Gomorrhæ, ferebatur in Mare vel Rubrum, vel Mediterraneum, vel aperto supra terram cursu, vel occulto in terram abditus meatu.26. 105.
Iordanis post factum Mare mortuum, inuento sibi subterraneo itinere, vt credibile est, cursum ad Mare rubrum vel Mediterraneum dirigit. Ibidem.
Iordanis an cõdat se sub terram, prius quàm attingat Mare Mortuum.24. 104.

Iosephus.

Iosephus, scribens Lot adoptatum fuisse in filium ab Abraham, refellitur.53. 36.
Iosephus quatuor reges, qui initio capitis 14 Geneseos commemorantur, Assyrios fuisse censet: quod probat Auctor.4. 145.
Historiam Melchisedec, enarrat, in qua quatuor Auctor annotauit.47. 144. *Affirmat præterea Melchisedec occurrisse Abrahæ in valle Saue.* Ibidem.
Iosephi figmentum, dum vult trecentos decem & octo Abræ vernaculos non fuisse priuatos milites, sed aliorum præfectos & duces.37. 167.
Iosephus semper loquitur de Melchisedec vt de homine alienigena.65. 187.
Iosephi opinio de vrbe Salem.67. 189.
Iosephus existimauit Melchisedechum protulisse panẽ & vinum in cibum & potum Abrahæ & seruorum eius.71. 191.
Iosephus conditorem vrbis Damasci vult esse Hus nepotem Sem.11. 219.
Iosephus non incogitanter legendus, dum dicit Saram Dei monitu suasisse Abrahæ coniugium cum Agar.3. 306.
Iosephus docet vxorem Lot nimis attente, morose, curioseque cladem ciuitatis respexisse.23. 480.
Iosephus docet Segor seruatã esse ab incendio Sodomitico.48. 498.
Iosephus explicat quæ fuerit magnitudo Maris mortui.49. 499.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iosephus narrat quantum detrimẽti acceperint plãtæ ex clade Sodomitica.51. 500.
Iosephus ignorãtiam filiarũ Lot, qua omnes homines incẽdio Sodomitico periisse arbitrabantur, iudicat inuincibilem.61. 507.
Iosephus male refert historiam de Abimelec.6. 522.
Iosephi opinio, quanti valeat Argenteus. 17. 531.
Iosephus refert quàm graui morbo affectus sit Abimelec ob Saram acceptã.25.535.
Iosephus sæpe addit ex suo sensu aliqua ad narrationem sacræ historiæ.51. 706.
Iosephus reprehẽditur, quod dixerit Bathuelem patrem Rebeccæ mortuũ fuisse, quando seruus Abrahæ domum eius se contulit.84. 728.
Iosephus lapsus est in Chronologia, scribens, statim post coniugium Isaac, decessisse Abraham.108. 743.
Iosephi perinsigne erratum in Chronologia, aientis nepotes Abrahæ ex Cetura militasse sub Hercule: cum illi non minus sexcentis annis hũc antecesserint.16. & 17. 755. & seq.
Iosephi discutitur illa opinio, Aphricam fuisse appellatam à quodam nepote Abrahæ. 16. 755.

Irenæus.

Irenæus quid tradat de Circumcisione spirituali.25. 361. & seq.
Irenæi allegorica expositio statuæ, in quam versa est vxor Lot, ad Ecclesiam Christi pertinens.30. 485.
Irenæus excusabiles sentit esse filias Lot, quod omnes homines tunc perijsse putarent.61. 507.
Irenæus existimat, Lot dormiente, factum esse incestum.68. 512.
Irenæus vindicat ab omni crimine factum filiarum Lot.69. 513.

Isaac.

Isaac quomodo vocetur primũ semen Abrahæ, cum quatuordecim annis ante eum genitus fuisset Ismahel.74. 273.
Isaac vnde nomen habeat.69. 398.
Isaac Christum nomine & munere præsignauit. Ibid.
Isaac natus est Geraræ.2. 519.
Isaac quot annos lactatus sit.4. 541.
Isaac ductus est ad immolandum primo die mensis septimi Hebræorũ.2. & 3. 573. & seq.
Isaac quatuor de causis dicitur vnigenitus Abrahæ.19. 584.
Isaac quare ligatus fuit, dum immolari parabatur.41. 596.
Isaac nõ fuit duodecim, sed vel viginti quinque vel triginta septem annorum, cum immolandus fuit.105. 635.
An de coniugio Isaac & Rebeccæ facto per seruum Abrahæ, sit requisitus assensus eiusdem Isaac.35. 694.
In hoc cõiugio mirifice prædicatur à Ruperto fides Abrahæ, & castimonia Isaac. Ibid.
Isaac cur ab Abraham non sit missus in Mesopotamiam ad accipiendam vxorem, sic vt postea Isaac misit Iacob. 36. & 37. 695. & seq.
Isaac, cur solus omnium filiorum Abrahæ, institutus ab eo sit hæres.29. 763.

Ismahel.

Ismahel cũ dicitur fore ferus, quid illa dictio ferus, propriè significet.30. 327.
Ismahelis magnum priuilegium, qui fuit nominatus diuinitus, antequam natus. 20. 318. & seq.
De Ismahelitis siue Saracenis vaticinium, quod Methodio, falso adscribitur.38. 334
Ismahel an saluus fuerit.73. 789.

Iudæi.

Iudæi quomodo in sacrificio adhibebant panem & vinum.80. 200.
Iudæi ad Idololatriã delapsi, more Gentium in nemoribus super colles & sub arboribus sacrificabant.25. 556.
Iudæis lege Mosis interdictus est lucorum & arborum vsus ad Dei cultum.26. 556.
Iudæorum antiquus mos in celebrandis contractibus, ostenditur ex Hieremia. 31. 656.
Iudæorum atrocissimi quondam hostes fuere populi eorum consanguinei, vt Ismahelitæ, Idumæi, &c.8. 750.
Iudicum documentum exemplo ipsius Dei, ne damnent aliquid, quod ante non explorauerint diligenter.47.48. 438.
Iulius Scaliger refert tres species camelorum, & scite de illis disserit.50. 705.
Iurare per nomen Dei, idem est atque per Deum, contra Philonem.82. 622.
Iurisconsultorum quorundam opinio, aientiũ, discrimen nuptiarum legitimarum atque illegitimarũ, & insuper liberorũ, non fuisse obseruatum ante leges scriptas. Sed ea opinio refellitur.33. 766.
Iurisiurãdi sanctitas explicatur, auctore Cicerone.85. 205.
Iustinus Martyr Circumcisionis cultrũ fuisse ait ferreum.69. 398.

Iustificatio, & Iustus.

Iustificari ex operibus quid sit.44. 247.
Iustificationis hominis tum primæ, tum secundæ, radix & origo fides est.48. 249.
Iustitiæ incremẽtum, gratuitum est, respectu radicis, & primæ causæ, à qua proficiscitur.49. 499.
Iustificatio hominis cur multis virtutibus in scriptura tribuatur.40. 243.

Iustus.

Iustus quantũ valeat apud Deum, & quàm vtilis sit hominum Societati.58. 446. & de hac re pulchra sententia Philonis. 59. 447.
Iustus quanti fieri debeat ab hominibus. Ibidem.
Iustus vir quantum valeat apud Deum.39. & 40. 26. & seq.
Iustũ perdi vnà cum impijs, vtrũ conueniens sit bonitati diuinæ, excutitur.55. 444.

L

Lactantius non aliam causam circumcisionis quàm figuratiuam agnoscit, de quo reprehenditur.16. 353.
Lactis quo infantes nutriuntur, vis magna est ad inclinationes bonas vel malas. 2. 540.
Lacus Sodomiticus cur Mare Mortuũ, Mare campestre, Mare salis, & Mare solitudinis dictus sit.49. 499.
Lampas transiens inter partes animalium diuisas ab Abraham quid significet. vbi triplex datur expositio, & affertur Augustini sententia.67. 266.
Latini cur ineundi fœdus ritum suum, dicunt percutere, vel ferire fœdus.58. 258.

Lex.

Legis vox quàm varie sumatur in scriptura. 28. 558.
Legum barbarus contemptus in quibusdam Imperatoribus Romanis.13. 528.
Leo Castro credit duas esse voces hebræas significantes puellam, & virginem: vnam Betula; alteram, Alma: & quomodo inter se differant.76. 723.
Leo Papa, qui significat, Agar non fuisse veram vxorem Abrahæ, explicatur.11.24. 313. & 321.

Leuare.

Leuare manus, in scriptura, octo habet significationes.84. 204.
Leuare manus, in cœlum ad Deum, cur iurare significet. Ibid.
Leui decimatus est à Melchisedeco, existens in lumbis Abrahæ decimas dãtis Melchisedeco; non autem Christus Dominus, & cur.77. 197.
Libertas quadruplex est: Ciuilis, Moralis, spiritualis & cœlestis.36. 564.
Lippomanus ait Saram fuisse sororẽ Abrahæ.15. 529.
Lippomani sententia quot annis lactatus sit Isaac.4. 541.
Lippomanus putat, terram visionis vocatam esse

esse illam partem Iudææ, quæ maxime montana est: & aliorum interpretationes eius appellationis. 11. 578.

Lot.

Lot commẽdatur: & quæritur an fuerit filius adoptiuus Abrahæ. 53. 36.
Lot amicus Abrahæ non satis firmus, sed suspectæ fidei, secundum Philonem. 5. 91.
Lot sancte coluit innocentiã mentis, & munditiam corporis inter Sodomitas, teste Gregorio. 31. 108.
Lot quatuor viis ac rationibus excusatur à multis quod filias obtulerit libidini Sodomitarum. 6. 466.
Lot cur Sodomæ mansit cum gente tam scelerata. 2. 463. hinc eius virtus commẽdatur. 3. 463.
Lot excepto, eiusque familia, vtrum Sodomis fuerint alij iusti. 69. 454.
Lot an excusari possit à peccato, ignorantia iuris. 15. 472.
Lot an peccauerit recusando ire ad montem, vti iubebatur ab Angelo. 33. 487.
Lot cur ad montem ire tantopere horruit. 35. 488.
Lot cur post recessum in montem, duplici malo, ebrietatis & incestus fœdari, à Deo permissus est. 58. 505.
Lot an fuerit simpliciter iustus, disputatur. 59. 506.
Lot cur à Deo permissus sit prolabi in incestum. 72. 515.
Lusus pueris, est naturalis, familiaris, & index eorum indolis. 7. 543.

Lyranus.

Lyranus docet promissum de semine Abrahæ multiplicando, principaliter intelligi secundum literalem sensum de multiplicatione spirituali. 17. 224.
Lyrani sententia, promisso de multiplicatione seminis instar stellarum significari multitudinem electorum ad vitam æternam. 18. 225.
Lyranus sentit in promissione seminis instar stellarum intellexisse Abraham tam sibi, quam suo semini promissa esse bona cælestia per Christum comparanda. 19. 225.
Lyranus existimat complurium locorum quibus bona temporalia in Scriptura promittuntur, sensum principalem literalem esse de bonis spiritualibus. 59. 259.
Lyranus quomodo ad literam exponat quid sit deleri de populo suo. 59. 390.
Lyranus explicat cur fœdus inuiolabile, appelletur pactum salis. 25. 480. & seq.
Lyranus significat vxorem Lot versam esse in statuam salis, quia salem, id est, affabilitatem non adhibuit in hospitibus recipiendis. 26. 481.
Lyranus explicat sententiam Hebræorum de ignorantia Lot in accessu & recessu filiæ, & eam sequitur. 66. 510.
Lyrani sententia, quot annis Abraham moratus sit in terra Palæstinorum. 27. 556.
Lyranus quatuor assignat verbi, ludo, significationes ex Scriptura. 9. 545.
Lyranus non fideliter refert sententiam Iosephi. 67. 715.
Lyranus, populum ad quem dicuntur congregati mortui, interpretatur societatem hominum iustorum, qui manebãt in Limbo: & huius sententiæ est Theodoretus, & Rupertus & Caietanus. 68. & 70. 788.
Lyranus reprehendit orationẽ Iosephi, quam finxit habuisse Abrahã ad Isaac eo tempore quo illum immolare parabat. 43. 598.

M.

Madianitæ.

Madianitarum gens qualisnam fuerit, & quam infensa Hebræis. 19. 757.
Madianitas atque Ismahelitas, quasi vnam & eandem gentem sumi nonnunquam in Scriptura. 20. 758.
Madianitas nomine Aethiopum interdum vocari. 21. 759.

Magi

Magi & Necromantici multis modis adiurare solent Dæmones, & qua potestate. 22. 687.
Mœrore cur homines opprimantur, dum bonis priuantur, egentesque fiunt, ex Philone. 86. 730.
Mahometes pseudopropheta ex stirpe Ismahelis. 26. 323.
Mambre nobilitatur diuina apparitione & diutina Abrahæ habitatione. 2. 406.
Manum extendere in vel super aliquem, est signum irati, & quot modis extendere manum sumatur in Scriptura 45. 599.
Maris Galilææ seu Lacus Genesareth latitudo quadraginta stadiorum, longitudo centum. 23. 103.

Mare Mortuum.

Mare mortuum seu Asphaltites Lacus, longitudine quingentorum & octoginta stadiorum, latitudine centum quinquaginta patet. 25. 104.
Mare Mortuum an fuerit ante subuersionem Sodomæ & Gomorrhæ. 26. 105.
Mare Salis seu Lacum Asphaltitẽ semper eo loco fuisse, opinio & Caietani & Oleastri: sed ab Auctore refellitur Iosephi & B. Hieronymi sententia. 12. 13. 150. & seq.
Mare Salsissimum seu Mortuum terminus erat Orientalis terræ Promissionis. 33. 428.
Mathematici quid sentiant de multitudine stellarum. 15. 222.
Mater familias & Matrona quæ proprie apud veteres. 23. 321.
Contractum non fuit matrimonium inter absentes Isaac & Rebeccam per seruum Abrahæ quasi procuratorem, sed tantum sponsalia. 45. 702.
Matrum laudabilis mos apud Antiquos, filios proprijs vberibus lactãtium. 2. 539.
Melchior Canus existimat Abraham mentitum esse cum ad seruos dixit, expectate hic, & cum sacrificauerimus, reuertemur ad vos, Genes. 22. vers. 5. 36. 593.
Melchior Canus putat B. Stephanum in concione quam habuit Act. 7. quodam loco esse memoria lapsum; sed ab Auctore refellitur. 37. & 42. 651. 662. & seq.

Melchisedec.

Melchisedec historia cur nobilissima. 43. pag. 173. vbi Abraham exceperit. 47. 174. Primus in Sacris literis legitur nominasse Deum Creatorem Cæli & terræ. 52. 178. Probatur accepisse ab Abrahamo decimas, non autem ei dedisse. 54. 55. 56. pag. 179. & seq.
Melchisedec nomen esse proprium non appellatiuum. 48. 175.
Melchisedech an fuerit verus homo ample disputatur. 57. & seq. 182.
Melchisedechi patrem Eraclam, matrẽ vero Atheriam in quibusdam Scripturis nominatim prodi, tradit Epiphanius. 60. pagina 184.
Melchisedechi genus & parentes in Scriptura tacentur, & cur. Ibidem.
Melchisedech dicitur à S. Paulo assimilatus Filio Dei, propter similitudinem sacerdotij & sacrificij. 61. 184.
Melchisedech fuisse verum hominem, probatur tribus argumentis. 62. 185.
Melchisedec dicitur rex iustitiæ & pacis, phrasi Hebræa. 61. 184.
Melchisedec fuisse Sem filium Noe, fuit opinio Samaritarum ex Epiphanio, siue Hebræorum, ex Hieronymo. 63. 186. Sed refellitur ab Auctore quatuor argumentis. 65. 187.
Melchisedec fuisse de populo Gentili, & fuisse Chananæum, probat Auctor Sanctorum patrum testimonijs. 66. 188.
Melchisedech virginem faciunt, Suidas, & Ignatius Martyr. Ibidem.
Melchisedechi persona & nomen & munus, & sedes regia, atque pontificalis, quàm belle quadrent ad mysterium Christi Domini, qui futurus erat rex & Sacerdos in Hierusalem. 70. 191.
Melchisedec occurrens Abrahæ protulit panem & vinum ad reficiendum eum &

Socios, ex Iosepho. 71. 191.
Melchisedec occurrens Abrahæ protulit panem & vinum ad sacrificandum Deo in gratiarum actionem pro victoria Abrahæ, idque probatur quinque argumentis. 192.
72.
Melchisedech occurrens Abrahæ, panem & vinum iam sacrificata Deo, protulit in vsum Abrahæ & sociorum ac seruorum eius, ex Clemente Alexand. Theodoreto & Philone. 74. 194.
Melchisedech vndecim potissimũ rebus præfigurauit Christum. 79. 199.
Melchisedec cur nec initium, nec finẽ dierum habere dicitur. Ibidem.
Melchisedec nec oleo fuit vnctus, nec ab homine consecratus vt ait Philo. Ibidem.
Melchisedec eo potissimũ præfigurasse Christum, quod nil aliud sacrificaret Deo, nisi panem, & vinum. 80. 200.
Mena primus mortalium creditur regnasse in Ægypto. 96. 69.
Menstrua mulierum, & cætera ad eandem materiam pertinentia fuse tractantur. 25. 26. & seq. 425.
Mercurium Trismegistum fuisse primum sapientiæ Ægyptiæ inuẽtorem, negat Auctor. 113. 73.
Merces hominis in cœlo quanta sit. 16. 223.
Merces cœlestis cum laboribus & meritis hominum comparatur. 7. 215. & seq.
Mercenarius quis dicatur. 43. 378.
Mesech vocis Hebrææ, varia interpretatio. 10. 218.
Mesopotamiæ nomen sumitur interdum late, vt Mesopotamiam & Chaldæam comprehendit. 41. 699.
Mesopotamia ab Hebræis dicitur Aram Naharaim, id est, Syria fluuiorum. 43. 700.
Methodio Martyri falso ascribitur vaticinium de gente exitiosa Ismahelitarum. 28. 326.
Misphat fons, cur dictus fons iudicij. 21. pa. 686.
Mysterium Trinitatis in visione trium Angelorum. 9. 410.
Mysterium Trinitatis in tribus mensuris vnius similaginis. 14. 416.

Mons.

Montes Engaddi quales fuerint. 35. 488.
Montium Garizim & Hebal situs: Mercatoris super ea re sententia refellitur. 76. 74.
Montes Garizim & Hebal prope Sychem montem fuerunt, vbi Abraham ædificauit altare Domino: ibi Iosue ædificato altari audiente populo recitari iussit Deuteronomium Mosis. Ibidem.
Montem Garizim significasse creditur Samaritana, cum dixit: Ioan. 4. Patres nostri in monte hoc adorauerunt. Ibidem.
Mons Moriah & Caluariæ sunt diuersi, sed pro vno monte accipi possunt, quia sunt propinqui, & eiusdem forte montis partes. 16. 582.
Mons Moriah adiacebat orientali Hierusalem muro post conditũ templum. 17. 582.
Mons Syna quomodo dicatur à S. Paulo fuisse coniunctus vrbi Hierusalem. 35. 563.

Morale.

Moralis expositio cæcitatis Sodomitarum quærentium ostium domus Lot, ex Gregorio. 21. 477.
Moralis expositio præcepti quod dedit Deus Loth, ne quæ retro erant respiceret. 22. 478.
Moralis expositio nemoris ab Abrahamo plantati, ex Ruperto. 27. 556.
Morale documentum ex significatione quinque generum animalium, quæ fuerunt ab Abraham adhibita pro firmando fœdere 262.
62.
Moria mons cur ita dictus sit, variæ expositiones. 15. 581.

Mors.

Mori quempiam non suo tempore, vt dixit Salomon, an pugnet cum præscientia & prouidentia Dei. 58. 782.
Mortem pro patria qui opetierint. 59. 609.
Mors hominis an lacrymis prosequenda. 9. & 11. 643. & seq.
Mors præter naturam & præter fatum quænam sit. 59. 782.
Mortis senum atque iuuenum differentia, ex Catone. 50. 777.
Mori deficientem vt dicitur de Abraham, an sit commune omnium morientium. 49. pag. 776.

Moses.

Moses omnem terram Promissionis quomodo vidit ex Phasga in vertice montis Nabo. 41. 114.
Moses vtrum habuerit scientiam & vsum Sapientiæ Ægyptiorum. 10. 9.
Moses cur tam subtiliter ætatis ac vitæ annos Abrahæ annotauerit. 1. 339.
Moses vt ostenderet Saram non fuisse naturaliter potentem generandi, cur dixit iam desiisse ei fieri muliebria. 32. 427.
Moses quanto tempore post obitum Abrahæ natus sit. 44. 773.
Mosis historia de rebus Abrahæ, quinquies interrupta est. 45. 774.
Mosis historia de Abraham, quot annorum res ab eo gestas contineat. Ibidem.
Moses Ægyptius quæ tradat de causis Circumcisionis. 13. 350.

Mulier.

Mulieres vtrum tempore menstruorum concipere aliquando possint, ex sententia Aristotelis & Galeni. 31. & 32. 427.
Mulieris magis optanda viro virtus & grauitas, quam pulchritudo. 103. 73.
Mulierum rapiendarum mos, ab Aegyptiis in alias gentes fluxit. 87. 62.
Mulierum latere domi est. 16. 353.
Mulier cur appellata sexus Lunaris. 28. pag. 426.

N

Naasson non videtur intrasse terram promissionis. 81. 228.
Naba, nomen hebræum, Prophetam significat, & de Etymologia eius vocis. 10. pa. 526.
Nabathæi qui & vnde originem ducere. 27. 324.
Nemorum arborúmque vsus apud Gentiles in cultu Deorum. 25. 556.
Nilus cur turbidus & niger appellatus ab Homero. 101. 72.
Nimis, particula, ex consuetudine linguæ hebrææ habet vim superlatiui, significans magnam eius cui adiungitur exuperantiam. 70. 718.
Nisi, particula affirmandi, iurandique vim habet. 75. 618.
Noë quanto anno ætatis Abrahæ, mortuus sit. 38. 769.
Nomen fuisse prænunciatum mirabiliter ante ortum quinque tantum viris, legimus in Scriptura. 29. 326.
Nomen imponebant Patres filijs, non matres. 37. 333.
Nominis imponendi in Circumcisione origo. 62. 392.
Nomen imponere pueris soliti sunt Romani die nono, & puellis octauo, aliaque de nominum impositione. Ibidem.
Nomina Ethnicorum assumere, impium fuit Hebræis, non itidem Christianis nunc est. Ibidem.
Numerus. 318. Vernaculorum Abrahę, quorum opera quatuor reges debellati sunt, mysticus & Sacer ex Ruperto. 38. 167.
Numerorum quibus signantur Iusti quos Abraham apud Deum memorauit, à decem vsque ad quinquaginta, mystica expositio pertinens ad diuersos vitæ spiritualis gradus. 67. & 68. 452. & seq.

O

Officium boni Regis ostendit rex Sodomorum, dum temporalia bona omnia, saluti hominum postposuit. 83. 203.
Oleastri sententia de terra ab Hebræis vsque ad Euphratem possidenda. 104. 294.
Oleastri sententia de significatione nominis Saddai reiicitur. 4. 340. & seq.
Oleastri explicatio verborum illorum (pluit dominus à Domino) nullum in illis mysterium agnoscentis, sed merum Hebraismum. 38. 490.
Oleastri sententia de Etymologia vocis he-

*bræa Naba.*11. 526.
*Oleaster explicat varias Etymologias vocis Moriah.*15. 581.
Omen quid sit, eius origo, & an id nomen in libris sacris reperiatur, vanitas ominatoriæ obseruationis & diuinationis euidenter confutatur: exponuntur tria quæ speciem ominum habent in Scriptura: De omine S. Ambrosij & Augustini, & ad eam materium pertinentia alia permulta. 57.*& sequentibus.* 711.
*Omnipotentem esse Deum credere, magnum fidei firmamentum, tresque in hominum animis motus generat.*3. 340.
*Onager quale animal, & quid in Scriptura significet.*32. 329.
*Opus bonum morale sine fide factum, cur secundum S. Paulum habeat gloriam apud homines, non apud Deum.*46. 248.
Operanti quomodo merces reddatur, non ex gratia, sed ex debito. *Ibidem.*
*Operari, siue operantem esse, quid ad Rom.*4. *significet apud S. Paulum.* *Ibidem.*
*Opera alicuius non esse plena, vt dicitur in Apocalypsi, quid significet.*62. 784.
*Operire caput in Scriptura, varias habet significationes & vsus.*105. 741.
*Orientalem terram, aupliciter nominare solet Scriptura.*31. 764.
Orientales populi, Palæstinæ vicini, frequentem habuerunt vsum camelorum in præliis, & in faciendo itinere, & gestandis oneribus, mulorum siue equorum vice. 49. 704.

Origenes.

Origenes non videtur bene sensisse de veracitate Abrahæ, & fide erga cuiugem. 102. 72.
*Origenes explicat cur Circumcisio dicatur à D. Paulo signaculum fidei.*18. 355.
*Origenes quid tradat de honore Circumcisionis apud Ægyptios.*20. 357.
*Origenes docet Lot medium fuisse inter peccatores & iustos, quod quomodo intelligendum sit, docet Auctor.*59. 506.
*Origenes docet filias Loth existimasse incendium illud Sodomiticum fuisse vniuersale, sicut fuit olim diluuium.*60. 507.
*Origenes excusabilem censet esse ebrietatem Loth.*64. 509.
Origenes ebrietatis turpitudinem ostendit. 73. 515.
Origenes pulchre expendit & exaggerat obedientiam Abrahæ in sacrificando filio. 18.*&* 21. 583.*&* 585.
*Origenes refellitur dicens in veteri Testamento non tradi historias sed sub specie historiæ pandi mysteria.*72.*&* 73. 719.*& seq.*
*Origenes indicat quid vtilitatis pariat studiosis Scripturæ, cognitio posterorum Abrahæ ex Cetura.*26. 761.
Origenis præclara disputatio de coniugio mentis humanæ cum Sapientia. *Ibidem.*
*Oslium domus quod Sodomitæ percussi cæcitate non poterant inuenire, quodnam fuerit, disputatur.*19. 475.

P

Palestinæ regio, an iure pertinuerit primo ad Sem & posteros eius: sed postea per vim occupata sit à posteris Chanaan. 65. 45.
*Panis azimus Sacris Ethnicorum adhibebatur.*14. 416.
Panis azimus Ethnicorum, panis purior erat. *Ibidem.*
Panis subcinericius. *Ibidem.*
*Paradisum corporatum & terrestrem locum fuisse vnde probet August.*15. 99.
Paradisus duobus modis accipitur in Scriptura. *Ibidem.*
*Pascha seu phase nefas erat comedere incircunciſos.*50. 483.
Pascha nemo comedit in deserto nisi Circuncisus. *Ibidem.*
Pascha in deserto semel à Iudæis celebratum est. Ibidem.
*Pater an ius habeat exponendi corpora filiarum alienæ libidini ad deuitandum instans quodpiam scelus.*14. 472.

Patres

Patres an recte ex illo loco (pluit Dominus à Domino) probent mysterium Trinitatis. 39. 491.
Patres ante Mosem docebant filios necessaria ad salutem, & quænam erant illa. 42. 435.
Patres, naturaliter filiorum vitam suæ præferunt, & illos sibi superstites fore optat. 56. 607.

D. Paulus.

*Paulus cur disputans de Sacerdotio Melchisedech & Christi, nec illius Sacrificij panis & vini, nec Christi Sacrificij Eucharistiæ mentionem vllam fecit.*82. 202.
Paulus in disputatione de Melchisedech, quid maxime docere voluerit. *Ibidem.*
Paulus quibus ex rebus inefficaciam Sacrificij Leuitici, & efficacitatem Sacrificij Christi demonstret. *Ibid.*
*Paulus iustificationem quomodo & cur tribuat fidei.*42. 244.
*Paulus quomodo dicat mercedem reddi operanti, non ex gratia, sed ex debito.*46. 248.
Paulus quid intelligat per operari, siue operantem esse, cum, ad Rom. 4. *dicit ei qui operatur merces non imputatur.* *Ibidem*
Paulus aliarum virtutum munera, & opera quæ ex insigni fide profecta sunt, assignat fidei. *Ibid.*
Paulus quid significet cum ad Rom. 4. *dicit credenti fidem reputari ad iustitiam.* 47. 249.
Paulus quid significet secundũ Augustinum, cum ad Rom. 6. *dicit gratiam Dei vitam æternam esse.*52. 253.
Paulus quomodo ostendat Abraham, cum credidit Deo, vt dicitur Genes. 15. *non fuisse iustificatum ex vllis suis operibus, cum id videatur contrarium Scripturæ.* 48. 249.
Paulus cur dicat opus bonum morale, sine fide factum, habere gloriam apud homines, non apud Deum. *Ibid.*

Paulus Burgensis.

*Paulus Burgensis contendit fuisse natum Abraham in Ciuitate Haran, non autem in Chaldæa, verum multis argumentis refellitur.*20.*& seq.* 15.
*Paulus Burgensis putat Chaldæam & Assyriam pertinuisse ad possessionem posterorum, Cham, sed refutatur.*22. 16.
Paulus Burgensis, quam rationem afferat, cur Abraham potissimum Genes. 15. *dicatur credidisse Deo, idque reputatum fuisse ad iustitiam, cum antea & credidisset Deo, & iustus coram eo fuisset.*35. 238.
*Paulus Burgensis refellitur affirmans neminem iustorum ante Abrahã mortuorum, statim descendisse in limbum: sed prius omnes aliquantisper detentos esse in Purgatorio.*69. 788.
*Pauli Burgensis obseruatio; in veteri Testamento neminem dici mortuum esse in Domino, vel dormiuisse in Domino, sicut in nouo Testamento: & quæ sit eius rei ratio.*75. 790.
*Paupertas cur apud viros bonos potius, quam apud improbos esse soleat docet Aristoteles.*2. 89.
*Paupertas conciliatrix & altrix pacis & concordiæ.*6. 92.

Peccatum.

Peccati nefandi prima origo, quænam fuerit. 39. 113.
*Peccatum & peccator significat in Scriptura & culpam & pœnam.*33. 109.
*Peccatorum complementum, quodnam sit, ante quod Deus peccata punire non vult, vbi autem illud venerit, continuo exercet vindictam.*88. 282.
Peccatorum complementum mouens Deum ad vindictam quodnam sit, & quãdo fiat. 93. 286.
Peccata alicuius gentis, cur sæpe puniat Deus, etiam in hac vita, quatuor causæ afferuntur. *Ibidem.*
Peccata hominum Deus tribus modis pu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nit.49.& 50. 439.& seq.
Peccato minori maius repellere non licere. 10. 469.
Peccatorum punitionem ob tres causas non esse omittendam. 51. 440.
Peccatorum quatuor genera clamantium ad Deum.46. 437.
Peccatum leuius suadere, vt euitetur maius, vtrum aliquando & aliquo modo liceat. 8. 468.
Pecorum adaquandorum mos in Mesopotamia.7. 89.
Pecuniam auream, Abrahæ temporibus, pro rerum pretiis non fuisse in vsu, verisimile est.29. 655.
Pentapolitana regio fuit pars terræ Chanaan.28. 106.
Peregrinationem cur suscepit Abraham ex Chananæa in Aegyptum.81. 57.
Peregrinationes suscipiuntur ab hominibus sex ob causas.82. 58.
Peregrinus quis dicatur.43. 378.
Perseuerantiæ donũ quid sit.7. 215.& seq.
Persecutores catholicorum in Anglia, cur Deus tamdiu regnare patiatur impune. 95. 288.
Pharaam solitudo qualis.20. 155
Pharaonis flagellatio quæ fuerit ob Saræ raptum exclusa Rabinorum & aliorũ Doctorum sententia. 89. 63.
Pharao cognouit Saram esse vxorem Abrahæ ex ipsa Sara.90. 64
Pharaonis vocabulum fuit commune nomen Regum Aegypti, vt apud Romanos nomen Cæsaris,& cur ita sint appellati.116.& 123. 81.& 85
Pharaones quasi Pharones à Pharo insula, qui putarint. 116.81. ijdem refelluntur. 123. 85.

Philo.

Philonis egregia disputatio, quanti æstimari debeat, bona fama & bonũ nomẽ.32. 23.
Philonis perinsignis disputatio, quam vtilis Societati humanæ sit vir iustus & sapiens.39.& 40. 26.& seq.
Philo refellitur, dicens Mosem fuisse eruditum doctrinis græcorum. 114.79.
Philo historiam Melchisedec enarrans significare videtur mactasse eum victimas in vsum Sacrificij, eundem Melchisedec vocat Sacerdotem à se consecratũ.44.173.
Philo semper loquitur de Melchisedec, vt de homine Indæorũ Genti extraneo.65.187.
Philo ait Melchisedec mactasse victimas, pro sacrificasse.74. 194.
Philo egregie demonstrat proprium esse Dei, prædicari, eum esse possessorem cœli & terræ.86. 206.
Philonis expositio allegorica in hæc verba (eduxit eum foras & dixit ei, suspice cælum) Genes.15.16. 222.& seq.
Philo, quanta laude fides digna sit, præclare ostendit.35. 238.
Philonis sententia de mutatione nominis Abram in Abraham.10. 346.
Philo de multiplici vsu & vtilitate Circumcisionis.12. 349.
Philonis de Sodomorum sceleribus copiosa dissertatio.46. 437.
Philonis de futura Iudæorum sui temporis felicitate vanum vaticinium.71. 455.
Philonis de vtilitate iusti hominis, pulchra sententia.54. 442.
Philonis de Prophetæ dignitate & proprietate sententia.10. 526.
Philo quatuor causas reddit cur Iudæis prohibitũ fuerit habere nemora, vel arbores intra vel iuxta templum.26. 556.
Philo & Iosephus aliquas circumstantias historiæ, immolationis Isaac narrant, quæ in Mosis narratione prætermittuntur in cap.22.in Præfatione.
Philo præclara de Abraham magnitudine animi scribit.23. 586.
Philo disputat cur Abraham senex in Scriptura primus appelletur.18. 419.
Philonis disputatio de triplici cognitione cultuque Dei 9. 410.
Philonis disputatio de triplici genere belli. 54. 708.
Philo factum Abrahæ de immolando Isaac extol-

extollit.61.& seq. 610.
Philo male censet Filium Dei in natura, patre inferiorem esse.82. 622.
Philo male putat nõ esse iurandũ per Deum, sed per nomen Dei. Ibid.
Philonis pulchra disputatio an conueniat Deo iurare.80. 620.
Philo obtrectationes Ethnicorum, virtutem Abrahæ circa immolationem filij, eleuare, atque infuscare conantium, mira eloquentia profligat.61. 610.
Philo, quod Scriptura dicit de mortuis, eos esse appositos ad patres vel ad populos suos, Platonice interpretatur,& male.64. 715.
Philo significat, animos nostros ex natura syderum esse constitutos:& post mortem hominis, suum cuique astrum assignari, quod est dogma Platonicum, & cõtrarium diuinæ Scripturæ. Ibidem.
Phrasis hebraica, deleri de populo, & quid sit. 58. 389.
Phrasis hebraica, mortuos apponi ad populum suum & quid sit.60. 391.
Placere Deo quid sit.5. 342.
Plagæ decem Aegypti, cur dicuntur factæ in campo Taneos.68. 137.
Plato quid senserit de numero stellarum. 15. 222.
Platonis præclara oratio, leges in Repub. dominari debere etiam principibus. 13. 528.
Plinius quid senserit de magnitudine maris mortui.49. 499.
Plinius ait priscos homines in syluis solitos fuisse cultum deorum exercere.25. 556.
Plinius scribit naturale esse post corruptionem virginitatis, relinqui pœnitentiam & tristitiam.82. 727.
Plutarchus de pane azymo.14. 416.
Plutarchus de impositione nominum pueris & puellis nono & octauo die apud Romanos.62. 392.
Ponti nomine quid in cap. 14.7. Sumi pro Hellesponto ex sententia Thostati definit auctor.8.& 9. 148.

Polygamia.

Polygamia & in lege Mosis, & ante fuit licita,& cur.17. 316.& seq.
Polygamiam non esse omnino contrariã primæ institutioni Matrimonij.19. 318.
Polygamia an quisquam piorum hominum ante Abram vsus sit.20. 318.& seq.
Polygamiam per se non esse licitam, diuina tamen dispensatione fuisse.21.& 22. pag. 319.& 320.
Polygamiæ dispensatio, cui primum facta sit. 22. 320.
Populum Sodomæ vniuersum confluxisse ad domum Loth, vtrum hyperbolice an historice sit intelligendum.1. 462.
Posteriora videre, & post-, & similes locutiones in Scriptura quid significent. 330. 35.
Præcepta diuina tribus modis obseruari posse.69. 454.
Prædestinatorum numerus cur secundum S. Thomã dicatur certus Deo nõ tantũ ratione cognitionis, sed ratione electionis,& cuiusdam principalis ordinationis.48.119.
Prædestinatorum duo magna & propria bona his verbis significantur Genes.15.(ego protector tuus & merces tua magna nimis) hæc autem sunt electio ad vitã æternam,& donum perseuerantiæ.7. 215.& seq.
Præputium per Circumcisionem ablatum, regenerari & restitui posse.33. 369.
Præputium nonnulli (auctore Celso) naturaliter non habent.35. 371.
Præputij restituendi inuentum diabolicum Esau.34. 369.& seq.
Principum libido quandoque insuperabilis. 87. 62.

Promissio.

Promissio diuina Abrahæ data triplex fuit. 48. 33.
Promissa tẽporalium bonorũ Hebræis facta, significãt aliqua bona spiritualia.63.132.
Promissionem terræ Chanaan in æternũ possidendæ, fuisse conditionalem probatur ex Scriptura.64. 133.

Pro

Promissiones bonorũ temporalium Hebræis à Deo factas, fere esse cõditionaliter intelligendas. 53. 64. 125. & 133.
Promissa temporalia, vel præcepta, cum in veteri Testamento dicuntur æterna, secundum Thomam Anglum quadrupliciter intelligi posse. 54. 125.
Promissum de innumerabili multitudine seminis Abrahæ vtrum secundum Aug. de semine spiritali an carnali intelligendum sit, non plane certum & euidens esse. 47. 119.
Promissiones bonorũ temporalium Hebræis datæ quomodo dicantur æternæ. 51. 122.
Prophetiæ morem esse secundum Chrysostomum, vt multa in aliis dicantur, in aliis vero impleantur. 45. 117.
Prophetæ cur videntes appellentur. 2. 212.
Prophetæ dignitas & significatio. 10. 526.
Prouerbialis locutio, à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ, quid significet, & quænam similis respõdeat ei apud Latinos. 18. 154.
Prouerbium vetus, ex malis quod minimũ, quomodo intelligendum. 12. 471.
Pulchritudinem mulieris tria commendant. 4. 521.
Pulchritudo mulieris quibus maxime rebus defloreſcat. Ibid.

R

Raphain gigantes 15. 152. *quomodo differant ab Enacim, ex Thostato.* 16. 153.
Rebecca officio hospitalitatis cognoscitur à seruo Abrahæ. 53. 707. & *seq.*
Virgo pulcherrima cur nominetur à Mose. 70. 718.
Rebecca cur à Mose dicatur virgo & viro incognita. Ibidem.
Rebecca cur conspecto Isaac descenderit de Camelo & operuit se pallio. 102. 739.
Recutiti cur dicantur Iudæi apud Martialem. 33. 369.
Regio vastata clade Sodomitica, quanta fuerit. 49. 499.
Regulæ explicandi dissonantias quæ videntur esse in historia & chronologia sacra. 86. & *seq.* 730.
Regnum cœlorum secundum Hieronymum in veteri Testamẽto non nominatur. 107. 297.
Regum Aegypti quatuor propria nomina commemorantur in Scriptura Sacra præter generale nomen Pharaonis. 119. 83.
Regis Moab factum, cur Iudæi indignantes ab eius oppugnatione destiterint. 105. 635.
Religio primum quærenda est in coniugio Christianorũ, exemplo Abrahæ qui ideo adiurauit seruum, ne ex Chananæorũ gente, sed ex sua cognatione vxorem filio adduceret, ex Ambrosio & Chrysostomo. 28. 29. 691.
Renunciationem mundanarum rerum triplicem describi à Cassiano. 26. 19.
Reuelatio Dei cur verbum Dei & visio Prophetæ appelletur. 2. 212.
Reuelatio quæ fit in vigilia, an semper sit præstantior ea quæ fit in somno. 8. 524.
Reuelationum quæ fiunt in somno duplex est genus. Ibidem.
Reuelationes à Deo fieri in somno ob quinque causas. Ibidem.
Rex Moab cur filium super muros sacrificauit. 98. 631.
Rhinocolura quid sit, vbi sita, vnde dicta. 102. 292.
Risus Abrahæ ex incredulitate non fuit. 68. 397.
Risus Abrahæ quam variæ causæ dentur à patribus. Ibidem.
Romani in paupertate concordes, In opulentia intestinis dissidiis agitati. 6. 92.

Rupertus.

Rupertus quomodo solos electos numeratos esse dicit Deo. 47. 119.
Rupertus risum Abrahæ ex admiratione natum vult. 69. 398.
Rupertus exponit cur Abraham loquatur tribus Angelis tanquam vni, & interdum tanquam multis. 11. 413.
Rupertus causam assignat cur diuerso modo Deus Abimelech & Pharaonem exceperit ob Saram acceptam. 7. 523.
Ruperti sententia cur Abraham fecerit conuiuium in die ablactationis Isaac. 5. 542.
Rupertus Moraliter exponit factum Abrahæ duriter tractantis Agar & Ismahelem. 19. 552.
Ruperti expositio moralis quod Deus aperuerit oculos Agar. 20. 552.
Rupertus Moraliter explicat nemus ab Abrahamo plantatum. 27. 556.
Rupertus putat terram visionis ita dictam esse, quia Deus ibi se videndum Abrahæ exhibuit. 14. 580.
Rupertus causas exponit cur Deus literis consignari voluerit historiam immolationis Isaac. 1. 573.
Rupertus in coniugio Isaac mirifice prædicat fidem Abrahæ & castimoniam Isaac. 35. 694.
Rupertus comparat Isaac cum filio Dei. 36. 695.
Rupertus Moralem tradit expositionem donorum, quæ tulit seruus Abrahæ ad Rebeccam sponsam Isaac. 47. 703.
Rupertus de differentia sectæ hæreticorum, atque Ecclesiæ Catholicæ. 107. *pagina.* 742. & *seq.*

S

Saba nepos Abrahæ, quam gentẽ proseminauerit, atque ea gens quas terras insederit. 25. 760.
Saba nomine, tres memorari in libro Geneſis: & ex illis tres esse ortas gentes Sabæorum. Ibidem.
Sacerdotium Iudaicum quomodo in Scriptura dicatur futurum æternum. 62. 131.
Sacerdotij Christiani & Leuitici quanta sit differentia. 76. 196.
Sacrificij Melchisedec materia panis & vinum. 74. 194.
Saddai quod est nomen Dei, quomodo latine interpretatur. 4. 340.
Salem, an eadem vrbs quæ Hierusalem. 67. 189.
Salis vsum apud priscos infirmandis pactis fuisse, & quare in ijs adhiberetur. 25. 480. & *seq.*
Salis varia metaphorica acceptio, ob eius in vita humana necessitatem ex Plinio. 26. 481.
Samechonitis lacus. 20. 102.
Sanguinem menstruum non esse materiam fœtus quomodo probet S. Thomas. 20. & 30. 421. & 426.

Sara.

Saræ animi virtus atque constantia in peregrinando cum viro suo laudatur ab Ambrosio. 72. 50.
Saræ pudicitiæ mirabiliter consuluit Deus apud Ægyptios. 78. 55.
Saræ amor & fides erga virũ suum. 84. 60.
Sara, Abrahæ an vere soror & coniux. 84. & 16. 60. & 530.
Saram non fuisse pollutam à Pharaone miraculose flagellato, non fuit miraculum vt putauit Chrysostomus. 92. 66.
Saram non fuisse vitiatam à Pharaone, cur non explicate docuit Scriptura. Ibidem.
Sara posterior natu quam Abrahã decennio. 4. & 70 307. & 399.
Sara voluit filium Agar facere suum per adoptionem. 1. 304.
Saræ risus fuit peccatum, sed leue. 17. 419.
Sara quomodo typũ Ecclesiæ gessit. 14. 416.
Sara ad generandum dupliciter impotens. 20. 421.
Sara nonagenaria quomodo tantæ fuerit pulchritudinis. 5. 522.
Sara iuste eiecit Agar & Ismahelem. 11. 546.
Sara in Hebron moritur, naturali morte, non illa fabulosa, quã Hebræi cõfingũt. 4. 640.

Sara prima mulier, cuius in Scriptura ætas, mors, & sepultura, ob præstantem eius virtutem, narratur. 1. 640.
Saræ mors cuius rei figura. 12. 645.
Saracenorũ nomen quando cœptum. 27. 324.
Saracenorum feritas, barbaries, mores ex Marcellino. 31. 328.
Satum quodnam mensuræ genus. 13. 415.
Saue vallis quæ fuerit, & cur dicta vallis regis. 42. 170.

Scriptura.

Scriptura ex quatuor vrbibus euersis, quare nominet solum Sodomam & Gommorrham. 48. 498.
Scripturæ mos est homines etiam trigesimum annum ingressos pueros vocare. 45. 599.
Scriptura solet ponere plurale pro vno aliquo ex multis singularibus. 24. 652.
Scripturæ consuetudo notabilis. 48. & 49. 666.
Scripturæ sacræ sensus historicus in primis supponendus est. 73. 720.
Scriptura quas habeat peculiares locutiones in describendo statu defunctorum. 63. pa. 784.
Seculum vox, aliquando significat æternum; aliquando tempus præsentis seculi. 54. 125.
Segor oppidum, vbinam situm fuit ex Borchardo. 31. 485.
Segor nominis etymologia explicatur. 36. 488.
Segor vrbs quibus nominibus, variis temporibus, appellata sit. Ibidem.
Segor vrbem seruatam esse ab incendio Sodomitico docetur contra opinionem Lyrani, Theodoreti & Suidæ, 48. 498.
Scir mons in terra Edom, & quod quinque montes in Scriptura isto nomine celebrentur secundum Borchardum. 19. 255.
Sem filius Noe quandiu superuixerit Abrahæ. 44. 773.
Semen Abrahæ carnale, id est, hebræi quibus in rebus figura fuerint seminis spiritualis, id est, Christianorum. 28. 232.
Semen in singulari numero pro generatione hominis positum aliquando personam vnam, aliquando plures significat. 91. pagina 628.
Seneca ait pueros facile infici vitiis eorum quibus cum conuersantur. 11. 546.
Senectus, que bona, & quæ mala sit censenda. 53. 778.
Senectus bona quibus hominibus contingat secundum Philonem. 54. 779.
Senes olim dicti propter canitiem virtutis & sapientiæ. 18. 419.
Senes quomodo hortandi ad continentiam. 19. 420.
Senibus vita flagitiosa, summo est dedecori. Ibidem.
Sensus literalis Scripturæ quisnam sit, & vnde iudicari debeat. 20. 226.
Sensus literalis Scripturæ an is iudicandus sit qui principalius à Spiritu sancto est intentus. 24. 230.
Sensus literalis & mysticus Scripturæ, vnde originem habeant. 25. 230.
Sensus mysticus sæpe magis à Deo intenditur, quam literalis. Ibidem.
Sephora vxor Mosis cum fuerit Madianitis, cur Numerorum 12. *Vocetur Aethiopissa.* 21. 758.
Septuaginta Interpretes, quomodo Exod. 12. *Intelligendi sint, vbi posuerunt filios Israël quinta generatione ascendisse de terra Aegypti.* 83. 279.
Sepulchri ius, sit ne quiddam sacrum, ita vt vendi, aut emi non possit. 20. 649.
Sepulchri Ephronis venditio facta Abrahamo, honesta & æqua fuit. Ibidem.
Sepulturam Ecclesiasticam nec vendi, nec emi debere, egregia D. Gregorij sententia. 13. 645.
Seruus quis dicatur. 48. 382.
Serui non debuerunt cogi ad Circumcisionem à Dominis. 46. 380.
Seruus cui Abraham de coniugio filij sui negotium mandat, quis & qualis fuerit, explicatur ex Ambrosio & Caietano. 4. 675.

Si in Scriptura nonnumquam negatiua particula est. 35. 330.
Siclus erat tetradrachmus ex Iosepho & B. Hieronymo. 29. 655.
Siddim vallis quid significet. 11. 150.
Signa quando petere liceat à Deo. 56. 709.
Signorum triplex genus, naturale, diuinum & humanum, eorumque proprietates. 60. 61. & 62. 712. & seq.
Signa humana ne vana sint, qualia esse oporteat. 62. 713.
Societas humana tribus maxime rebus initio coaleſcit, & deinceps continetur. 94. 287.
Socratis dictum, diuitias similes esse talaribus tunicis. 3. 89.

Sodoma.

Sodoma quare tantum & Gomorrha euersæ memorantur in Scriptura, & non aliæ ciuitates. 14. 98.
Sodomitæ triplici genere interfessorum apud Deum caruerunt. 73. 457.
Sodomorum peccatum fuisse multiplicatum triplici ex capite. 45. 436.
Sodomorum clamor ad Deum quid, ex Augustino, Grego. & Glossa. Ibidem.
Sodoma vrbs sita fuit vbi iam est mare mortuum. 31. 485.
Sodomę excidium quam atrox & horrendum fuerit 43. 494.
Sodomæ excidium annis sex & quadringentis præcessit decem plagas Aegypti. 57. 504.
Sodomitæ cur non statim occisi ab Angelis, aut perfecta cæcitate puniti sunt. 16. pagina 473.
Sodomitæ quam exosi & execrati fuerint Deo. 22. 478.
Sodomitæ omnes rationis compotes, qui in illo excidio perierunt, an etiam inferni suppliciis damnati sint. 54. 502.
Sodomitarum quæ fuerint alia peccata. 38. 112.
Sol in Sacris literis quatuor habet allegoricas significationes, ex Philone. 66. 265.
Solinus ignem Sodomiticum è cælo veniſſe tradit. 46. 496.
Solinus docet quantum plantis nocuerit incendium Sodomiticum. 51. 500.
Solitudo oportuna ad meditandum. 101. pagina 738.
Solitudinis studiosi Prophetæ & alij Sancti. Ibidem.
Solon mortem suam lacrymis cupiens amicorum celebrari, an melius senserit, quam Ennius id nolens ac vetans. 11. 644.
Sopor in Scriptura valde profundum somnum significat, qui sensuum aufert vsum. 60. 260.
Sopor iniectus Abrahæ in visione illa, non fuit naturalis, sed diuinus. Ibidem.
Sotus vtrum bene citet sententiam Augustini, quod liceat suadere minus malum, ad euitandum maius. 9. 468.
Spiritus Sanctus est circumspectissimus in Diuina Scriptura. Cauet omnia, prospicit omnia, ex Epiphanio. 76. 723.
Statuam salis nonnulli interpretantur monumentum incorruptibile & perpetuo mansurum. 24. 480.
Statua salis in quam versa est vxor Loth ad quod vsque tempus perdurauerit ex Iosepho, Borchardo, & Thargo Hierosolymitano. 25. 480. & seq.
S. Stephanum non esse lapsum memoria in illa sua concione Act. 7. *vt significat Beda & Rabanus & affirmat Melchior Canus, fuse disputat auctor.* 42. 662. & seq.
S. Stephani & Mosis discrepantia circa venditores sepulchri empti ab Abrahamo, declaratur ab authore, enarratis primum & discussis Doctorum super hac difficultate sententiis. 46. 665.
Sterilitatis mulierum tres causæ naturales, & duæ Diuinæ. 2. 309.
Strabo erranit existimans incendium Sodomiticum terrestre esse, & eructatum è terra. 46. 496.
Strabonis erratum circa ambitum Sodomæ. 47. 497.
Strabus duas causas affert cur Deus passus

Abrahæ, tenebant terram Chanaan refellitur.103. 293.
Thostatus quid tradat secundũ opinionẽ Hebræorum de nominibus Angelorum, qui apparuerunt Abrahæ.5. 407.
Thostati sentẽtia de causis institutæ Circumcisionis.13. 350.
Thostati opinio improbabilis de seruis Hebræorum cogẽdis ad Circumcisionem.46. 380.
Thostatus cultrum Circumcisionis, vult fuisse ferreum.63. 393.
Thostatus disputat an Lot dormiens filias grauidas facere potuerit.67. 511.
Thostatus existimat vnum & idem esse desertum Sur, & Ethan.2. 519.
Thostatus Lyrani opinionem refellit de lusu Ismahelis cum Isaac.10. 545.
Thostati sententia cur Abrahã tam exiguum viaticũ dederit Agar & Ismaheli cũ eos domo sua eiecit.15. 549.& *seq.*
Thostatus sepulturæ locum, ex collocatione mortui in eo, sacrum fieri putat.17. 648.
Thostatus argumentis ductis ex ipsa Chronologia probat, non potuisse Ceturam esse Agar.13. 753.

V

VAdo & dimittor in Scriptura idem est quod morior.9. 217.
Vallis siue cõuallis illustris, qui locus fuerit.62. 43.
Varietates & dissonantiæ temporum, quæ in Sacræ Scripturæ narrationibus nonnunquam esse videntur, tribus modis tolli possunt.92.93.94. 734.& *seq.*
Viæ duæ quibus diuina prouidentia res humanas gubernat.24. 424.
Vindictam scelerum cur in longum prorogare soleat Deus.90. 284.
Vindictæ diuinæ in hac vita exempla sex, ob varia peccata in varias gentes.95. 488.
Vinũ quo inebriatus est Loth, vnde & quale fuerit.63. 508.
Virginum diuersitas ex Rabbi Salomone, & S. Cypriano 7. 677.
Viris non esse optandã eximiam vxorũ pulchritudinem ex B. Ambrosio.83. 59.
Vir qualem & quantam habeat potestatẽ in corpus vxoris suæ, & contra.15. 315.
Vitæ actiuæ duplex genus 67. 452.
Vitæ contemplatiuæ proprietas. Ibid.
Vitæ satietas, possitne cuiquam cõtingere naturaliter.56. 781.
(Viuat coram te) Hebraismus est, & in Scriptura quid significet.70. 399.
Viuere & videre quomodo sint propria Dei attributa.36. 332.
Vocatio diuina hominum, triplex, ex Cassiano.26. 19.
Vr, Genes.11.& 15. loci nomen est, sic nominati, in quo natus est Abraham, non autem ignem significat.52. 253
Vxor primaria quæ, & quomodo differret à concubina.23. 321.
Vxoris potestas in virum, & contra viri in vxorem, quæ.15. 315.
Vxor Loth cur mutata fuerit in statuam salis.24. 480.
Vxor Loth quo tempore & loco versa fuerit in statuam salis.31. 485.
Vxor Loth cur tam atroci vindicta punita, quod, quæ retro erant, respexit, rationes quatuor 23. 480.
Xenophon quam vrbem vocet Monopolim, quam Dipolim, quam Tripolim, quam Tetrapolim.c.71. 138.

Z

ZAcharias petens ab Angelo signũ, peccauit incredulitate, non autem Abrahã neque Gedeon.num.56. 256.
Zenonis Episcopi luculentum encomium in Abraham & Isaac.42. 597.
Zenonis Episcopi Veronensis diserta & pia oratio super facto Abrahæ parati filium suum immolare. Ibidem.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca